PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

III


SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

III

BIBLIOTECA
DE
AUTORES CRISTIANOS
Declarada de interés nacional

LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. AP. 466

MATRITI • MCMLII

PROFESSORES SOCIETATIS IESU
FACULTATUM PHILOSOPHICARUM
IN HISPANIA

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

Ad mentem Constitutionis Apostolicae

"Deus scientiarum Dominus"

III

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

INTEGRUM OPUS TRIBUS VOLUMINIBUS CONSTABIT:

Vol. I. Introductio in Philosophiam. Logica. Critica. Ontologia.

Vol. II. Philosophia naturalis, seu Cosmologia, et Psychologia philosophica.

Vol. III. Theodicea. Ethica.

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

III

THEODICEA. ETHICA

AUCTORIBUS

P. IOSEPHO HELLIN, S. I.

IN FAC. MATRITENSI PROFESSORE

P. IRENAEO GONZALEZ, S. I.

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE COMILLENSI PROFESSORE

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

MATRITI • MCMLII

NIHIL OBSTAT:

Iosephus Sebastián,
Censor.

IMPRIMI POTEST:

Manuel Olleros,
Prov.

IMPRIMATUR:

† Iosephus Maria,
Ep. aux. y Vic. gral.
Matriti, 15 septembris, 1952.

Rivadeneyra, S. A.—Paseo Onésimo Redondo, 26.—Madrid.

INDEX GENERALIS

TRACTATUS I

Theodicea

PAGS.

TRACTATUS II

Philosophia Moralis

INDEX THESEON

EX THEODICEA

EX ETHICA

SIGLA ET BREVIATIONES

AAS	Acta Apostolicae Sedis.
AcEsp	Acción Española.
Ang	Angelicum.
ArchHistDoctLittMA ..	Archive historique et doctrinale et litteraire du Moyen Age.
ArchPhi	Archives de Philosophie.
ArchTG	Archivo Teológico Granadino.
BAC	Biblioteca de Autores Cristianos.
BullThom	Bulletin Thomist.
CT	Ciencia Tomista.
CiudDios	Ciudad de Dios.
CivCatt	La Civiltà Cattolica.
CL	Acta et decreta Sacrorum Conciliorum rect... Colectio lacensis.
DAFC	A. D'Alès Dictionnaire Apologétique de la foi catholique.
DB	Denzinger Bannwart 1913.
DctSoc	Dictionnaire de Sociologie.
DivThom(Fr)	Divus Thomas. Freiburg.
DivThom(Pi)	Divus Thomas. Piacenza.
DM	Disputationes Metaphysicae Francisci Suarez.
DossACtPop	Dossiers de l'Action Populaire.
DPCR	Dictionnaire pratique des connaissances religieuses.
DTC	A. Vacant. Dictionnaire de Théologie Catholique.
EphThLov	Ephemerides Theologiae Lovanienses.
EstEcls	Estudios Eclesiásticos.
EstFran	Estudios Franciscanos.
Et	Etudes.
FomSoc	Fomento Social.
Gregor	Gregorianum.
IlustrCler	Ilustración del Clero.
LavThPh	Laval Théologique et Philosophique.
MelScRel	Mélanges de Science Religieuse.
ML,MG	J. M. Migne: Patrologiae cursus completus. Series latina: Series graeca.
MiscCom	Miscelánea Comillas.
NouvRevTh	Nouvelle Revue Théologique.

OM	Opus Maius: Iosephus Hellin, Theologia Naturalis, BAC 1950.
Pens	Pensamiento.
RazFe	Razón y Fe.
RechScRel	Recherches de Science Religieuse.
RelCult	Religión y Cultura.
RET	Revista Española de Teología.
RevCiencJurSoc	Revista de Ciencias Jurídicas y Sociales.
RevDerCan	Revista de Derecho Canónico.
RevEcles	Revista Eclesiástica.
RevEcclLiege	Revue Ecclésiastique de Liège.
RevEspDerInt	Revista Española de Derecho Internacional.
RevEspT	Revista Española de Teología.
RevFil	Revista de Filosofía.
RevIntSoc	Revista Internacional de Sociología.
FevPortFil	Revista Portuguesa de Filosofía.
RevHistEccl	Revue d'Histoire Ecclésiastique.
RevNéoscolPh	Revue Néoscolastique de Philosophie.
RevHistPhiRel	Revue d'Histoire de Philosophie Religieuse.
RevPh	Revue de Philosophie.
RevQuestHist	Revue de Questions Historiques.
RevQSc	Revue de Questions Scientifiques.
RevScPhTh	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.
RevScRel	Revue des Sciences Religieuses.
RevThom	Revue Thomiste.
RivFilNeosc	Rivista de Filosofia Neoscolastica.
SalTer	Sal Terrae.
Schol	Scholastik.
SSF	Semaines Sociales de France.
ZkthTh	Zeitschrift für Katholische Theologie.

TRACTATUS I

Theodicea

AUCTORE

P. IOSEPHO HELLÍN, S. I.

PROLOGUS

Cognitio naturalis et scientifica Dei est fructus sapidissimus qui ex tota philosophia colligi potest. Deus enim est clavis quae aperit nobis explicationem ultimam rerum omnium et totius vitae nostrae. Ab ipso enim omnia recipiunt esse et in esse perseverant, et per ipsum operari possunt et operantur. Ipse etiam est exemplar analogum per essentiam suam, cuius omnia sunt imitationes et participationes deficientissimae; Ipse est exemplar formale per intellectum suum, ad cuius imitationem omnia facta sunt. Ipse est finis ultimus noster, CUI subordinamur essentialiter ut ei simus subiecti quoad intellectum, et voluntatem et operationem; Ipse est ultimus finis QUI obtienendus a nobis, cuius participatione ditamur et cuius possessione beamur. Ut ergo cum fructu huic disciplinae opera navetur, Theologiam Naturalem olim scripsimus, aliquanto longiusculam, quam nunc in summam redigimus.

In hac summa plura sunt in meliore lumine collocata et magis didactice exposita. Argumenta controversa pro Dei exsistentia non reicimus omnia, sed plerumque exponimus eorum defensionem, et simul addimus adversariorum responsiones, ut lector possit de illis cum fundamento iudicium ferre et sic ea acceptare vel reicere. Saepe lectorem remittemus ad nostrum opus maius sub signo OM, ut cum maiore amplitudine et profunditate doctrinam callere possit.

Doctrinam sequemur solidissimam Sancti Thomae iuxta mentem Ecclesiae, non autem iuxta mentem cuiuslibet alius. Et in hac expositione, non solum conabimur solidissimam doctrinam in singulis propositionibus tenere, sed etiam totam doctrinam in synthesim cohaerentissimam et fundatissimam colligere, quod est proprium scientiae philosophicae, et ideo

valde commendatur in Constitutione "Deus scientiarum Dominus", art.29 c (AAS 23 [1931] 253; OM, p.5-6; Pens 8 [1952] 53-73).

Faxit Deus ut hic noster labor conferat ad formationem solidam et piam eorum qui futuri sunt sacerdotes, eisque det et doctrinam quam postea fidelibus instillent et modum quo errores apte dissolvant.

AUCTOR

Chamartín de la Rosa (Madrid), 16 Aprilis 1952.

INTRODUCTIO

De ipsa scientia Theodiceae [1]

1. Definitio nominalis Theodiceae. Duo sunt nomina, quibus scientia de Deo insignitur, Theodicaea et Theologia Naturalis. Theodicea, a nominibus graecis Theos (Deus) et Dike vel Dikaia (iustitia vel iustificatio et defensio Dei), est quasi tractatus de defensione vel vindicatione Dei. Hoc nomen primo est adhibitum a Leibnizio ut titulus operis *Essais de Theodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal*, quod anno 1710 edidit adversus obiectiones Petri Bayle [2] (1650-1706), qui Dei exsistentiam negabat vel potius in dubium revocabat innixus in malis infinitis mundi. Theologia Naturalis, a nominibus graecis Theos (Deus) et logos (tractatus, sermo), et a nomine latino Natura, est tractatus de Deo iuxta vires solius naturae. Nomen Theodiceae est minus proprium, quia non designat totam materiam huius scientiae, sed solum partem, nempe rectitudinem providentiae divinae; nomen Theologiae Naturalis est magis proprium, quia significat totam materiam huius scientiae et etiam obiectum vel rationem eius formalem, quae est iuxta vires naturae, et magis antiquum [3].

2. Definitio realis. Si attendamus ad rem ipsam significatam, Theologia Naturalis vel Theodicea est scientia philosophica de Deo ut pars metaphysicae.

DICITUR SCIENTIA, quia est cognitio certa et evidens, acquisita per demonstrationem. Duplex autem est demonstra-

---

[1] DESCOQS, I, introd. p.1; LOINAZ, *Praelect. Theol. Natur.* (1929) 2-5; DE TONQUEDEC, *La critique de la connaissance* p.408-406.

[2] PETRUS BAYLE ex protestante factus catholicus, iterum in protestantismum rediit. Ait non ratione, sed fide cognosci exsistentiam Dei; sed quia congerit omnes difficultates contra exsistentiam Dei petitas ex exsistentia mali, ideo ingens nocumentum fecit lectoribus *Dictionnaire Historique et Critique*, ubi has doctrinas exposuit.

[3] Hoc nomen "Theologia Naturalis" primus ut videtur usurpavit RAYMUNDUS A SABUNDA (+1432) in libro cui titulus *Theologia Naturalis sive Liber creaturarum;* cf. EISSLER, *Wörterbuch der Philosoph. Begriffen* t.3 p.1504.

tio, alia a priori, alia a posteriori: a posteriori cognoscimus exsistentiam Dei et eius essentiam, et a priori cognoscimus eius attributa, ea demonstrando ex essentia; multa tamen attributa cognoscimus etiam a posteriori, ex effectibus.

DICITUR SCIENTIA PHILOSOPHICA: quia est cognitio de Deo per rationes supremas, et quidem lumine naturali et non per revelationem. Quaerimus rationes supremas Dei, non quia investigemus causas aut rationes a priori exsistentiae Dei aut eius essentiae, nullas enim habet, sed quia investigamus rationem supremam quae constituit eius essentiam metaphysicam, quae est Ipsum esse, et rationes a priori attributorum, quae etiam est essentia metaphysica ipsius, seu Ipsum esse [4].

DE DEO: per hoc nomen indicatur obiectum huius scientiae: hoc autem obiectum vocatur obiectum formale quod seu obiectum materiale primarium, vel subiectum scientiae. Deus est obiectum formale quod seu obiectum materiale primarium Theodiceae, quia est obiectum quod dilucidandum accipit haec scientia. Est subiectum scientiae, quia Deus est subiectum de quo demonstrantur omnes propositiones huius scientiae, ut sunt: "Deus exsistit, Deus est Ipsum esse, Deus est Omnipotens", etc.

Obiectum autem formale sub quo est illud obiectum vel aspectus, qui facit obiectum primarium attingi ratione sui ab hac scientia, et potest esse triplex: obiectum formale sub quo in ratione *abstractionis,* et hoc est abstractio a materia secundum esse; obiectum formale sub quo in ratione *finalitatis,* et hoc est acquirere notitiam Dei per rationes supremas, in quantum est auctor ordinis naturalis; et obiectum formale sub quo in ratione *luminis,* et hoc est lumen naturale intellectus et principia naturaliter nota, et facta ex quibus fiunt argumenta [5].

3. UT PARS METAPHYSICAE [6]. Scientiae enim dividuntur iuxta modum abstractionis a materia seu a rebus experimentalibus. Si abstrahitur a materia singulari, et retinetur corpus sensibile, habetur obiectum *Physicae,* i. e. Philosophiae Naturalis, quae est *Cosmologia et Psychologia.* Si praescinditur a materia singulari et sensibili, et retinetur materia intelligibilis ut subiecta quantitati seu extensioni, habetur obiectum *Mathematicae;* si abstrahitur a tota materia per quamdam negationem eius potestativam, et retinetur ens abs-

[4] DM 1,1,27.29; d.29,3,1.2; d.30,6,8.19.
[5] LOSSADA, *Logica* tr.1 d.2 c.1 et 9 (ed. Barcin. t.1 p.168.303).
[6] Aristoteles Metaphysicae nomen indidit Theologiae, eo quod obiectum excellentissimum Metaphysices sit Deus.

tractum a materia secundum esse, habetur obiectum *Metaphysicae*.

Iuxta hanc normam dividendi scientias, Metaphysica est scientia quae agit de ente reali in quantum est reale et in quantum est abstractum a materia secundum esse, *potestative*[7]. Ens abstractum a materia *potestative*, significat ens in quantum potest verificari sine materia, i. e. in spiritibus, sive possit etiam verificari in materia sive non, a quo praescinditur. Consequenter Metaphysica agit de ente ut sic, quia potest verificari in spiritu; agit etiam de omnibus divisionibus entis quae servent eamdem abstractionem a materia, v. c. de ente creato et increato, de substantiis spiritualibus, de substantia et supposito, de accidente in genere, et de accidente in particulari, v. c. de qualitate, de relatione, etc.

Patet igitur quomodo scientia de Deo non sit nisi pars vel capitulum Metaphysicae[8], licet praecipuum; sicuti etiam est pars vel capitulum Metaphysicae tractatus de praedicamentis. Metaphysica enim agit de ente abstracto a materia secundum esse et Deus est unum ex obiectis abstractis a materia secundum esse. Quando autem definimus Theodiceam tamquam scientiam, et designamus eius obiectum materiale et formale, non definimus eam ut scientiam independentem ab omni alia, neque designamus ei obiectum ut scientiae independenti, sed solum volumus definire partem scientiae Metaphysicae, et ei signare obiectum proprium alicuius capitis huius scientiae.

4. Relatio Theodiceae cum aliis scientiis. RELATIO AD THEOLOGIAM SUPERNATURALEM[9]. *Primo*, Theodicea non differt *a Theologia* supernaturali in obiecto materiali primario seu in obiecto formali quod, seu in subiecto scientiae, quod in utraque est Deus. Differt vero in obiecto formali sub quo, nam hoc in Theodicea est lumen naturale et in Theologia supernaturali est lumen supernaturale et auctoritas divina. *Secundo*, Theodicea est evidentior, quia nititur principiis naturaliter cognitis; Theologia vero est certior, quia nititur lumine divino et auctoritate divina. *Tertio*, Theodicea non dependet *intrinsece* a Theologia, quia principia et conclusiones non desumit a Theologia supernaturali. *Extrinsece* vero multipliciter dependet. Et *primo negative*, quia caute debet invigilare ne aliquid dicat contra veritatem revelatam. *Secundo*

[7] S. THOMAS, *In Boethium, De Trinitate* q.5 a.1-4; ARISTOTELES, 6 *Metaphys.* initio; SUÁREZ, DM 1,2,7.8.13; DOMINICUS GUNDISSALINUS, *De divisione Philosophiae* ed. Baur, Beiträge der Phil. u.Theol..., etc. t.4 heft 2.3; MARIETAN, *Problème de la classification des sciences* (Paris Suisse 1901); MARITAIN, *Les degrés du savoir* (Paris 1932) 75. ANGEL GONZÁLEZ ALVAREZ, *La vía de acceso a la metafísica...*: Giornale di Metafisica 2 (1947) 373-388; J. HELLÍN: Pens 4 (1948) 433-450; L. B. GEIGER O. P., *Abstraction et separation d'aprés S. Thomas*: RevScPhTh 31 (1947) 3-4; IDEM, *Bulletin de Metaphysique*: RevScPhTh 34 (1950) 351-354; Th. PHILIPPE O. P.: Bulletin Thomiste 3 (1930-1933) 507.

[8] Deus non est obiectum adaequatum ullius scientiae humanae (DM 1,1, 11.12); sed est solum obiectum praecipuum Metaphysices (ibid. n.8-13.19).

[9] MOTTE O. P.. *Theodicée et Theologie chez S. Thomas d'Aquin*: RevScPhTh (1937) 5-26; B. ROMEYER: ArchPhil 7 (1929) cah.2 201-213; GILSON, *Le thomisme* p.42-58; E. DE BRUYNE, *S. Thomas d'Aquin* p.114-148.

positive, et hoc duplici modo: *primo* obiective, quia theodicea tractat obiecta, quae non tractaret nisi occasione rerum quae in theologia cognoscuntur, ut est creatio, conservatio rerum immediate a Deo, concursus. *Secundo,* subiective, quia per theologiam et revelationem scimus certo et affectuose veritatem de Deo et attributis, et haec cognitio certa et affectuosa facit nos attentos ad argumenta rationis inquirenda et perpolienda, quibus eadem naturaliter probentur et explicentur. Et praeterea fortificatur vis intellectiva in multis. Si enim scimus v.c.quantitatem, quae est forma accidentalis, posse per Omnipotentiam Dei conservari separatam a substantia, a fortiori potest intellectus noster scire formam et materiam, quae sunt res substantiales, posse conservari separatas per eandem Dei Omnipotentiam. Contra Theologia supernaturalis dependet magis *positive* a Philosophia, quia principia demonstrativa accipit ab ea: sed dependet ab ea ut ab ancilla, quia utitur illis principiis ad finem proprium Theologiae, quod est altius et sublimius quam omnis finalitas scientifica naturalis [10].

Theodicea differt a PHILOSOPHIA RELIGIOSA [11], ut pars a toto: nam Philosophia religiosa tractat philosophice et de Deo, sicut Theodicea, et de virtute religionis et de officiis religiosis. Si comparemus Theodiceam cum PHILOSOPHIA RELIGIONIS, ab hac differt obiecto materiali et formali: nam Philosophia religionis tractat, non de Deo, sed de cultu eiusque manifestationibus et de fundamentis psychologicis cultus, supposita cognitione Dei.

DIFFERENTIA THEODICEAE AB ALIIS SCIENTIIS quae non agunt de Deo aut de religione, nimis est manifesta.

5. Proprietates Theodiceae. Primo Theodicea est *excellentissima* omnium scientiarum quae lumine naturali acquiruntur, ob excellentiam obiecti. Secundo Theodicea est *valde utilis* in ordine speculativo et in ordine practico [12]. In ordine *speculativo,* quia docet quaenam sit causa absolute ultima omnium rerum in ratione efficientiae, et in ratione finalitatis et exemplaritatis, sine cuius cognitione ceterae scientiae carent ultima explicatione sui obiecti; praesertim apologeticae christianae dat preambulum fidei maxime necessarium, quod est exsistentia Dei. In ordine *practico:* primo Deus est motivum fundamentale ad bene agendum; et secundo Deus est obiec-

[10] DM 30,17,36 fine; et introd. in disp. metaph.
[11] DIECKMANN, *De revelatione christiana* (Herder 1930).
[12] DESC., 1, 7-10; HONTHEIM, *Theol. Nat.* (1893) n.4-6; URRÁB., 1,6-8.

tum felicitatis, non solum aeternae, quae est post hanc vitam, sed etiam illius felicitatis quae in hac vita haberi potest [13]: et ideo persuasio de Deo consolatur in tristibus, exhortatur in periculis, roborat in adversis [14].

6. Historia Theodiceae [15]. PRAESOCRATICI non agnoscebant nec quaerebant aliud principium ultimum rerum nisi intrinsecum, nempe ex quo essent res; consequenter dixerunt ultimum principium esse materiam aliquam, sive aquam, sive aërem, etc.; ideo et Deus non potest esse nisi aliquod ex his elementis. PYTHAGORAS tamen admisit Dei exsistentiam et animae immortalitatem, potius ex traditione quam ex ratione philophica. ANAXAGORAS etiam dixit modo quodam vago exsistere quandam mentem eximiam, quae regit mundum [16].

7. Altius surrexit SOCRATES, qui iam agnovit Deum auctorem et gubernatorem providum mundi, quam doctrinam magis excoluit eius praeclarus discipulus PLATO [17]. Hic tenet exsistere ideam subsistentem Boni ex qua omnes res bonae participant bonitatem, et praeterea admisit Demiurgum, architectum mundi: sed non constat utrum idea Boni et Demiurgus sint eadem res aut quam relationem inter se habeant. Deo quidem dat attributa praeclarissima sanctitatis, providentiae, iustitiae, sed tamen non pervenit ad veram transcendentiam divinam: nam idea Boni non est nisi idea abstracta boni ut sic, quam facit subsistentem; et Demiurgus non est nisi anima mundi; et non est creator mundi, sed solum architectus [18].

---

[13] MASNOVO, *L'importance e l'urgenza attuale del problema della existenza di Dio:* RivNeoscol (1920) 225.

[14] WEBER, *Essai de métaphysique thomiste* p.97; DESC., 1 11-37; MOISANT, X., *Dieu et l'expérience en métaphysique;* ROMEYER: DPCR, *Dieu* c.664-665: methode ascendente et descendente: SERTILLANGES, *Les grands coeurs, S. Thomas, la méthode* p.74-107; OM n.23-24.

[15] PAUL JANET ET G. SEAILLES, *Histoire de la Philosophie: Les problemes et les écoles* (Paris 1932); *La Theodicée* p.799-889; IDEM, *Supplement, Période contemporaine* (1932) p.214-226, *Le probléme religieux.* Sed plena notitia litteraria horum auctorum, qui in historia theodiceae commemorabuntur, quaerenda est in *Grundriss, Der Geschichte der Philosophie* FRIDERICI UEBERWEG, praesertim in ultima editione, coepta anno 1926; et recentius HANS MEYER, *Geschichte der abendländischen Weltanschauung,* 5. Bände. (Wurzburg 1947-1950).

[16] MUÑOZ ALONSO, *La trascendencia de Dios en la Filosofía griega* (Murcia 1947).

[17] A. DIÉS, *Autour de Platon* (Paris 1927); JOLIVET, *Le Dieu de Platon:* RevApol (Janv. 1939); MUGNIER, *Le sens du mot Theios chez Platon* (1930); GARRIGOU-LAGRANGE O. P., *Platon Théologien: RevThomiste* (1926) 189-219; MUÑOZ ALONSO (o. c.) dicit Platonem non pervenisse in suis ratiociniis ad Deum transcendentem, sed ad motorem qui movet seipsum, vel ad animam mundi, vel ad ideam subsistentem abstractam Boni, Entis, Unius, etc.

[18] PLATO, *De Legibus* 1.10 887-900; *Philebus,* 26e, 28a, 30a 33b; *Phaedrus* 245c; *Phaedo* 74a; *De Republica* 1.2, 337, 380e; 1.7, 517c; 532a; *Timaeus* 29e; *Theaetetus* 176b.

8. ARISTOTELES[19] perfecit Theodiceam Platonis, et in aliis inferior eo fuit. Ex motu physico mundi ascendit ad Motorem Immobilem, qui solum movet mundum, non vero creat substratum mundi, neque astra neque motores immobiles astrorum, qui sunt quinquaginta quinque. Attributa praeclara tribuit Deo; sic Deus est Actus Purus, quia necessario semper agit et movet mundum; est immutabilis, cognoscit se perfectissime in perfecta beatitudine. Tamen in multis foede erravit: Deus enim non est immensus, sed in loco determinato coeli habitat; non cognoscit res mundanas, nec proinde quippiam facit aut providet aut gubernat efficienter, sed solum ut obiectum amatum a motoribus immobilibus astrorum: hi enim amore supremi motoris movent quisque suam sphaeram continuo et uniformiter. Deus etiam caret libertate. Etiam valde dubitatur utrum ille, quem dicit Actum Purum, sit anima supremi coeli, an forma omnino separata. Ut videtur, fuit vere polytheista, nam praeter illum Actum Purum supremum, sunt 55 alii motores immobiles, increati, et non est ratio cur non sint aequales illi[20].

9. PLOTINUS[21] magis perfecit ideam Dei. Deus enim est unicus, transcendentissimus entitative et cognoscitive, nam de eo solum scimus quid non sit, non quid sit, et est origo omnium. Sed tamen neque ille pervenit ad perfectam transcendentiam: Deus creat omnia, sed mediate; quia ipse creat Mentem, Mens creat Animam mundi, et Anima mundi creat formas inferiores et materiam. Praeterea creat necessario, et ideo aliqui credunt mundum procedere a Deo, iuxta Plotinum, modo emanatistico per quandam degradationem necessariam substantiae eius, quae tamen assertio fundamentum habere non videtur.

10. Apud *Patres* et scriptores ecclesiasticos, qui revelatione christiana iuvabantur, disparent naevi, qui theodiceam

---

[19] A. BRÉMOND, *Le dilemme theologique d'Aristote:* ArchPh 10 (1933) cah.2 237-263; BRENTANO, *Aristóteles trad. españ.* (Madrid 1930); HAMELIN, *Le système d'Aristote* p.315; JAEGER W., *Aristoteles* (Berlín 1923) p.3 c.3; R. JOLIVET, *Aristote et la notion de creation:* RevScPhTh (1930) 550; Aristoteles nullibi adhibuit argumentum ex effectibus, quia non credebat esse profundum rerum factum esse. Tamen in 2 *Metaph.* ait processum infinitum in ordine causarum efficientium repugnare, unde facile patet via ad Deum: hic tamen liber non ei iam attribuitur, sed cuidam discipulo eius.

[20] Ex motu 8 *Phys.* c.1.4-6; (haec ratio refutatur a SUÁREZ, DM 29,1,7-17; defenditur a S. THOMA, 1 CG c.13); 2 *Mtaphysic.* c.2 et cf.8 *Phys.* c.6, ubi ex corruptionibus et generationibus probat exsistentiam Dei; ex gradibus, apud SIMPLICIUM, *De caelo, Scholia in Aristotelem* 487a, ubi haec verba sunt Aristoteli attributa: *Generatim ubi est aliquid melius, in his est aliquid optimum. Quoniam igitur est in entibus aliud alio melius, est perinde aliquid etiam optimum, quod quidem erit ipsum divinum.* Ex ordine probat exsistentiam Dei in fragmento servato ap. CICERONEM, *De natura deorum* 2,37: et *De attributis divinis* 9 *Metaph.* cc.6-9; 8 *Phys.* c.1.6.10: de his locis Arist. cf. SUÁREZ, DM 30,2.2,14; *De caelo* 1.1 c.9.

[21] R. ARNOU, *Le desir de Dieu dans la philosophie de Plotin.*

gentilium valde foedabant, et conceptum valde purum de Deo habent. Inter eos eminent IUSTINUS, MINUCIUS FELIX, IRENAEUS, CLEMENS ALEXANDRINUS, ORIGENES. Sanctus AUGUSTINUS [22] Theodiceam ad maximum culmen perfectionis perduxit. Bene notetur TERTULLIANUM adhuc concipere Deum ut materiam quandam tenuissimam in immensum extensam.

11. In *aevo medio* sunt scholastici recepti et non recepti. Inter receptos eminent S. ANSELMUS, qui argumentum a simultaneo excogitavit. Sanctus THOMAS, iuvamine Aristotelis, Platonis, Patrum et omnium scriptorum antiquorum, quos cautissime et sollertissime legit, systema perfectissimum Theodiceae excogitavit. Quibus accensendi sunt SCOTUS, S. BONAVENTURA, ALEXANDER HALENSIS et alii complurimi. Scholastici autem non recepti sunt illi qui pantheismum aliquem defenderunt, ut SCOTUS ERIUGENA, DAVID DE DINANT, AMALRICUS DEL BENE; aut illi qui vires naturae ad demonstrandam exsistentiam Dei nimis extenuarunt, ut G. OCKAM. Doctrinam scholasticorum receptorum circa Deum auxerunt, illustrarunt et confirmarunt praeclarissimi doctores saeculorum XVI et XVII, inter quos eminet Doctor Eximius et Pius FRANCISCUS SUÁREZ e Societate Iesu, Granatensis [23] (1548-1617).

12. In *aetate moderna* retinetur vera doctrina de Deo apud scholasticos; sed simul cum ipsis multae scholae floruerut, quae maxime erraverunt vel circa modos probandi exsistentiam Dei vel circa ipsum conceptum Dei.

13. CARTESIUS (1649) renovat argumentum anselmianum, et statuit ut criterium ultimum veritatis veracitatem Dei. Deo tribuit libertatem maximam, nam a libertate eius pendet etiam veritas essentiarum et propositionum, quas dicimus analyticas et necessarias [24].

LEIBNIZ (1716) roborat nonnihil argumentum anselmianum; defendit vero optimismum, iuxta quem voluntas necessario eligit quod est optimum, unde aufert libertatem et Deo et homini; ipse quidem asserit se defendere libertatem veram,

[22] CAPÁNAGA, *Introducción general a las obras de S. Agustín* (B.A.C., Madrid 1946) t.1 p.71; A. MARTIN, *S. Augustini Philosophia;* R. JOLIVET, *Dieu, Soleil des esprits* (1934); S. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio* l.2 n.14-39: ML 32,1284.

[23] J. BAINVEL, *Anselme de Canterbury:* DTC; S. DOMET DE VORGES, *Anselme* (Paris 1901), ubi immensa bibliographia. De arabibus cf. M. ASÍN PALACIOS, *Obras escogidas,* t.1 (Madrid 1946) 38-169, ubi de Ibn Masarra; MANUEL ALONSO, *Teología de Averroes* (Madrid 1947). De Suárez cf. J. ITURRIOZ, *Bibliografía suareciana:* Pens. (1948) n.extr.603-638.

[24] MÉTHODE 4.ª, p. n.4; *Medit.* 3 n.7-21; *Principes* 1.ª p. n.14.18.20.21.

sed ea libertas non est nisi spontaneitatis, non vero indifferentiae [25].

INTUITIONISMUS contendit Deum non posse demonstrari ratione, sed intuitione intellectuali immediata cognosci; huius scholae sunt MALEBRANCHE, ROSMINI, GIOBERTI, ad quos accedit GRATRY et MAX SCHELER [26].

SCHOLA SCOTICA THOMAE REID tenet Deum solo instinctu caeco admitti; Iacobi in Germania contendebat Deum admitti solum sentimento quodam rationis, non discursu aut intuitione. Hoc systema vocatur irrationalismus vel antiintellectualismus [27], cuius praecipuus fundator est Kant.

14. KANT [28] contendit Deum non posse ullo modo per intellectum speculativum demonstrari, sed admitti solum per intellectum practicum et fidem; fides autem iuxta ipsum est convictio et persuasio de exsistentia Dei, non ob ullum motivum rationale et discursivum, sed solum ob postulatum in praxi tenendum, de cuius veritate tamen nihil omnino scimus: unde talis persuasio videtur magis esse opus voluntatis arbitrariae quam intellectus [29].

15. Hunc imitati sunt innumeri, qui, cum sint infecti subiectivismo, et negent valorem rationis ad verum cognoscendum, tamen nolunt abicere persuasionem de Deo. Sic BERGSON dicit Deum cognosci intuitione supra-intellectuali; BLONDEL ait Deum teneri per indigentias et tendentias totius vitae nostrae, quibus tendentiis valde consona est persuasio de Deo. Sic nova apologetica orta est, iuxta quam Deus cognoscitur, non discursu rationis, sed solum methodo immanentistica, nempe, considerando quam bene quadret exsistentia Dei cum tendentiis et exigentiis nostris: ad hanc scholam pertinent BALFOUR, LABERTHONNIÈRE, BRUNETIÈRE, OLLÉ LAPRUNE, FONSEGRIVE, ipse Blondel [30].

---

[25] MONADOL, n.36-45.

[26] DESC., t.527-556; FONCK, *Ontologisme:* DTC; LEPIDI, *Examen philosophico-theologicum de Ontologismo* (Lovanii 1874) 1-153; URRÁBURU, *Psychol.* 2, 1046-1108.

[27] ORTEGAT, *Philosophie de la Religion* (Bruxelles Paris 1938); LEGRAND, in RevNeoscol (1913) 68-87.

[28] De Kantii argumentis cf. GARRIGOU-LAGRANGE, *Le sens commum; la philosophie de l'être et les formules dogmatiques* (Paris 1909): IDEM, *Dieu, son exsistence* (1923) 106-123; DESC., 1,638-651; DONAT, *Theod.* (1929) n.115-121. OM n.41.194.208.293.

[29] De philosophia religiosa Kantii cf. CHARLES, *Kant et kantisme:* DTC 2305 2316 2325; JANSEN, *Structura philosophiae religionis kantianae:* Gregor. (1924). 46-57; IDEM, *Die Religinsphilosophie Kants* (Berlín (1929); SENTROUL, *La philosophie religieuse de Kant* (Bruxelles).

[30] ARCHAMBAULT, *Initiation à la philosophie blodelienne* (Paris 1941): COCHET: RevApol (août 1934) 129-149; RIMAUD, *Une philosophie de la transcen-*

16. Similem antiintellectualismum profitetur EXSISTENTIALISMUS. Negat valorem conceptuum universalium, principiorum abstractorum et ratiocinii. Scrutantur autem multum vitam intimam hominis et eius sensum, et inveniunt eam multimode contingentem. Hac contingentia stabilita, alii profitentur materialismum, contendentes vitam hominis solum durare dum vivit in terris: sic SARTRE eiusque sectatores; alii autem dicunt experientiam huius contingentiae humanae esse quendam contactum cum transcendente, qui vel est penitus incognitus (sic JASPERS) vel est Deus catholicorum et Christus (sic G. MARCEL [31]).

Bibliographia.

17. Auctores classici.

S. ANSELMUS, *Monologium et Proslogium:* ML 158.
S. AUGUSTINUS, *Confessiones; De Trinitate libri* 15.
S. GREGORIUS NAZIANZENUS, *Orationes theologicae:* MG 36.
HALENSIS, ALEX., *Universae Theologiae Summa.*
LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis.*
MOLINA, *Commentaria in 1 partem D. Thomae* (Conchae 1592); *Concordia "Liberi arbitrii"...* (Parisiis 1876).
PS. AUGUSTINUS, *Soliloquiorum,* etc.: ML 40,864 (cfr. ibi admonitionem).
PS. DIONYSIUS AREOPAGITA, *De divinis nominibus:* MG 3.
RUIZ DE MONTOYA, *De visione et nominibus Dei* (Lugduni 1631); *De voluntate Dei* (ibid. 1630); *De provindentia praedefiniente,* etc. (ibid. 1631).
SCOTUS, IOANNES DUNS, *Opera omnia* (Parisiis 1891).
SUÁREZ, *Disp. Met.* 28-30, et *De Deo Uno,* libri tres.
S. THOMAS AQUINAS, *Summa* 1 q.1-26.45-50.59-107; *Contra Gentiles,* l.1 totus; et l.2 c.1-40; *De veritate* q.2.3.5.23, etc.—Et eius commentatores.
VALENTIA, GREG., *Commentaria theol. in "Summam" S. Thomae* (Venetiis 1608).
VÁZQUEZ, GABRIEL, *In "Summam" S. Thomae commentaria et disputationes.*

18. Auctores Thomistae-Caietanistae.

ALBERTINI, GEORGIUS, O. P., *Acroases theologicae* (Venetiis 1800).
ALVAREZ, DIDACUS, O. P., *De auxiliis divinae gratiae,* etc. (Romae 1610).

---

dence: Etudes (20 août 1935); ROMEYER, *La philosophie religieuse de Maurice Blondel* (Paris 1943).

[31] G. MARCEL: *Journal mètaphysique* (1912-1913-1927); IDEM, *Etre et avoir* (1935); IDEM, *Homo viator* (1945); DE CORTE, *La philosophie de G. Marcel* (1938).

Arnou, S. I., *De quinque viis S. Thomae ap. graecos, arabes, iudaeos; textus selecti* (Romae 1932).
Báñez, Dom., O. P., *Scholastica commentaria in 1 p.* (Salmanticae 1585).
Billot, Ludovicus, S. I., *De Deo Uno et Trino* (Romae 1920).
Capreolus, Ioannes, *Defensiones theologicae D. Thomae* (Turonibus 1900).
Farago, Ioannes, *De demostratione metaphysica Dei exsistentiae, per quinque vias S. Thomae* (Tamisoara 1927).
Farges, *L'idée de Dieu* (Paris 1894).
Finlayson, Clarence, *Dios y la Filosofía* (Medellín, Colombia 1945).
Garrigou-Lagrange, *De Deo Uno* (Paris 1938); *Dieu* (Paris 1928); *La Providence et la Confiance en Dieu* (Paris 1932).
Gonet, Io. Bapt., O. P., *Clypeus theologiae thomisticae* (Burdigalae 1659).
González Alvarez, Angel, *Teología Natural* (Madrid 1949).
Gredt, O. S. B., *Elementa phisolophiae aristotelico-thomisticae* 2 vol. (Friburgi Brisg. 1900).
Grégoire, *Immanence et Transcendence* (Bruxelles-Paris 1939).
Hugon, O. P., *De Deo Uno et Trino* (Paris 1920).
Janssens, Laurentius, O. S. B., *Praelectiones ad modum commentarii in "Summam" D. Thomae* (Friburgi Brisg. 1900).
Mattiusi, S. I., *Les points fondamentaux de la philosophie thomiste* (Torino 1926).
Mausbach, J., *Dasein und Wesen Gottes*, t.1 et 2 (Freiburg 1929-30).
Munnynck, O. P., *Praelectiones de Dei exsistentia* (Lovanii 1904).
Penido, *Le rôle de la analogie en Théologie dogmatique* (Paris 1931).
Remer-Gény, *Theologia Naturalis* (Romae 1926).
Rolfes, Eugen, *Gottesbeweise b. Thomas v. Aquin u. Aristoteles* (Limbourg 1927).
Salmanticenses, O. C. D., *Cursus theologicus* (Parisiis 1870).
Sertillanges, A. D., *Dieu ou Rien* 2 vol. (Paris 1933); *Le Christianisme et les philosophies* 2 vol. (Paris 1941); *Les grandes thèses de la philosophie thomiste* (Paris 1928); *Sources de la croyence en Dieu* (Paris 1913) *Saint Thomas d'Aquin* (2.ª ed., 1912).
Van der Meersch, *De Deo Uno et Trino* (Bruges 1928).
Zigliara, O. P., *Summa philosophica* 3 vol. (Romae 1876).

19. Auctores Thomistae-Suareciani.

Boedder, S. I., *Theologia Naturalis* (Freiburg 1911).
Brosnam, S. I., *Institutiones Thelogiae Naturalis* (Chicago 1921).
De San, *De Deo Uno* (Lovanii 1894).
Descoqs, S. I., *Praelectiones Theologiae Naturalis* t.1 et 2 (Paris 1932-1937), cum amplissima bibliographia.
Donat, S. I., *Theodicea* (Innsbruck 1929).
Fassolus, Hieronymus: *in 1 p. D. Th.*
Franzelin, S. I., *De Deo Uno* (1876).
Hellín, J., S. I., *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez* (Madrid 1947); Idem, *Theologia Naturalis* (Cursus Philosophicus, PP. Soc. Iesu in Hisp. Professores, B. A. C., Matriti 1950).
Hontheim, S. I., *Institutiones Theodiceae* (Freiburg 1893); *Theodicea* (ibid. 1926).

KLEUTGEN, S. I., *De ipso Deo* (Ratisbonae 1881).
LAHR-PICARD, S. I., *Cours de Philosophie* t.2 (Paris 1923).
LATTEY, S. I., *God* (London 1931).
LENNERZ, S. I., *De Deo Uno* (Romae 1931); *Naturaliche Gotteserkenntnis* (Herder 1926).
LOINAZ, S. I., *Theologia Naturalis* (Taurin 1929).
MOISANT, S. I., *Dieu, L'éxpérience en Métaphysique* (1907).
MONACO, S. I., *Theologia Naturalis* (Romae 1929).
PESCH, CRISTIANUS, S. I., *De Deo Uno et Trino* (Herder 1925).
PICCIRELLI, S. I., *De Deo* (Paris 1885).
RAST, M., S. I., *Theologia Naturalis* (Friburgi Bv. 1939).
RICKABY, S. I., *Studies on God and his creatures* (London 1924).
ROMEYER, S. I., *Theodicea* (Vals 1931).
SCHAAF, S. I., *Institutiones Theologiae Naturalis* (Romae 1906).
SCHIFFINI, S. I., *Institutiones Metaphysicae Specialis* t.2 Theologiae Naturalis (1894).
URRÁBURU, S. I., *Institutiones philosophicae* t.7 et 8, Theodicea (Vallisoleti 1899-1900).
ZIMMERMANN, S. I., *Das Dasein Gottes* 6 vol. (Herder 1920).

20. Auctores Scotistae.

BELMOND SER, O. F. M., *Dieu, éxistence, cognoscibilité* (Paris 1913).
DE WOESTYNE, *Cursus Philosophicus* t.2 p.653-816.
FRASSEN, CLAUDIUS, O. M., *Scotus academicus* (Romae 1901).

21. Scholastici diversi.

AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales de la Filosofía y del Dogma* t.6 (Madrid).
BEYSENS, *Theodicee of natuurlijk Goodsleer* (Amsterdam 1907).
CARBONE, *Circulus philosophicus, seu obiectionum cumulata collectio* vol. 5 *Theodicea* (Taurini 1938).
GISQUIÈRE, EMMANUEL, *Deus Dominus* 2 vol. (1950).
DYROFF, P. ELFES, *Probleme der Gotteserkentnis* (Münster 1928).
GEYSER, J., *Das philosophische Gottesproblem* (Bonn 1899).
GUTBERLET, *Die Theodizee* (Münster 1897).
JOYCE, S. I., *Principles of Natural Theology* (London 1924).
MERCIER, *Traité élémentaire de Philosophie* t.2.
MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporaine* (Paris 1912).
POHL, W., *De vera religione* (Herder 1928).
POHLE, *God, knowability, essence and attributes* (London 1920).
SAWICKI, *Die Gottesbeweise* (Paderborn 1926).
VILLARD, O. P., *Dieu devant la science et la raison* 2 vol. (Poitiers 1894).
WILLELMS, *Institutiones philosophicae* 2 vol. (Treveris 1919).
ZACCHI, O. P., *Dio* (Roma 1925).

22. De Philosophia Religionis.

JANSEN, B., S. I., *Die Religionsphilosophie Kants* (Berlín 1929).
ORTEGAT, *Philosophie de la Religion* (Paris 1938).
ROSENMÖLLER, B., *Religionsphilosophie* (Münster 1932).

SCHMIDT, W., *Ursprung des Gottesidees* (Paderborn 1926).
STEFFES, *S. P., Religionsphilosophie* (München 1928).

23. Historici.

BETTONI, EPHRAEMUS, *Il problema della cognoscibilitá di Dio nella scuola franciscana: Alessandro di Hales, S. Bonaventura, Duns Scotus* (Padova 1950).
DANIELS, A., *Quellenbeiträge u. Untersuchungen z. Gesch. der Gottesbeweise in 13 Jahrhundert* (Beiträge z. Gesch. d. Philos. des M. A., B. 8, 1909).
GONZÁLEZ ALVAREZ, ANGEL, *El tema de Dios en la filosofía existencial* (Madrid 1945).
GRÜNDWALD, G., *Geschichte d. Gottesbeweis in M. A. bis zum Ausgang d. Hochscholastik* (Beiträge, etc., B. 6, 1907).
IGLESIAS, E., *De Deo in operatione naturae vel voluntatis operante* (Méjico 1846). IDEM, *De Deo creationis finem exsequente* (México 1951).
JOLIVET, *A la recherche de Dieu* (Archives de Philosophie, 2 192 c.2.
MUÑOZ ALONSO, ADOLFO, *La transcendencia de Dios en la filosofía griega* (Murcia 1947).
ROHNER, A., *Das Schopfungsproblem b. M. Maimónides, Alb. Magnus u. Thomas v. Aquin.* (Beiträge, etc., B. 11, 1913).
RUBERT CANDAU, J. M., *El conocimiento de Dios en la filosofía de Guillermo Rubió* (Madrid 1934).
STUFLER, J., *D. Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante* (Oeniponte 1932); IDEM, *Der Erste Beweger aller Dinge* (Philosophie u. Grenzswissenschaft, 6. Innsbruck 1914).

24. Opera generalia.

ACTA PONT. ACADEM. ROMANAE S. THOMAE AQ. et religionis catholicae.
ARCHIVES DE PHILOSOPHIE (Paris 1923).
BLANC, E., *Dictionnaire de philosophie ancienne, moderne et contemporaine* (1906); Supplement (1908).
CIENCIA TOMISTA (Madrid 1910).
DICTIONNAIRE APOLOGETIQUE DE LA FOI CATHOLIQUE, ubi etiam plures articuli habentur de Deo, praesertim art. Dieu, P. Garrigou-Lagrange.
DICTIONNAIRE PRATIQUE DES CONNAISANCES RELIGIEUSES.
DICTIONNAIRE DE THÉOLOGIE CATHOLIQUE, ubi plurimi articuli de Deo habentur, et praesertim art. Dieu, P. Chossat.
ESTUDIOS ECLESIÁSTICOS (Madrid 1920).
KIRCHENLEXIKON, WETZER U. WELTES.
LEXIKON f. *Theologie u. Kirche.*
PENSAMIENTO (Madrid 1945).
REVUE DES SCIENCES PHILOSOPHIQUES ET THÉOLOGIQUES (Kain, Belgique 1907).
REVUE NÉOSCHOLASTIQUE DE PHILOSOPHIE (Louvain 1900).
REVUE THOMISTE (Paris 1893).
THE CATHOLIC ENCYCLOPEDIA.
ZEITSCHRIFT F. KATHOLISCHE THEOLOGIE (Innsbruck 1877).

LIBER I

De exsistentia Dei

25. Totam Theodiceam in tres libros dividemus, quorum primus aget de Dei exsistentia, secundus de Dei essentia, et tertius de Dei attributis. Primus autem liber, qui est de Dei exsistentia, quinque capitibus constabit, in quibus respondebitur ad has quaestiones: prima, utrum Dei exsistentia indigeat demonstratione; secunda, utrum Dei exsistentia possit demonstrari; tertia quaenam sint demonstrationes validae; quarta, quaenam sint demonstrationes controversae; quinta, utrum sit possibilis ignorantia Dei et eius sincera negatio.

CAPUT I

De necessitate demonstrandi exsistentiam Dei

ARTICULUS I

UTRUM PROPOSITIO "DEUS EST" SIT PROPOSITIO PER SE NOTA

Thesis 1. Licet propositio "Deus est" sit per se nota quoad se, non est tamen per se nota quoad nos, et sine demonstratione admitti nequit.

26. D. TH., 1 q.2 a.1; SUÁREZ, d.29 s.3 n.33-34; IDEM, *De Deo* 1.1 c.1 n.7-9; URRÁBURU, 1,28-39; ID., *Lógica* p.758-772, ubi optima controversia circa notionem propositionis per se notae, cum optima bibliographia; DESCOQS, 1,576-577; SIMONIN, Bulletin Thomiste (1930) 10-12; OM n.65-74.

Nexus. In primo hoc capitulo intendimus demonstrare exsistentiam Dei non esse immediate notam sed demonstratione indigere, ideoque debemus excludere omnes modos quibus aliqua propositio potest esse immediate nota.

Propositio autem potest esse immediata tribus titulis: primo ex terminis ipsis; secundo, ex intuitione Dei ipsius; tertio, ex aliis viis intellectualibus, ut sunt dynamismus intellectus iudicantis aut phaenomenologismus Max Scheler. Hanc materiam tribus arti-

culis explanabimus: primus erit utrum exsistentia Dei sit nota per se seu ex terminis; secundus, utrum sit immediate nota ex intuitione ontologorum; tertius, utrum sit immediate nota aliis viis intellectualibus.

27. Notiones. QUID SIT DEUS[1]. De Deo triplex potest dari definitio seu potius descriptio. Prima *scientifica,* quae contineat omnes perfectiones characteristicas Dei, et eam dat Vaticanum his verbis: *Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt ineffabiliter excelsus* (DB 1782). *Secunda* descriptio est vulgaris et sic habet: Deus est ens supremum, auctor et gubernator mundi, summe colendum. *Tertia* demum est brevissima et initialis, iuxta quam Deus est causa prima, ens a se aut ens necessarium. Hanc definitionem nos sumemus ut initialem ob duas rationes. *Prima* est, quia licet haec definitio adhuc non continet explicite ea attributa quae omnes exigunt ut concipiatur Deus, tamen ea continet implicite et virtualiter. *Secunda* ratio est quia realitas causae primae, entis a se et entis necessarii facillime et brevissime demonstratur. Nomine igitur Dei intelligimus causam primam, ens a se et ens necessarium.

28. PROPOSITIO IMMEDIATA est ea cuius veritas cognoscitur sine ullo medio obiectivo (seu cognito) cum quo comparentur extrema. Propositio autem immediata potest esse per se nota, et non per se nota. *Per se nota* est ea cuius veritas detegitur ex sola consideratione terminorum. *Non per se nota* est ea cuius veritas non apparet ex sola consideratione terminorum, sed aliis modis, nempe, aut ex intuitione et experientia, aut ex dynamismo intellectus affirmantis. Nunc igitur de propositione immediata per se nota agemus.

Propositio per se nota potest esse quadruplex. *Prima,* est propositio *identica,* ut A est A. *Secunda,* est propositio *affirmativa,* in qua praedicatum est constitutivum subiecti, ut homo est vivens. *Tertia,* est propositio *negativa* in qua extrema sunt primo diversa,

[1] SUÁREZ, *De Deo* 1.2 c.32; URRÁBURU, 1,695-709; HONTHEIM, *TheolN.* (1893) p.8-20; OM n.61.

ut substantia non est accidens. *Quarta,* est propositio *disiunctiva* contradictoria, ut "est album aut non est album".

Commune his omnibus est ut earum veritas cognoscatur per solam considerationem terminorum, et non per medium obiectivum cum quo comparentur subiectum et praedicatum. Commune etiam est eis ut non possint demonstrari a priori, quia praedicatum non deducitur ex subiecto ut a re priori; sed ad summum possunt demonstrari ab effectibus vel a simultaneo, seu ex sola explicatione terminorum.

Nostra autem refert nunc propositio per se nota in qua praedicatum est de essentia subiecti, seu constitutivum eius, nam in propositione "Deus est", existentia pertinet ad constitutivum subiecti.

29. Propositio per se nota potest esse per se nota quoad se tantum vel etiam per se nota quoad nos. Propositio per se nota *quoad* se tantum erit, si re vera praedicatum sit de ratione subiecti, sed nos non adeo bene penetramus terminos, ut ex sola inspectione eorum videamus veritatem. Et per se nota *quoad nos* erit, si nos adeo bene penetramus terminos, ut ex sola eorum inspectione videamus veritatem propositionis.

Et propositio per se nota quoad nos potest esse, vel *quoad omnes,* sicut totum est maius sua parte, vel solum *quoad sapientes,* ut actus qui in re est actus et solum actus, cum exclusione non actus, in sua linea erit infinitus.

30. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum propositio "Deus est", sit propositio per se nota, et si affirmandum hoc est, utrum sit per se nota quoad se solum, an etiam quoad nos.

Sententiae. *Prima* tenet propositionem "Deus est" esse per se notam quoad nos; et tribuitur S. Alberto Magno, Abulensi, Aegidio Romano, Thomae de Argentina, Dionysio Cartusiano, Lyrano et S. Anselmo; unde illa propositio non indiget demonstratione iuxta hos auctores [2].

Secunda tenet eam propositionem nullo pacto esse notam per se, quia ad propositionem notam per se exigunt ut sit immediata in esse rei et in esse cognitionis pro nobis. Hi sunt Scotus, Henricus, Gabriel et Ockam [3].

Nostra sententia tenet eam propositionem esse per se notam quoad se, sed non quoad nos: et eam tenet S. Thomas et

---

[2] ALBERTUS, M., 1.ª p. tr.4 membr.2; ABULENSIS, *In Exod.* c.5 q.2; LYRANUS, *In cap. 5 Exodi;* S. ANSELMUS, *Proslogium* c.34.

[3] SCOTUS, *In I* d.2 q.2; OCKAM, *In I* d.3 q.3.

Suárez cum plerisque scholasticis [4]. Hanc statuimus ut certam, positis notionibus praecedentibus.

31. Probatur thesis. I P. PROPOSITIO "DEUS EST" EST PROPOSITIO PER SE NOTA QUOAD SE.

Illa propositio est per se nota quoad se, in qua praedicatum est de ratione subiecti, ideoque ex sola inspectione terminorum apparet vera ei qui bene terminos penetret; *atqui* hoc verificatur in propositione Deus est; *ergo* propositio "Deus est" est per se nota quoad se.

Maior patet ex notionibus; et *minor* declarabitur postea suo loco, nam Deus est ipsum esse per se subsistens.

32. II P. PROPOSITIO "DEUS EST" NON EST PER SE NOTA QUOAD NOS.

Illa propositio est per se nota, et non quoad nos, in qua praedicatum est de ratione subiecti, nos tamen non ita bene penetramus terminos obiectivos, ut ex sola eorum consideratione videamus veritatem; *atqui* propositio "Deus est" talis est; *ergo* non est per se nota quoad nos.

Maior patet ex notionibus.

Minor: a) Nam nos penetraremus terminos illius propositionis aut per intuitionem et experientiam, aut per solam ideam seu conceptum; iam vero, per experientiam et intuitionem non novimus essentiam Dei, secus de illa nemo dubitaret, nec tam laboriosum esset convincere intellectum de eius exsistentia, neque essent tot qui eam negarent. b) *Item* per solam ideam et conceptum essentiae divinae non possumus videre exsistentiam realem ei convenire. Praedicatum enim non potest habere maiorem realitatem quam subiectum; *atqui* Deus in nostra idea haberet realitatem repraesentationis, non vero intuitionis; *ergo* et praedicatum conveniret Deo in cogitatione et in idea, sed non in realitate, donec alio modo demonstraretur Deum esse realem et non mere cogitatum.

33. III P. NEQUE ADMITTI POTEST SINE DEMONSTRATIONE.

Illa propositio non potest admitti sine demonstratione rationabiliter, cuius veritas non patet per experientiam et intuitionem aut per examen terminorum; *atqui* talis est propositio "Deus est"; *ergo* illa propositio indiget demonstratione.

Maior constat: Si enim admittitur aliqua propositio, cuius veritas non constat per experientiam aut intuitionem, nec per

[4] S. TH., 1 q.2 a.1.3; 1 CG c.11; CAPREOLUS, *In I* d.2 q.2 a.3 IO. A S. TH., *In I* q.2 d.3 a.1; SUÁREZ DM 29,3,33

examen terminorum, nec per demonstrationem, caece admittitur, ideoque eodem iure quo affirmatur, negari potest.

34. Obiectiones[5]. 1. Propositio per se nota est ea cuius veritas, cognitis terminis, congnoscitur; *atqui* propositio "Deus est" non est talis, ut eius veritas cognoscatur, cognitis terminis; *ergo* non est per se nota.

Dist. mai.: est per se nota quoad se, *conc.;* etiam quoad nos, *subdist.:* si bene penetremus terminos, *conc.;* secus, *nego; et concessa min., pariter dist. cons.:* non est per se nota quoad se, *nego;* quoad nos, *conc.*

2. Ea est propositio per se nota, quae non indiget ulla demonstratione; *atqui* propositio "Deus est" indiget demonstratione; *ergo* non est nota per se.

Dist. mai.: est per se nota quoad se et quoad nos, *conc.;* est per se nota quoad se tantum, *nego; et concessa minore, dist. pariter cons.*: non est per se nota quoad nos, *conc.;* quoad se tantum, *nego.*

3. In propositione per se nota, vel termini sufficiunt gignere per se evidentiam, vel non sufficiunt per se gignere evidentiam; *atqui* si sufficiunt, erit per se nota etiam quoad nos; si non sufficiunt, neque erit ullo modo nota per se; *ergo* impossibile est ullam propositionem esse notam per se quoad se et non quoad nos.

Conc. mai.: et eligo primam partem cum distinctione: sufficiunt per se gignere evidentiam bene penetranti terminos, *conc.;* aliis, *nego;* et in minore eligo primum membrum cum pari distinctione; si nos penetremus bene terminos, *conc.;* secus, *nego; et nego suppositum,* nos bene penetrare eos.

4. Propositio excludens medium, immediate cognoscitur; *atqui* propositio per se nota excludit omne medium; *ergo* immediate cognoscitur sine demonstratione.

Dist. mai.: ab eo qui bene penetret terminos, *conc.;* ab eo qui non bene penetret, *nego; et concessa min., dist. pariter cons.*

5. Omnis idea habet obiectum reale; *atqui* nos habemus ideam Dei; *ergo* Deus est aliquid reale. *Maior:* ideae enim sunt veraces.

Dist. mai.: si est primitiva (i. e. si est intuitiva vel abstracta ex intuitivis) *conc.;* si est derivata (i. e. coalescens ex primitivis per synthesim, negationem aut relationes), *subdist.:* si demonstretur per ratiocinium, *conc.;* secus, *nego; et concessa min., dist. pariter cons.:* si Deus daretur per ideam primitivam, *conc.;* secus, *nego. Ad prob., dist.* eodem modo *antec.* (OM, n.73-74).

[5] S. TH., *l.c.; et De verit.* q.10 a.10; MOLINA, in 1 q.2 a.1.

ARTICULUS II

De ontologismo

Thesis 2. Exsistentia Dei non cognoscitur immediate ex intuitione, ut volunt ontologi.

35. S. Th., 1 q.12 a.1.2.4.11; 3 CG c.52; Suárez, *De Deo* l.2 c.7.8; Idem, DM 30 s.11.12.13; Desc., 1,526-605; Urráb., *Psyc.* II,992; A. Fonck, *Ontologisme:* DTC, cum ampla bibliogr.; Chossat, *Dieu:* DTC, 839; Lennerz, *De Deo Uno* (Romae 1940) 7-9; Gisquière, *Deus Dominus* 1 p.540-542, idea intuitionis apud modernos; OM n.75-83.

36. Notiones. Ontologismus est systema eorum qui docent immediatam et intuitivam cognitionem essentiae divinae essentialem esse humanae rationi, et in essentia divina visa, tamquam in medio in quo, nos videre reliqua omnia quae sunt extra Deum, nisi forte excipiantur mere singularia, quae in seipsis a nobis cognoscuntur.

Proprietates huius intuitionis. *a)* Haec cognitio vere est intuitio entitatis divinae, quare eam percipimus immediate et suis quasi coloribus, non per conceptus alienos rite combinatos, neque per negationes aut relationes aut per eminentiam supra omnia extra ipsum. *b)* Tamen non videmus entitatem divinam secundum essentiam suam absolutam, sed solum secundum praedicata relativa, nempe in quantum est exemplar essentiarum, si agatur de essentiis, vel in quantum est actus creativus, si agatur de exsistentiis. *c)* Haec cognitio essentiae divinae non est reflexa, sed solum spontanea; quare nos non advertimus nos cognoscere essentiam divinam, sed solum rationem aliquam obiectivam particularem, ut bonum, sanctum, equus, homo, triangulus, etc.

Fundamentum huius sententiae est quia nos concipimus universalia, quae sunt aliquid necessarium, aeternum, infinitum; *atqui* haec attributa sunt stricte divina; *ergo* id, quod per hos conceptus concipimus, est Deus ipse in quantum est exemplar rerum extra ipsum, et in ipso Deo viso videmus res illas obiectivas a Deo distinctas [6].

37. Status quaestionis. Nos concedimus intuitionem Dei supernaturalem in caelo et etiam quamdam Dei intuitionem supernaturalem apud mysticos; sed quaerimus utrum possit admitti aliqua intuitio immediata naturalis Dei dum sumus in terra.

38. Sententiae. *Prima* est ontologismi rigidi, et tenet omnia quae cognoscimus, etiam singularia et sensibilia, nos co-

[6] De definitione ontologismi disputarunt ex una parte de Woestyne in *Cursus Phil.* II p.345; et in Antonianum (1928); et ex alia parte P. Boyer ap. Desc., 1,553.

gnoscere in Deo viso, et solum excipit animam nostram, quam per experientiam cognoscimus. Ad hanc classem pertinent THOMASSINUS († 1695), MALEBRANCHE († 1715), GEULINCKX († 1669), GERDIL, adolescens († 1802), GIOBERTI († 1852).

Secunda est ontologismi mitigati: hi dicunt nos in Deo viso cognoscere solum universalia et suprasensibilia, concedit tamen nos singularia et facta experientiae internae per propriam experientiam cognoscere: inter hos sunt UBAGHS († 1875), BRANCHEREAU, HUGONIN, CES. VERCELLONE, FABRE D'ENVIEU († 1901), olim e S. I., MARTIN, S. I., ROTHENFLUE, S. I. anonymus SANS-FIEL, GRATRY, MARET, I. ROMANO [7].

Nostra sententia est non dari intuitionem Dei in hac vita, saltem modo naturali. Eam sequuntur scholastici omnes, et statuimus ut certam in philosophia. Doctrina ontologorum damnata est ab Ecclesia, et nominatim in Rosminio [8].

39. Probatur thesis.

Prob. 1. (Ex conscientiae testimonio.) Si haberemus intuitionem immediatam Dei, ita ut ipsum cerneremus et in eo viso cetera cognosceremus, haberemus conscientiam talis cognitionis, saltem cum conamur reflectere supra facta interna nostra; *atqui* nullam conscientiam habemus huius cognitionis; *ergo* eam non habemus.

Maior: nam si consideramus illam intuitionem obiective seu quoad obiectum eius, impossibile est ignorare nos cognoscere id quod cognoscimus ut rationem cetera cognoscendi; si enim aliquid est ratio *cognita cognoscendi* alia, sine dubio magis illud cognoscimus. Et si eam consideramus *subiective* ut actum nostrum, impossibile est me habere activitatem cognoscendi actualiter aliquid, et tamen me non invenire talem activitatem, licet multum reflectam: cognitio enim est conscia, saltem si multum reflecto circa illam.

---

[7] Plurimi sunt hodie qui admittant intuitionem Dei, sed valde dubitandum est quid sit illa intuitio: utrum nempe sit visio immediata ipsius essentiae divinae, an potius firma persuasio divinitatis orta ex viis irrationalibus, ut sunt experientia religiosa, sentimenta, instinctus caecus, fiducia, tendentiae ad verum, bonum et pulchrum. Hi intuitionistae sunt in Germania MAX SCHELER, RUDOLF OTTO, K. ADAM, J. HESSEN, M. LAROS, O. GRUNDLER. In Russia W. SOLOVIEW, N. LOSSKY. In Gallia H. BERGSON, E. LEROY. Cf. PENIDO, RevScPhTh (1932) 549 nota 2; et DESC., 1,557.559.566; URRÁB., *Psych.* 2,1070-1083.

[8] Errores ontolegistarum damnati sunt a Sto. Officio die 18 sept. 1861: DenzB. 1895 1897. Nos tamen non negamus possibilitatem intuitionis essentiae divinae, sed eam dicimus esse semper supernaturalem. Sic beati vident intuitive Deum, et mystici intuentur etiam illum subobscure in suis communicationibus cum Deo. Cf. de essentia unionis mysticae supernaturalis DESC., 1,573-605.

Minor: est factum conscientiae: nam licet multum reflectamus supra cognitiones nostras, non reperimus inter illas cognitionem Dei immediatam et positivam cum conceptu proprio ex propriis.

Dices. Non animadvertimus illam intuitionem, quia est constans et consuetissima; consuetissima autem non animadvertimus. *Resp.* Assueta non advertuntur cum sunt plane mechanizata, v. c. quomodo plicui digitos ad capiendum calamum scriptorium; sed si sunt ordinis cognoscitivi, semper ea possumus animadvertere, si reflectimus supra ea.

40. *Prob. 2. (Ex indole ideae Dei, quam nos habemus.)* Si Deum immediate et intuitive cognosceremus, non cognosceremus eum sicut ille qui cognosceret solum abstractive, per conceptus communes positivos, et per negationes et per eminentiam; *atqui* tamen non habemus aliam Dei cognitionem nisi quam haberet ille qui solum abstractive eum cognosceret; *ergo* revera Deum non intuitive et immediate cognoscimus.

Maior est clara; nam si cognitio intuitiva est idem atque abstractiva, dicendum est nos non habere nisi abstractivam.

Minor patet ex argumento praecedente.

41. *Prob. 3. (Ex indole hominis cognoscentis.)* Si Deum et extraexperimentalia cognosceremus intuitive in seipsis, non iuvaretur anima a corpore in ea cognitione; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* non cognoscimus Deum et extraexperimentalia intuitive in seipsis.

Maior patet: unicum enim iuvamen corporis esset ut primitivos conceptus abstraheremus a sensibilibus, et eos rite componendo, cognosceremus Deum, quod in hypothesi non contingit.

Minor: anima enim est unita substantialiter corpori; ergo a corpore iuvatur in sua principali operatione: secus frustra esset anima intellectiva unita corpori.

42. Obiectiones. 1. Deus est per se ipsum summe intelligibilis; *atqui* quod per seipsum est summe intelligibile, intelligi potest per se ipsum a nobis; *ergo* Deus per seipsum potest intelligi a nobis. *Maior:* intelligibilitas enim sequitur entitatem; ergo entitatem infinitam sequitur intelligibilitas infinita.

Dist. mai.: est summe intelligibilis quoad se, *conc.;* quoad nos, *subdist.:* si esset pro nobis obiectum proportionatum, *conc.;* si solum pertinet ad obiectum adaequatum, *nego; et contradist. min.*

2. Deus humano intellectui est maxime praesens, non solum per immensitatem, sed etiam per actionem conservativam et cooperativam; *atqui* quod maxime praesens est intellectui, maxime est intelligibile; *ergo* Deus est maxime intelligibilis.

Dist. mai.: est praesens physice, *conc.;* etiam intentionaliter, seu modo apto ut intelligatur a nobis, *subdist.:* si est nobis obiectum proportionatum, *conc.;* secus, *nego; et contradist. min.*

3. Ordo logicus seu cognitionis debet esse conformis ordini rerum (secus non adesset veritas); *atqui* in ordine rerum Deus est primus et fundamentum omnium; *ergo* in ordine logico debet esse primum cognitum, ideoque non cognoscitur ex rebus sed ante eas cognitas.

Dist. mai.: saltem negative, ita ut nihil dicat oppositum ordini rerum, *conc.;* etiam positive, ita ut dicat omnia quae sunt in rebus et eo modo quo sunt, *subdist.:* si agatur de cognitione adaequata, *conc.;* si de cognitione inadaequata, *nego; et concessa min., pariter. dist. cons.:* si agatur de veritate adaequata, *conc.;* si de veritate inadaequata, quae est nostra, *nego.* (Plura in OM nn.81-83).

ARTICULUS III

De aliis viis immediatis intellectualibus

43. Nexus. Praeter eos qui aperte ontologismum profitentur ut viam ad Deum cognoscendum immediate, sunt alii qui modo larvato illum admittunt, inter quos sunt Maréchal et Max Scheler, quorum primus dynamismum intellectualem defendit, secundus cognitionem Dei in creaturis tamquam in medio in quo sine ulla illatione.

§ 1. Dynamismus intellectualis P. Maréchal

44. Maréchal, *Le point de départ de la Métaphysique* t.V; Id., *Abstraction ou intuition:* RevNéoscolPhil (1929) 33-6; Roland Gosselin, BullThom (1927) 3-; Maquart, RevThom (1928) 347-387; Romeyer, Greg (1927) 317; Gredt, DivThom (Fri.) (1927) 364-; Descoqs, 1,57-114; Idem, 2,97-123; OM n. 84-88.

45. P. Maréchal quaesivit methodum qua solveretur problema criticum de veritate nostrarum cognitionum, et invenit solutionem huius problematis consistere in affirmatione exsistentiae Dei sine ullo medio cognito. Docet intellectum habere appetitum innatum ad affirmandum per iudicium, et non solum ad faciendas simplices apprehensiones.

Omne autem iudicium, iuxta illum, habet has proprietates: *Primo,* semper affirmat ens; nam cum dicimus, v.c., Petrus ambulat, sensus affirmationis est: Petrus ambulans est ens. *Secundo,* ens, quod affirmatur, est ens infinitum seu Deus: nam illud ens est tale, ut etiamsi affirmetur de multis, numquam exhauriatur, sed semper de pluribus affirmari possit. *Tertio,* illud ens infinitum quod affirmatur in omni iudicio, non praedicatur de subiectis experientiae nostrae in recto, seu in nominativo, sed in obliquo, seu in genitivo: sic, Petrus ambulat, aequivalet huic affirmationi: Petrus ambulans est Entis Infiniti (effectus et similitudo): unde in omni iudi-

cio et affirmamus realitatem divinam et dependentiam omnium a Deo, et analogiam entis creati. *Quarto,* per hoc manet solutum problema criticum et probata exsistentia Dei: problema criticum, quia affirmamus realitatem rerum ut emanantem a realitate divina, et realitatem divinam ut originem rerum; et ideo non potest constare de veritate ullius propositionis aut affirmationis nostrae, nisi reflexe constet nos affirmare realitatem Dei, ex quo realiter emanant res reales per efficientiam.

46. *Sed quomodo constat* has affirmationes immediatas realitatis rerum et realitatis divinae esse veras et non fictas? Id constat ex eo quod talis affirmatio est actus tendentiae innatae ad affirmandum, et actus tendentiae innatae non potest frustrari suo obiecto.

Si autem *quaeratur* cur homo habeat hanc tendentiam innatam ad affirmandum immediate ens infinitum, respondet id oriri ex tendentia innata ad visionem intuitivam Dei: homo enim necessario et innate tendit ad visionem intuitivam Dei, et quia ab hac visione impedimur dum sumus in terris et in statu unionis cum corpore, ideo satisfacimus huic tendentiae eo modo quo possumus, qui modus est affirmatio immediata exsistentiae Dei.

47. Crisis. Hoc systema admitti non potest. Nam:

Primo, falsum est in omni iudicio affirmari ens; in iudiciis negativis non affirmatur ens, sed contra negatur; ut cum dicimus, Petrus non est sapiens. Praeterea in propositionibus affirmativis non semper affirmamus ens; cum dicimus: tenebrae sunt absentia lucis, nolumus affirmare sive tenebras sive absentiam lucis esse ens, sed negationem entitatis. In iudiciis enim de se solum affirmatur identitas subiecti et praedicati, seu veritas ipsa propositionis, non entitas realis.

Secundo, quando iudicium tendit ad affirmandum ens, ut cum affirmatur exsistentia realis alicuius rei vel possibilitas realis, tunc illud ens non est ens infinitum intensive, sed solum extensive.

Tertio, falsum est in omni praedicatione, in qua praedicatur ens de aliquo, ens praedicari in obliquo, sed ex testimonio conscientiae volumus praedicare illud in recto. Et sic volumus significare, Petrus est ens, non vero Petrus est entis.

Quarto, hinc patet quomodo contra voluntatem auctoris, ex eius theoria sequeretur pantheismus. Nam si ens in praedicatione semper est Infinitum, et aliunde praedicatur in recto de subiecto, sensus omnis praedicationis erit, v. c., Petrus est ens infinitum.

Quinto, ante demonstratam exsistentiam Dei, non potest constare appetitum innatum esse infrustrabilem: nescimus enim utrum natura facta sit ab auctore sapientissimo: et ideo, licet ex appetitu innato affirmet ens et exsistentiam Dei, tamen facultas potest falli.

Sexto, falsum est appetitum innatum intellectus naturaliter ferri

in visionem intuitivam Dei, quod damnatum est in Encyclica *Humani generis*.

Septimo, iuxta hanc theoriam impossibilis esset demonstratio exsistentiae Dei: praemissae enim nequeunt cognosci ut verae nisi in quantum constet per eas affirmari realitatem Dei; ergo priusquam veniatur ad conclusionem ullam iam debet cognosci certo eius exsistentia.

Octavo, iuxta hanc theoriam admittendus est ontologismus vel antiintellectualismus; nam cum affirmatur immediate exsistentia Dei, ideo affirmatur quia aut intuemur illum, et tunc habetur ontologismus; aut quia movemur caece ad eum affirmandum, et tunc est antiintellectualismus, de quo mox dicemus.

§ 2. Phaenomenologismus Max Scheler (1928) [9]

48. Methodus phaenomenologica praestituit sibi finem et utitur mediis propriis. *Finis* eius est invenire scientiam philosophicam apodicticam et certissimam sicut est mathesis. *Medium* est descriptio phaenomenologica, seu eorum quae obiective apparent in conscientia occasione cuiuscumque facti cognoscitivi; et vocantur phaenomena quia seipsis apparent in conscientia. Haec descriptio est conformis rei, eo quod attendimus ad ea obiecta seu phaenomena priusquam per abstractiones et syntheses plurium conceptuum potuerint deformari. *Fructus* seu effectus huius methodi est intuitio *eidetica,* seu perceptio essentiarum in sua puritate et veritate. *Ulterior ampliatio* consistit in eo quod mera analysi harum essentiarum penetremus omnes relationes earum inter se et earum proprietates. HUSSERL († 1938) tamen, qui maxime usus est hac methodo, videns illas essentias esse in conscientia, et se non habere rationem ut poneret eas in realitate, dixit eas non habere ullum valorem nisi in conscientia, et sic incidit in idealismum. Fuit discipulus FRANCISCI BRENTANO († 1917) [10].

49. MAX SCHELER († 1928), discipulus Husserl, affirmat realitatem phaenomenorum in tota hac methodo phaenomenologica, et eam methodum applicuit maxime ad Deum.

[9] M. SCHELER, *Vom Ewigen im Menschen* (1921) trad. españ.; *De lo eterno en el hombre* (Madrid 1940); GISQUIÉRE, 1,80-88; RABEAU, *La philosophie religieuse de Max Scheler: Vie intellectuelle* (1929) 234-247; DESC., 1,571-573; DONAT, *Critica* (1928) 170-176; G. GURVITCH, *Les tendences actuelles de la philosophie allemande* (Paris 1930), Max Scheler e protestante factus est catholicus; ob malos mores secessit ab Ecclesia catholica; postea reversus est ad eam, et tandem omni religiosae praxi valedixit. Influxum habuit in catholicos GRUNDLER et LEEUW.

[10] Inter phaenomenolegos numerandi sunt catholici von HILDEBRAND, KARL ADAM, DE BRUYNE, *Ethica* (Brussel 1934); et praeter eos etiam LANDSBERG, MARTINUS HEIDEGGER, etc.

Affirmat cum Husserl methodum phaenomenologicam intendere scientiam philosophicam apodicticam. Ut *medium* etiam admisit descriptionem phaenomenologicam et intuitionem eideticam essentiarum. Sed dixit nos essentias non posse percipere nisi in aliqua intuitione aut facto emotionali, quo sentiamus res ut *valores*. Summus valor, quem percipimus, est Deus; illum non possumus cognoscere ut personam per argumenta rationalia, sed solum per actus emotionales speciales, qui sunt actus religiosi, ut amor Dei, admiratio, etc.

Posita hac perceptione emotionali Dei, sat confusa, pervenimus ad cognitionem rationalem eius, per quam cognoscimus illum ut personam et ens a se, sub duplici conditione: *prima* est ut habeatur aptitudo interna religiosa ad hanc intuitionem et *secunda* ut illuminemur a Deo. Factum autem externum, in quo possimus habere illam emotionem religiosam, illuminationem et perceptionem Dei ut personae et entis a se, est perceptio cuiuslibet rei, nam quaelibet res est symbolum et repraesentatio Dei. Acquisita iam cognitione Dei, ut entis a se et personae, reliqua attributa ex his praedicatis facile cognoscimus, non quidem ratiocinando, sed solum per intuitiones emotionales et illuminationes Dei. *Brevi:* Deum cognoscimus in creaturis ut in mediis in quo, quia hae sunt symbola Dei et repraesentationes Dei, in quibus Deum cognoscimus, sicut cognoscimus in quolibet opere artificiali eius auctorem determinatum, v.c. Michaelem Angelum, vel Velázquez.

50. Crisis. *a)* Falsum est argumenta rationalia non esse apta ut Deus certo cognoscatur ut persona et ut Deus. *b)* Falsum est posse dari intuitiones emotionales vel facta emotionalia circa Deum, v. c. amorem et admirationem, priusquam Deus cognoscatur, et postea, suppositis his factis emotionalibus religiosis, nos acquirere cognitionem rationalem Dei: prius est Deum cognoscere quam ut possimus habere emotiones circa illum. *c)* Falsa est theoria phaenomenologica, iuxta quam essentiae percipiuntur sine ulla abstractione e rebus, et solum occasione rerum externarum: hoc enim esset admittere innatismum. *d)* Falsum est per abstractionem deformari res, aut per syntheses plurium conceptuum ita semper res fabricari a mente ut non habeant realitatem: multa cognoscimus per syntheses plurium conceptuum, ut Deum, et puros spiritus, et animam ut spiritualem, de quorum realitate vere constat, quia efficaciter per ratiocinium eorum veritas demonstratur.

CAPUT II

De possibilitate demonstrandi naturaliter exsistentiam Dei

ARTICULUS I

De realitate huius possibilitatis

Thesis 3. Exsistentia Dei demonstrari potest viribus naturalibus intellectus, et quidem a posteriori.

51. S. Thomas, 1 q.2 a 2; Suárez, *De Deo* l.1 c.1 n.7-22; Idem, DM 1,2,2-4; s.3 n.32-36; d.30,10,14; Urráb., 1,40-58; Desc., 1,136-153; Chossat, *Dieu:* DTC 1889-1893; Garrigou-Lagr., *Dieu* p.14-43; *OM* n.90-96.

52. Nexus. Postquam probatum est Dei exsistentiam indigere demonstratione, eo quod non sit immediate evidens, videndum iam nunc est utrum sit possibile eam viribus naturalibus intellectus humani demonstrari.

53. Notiones. Demonstratio [1] est argumentatio, in qua, ex praemissis certis et evidentibus, deducitur conclusio certa et evidens.

Potest demonstratio esse a posteriori, a priori, a concomitante et a simultaneo.

Demonstratio *a posteriori* vocatur etiam a signo, et est ea in qua praemissae continent effectus illius rei quae est in conclusione; et sic ex effectibus cognoscuntur causae.

Demonstratio *a priori* est illa, in qua praemissae continent causam illius rei quae est in conclusione, et sic ex causis demonstrantur effectus; ex natura deducuntur proprietates quas debet habere, v.c., ex spiritualitate deducitur intellectualitas, et ex intellectualitate deducitur voluntas et libertas.

Demonstratio *a concomitante* est ea in qua praemissae continent aliquid quod non est causa neque effectus rei quae est in conclusione, sed tamen coniungitur necessario cum conclusione propter dependentiam necessariam utriusque a tertio; sic bene arguis: homo est flebilis, ergo est risibilis; nam quod est flebile est discursivum; atqui omne discursivum est

[1] De Demostratione cf. Urráb., *Lógica* p.311ss., et 852-880; De Tonquédec, *Critique de la Connaissance* p.426-429; Pesch-Frick, *Institutiones logicae et ontologiae* p.190; Desc., 1,143-145.

risibile; ergo quod est flebile necessario est risibile: tam flebile quam risibile pendent a discursivo.

Demonstratio *a simultaneo* est ea in qua praemissae non continent causam neque effectum conclusionis, neque ullam rem connexam cum conclusione ob dependentiam utriusque a tertio, sed aliquid quod formaliter implicite continet conclusionem, et haec per solam analysim notionis quae est in praemissa deprehenditur tamquam aliquid quod pertinet ad eius definitionem: sic, si est homo, ergo est vivens.

54. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum intellectus humanus habeat vires naturales ut possit a posteriori, i.e. ex effectibus, aut ex contingentibus aut ex rebus mundanis, ascendere ad demonstrandam certo exsistentiam Dei, an hoc sit impossibile sive propter debilitatem intellectus, sive propter altitudinem Dei, sive propter defectum connexionis necessariae inter mundum et Deum [2].

55. Sententia. *Prima* sententia est *atheorum.* Tales sunt *a)* materialistae, ut Haeckel; *b)* positivistae, qui docent nullam realitatem extraexperimentalem cognosci posse, et de facto eam negant, ut sunt in Gallia A. COMTE, LITTRÉ, TAINE; in Anglia STUART MILL, BAIN; in Germania WUNDT; *c)* agnostici absoluti, ut HUXLEY.

Secunda sententia est *agnosticorum dogmaticorum,* qui negant menti aptitudinem ad cognoscendam ullam veritatem suprasensibilem, ut est Deus, eum tamen admittendum dicunt instinctu, sentimentis, affectibus, quae sunt motiva non rationalia, de quibus postea seorsim agemus.

56. *Tertia* sententia est traditionalistarum catholicorum [3]. Hi docent intellectum nullam habere vim ad cognoscendas res

---

[2] Intendimus acquirere cognitionem scientificam et reflexam exsistentiae Dei: *scientificam,* quia est per demonstrationem dialectice validam etiam sine auxilio ullo supernaturali (*Humani generis* in Pens (1951) p.459 n.2, et p.466 n.25; p.467 n.29); *reflexam,* quia scimus, non solam veritatem rei demonstratae, sed etiam rectitudinem argumentationis. Non tamen intendimus obtinere demonstrationem *mathematicam* ratione formae aut ratione evidentiae: non ratione formae, quia mathesis procedit ab identico ad identicum vel aequivalens, et Theodicea procedit a diverso ad diversum. i. e. ab effectibus ad causam. Non ratione certitudinis, quia mathesis gignit certitudinem cogentem, Theodicea autem certitudinem liberam. Non tamen defuerunt qui vellent obtinere demonstrationem mathematicam et cogentem exsistentiae Dei, ut DESCARTES et LEIBNIZ, et recentius HALLEZ, in RevNeoscol de Louv. (1908) 410-414,527-531. Cf. IVANICKY, *Leibniz et les demonstrations mathematiques de l'existence de Dieu* (Paris 1933).

[3] Traditionalistae fuerunt nominalistae catholici, ut BURIDANUS, OCKAM, BIEL, PETRUS DE ALLIACO, NICOLAUS DE ULTICURIA. De quibus et de aliis traditionalistis cf. CHOSSAT, *Dieu*: DTC 767-771 806-810; VIGNAUX, *Nominalisme*: DTC 782-784; S. TH., 1 CG c.4; URRÁB., *Psychol.* 2,1018-1046; DESC., 1,139.

morales et religiosas, et ad eas cognoscendas certo requirebant testimonium generis humani, ut volebat LAMNNEAIS (†1854), vel auctoritatem divinam revelationis usque ad nos ore transmissae.

Inter traditionalistas autem sunt tres gradus praecipui. *a)* Vicecomes de BONALD († 1840) dicebat non posse ab intellectu humano cognosci ullam veritatem, exceptis rebus singularibus: ad cetera omnia requiri dicebat auctoritatem magisterii et species innatas quae suscitentur a magisterio orali. *b)* BONETTY († 1679) et BAUTAIN († 1867) dicebant intellectum habere vim ad quasdam veritates ordinis metaphysici cognoscendas, non vero ad res morales et religiosas, sed eas tantum ope magisterii et revelationis ore transmissae cognosci. *c)* UBAGHS († 1875) et alii dicebant mentem habere quidem de se vim al demonstrandam exsistentiam Dei, occasione tamen peccati originalis eam amisisse: sed tamen post cognitam veritatem ope revelationis et traditionis posse mentem demonstrare hasce veritates. Hic error damnatus est in Concilio Vaticano. (DB 1785-1806.)

57. *Quarta* sententia est innatistarum, qui dicunt Deum non posse a nobis certo cognosci demonstratione ulla, sed solum cognosci speciebus intelligibilibus innatis naturaliter. Hae repraesentant Deum, non ut illum immediate intueamur, sed ut modo quodam indistincto percipiamus. Haec idea suscitatur occasione experientiae internae et externae, et dat nobis convictionem realitatis obiecti repraesentati. Hanc sententiam tenuerunt in antiquitate PLATO, et recentius CARTESIUS et ROSMINIUS. Praesertim defenderunt hanc sententiam duo sacerdotes germani catholici, KLEE (1840) et KUHN (1887). Credebant enim nos non posse ex creaturis efformare conceptum Dei aut certitudinem exsistentiae eius acquirere. Hanc tenet etiam Bettoni, eamque tribuit A. Halensi, et Sancto Bonaventurae et videtur esse Sancti Augustini.

58. *Nostra* sententia docet intellectum suis naturalibus viribus posse demonstrare Dei exsistentiam a posteriori, tamquam causam per effectus, independenter ab omni auxilio supernaturali et ab omni vocatione interna Dei. Est communis catholicorum et certissima in philosophia.

In Theologia autem est de fide Dei exsistentiam posse certo *cognosci* ex creaturis tamquam causam per effectus; et est proximum fidei eam *demonstrari* posse. Documenta autem ecclesiastica quibus haec affirmatio nititur sunt sequentia: Concilium Vaticanum (DB 1785, 1806), Iusiurandum antimodernisticum (DB 2145), Propositiones receptae a Bautain (DB 1622) et a Bonnetty (DB 1650). Reprehensio Theo-

diceae Ubaghs a Congregatione Indicis (3-VI-1843), et propositiones reprehensae a S. Officio in Blondel (ap. Descoqs, ThN 1,149-150).

59. Probatur thesis.

Prob. 1. (Ex connexione entis causati et contingentis cum ente necessario.) Exsistentia Dei demonstrari potest certo a posteriori, si nos cognoscimus realitates veras, quae sunt mutabiles, corruptibiles, et contingentes et causatae, et si cognoscimus ut verum principium causalitatis et contradictionis, et si cognoscimus certo et necessario exsistentiam entis necessarii connecti cum exsistentia entium contingentium et causatorum; *atqui* haec omnia cognoscimus certissimo; *ergo* certissimo possumus demonstrare a posteriori exsistentiam entis necessarii et incausati.

Maior: si enim dantur haec omnia elementa, habebimus demonstrationem ex praemissis, quarum una continet effectus, et alia connexionem horum effectuum cum causa incausata, et haec demonstratio est a posteriori.

Minor patet ex Critica: ibi enim demonstratur ea, quae per experientiam externam percipimus, esse vera, et principia contradictionis et causalitatis vera esse.

60. *Prob. 2. (Ex falsis fundamentis oppositis.)* Possibilitas demonstrationis a posteriori unice negatur vel quia veritas ipsa praemissarum nequit cognosci nisi ex Dei intuitione aut ex nostra affirmatione immediata Dei, vel quia dicunt mentem esse ineptam ad cognoscendam veritatem; *atqui* haec fundamenta sunt falsa; *ergo* sine fundamento negatur possibilitas demonstrandi exsistentiam Dei.

Maior patet, et *minor* declaratur: nam qui dicunt veritatem praemissarum cognosci solum ex intuitione essentiae Dei sunt ontologi, qui iam sunt refutati (n.39-4); et qui dicit nullam veritatem cognosci nisi ex nostra affirmatione immediata Dei est P. Maréchal, qui iam est refutatus (n.45-47). Denique, qui dicunt intellectum esse ineptum ad veritatem ullam attingendam, iam sunt refutati in critica.

61. *Prob. 3. (Adversus traditionalistas.)* Hi dicunt ultimum et universale criterium veritatis religiosae et moralis esse solummodo auctoritatem generis humani, vel revelationem divinam immediatam vel ore transmissam usque ad nos; *atqui* hoc est falsum; *ergo* falsa est theoria traditionalista.

Maior patet, et minor declaratur. Et *primo* impossibile est ultimum criterium ad cognoscendam certo exsistentiam Dei esse aucto-

ritatem generis humani. Nam ut haec auctoritas esset criterium aptum, deberet mihi constare exsistere genus humanum, hoc genus affirmare exsistentiam Dei, et genus humanum hoc affirmans habere scientiam et veracitatem; *atqui* haec omnia non possunt cognosci iterum testimonio generis humani, sed sola evidentia immediata rationis cuiusque; *ergo* haec evidentia, et non auctoritas generis humani esset criterium quo cognosceremus Dei exsistentiam.

Secundo, impossibile est ultimum criterium ad cognoscendam certo Dei exsistentiam esse testimonium immediatum Dei revelantis. Si enim Deus alicui loqueretur et doceret se exsistere et se esse verum Deum, audiens non posset consentire huic testimonio, nisi sciret exsistere Deum, et illum esse veracem, et eum qui loquitur esse Deum, et se bene percipere quae dicuntur; *atqui* haec omnia nequit scire audiens iterum ex testimonio loquentis, sed solum per evidentiam a seipso acquisitam; *ergo* sola auctoritate Dei immediate loquentis non potest acquiri certitudo de Dei exsistentia.

Dices. Deus simul cum loquitur illuminet mentem audientis ut hic sciat vera esse quae dicuntur.

Resp. Sed tunc assensus non praestaretur solum ob auctoritatem loquentis, sed propter internam illuminationem, quae fieret per ideas infusas et per iudicia infusa: haec autem via non est naturalis, nec est via traditionalismi sed prophetismi.

N. B. Verba et magisterium et auctoritas loquentis sunt aliquod criterium veritatis, quia his mediis multa discimus, et inter ea per auctoritatem docentis ediscimus catechismum; non tamen potest esse criterium universale et ultimum ut vidimus: nam ut credam ei debeo scire scientiam et veracitatem loquentis, et hoc non possumus iterum discere per auctoritatem loquentis, qui fortasse me fallat, sed per evidentiam a me acquisitam.

62. *Prob. 4.* (*Contra fundamenta innatistarum*)[4]. Nulla est necessitas idearum innatarum, si et nos possumus acquirere conceptum Dei, et demonstrare eius realitatem; *atqui* ita se res habet; *ergo* ideae innatae non sunt necessariae.

Maior patet, et *minor* probatur: nos possumus acquirere naturaliter ideam Dei et certam persuasionem de eius realitate, si ex creaturis possumus acquirere conceptus perfectionum positivarum, quas de Deo possimus affirmare, et imperfectionum quas possimus ei negare; et si habeamus impulsum ad formandum hunc conceptum et eius realitatem investigandam et comprobandam. Iam vero ita se res habet.

Nam ex rebus creatis habemus conceptum entis, substantiae, vitae, sapientiae, limitationis, excessus; et sic possumus formare conceptum entis perfecti sine ullo limite, et cum excessu super omnia, qui est conceptus Dei. Ex alia parte homo habet *impulsum* ad efformandum hunc conceptum: tendit enim ad investigandam rationem sufficientem omnium rerum,

[4] URRÁB., *Psychol.* 2,986-1010; HONTHEIM, *Theod.* p.44; DE WOESTYNE, *Cursus* 2,705-707.

tum ob indolem curiosam mentis, tum ob aspirationes voluntatis, quae non satiatur bonis obviis sed ulteriora semper quaerit; et tandem habet *media* quibus his impulsibus et curiositati satisfaciat, quae sunt facta experientiae et principia rationis sufficientis et causalitatis: nam haec principia rite applicata perducunt facillime ad efformandum conceptum Dei et ad eius realitatem comprobandam.

63. Scholium. Non minus facile ostenditur Deum non posse demonstrari a priori aut a concomitante. Non potest demonstrari *a priori,* quia demonstratio a priori petitur ex causis aut rationibus a priori rei demonstrandae; *atqui* Deus non habet ullas causas aut rationes a priori suae exsistentiae; *ergo* non potest demonstrari a priori. Non *a concomitante;* quia demonstratio a concomitante fundatur in eo quod antecedens connectatur cum consequente propter dependentiam utriusque ab aliquo tertio; sicut flebilitas deducitur ex risibilitate, quia utrumque connectitur cum discursivo; *atqui* Deus non potest pendere ab ullo; *ergo* nec potest demonstrari a concomitante. (OM n.98.)

64. Obiectiones. 1. Lex syllogismi est ut peiorem sequatur semper conclusio partem; *atqui* in argumentatione a posteriori praemissae agunt de ente contingente, causato et mutabili; *ergo* conclusio non potest dare ens necessarium, incausatum et immutabile.

Dist. mai.: conclusio sequitur peiorem partem quoad quantitatem et qualitatem propositionis, *conc.;* quoad nobilitatem entitatis, *subdist.:* si non ostendatur connexio inter inferiorem entitatem et superiorem, *conc.;* sed si ostendatur connexio necessariae dependentiae inferioris a superiore, *nego. Et contradist. min.:* et in minore agitur de contingentibus prout habentibus necessariam connexionem dependentiae ab ente necessario et incausato, *conc.;* prout hanc connexionem non habentibus, *nego.*

2. Ut ens necessarium et incausatum et infinitum concludatur ex entibus contingentibus, necesse est ut intercedat inter utrumque aliqua proportio; *atqui* inter finitum et infinitum nulla adest proportio; *ergo* ex ente contingente nequit concludi ens necessarium.

Dist. mai.: debet intercedere aliqua proportio connexionis, qualis intercedit inter effectum et suam causam, *conc.;* proportio entitativa et similitudinis aliqualis, *subdist.:* analoga et cum distantia infinita, *conc.;* univoca et cum distantia finita unius ad aliud, *nego;* et *contradist. min.*

Creatura habet proportionem cum Deo, si haec intelligatur ut relatio dependentiae; si autem intelligatur ut relatio similitudinis, tunc creatura habet cum Creatore proportionem similitudinis analogae, non univocae, et cum distantia infinita, quia Deus non est maior quam creatura in mensura determinata, sed incomparabiliter et infinite.

3. Exsistentia Dei nequit probari ex eo quod cum Deo non habeat necessariam connexionem; *atqui* creaturae non habent necessariam connexionem cum Creatore; *ergo* ex eis non potest probari ens necessarium. Et *minor* patet, quia potest Deus exsistere sine creaturis.

Dist. mai.: non potest probari ex eo quod nullam habet cum Deo connexionem absolutam neque hypotheticam, *conc.;* quod non habet cum eo connexionem absolutam, habet tamen connexionem hypotheticam, *nego;* et *contradist. min.*

Licet Deus non connectatur cum creaturis connexione dependentiae, tamen, creaturae, si exsistunt, connectuntur necessario cum Deo, hoc sensu quod non possunt ullo pacto esse sine Deo; inde exsistentia creaturarum signum necessarium est exsistentiae Dei.

4. Si ex creaturis probatur exsistentia Dei, aut probatur ex illis materialiter spectatis, ut sunt entia, aut formaliter spectatis, ut sunt creaturae; *atqui* neutro modo; *ergo* nullo modo ex iis probari potest exsistentia Dei. *Minor*: non potest probari ex creaturis in quantum sunt entia, quia ut entia non indigent causa; neque in quantum sunt creaturae, quia creaturae ut tales iam praesupponunt cognitionem Dei et Creatoris.

Conc. mai. et nego min. Ad probationem, eligo probari ex eis ut sunt res contingentes et factae; sed *nego* hanc cognitionem praerequirere cognitionem Dei. Creaturae possunt cognosci ut contingentes priusquam cognoscatur eas habere causam, ut patet; sufficit enim ad hoc, cognoscere res incipere et desinere et mutari. Item possunt cognosci ut res factae ab aliquo, antequam cognoscamus eas esse factas determinate a Deo; habent enim causas propinquiores, et probandum manet non sufficere omnes causas propinquiores sine ente necessario et a se.

5. Plus distat Deus ab intellectu nostro quam quodlibet obiectum spirituale a sensu; *atqui* sensus nequit apprehendere obiectum spirituale; *ergo* neque intellectus potest apprehendere Deum.

Dist. mai.: entitative, *conc.;* secundum habitudinem, *nego; et concessa minore pariter dist. cons.:* si distat magis solum entitative, *nego;* si etiam habitudine, *conc.*

Creatura enim rationalis potest apprehendere prima principia rationis et facta experientiae et ex his ut ex signis ascendere ad Deum. (Plura in OM n.96.)

ARTICULUS II

De theistis antiintellectualibus

Thesis 4. Licet sentimenta et affectus multum iuvent ad percipiendam vim argumentorum rationalium pro exsistentia Dei, tamen sola vis affectuum et voluntatis inepta est ad acquirendam hanc certitudinem, et systema, quod docet hanc solam viam esse aptam, falsum est.

65. Nexus. Sunt plurimi qui negantes intellectui omnem vim perveniendi ad exsistentiam Dei, et nolentes Dei exsistentiam abicere, eam admittendam esse contendunt viis

irrationalibus, nempe affectu, sentimentis et optione voluntatis. In sequentibus, primo haec systemata exponentur, et postea thesis quae proposita est demonstrabitur.

§ 1. Systemata antiintellectualistica [5]

66. 1. PROTESTANTES [6]. Lutherus dixit per peccatum originale ita fuisse laesam nostram naturam, ut iam suis viribus nihil certo assequi possit circa res religiosas et morales: unicus modus eas cognoscendi est fides, non autem fides intellectualis fundata in testimonio divino, sed fiducialis, fundata in testimonio spiritus, qui tandem est voluntas firmissima et caeca admittendi exsistentiam Dei et applicandi sibi merita Christi. His consenserunt postea iansenistae, et nunc recentius theologus protestanticus Carolus Barth, qui etiam est exsistentialista calvinista. Hi refutati sunt in Critica, nam ibi declaratur quomodo mens sit capax adipiscendi veritates transcendentales, etiam in circumstantiis in quibus vivimus, post peccatum originale.

67. 2. CRITICISMUS KANTIANUS [7]. Kant docuit intellectum speculativum non habere capacitatem cognoscendi certo exsistentiam Dei; nostrae enim facultates cognoscitivae plenae sunt formis a priori quae non habent valorem obiectivum, nisi quando possunt illae formae applicari alicui obiecto intuibili per sensibilitatem: ideo valent scientiae mathesis et physica, non tamen habent valorem noumenalem sed solum phaenomenalem. Sed ideae rationis sunt idea Dei, idea animae et idea mundi, quae sunt etiam a priori; et quoniam non possunt aplicari rebus intuibilibus per sensationem, ideo sunt ideae vacuae, carentes omni valore obiectivo, non solum noumenali, quod est commune omni cognitioni, sed etiam phaenomenali.

At vero *ratio practica* potest nos ducere in Dei exsisten-

---

[5] DESC., 1,664-679; HONTHEIM, *Theod.* p.44-48; CHOSSAT, *Agnosticisme*: DAFC 67-75 · DONAT, *Critica* (1928) p.250-255; MOISANT, *Dieu et l' expérience en mètaphysique* p.215, ubi docet experientiam multum valere in metaphysica et nominatim in Theodicea; R. JOLIVET, *A la recherche de Dieu,* appendice 2, Demonstration théorique et expérience religieuse.

[6] Protestantes influxum habuerunt in posteriorem antiintellectualismum, nominatim in iansenistas qui se accommodaverunt placitis protestantium in hoc: cf. CHOSSAT, *Dieu*: DTC 785-789.797.799-806; sed inter antiintellectualistas protestantes eminet calvinista exsistentialista KARL BARTH.

[7] Praeter ea quea supra (n.14) circa Kant adduximus, cf. A. Valensin, Criticisme Kantien, in DAFC c.741-747; MOISANT, *Dieu:* DTC 1262-1293; DESC., 1,644-652.

tiam. Nam nos experimur imperativum categoricum, seu obligationem absolutam, qua tenemur exercere virtutem. Et ex hoc imperativo categorico deducitur exsistentia Dei. Datur enim inseparabilis coniunctio inter virtutem et beatitudinem; haec vero coniunctio non potest fieri per virtutem, quia multi virtuosi sunt infelices; nec per felicitatem, quia sunt multi felices qui non sunt virtuosi; ergo debet fieri per aliquod ens quod sit potentissimum supra omnem naturam, ut possit hanc coniunctionem facere; et sapientissimum, ut possit aestimare merita cuiusque et rependere felicitatem correspondentem. Et hic est Deus.

Deum tamen, ait, non admittimus ob ullam connexionem logicam aut per ratiocinium validum, sed solum per voluntatem liberam, eodem modo atque liberrime acceptamus exercere imperativum categoricum; Deum vero libere admittimus, ut simus coherentes nobis, semel atque admittimus imperativum categoricum. Deum autem non admittimus ut illum adoremus, neque ut erga illum obsequium oboedientiae praestemus, haec enim omnia sunt amoralia, imo immoralia; sed solum ut sit aliquid quod nobis explicet connexionem illam inter virtutem et felicitatem.

68. Sed statim apparet frustra Kant dicere rationem esse incapacem ullius veritatis circa ullum noumenon seu realitatem in se. Falsum est similiter ideas non habere valorem obiectivum nisi possint applicari alicui obiecto sensibili, aut principia prima non valere nisi circa obiecta experientiae: principium causalitatis valet universalissime, ubicumque detur ens contingens vel incipiens. Item patet impietas Kantii, qui per rationem practicam nobis dat Deum, qui non debeat adorari, cui non possit praestari obsequium oboedientiae, qui solum sit deus quidam cosmicus, utilis nostrae felicitati, sed qui non sit obiectum amoris, etc.

69. SENTIMENTALISMUS [8]. Schola scotica Thomae Reid († 1796) docuit intellectum non esse capacem per demonstrationem perveniendi ad res sensus communis, quae sunt veritates communiter acceptatae, sed illae admittuntur instinctu quodam caeco: inter has veritates reperitur exsistentia Dei. Hunc secuti sunt in Anglia OSWALD, DUGALD STEWARD (1828) et postea HAMILTON (†1856) et MANSEL († 1871). In Gallia eandem doctrinam secuti sunt JOUFFROY († 1842), ROYER

[8] CHOSSAT, *Dieu:* DTC c.794; *Agnosticisme:* DAFC 16; R. OTTO, *Das Heilige* (Gotha 1929 22 ed.); hispane, *Lo Santo: lo racional y lo irracional en la idea de Dios* (Madrid 1925); et circa *Otto* cf.DESC.: ArchPh vol.5 cah.3 p.127-133.

COLLARD († 1845), V. COUSIN († 1867) et MAINE DE BIRAN († 1824), qui de atheo factus est fervens catholicus.

In Germania IACOBI (1776-1828) ait veritates sensus communis solum percipi sentimento rationis, quod potest vocari fides: haec est persuasio firmissima voluntatis, non quia rem videmus, sed quia sentimentum intellectuale ad assensum nos impellit. Eum secuti sunt SCHLEIERMACHER († 1834), RITSCHL († 1889), qui ait admittendum esse Deum ut possimus vitam humanam degere; R. OTTO († 1937), qui ait Deum admitti ob sentimenta irrationalia quae suscitantur sub aspectibus et formis diversis, ut sunt: Numinosum, Mysterium Tremendum, Fascinosum, Sanctum: his sentimentis excitati admittimus Deum ut Absolutum et ut Vindicem universalis ordinis moralis. Ut vero talia sentimenta haberi possint, necessaria est quaedam capacitas a priori, quae vocatur *divinatio,* et hanc non omnes homines habent. Sic in suo opere *Das Heilige.*

70. PRAGMATISMUS [9]. Est doctrina tenens verum esse illud quod nobis est utile sub quolibet aspectu, sive oeconomico, sive morali, sive vitali, etc. Iuxta pragmatistas ille Deus, qui admittendus est, est diversus pro singulis, nam unusquisque fabricatur illum iuxta mensuram utilitatum suarum: pro aliis erit legislator et sancitor legis; pro aliis erit solum idea aesthetica; pro aliis erit consolator, excitator ad actionem vitae socialis, vel inspirator vitae poeticae et enthousiasmi interni, etc. Hanc theoriam excoluit primo Ernestus Neville in Gallia, Balfour in Anglia, sed praesertim floruit in America: fundator ibi fuit Carolus Sanders, quem secuti sunt Pierce, Leuba († 1946) et praesertim William James († 1910). Sed haec admissio deitatis aequivalet negationi, ut patet.

71. MODERNISMUS [10]. Hic damnatus fuit anno 1907. Est systema religiosum fundatum in principio agnosticismi, immanentismi vitalis et evolutionismi. Iuxta principium agnosticismi, non possumus cognoscere ullam veritatem realem et obiectivam, sed solum fabricatam a mente. Iuxta immanentismum vitalem omnis veritas est autochthona, seu oritur in campo propriae conscientiae et proprii ego, et non est aliquid distinctum a *to ego.* Una ex veritatibus autochthonis est exsistentia Dei.

Modus autem quo suscitatur haec veritas est necessitas divini, quae sentitur in adspirationibus ad pulchrum, ad bonum, ad superationem sui. Tunc operatur fides seu sensus divini, qui modo valde

---

[9] W. JAMES, *L'expérience religieuse* (Paris 1906); IDEM, *Le pragmatisme* (Paris 1918); MAGNIN, *Religion:* DTC 2248-2261; MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporaine* (Paris 1909) 71-113.154-182; IDEM, *Religion:* DAFC 900-905; BLANCHE, *Pragmatisme:* DAFC.

[10] DESC., 1,666-669; PIUS X, *Errores modernistarum:* DB 2001-2065; *Encyclica Pascendi:* DB 2071-2109; *Iusiurandum antimodernisticum:* DB 2145-2147; CHOSAT, FARGES, LEBRETON, *art. Modernismus* in DAFC; VALENSIN ALB., *Immanence,* in DAFC; OM n.114-117.

vago sentit to Incognoscibile. Post hanc sensationem vagam, intervenit ratio, quae hanc veluti sensationem vacuam divini, replet obiecto proprio, fingens personam quae sit Deus, vel Hominem-Christum qui sit Filius Dei, vel sacramenta et dogmata, etc.

Et per principium tertium, quod est evolutionismi, doctrina de Deo et eius personalitate, de dogmatis, de ecclesia, sacramentis, etc., mutanda erit iuxta diversam culturam et medium sociale et culturale; omnes homines habent eamdem religionem quoad realitatem, sed differunt in modo concreto interpretandi illam.

Non ideo tamen *zelus* animarum comprimendus est, sed fovendus, quia sunt multae religiones in quibus illa interpretatio est indicium infimae culturae; et debemus curare ut illae gentes acquirant maiorem culturam. Consequenter ille Deus modernistarum non est immutabilis, non est aliquid obiectivum, sed fructus culturae et gradus evolutionis uniuscuiusque populi vel individui, et ideo veritas est adaequatio rei cum gradu culturae et evolutionis uniuscuiusque; est relativismus absolutus.

Modernistae celebriores fuerunt: ALPHREDUS LOYSI, GEORGIUS TYRRELL, ROMULUS MURRY, ANTONIUS FOGAZZARO, ERNESTUS BONAIUTI.

72. BERGSON [11] Bergson docet intellectum non esse capacem ullius veritatis, quia officium intellectus est dirigere actionem, non cognoscere veritatem. Veritas cognoscitur per facultatem superiorem, quae vocatur intuitio supraintellectualis. Per hanc facultatem cognoscimus omnia esse motum sine ullo mobili, qui motus est impetus vitalis, l'élan vital. Deus autem non est nisi l'élan vital, magis condensatus quam ordinarius: consistit etiam in puro motu, et est quasi fons scaturiens omnis motus, et ab eo procedunt omnia sicut a nobis procedunt actus liberi, i. e., per quamdam evolutionem. Hic est conceptus quem de Deo debemus habere iuxta systema ontologicum eius.

Sed quomodo constat de realitate huius Dei seu huius élan vital magis condensati? Duplici via: prima est per intuitionem naturalem; sed haec via est paucorum, nempe mysticorum: ceteri non solent pervenire ad talem contactum cum divinitate, et ideo pro illis est alia via facilior quae est testimonium mysticorum: nam hi sunt homines boni et veraces, et dicunt se habuisse contactum cum Deo; ergo illis credendum est: unde valde probabliter scimus Deum exsistere.

Crisis. Sed falsum est intellectum non esse capacem veri-

[11] BERGSON, *L'évolution creatrice* (1907), hispane; IDEM, *Les deux sources de la morale et de la religion* (1932) et hispane; IDEM, *La Pensée et le mouvant* (1934) 2.ª ed.; DESC., 2,375-439; MARITAIN, *La philosophie bergsonienne* (1914 2.ª ed.); M. GARCÍA MORENTE, *La filosofía de Henri Bergson;* DIAMANTINO MARTINS, *Bergson: La intuición como método en la metafísica* (Madrid 1943); J. DE TONQUEDEC, *La clef de deux sources: Etudes relig.* (1932-1933); PENIDO, *Dieu dans le bergsonisme* (Paris 1934); OM n.130-140.

tatis obiectivae, aut ens in quantum ens consistere in motu sine ullo mobili; aut Deum esse eiusdem ordinis quam mundus, sed magis condensatum; aut homines posse habere naturaliter intuitionem Dei; aut testimonium paucorum, nempe mysticorum, esse sufficiens argumentum ut ceteri admittant Deum aut sufficere meram probabilitatem ut Deum admittamus.

73. METHODUS IMMANENTIAE M. BLONDEL[12]. *Methodus immanentiae* est methodus persuadendi hominibus veritatem religionis et realitatem Dei, eo quod sit valde conveniens cum necessitatibus entis rationalis et cum eius adspirationibus ad infinitum, ad bonum, ad pulchrum, etc. Haec methodus contendit non posse ab homine teneri ullam veritatem, praesertim de rebus transcendentibus, quae non postuletur ab aliqua exigentia, ab aliqua necessitate, ab aliqua fame et propensione interna. Quod est nobis impositum deforis a ratione dialectice operante et non a necessitatibus aut aspirationibus, vel non est verum, vel non legitime persuadetur aliis.

Differt multum a *doctrina immanentiae* vitalis propria modernismi, quia doctrina immanentiae docet omnem veritatem esse autochthonam, seu non de re diversa a concipiente et experiente; methodus autem immanentiae supponit posse dari veritatem ontologicam, sed ad eam perveniri non posse nisi per necessitates, exigentias, indigentias, adspirationes, quae per experientiam sentiantur.

74. Doctrina igitur M. Blondel ad tria puncta reduci posset. *Primum* est diffidentia magna erga rationem et vias intellectuales, quia fere est nominalista. *Secundum* est actionem valere ad attingendam exsistentiam Dei et veritatem totius religionis christianae. Actio autem intelligitur omnis vita conscia nostra, quae semper manet insatiata, et magis aliquid semper desiderat; si ergo semper magis quam finitum desiderat, signum est se desiderare et attingere infinitum, ideoque infinitum exsistere. *Tertium* punctum est, actionem solam non sufficere ad adquirendam certitudinem de Deo; ad hanc certitudinem acquirendam requiritur optio seu volitio absoluta admittendi realitatem Dei et omnes obligationes quas secum fert huiusmodi convictio; sed iterum haec optio non potest fieri nisi ab eo qui vixit cum abnegatione et mortificatione et cum quodam exercitio religionis erga Deum. Prius quam fiat haec optio, ratio non valet habere ullam certitudinem de ulla re etiam mathematica, quia non tenet radicem et fundamentum omnis veritatis, qui est Deus[13].

75. *Crisis*. Sed *primo*, reicienda est illa diffidentia erga rationem, et ille nominalismus ex quo talis diffidentia oritur. *Secundo*, falsum

[12] M. BLONDEL, *L'action* (Paris 1893) *thesis doctoralis*, iterum impressa a.1951; IDEM, *La pensée* 2 vol. (Paris 1935); IDEM *L'être et les êtres* (Paris 1936); IDEM, *L'action* 2 vol. (Paris 1838); DESC., 2,271-332; TONQUEDEC, *Immanence* (1933); IDEM, *Deux etudes sur la Pensée* (Paris 1936); J. ROIG GIRONELLA, *La Filosofía de la acción* (Madrid 1943); TAYMANS D'EYPERNON, *Le blondelisme* (Louvain 1933); F. LEFÈVRE, *L'itineraire philosophique de M. Blondel;* OM n.118-129.

[13] Fautores et praecursores huius tendentiae fuerunt: NEWMAN, OLLÉ-LAPRUNE, FONSEGRIVE, LABERTHONNIÈRE, BRUNETIÈRE.

est nos in omni actione nostra attingere infinitum: nam licet semper magis ac magis desideremus, hoc non significat nos desiderare infinitum, sed obiectum nostrae voluntatis esse bonum ut tale, et consequenter in nullo bono particulari definitive requiescere, sed quaerere alia at alia semper, licet finita. *Tertio,* falsum est voluntatem possedare certitudinem de ulla re: dispositiones morales multum valent ad removenda impedimenta quae obstant ne intelligantur rationes, sed nequaquam possunt facere ut certo assentiamur, si nulla sit ratio obiectiva. Denique, manifeste apparet illum diffidere rationi, quia dicit, priusquam per voluntatem admiserimus Deum, nullam posse dari certitudinem veram neque in rebus mathematicis.

Tamen in postremis libris, qui sic inscribantur: *La philosophie et l'esprit chrétien* (Paris 1944) multo aliter scribit, accedens proxime ad scholasticam rectam, et ideo Pius XII eum laudat per epistolam missam 2 dec. 1944. Vide textum huius epistolae in RevPortFil 1 (1945) 204.

76. EXSISTENTIALISMUS[14]. Exsistentialismus est quidam nominalismus et anti-intellectualismus. *Pars eius negativa* consistit in agnosticismo: docet enim conceptus universales carere valore obiectivo etiam quoad id quod concipitur, et inde duas conclusiones legitime deducit. Prima est fictas esse essentias immutabiles, quae per tales conceptus repraesentantur, et proprietates quae ex talibus essentiis deducuntur. Secunda conclusio est, per ratiocinium non posse cognosci aliquid extra-experimentale, quia ratiocinium constat iudiciis universalibus, et iudicia universalia constant conceptibus universalibus, qui valore obiectivo carent.

Pars positiva consistit in fine quem intendit et in mediis quae ad hunc finem adhibet. *Finis* investigationis philosophicae est quaerere quae sit natura entis ut est ens, quia hucusque neque bene investigata est neque bene determinata, ut aiunt. *Medium,* quod adhibent, est examen phaenomenologicum alicuius entis quod sit maxime obvium observationi nostrae, et hoc ens est homo. *Fructus* huius examinis phaenomenologici est videre hominem esse contingentem et habere sensum et experientiam vividam suae contingentiae, tum ratione ortus hominis, qui est ex nihilo, tum ratione termini vitae, qui est mors, tum denique ratione intervalli inter ortum et mortem, in quo intervallo debet sensum et sortem totius vitae suae bene determinare et definire per actus suos liberos:

---

[14] N. GONZÁLEZ CAMINERO, *Panorama existencialista:* Pens (1948) 384-404; A. GONZÁLEZ ALVAREZ, *El tema de Dios en la filosofía existencial* (Madrid 1945); WAELEHNS, *La filosofía de Martín Heidegger,* trad. españ. por R. Ceñal (Madrid 1942); DERISI, in Sapientia de BA 4 (1949); M. F. SCIACCA, *Il problema di Dio* (Brescia 1944); OM n.141-151.

haec omnia gignunt immensam angustiam et constituunt sentimentum tragicum vitae.

77. Solutio hius *tragoediae* omnino est tentanda, et duplex in promptu est. Alii enim desperant ullam solutionem invenire, et tradunt se materialismo et epicureismo, ut Sartre in Gallia. Alii contra dicunt haec sentimenta augustiae excitare vel spem vel amorem, vel studium et affectionem erga aliquem, qui sit remedium talis angustiae et explicatio omnis contingentiae humanae; et aiunt hunc amorem, vel spem, vel studium et affectionem iam esse contactum cum Transcendente: hoc autem Transcendens iuxta exsistentialistas catholicos est Deus christianorum; et iuxta Carolum Jaspers est Incognitum et incognoscibile, de quo nescimus aliud nisi quod est transcendens. Exsistentialistae praecipui inter catholicos sunt Gabriel Marcel, Lavelle, Le Senne, Peters Wust; inter materialistas est Sartre, cuius opera in Indicem librorum prohibitorum relata sunt; inter transcendentalistas est Jaspers. Heidegger nec negat nec admittit Deum, sed eum *removet* a sua philosophia.

§ 2. Refutantur haec systemata

78. I P. AFFECTUS ET SENTIMENTA MULTUM IUVANT AD INTELLIGENDA ARGUMENTA PRO EXSISTENTIA DEI [15].

Affectus enim honesti et boni sunt sequentes: *a*) ex parte *intellectus*, absentia spiritus positivistae et exclusive mathematici, qui velit per identitates mathematicas in omnibus procedere; et ex alia parte quaedam aptitudo ad iudicandum dari methodum scientificam investigandi quae consistat in indagatione ultimarum causarum et rationum entis, ut sunt suprema causa efficiens, finalis et exemplaris. *b*) Ex parte *voluntatis*, amor veritatis et sufficiens humilitas, ut si veritas sincere quaesita elucescat, eam acceptet cum omnibus consequentiis. *c*) Ex parte *affectuum* et sentimentorum, immunitas a nimia sensualitate et avaritia et curis mundanis. Et patet per haec multum iuvari posse intelligentiam argumentorum pro exsistentia Dei. Nam hi affectus inclinant ad attendendum ad argu-

[15] Non est negandus efficax influxus affectuum in cognitionem veritatis; sed hic influxus non consistit in motivo assentiendi, sed solum in praeparatione animi et in remotione difficultatum subiectivarum ad percipiendam vim argumentorum rationalium. Cf. ROLAND-GOSSELIN O. P., *La connaissance affective:* RevScPhTh (1938) 5-26; NOBLE, O. P., *La connaissance affective,* ibid. (1913) 637-662; MOISANT, *La expérience en métaphysique* p.216-256; S. CUESTA, Pens 7 (1951) 546-550.

menta rationalia, et removent impedimenta ne intelligantur, quae proveniunt ex passionibus, ex curis nimiis et ex praeiudiciis circa methodum positivisticam aut mathematicam. Sicut e contra, per affectus contrarios multum obscurantur argumenta pro exsistentia Dei [16].

79. II P. SOLA VIA AFFECTUUM ET VOLUNTATIS INEPTA EST AD ADQUIRENDAM CERTITUDINEM DE EXSISTENTIA DEI (*ex multiplici incohaerentia*).

Nam vel antiintellectualistae contendunt sentimenta et emotiones esse perceptionem aut affirmationem exsistentiae Dei, vel contendunt solum occasione et impulsu talium experientiarum intellectum affirmare Dei exsistentiam.

Si dicunt haec sentimenta esse apprehensionem vel affirmationem Dei, dicunt aliquid absurdissimum, quia haec sentimenta sunt aliquid mere subiectivum et nihil aliud nuntiant nisi modum quo afficitur nunc subiectum conscium.

Si dicunt intellectum apprehendere vel affirmare exsistentiam Dei occasione talium experimentiarum, tunc quaeretur: vel intellectus affirmat exsistentiam Dei videns intuitive Deum ipsum vel non videns intuitive Deum ipsum; si *videt intuitive* Deum ipsum, haec doctrina est ontologistarum et cum illis refutatur. Si autem *non videt* intuitive Deum, et tamen illud affirmat, aut intellectus videt connexionem talium experientiarum cum exsistentia Dei, et quidem cum solido et firmo fundamento, aut intellectus hanc connexionem non videt. Si *non videt* hanc connexionem, tunc affirmatio exsistentiae Dei est tam anceps et irrationalis sicut affirmatio quod stellae sint pares; *si autem videt* connexionem, tunc iam non daretur affirmatio immediata exsistentiae Dei, sed syllogismus qui haberet hanc formam: "habeo has experientias, sentimenta, instinctum; *atqui* haec omnia sunt impossibilia sine Deo reali et ontologico; *ergo* exsistit Deus realiter et ontologice". Et praeterea hic syllogismus non valeret; quia: unde probatur has experientias, sentimenta et instinctum non posse esse ex complexione, educatione, praeiudiciis, etc., sed necessario provenire ex Deo vero?

80. III P. ET SYSTEMA, QUOD DOCET HANC SOLAM VIAM SUFFICERE, FALSUM EST.

[16] Quae utiliter retineri possint de experientia religiosa: cf. CHOSSAT, *Dieu:* DTC 813-823; PINARD DE LA BOULLAYE, *Expérience religieuse:* DTC 1828-1897; PENIDO, *La conscience religieuse* (Paris 1936); DESC., 1,672; MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain* p.301-311; RAST: ThN.

Nam omnes hae viae docent intellectum esse ineptum ad percipiendam veritatem obiectivam et realem, et ideo hac unica via utuntur. Haec autem assertio refutata est in Critica.

CAPUT III

De demonstratione valida existentiae Dei

81. In hoc capite demonstramus iam de facto Dei exsistentiam, et circa hoc quaeruntur quatuor: 1. De quinque viis S. Thomae. 2. Utrum demonstretur exsistentia Dei efficaciter ex effectibus mundanis, ut est causa prima et ens a se. 3. Et ex contingentia rerum, ut est ens absolute necessarium. 4. Et ex ordine mundano, ut est suprema intelligentia. 5. Utrum haec causa prima, ens a se et ens necessarium sit verus Deus, i. e., ens distinctum a mundo, et eius supremus auctor et gubernator, personale et summe colendum.

ARTICULUS I

De quinque viis S. Thomae

82. Quinque viae sunt quinque argumenta, quibus S. Thomas probat exsistentiam Dei in Summa (1 q.2 a.3). Principium in quo haec argumenta nituntur est principium causalitatis, vel quaedam illationes quas aliqui contendunt immediate deduci ex principio causalitatis. Sed praedicata, ex quibus fiunt argumenta sunt diversa, saltem explicite, nempe:

Prima via ex motu concludit Motorem Immobilem. *Secunda,* ex causis per se ordinatis concludit causam non subordinatam in operando, quae est causa prima et ens a se. *Tertia,* ex entibus corruptibilibus concludit ens non corruptibile, quod sit per se seu a se incorruptibile. *Quarta,* ex diversis gradibus perfectionum, concludit perfectionem maximam, quae sit causa omnium perfectionum extra Deum. *Quinta* ex ordine mundano concludit intelligentiam ordinatricem.

83. Circa has quinque vias multae quaestiones suscitantur.

Prima est utrum hae quinque viae sint solidissimae quoad materiam ex qua sumuntur. Et responsio est affirmativa. Et probatur, primo, ex commendatione Romanorum Pontificum et S. Sedis[1]. Se-

[1] Pius xi, *Studium Ducem:* AAS 15 (1923) 317; *S. C. Studiorum:* AAS 6 (1914) 386 th.22 ex.24.

cundo, ex auctoritate tot auctorum scholasticorum, qui eis argumentis utuntur. Tertio, ex facto ipso, quia ut apparebit, argumenta quae faciemus petita ex illis praedicatis, sunt validissima.

Secunda quaestio est utrum hae quinque viae sint etiam solidae in sua conformatione dialectica. Responsio sat communis est in his viis S. Thomae reperiri quaedam fundamenta et principia valde dubia et controversa, quae si auferrentur, argumenta fortiora evaderent et indubitata. Hoc comprobatur, quia quicumque has vias adhibent ad probandam exsistentiam Dei, eas exponunt omittendo illa principia controversa et alio modo ea conformando; qui vero eas vias mere commentantur candide fatentur esse quaedam quae obscurant vel infirmant argumentum [2].

84. *Tertia quaestio est utrum singula argumenta concludant seorsim aliquod praedicatum proprium et characteristicum Dei,* ut est aseitas et absoluta independentia in essendo et in operando. Et respondendum est cum distinctione: quatuor primae viae, quae metaphysicae sunt, tale praedicatum demonstrant; ultima autem via, quae est physica, immediate solum concludit intelligentiam excellentissimam, mediate autem et per alias vias concluditur eam esse intelligentiam increatam [3].

Quarta quaestio est utrum haec omnia argumenta reducantur ad unum, an sint ita diversa ut ad unum reduci non possint. Et dubitatio non est de principio, in quo omnia nituntur, quod est principium causalitatis, vel aliquod quod immediate et evidenter ex illo deducitur, sed de praedicato ex quo sumitur et conficitur argumentum. Et responsio est duplex. *Prima* tenet omnia argumenta reduci ad unum, quia desumuntur ex factis quae includunt contingentiam et dependentiam causalem: contingens autem et dependens causaliter postulant ens necessarium, a se et causam primam: quod si haec reductio non fiat, argumenta non valere [4]. *Secunda* responsio tenet haec argumenta adeo esse inter se diversa, ut unum non possit reduci ad aliud, neque admittunt omnia desumi ex contingentia aut dependentia causali: prima enim via desumitur ex motu, ut est affectio mobilis; secunda ex dependentia causarum in agendo; tertia ex corruptibili; quarta ex diversitate graduum perfectionis; quinta ex ordine [5]. Nos tamen omnia reducemus ad unum: nam diversa haec praedicata vel facta, in tantum valent ad probandam exsistentiam Dei in quantum includunt contingentiam et dependentiam causalem [6].

85. *Quinta quaestio est utrum numerus et ordo quinque viarum in mente S. Thomae respondeat alicui principio diversificationis aut*

---

[2] Sic CAIET., *In* 1 q.2 a.3; GAYRAUD: RevPhil (1908 II) 6.9; DE BRUYNE, *S. Thomas* p.132-137; BERTEN, *La physique de S. Thomas d'apres la Summa contra Gentiles:* RevNeosc (1926) 389-410; FERDIN. STEENBERGHEN, *Le problème philosophique de l'existence de Dieu:* RevPhilLouv 45 (1947) 141-168; DESC.: ArchPhil vol.3 cah.3 p.98-111.

[3] J. PAULUS, *Le caractère metaphysique des preuves de l'existence de Dieu:* ArchHistDoctLittMA 9 (1934) 143-155; VAN STEENBERGHEN, *La physique moderne et l'existence de Dieu:* RevPhilLouv 46 (1948) 376-389.

[4] AUDIN, *A proposito delle demostrazione tomistica della existenza di Dio:* RivFilNeosc (1912) 758-769; DESC., 1,157 fine.

[5] Sic MUÑIZ, *La quarta via de Santo Tomás:* RevFil (1944) 395-397; ibid. (1945) 99; MATTIUSI, *Sulle cinque vie di S. Tommaso:* RivFilNeosc (1913) 67-72.

[6] Cf. BRÉHIER, *Histoire de la Philos.* t.1 p.664-673; GILSON, *Le Thomisme:* 2 ed. p.67-93.

ordinationis, an simpliciter modo quasi empirico desumpta sint ex auctoribus veteribus, independenter ab omni principio multiplicationis et ordinationis. Et responsio sat communis est haec argumenta in mente S. Thomae non multiplicari aut ordinari ex aliquo principio systematico aut a priori, sed desumpta esse modo quasi empirico ex auctoribus antiquis[7].

Sexta quaestio est, utrum viae ad probandam exsistentiam Dei sint quinque et tantum quinque, an possint multiplicari ulterius. Responsio est posse multiplicari ita tamen ut reducantur ad unum: nam potest fieri argumentum ex effectibus ut talibus, quod argumentum non est in quinque viis; ex necessitatibus hominis, quae ostendunt nostram indigentiam et dependentiam; ex origine organismorum, ex origine animae humanae, ex multitudine et ex compositione rerum, ex finitudine rerum, etc.[8].

86. *Septima quaestio est utrum possint argumenta ad probandam exsistentiam Dei dividi alio modo quam per quinque vias.* Et responsio est affirmativa. Nam argumenta ad probandam exsistentiam Dei possunt esse metaphysica, physica et moralia. *Metaphysica,* quae desumuntur ex principio metaphysico et ex praedicato aliquo communi rebus corporeis et incorporeis, ut sunt contingentia et dependentia causalis. *Physica,* quae desumuntur ex facto aliquo physico, ut est ordo cosmicus, et ex principio physico, scl. quod principium ordinis est intelligentia. *Moralia,* quae desumuntur ex facto aliquo morali, ut est consensus, obligatio, appetitus felicitatis. Sed tamen valor horum argumentorum non est aequalis: nam argumenta metaphysica sunt apodictica, physica vero non dant certitudinem tam inviolabilem, et denique de moralibus multum disceptatur, ut videbimus.

Nos hoc ordine defendemus quinque vias: primo demonstrabimus exsistentiam Dei ex *effectibus mundanis;* secundo ex *contingentia* rerum; tertio ex *ordine* mundano; quarto ex quinque viis Sancti Thomae. Post exposita vero haec argumenta certissima et inconcussa, exponemus alia argumenta controversa, quae pertinent sive ad ordinem metaphysicum, sive ad ordinem physicum, sive ad ordinem moralem.

---

[7] Sic MOTTE O. P., *A propos des cinqs vois:* RevScPhTh (1938) 577-582; et contra, SCHIFFINI S. I., *Theol. Nat.* n.378.

[8] Cf. HONTHEIM, *Theod.* p.108-238, ubi innumera argumenta adducit et approbat.

ARTICULUS II

UTRUM EXSISTENTIA DEI DEMONSTRETUR EFFICACITER EX EFFECTIBUS MUNDANIS

Thesis 5. Ex effectibus mundanis efficaciter demonstratur Dei exsistentia ut est causa prima et ens a se.

87. S. TH., 1 q.2 a.3; SUÁREZ, DM 29,1,20; 28,1,6-7; URRÁB., 1,95; DESC., 1,311-319; CHOSSAT, *Dieu:* DTC 943; D. PETAVIUS, *De theolog. dogmat., De Deo* l.1 c.1-2; SANTELER, *Der kausale Gottesbeweis b. Herveus Natalis* (Innsbruck 1930).

88. Notiones. QUID SIT DEUS, sub triplice descriptione iam supra est expositum (n.27). Nunc intelligimus nomine Dei causam primam, ens a se, ens necessarium. Nam licet haec descriptio non contineat formaliter attributa characteristica Dei, quae sunt "ens distinctum a mundo, eius auctor et gubernator, personale et summe colendum", continet tamen ea virtualiter, quia ex praedicatis ens a se, causa prima et ens necessarium, cetera quae Dei sunt propria facile deducuntur.

Explicantur haec praedicata fundamentalia Dei. CAUSA PRIMA est ea quae est causa efficiens rerum extra se, illa autem non est causata ab ulla alia causa. Et hinc patet causam primam esse etiam ens a se seu non ab alio, quia est ens a nullo alio dependens; item esse ens necessarium, seu exsistens vi essentiae; si enim exsistit, et non ab alio, exsistit vi essentiae suae.

ENS A SE, est ens quod a nullo est factum; quare non est a se positive, quasi ipsum se fecisset, sicut intelligit Descartes, quia hoc est absurdissimum, sed est a se negative, quia non est ab ullo alio factum. Hinc intelligitur ens a se esse ens necessarium: quia si exsistit, et non est ab ullo factum, exsistit vi essentiae suae.

ENS ABSOLUTE NECESSARIUM in ratione entis est illud, cuius non exsistentia dicit contradictionem intrinsecam cum essentia absoluta eius, quia exsistit vi essentiae solius. Hinc patet ens absolute necessarium esse ens a se, quia a nullo alio exsistit. Si enim exsisteret ab alio, licet hoc aliud operaretur necessario, diceretur necessarium solum ab extrinseco, quia alius non potest omittere actionem, non vero ab intrinseco, quia cum non exsisteret vi essentiae, eius non exsistentia non diceret contradictionem cum essentia.

89. Demonstratio est argumentatio, in qua ex praemissis certis et evidentibus deducitur conclusio certa et evidens propter connexionem absolute necessariam conclusionis cum praemissis. Nostra nunc refert demonstratio a posteriori; et est illa in qua una praemissa affirmat factum, v.c., exsistentiam effectuum aut rerum contingentium; altera praemissa affirmat connexionem absolute necessariam cum eius causa proportionata; et in conclusione deducitur exsistentia huius causae.

90. Principium quo nitemur est principium causalitatis, sub hac formula: quidquid incipit, habet causam realiter et adaequate distinctam: cuius veritas est immediata, nec potest ullis argumentis probari, quia probatione non indiget [9]. Explico tamen eius veritatem. Nam si aliquid incipit esse, ergo exsistentia non pertinet ad eius constitutiva, ideoque est indifferens ut exsistat aut non exsistat, et de se est nihil, et si sibi relinquatur nihil perseveraverit esse; ergo si exsistit, signum est non fuisse sibi relictum, sed ab alio impulsum esse ad exsistendum, quod est habere causam efficientem adaequate distinctam a re incipiente.

Vel aliter: quidquid efficitur, habet causam realiter et adaequate distinctam a re producta, seu non potest esse causa suimetipsius; nam causa est prior effectu saltem natura, et res effecta non est prior natura seipsa seu aliter, operaretur prius quam esset effecta, ideoque priusquam esset.

91. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum Dei exsistentia modo valido demonstretur ex effectibus mundanis, vera demonstratione, ex connexione necessaria effectuum cum Dei exsistentia [10].

---

[9] De principiis necesariis ad validam demonstrationem exsistentiae Dei, cf. Desc., *Institut. Metaphysicae Gener.* 1 (Parisiis 1925) 431-578; Idem, ThN 1, 115-118; *Bittremieux, De analogica nostra cognitione et praedicatione Dei* (Lovanii 1913) 65-72; Laminne RevNeosc (1912) 453-488; De Munnynck, ibid. (1914) 193-211. Nominatim de principio: causa continent actu perfectionem effectus, cf.: Garrigou-Lagrange, *Dieu* p.170; Th. Regnon, *La métaphysique des causes* (Paris 1906) 189-192; OM n.155-175.

[10] Non contendimus his argumentis artificiose confectis acquiri primam certitudinem de exsistentia Dei: *plerumque* enim praecedit certitudo vulgaris de existentia Dei acquisita argumentis implicitis, cuius hi sunt characteres: *a)* illa certitudo vulgaris est frequentissima et universalis: nam omnes, excepti paucis atheis, habent cognitionem de Dei exsistentia; *b)* illa cognitio est clara, quia Deum cognoscunt ut a mundo distinctum et auctorem omnium; *c)* est confusa, quia vix cognoscunt aliquid intrinseco conveniens Deo, sed fere solum quod sit auctor mundi; *d)* illa cognitio acquiritur ex ordine mundano, per analogiam cum horologio quod indiget artifice; aut per curiositatem quae inquirit unde sint haec omnia quae in mundo videmus; aut per auctoritatem; aut per tendentias ad aliquid ultra-terrenum; *e*) illa cognitio semper est illativa ex creaturis, numquam vero intuitiva aut sentimentalis. Cf. circa hanc certitudinem Gisquière, 1,130-136; Chossat, *Dieu*: DTC 874-889; Rast, ThN 76-82.

Sententiae. Sunt penitus eaedem qua in thesi de possibilitate demonstrandi naturaliter exsistentiam Dei (n.55-57). *Responsio nostra* est affirmativa: quae est philosophice certissima; et in Theologia est de fide definita Deum posse certo *cognosci* ex effectibus ut veram causam eorum (DB 1806); quod vero per effectus *demonstretur* vere eius exsistentia, est doctrina catholica (DB 21-45) [11].

92. Probatur thesis. Dantur in mundo effectus reales producti ab alio non a seipsis; *ergo* vel hoc aliud est etiam productum vel non productum; si est non productum, habeo intentum; si autem est productum, *ergo* ab alio est productum, et de hoc iterum quaeram idem, donec vel sistamus in ente improducto, vel committatur circulus in productionibus vel procedatur in infinitum; *atqui* non est possibile dari circulum in productionibus, neque est possibile procedere in infinitum *sine* causa improducta; *ergo* sistendum est in causa prima non facta, quae erit ens a se.

Maior: a) *quod sint effectus reales* in mundo patet: quotidie enim apparent res novae, ut plantae, arbores, homines. animalia; unde constat ea non esse entia necessaria, sed contingentia, quia eorum exsistentia non est de eorum essentia, si quidem antea non exsistebant; ergo ex suis constitutivis nihil sunt; sed quod ex suis constitutivis nihil est, sibi relictum nihilum esse perseverat; ergo si exsistunt, non sibi relicta sunt, sed ab alio impulsa sunt ad exsistendum, et hoc est dari res effectas ab alio.

b) *Quod non sit possibile admittere circulum* in causis producentibus et productis facile patet. Voco enim committi circulum si quis dicat unam rem producere aliam, et hanc aliam rursus producere primam vel immediate vel mediate et post multas generationes; ita enim fingere quis posset omnem rem produci ab alia distincta a se et nullam esse improductam.

Et hic circulus est impossibilis; quia in eo agens produceret se saltem mediate, quod repugnat, quia ageret prius quam esset: non enim exsisteret nisi ut productum ab aliquo effectu suo, et interea cum non erat productum neque exsistebat, iam produxit effectus.

93. c) *Quod non possit procedi in infinitum* in causis efficientibus sive per se ordinatis sive per accidens ordinatis

[11] Cf. th. 22 ex 24 thomistis.

sine ulla causa independente a qua cetera pendeant, patet: quia sumendo totam collectionem, illa erit facta, quomodo potest esse facta collectio, nempe quia nullum est omnino membrum quod non sit factum. Et tunc series producta erit ab alio, iuxta principium, et non erit producta ab alio; etenim non esset producta ab alio extra seriem, quia extra seriem causarum productarum nulla alia erit, ex hypothesi; neque ab alio intra seriem, quia secus illud a quo omnia penderent, produceret se saltem mediate; supponitur enim omnia producta pendere ab ipso, et quoniam ipsum etiam est productum, necessario pendet a seipso, seu producit seipsum saltem mediate.

Consequentia patet: nam si non omnia entia possunt esse effectus, debet esse aliquod ens quod est causa ceterorum et non factum, sed quod sit causa prima et ens a se[12].

94. Difficultates contra argumentum. 1. Multi dicunt, et inter eos S. Thomas, seriem infinitam causarum per accidens ordinatarum non repugnare (1 q.46 a.2 ad 7); *ergo* necesse non est devenire ad aliquam causam primam a qua tota series dependeat, sed erit series in qua numquam pervenietur ad primum membrum[13].

Dist. antec.: est possibilis series infinita causarum sive per se sive per accidens ordinatarum, sine ulla causa prima et non facta, quae sit extra seriem causarum dependentium et contingentium, et a qua tota series dependeat, *nego;* posita illa causa extra seriem causarum causatarum et contingentium *praetermitto;* (disputatur enim de possibilitate seriei infinitae sub hac hypothesi!); et *contradist. cons.*

2. Singula membra collectionis infinitae possent esse contingentia, sed tota collectio posset esse ens necessarium; sicut partes domus sunt parvae, et tamen tota domus est magna; et singuli homines non sunt exercitus, et tota collectio hominum est exercitus. *Ergo* similiter membra collectionis possunt esse contingentia, et collectio necessaria.

Nego antec. Et ad prob. nego paritatem: nam singulae partes domus, inchoative sunt domus, quia sunt aliqua pars aliquota domus, habens valorem suum independenter a ceteris partibus; et singuli homines inchoative sunt exercitus, quia habent suas vires et valorem independenter ab omnibus aliis et ideo possunt conferre per sui additionem ut fiat exercitus magnus. At in collectione entium contingentium, nullum membrum est inchoative ex se collectio, quia nullum habet valorem independenter ab eo in quo radicatur, siquidem ipsum de se est nihil; ergo si in tota collectione non essent nisi entia contingentia, haberetur solum collectio eorum quae sunt

---

[12] Bene notetur nos non concludere causam a se, quasi fecisset se, sed quae a nulla sit facta. Tamen SCHELL (+1906) *Katholische Dogmatik* II p.2, contendit Deum esse causam a se, quia fecit se per intellectum et voluntatem; simile quid docuerunt Lactantius et Marius Victorinus: cf. LE BACHELET, *Dieu:* DTC 1065-1104.

[13] De impossibilitate processus infiniti in causis quibuslibet sine aliqua prima et independente, cf. SUÁREZ, DM 29,1ss;et OM n.170-173; sed de possibilitate vel impossibilitate processus infiniti absolute spectati, cf. OM n.735-736 nota; SUÁREZ, DM 29,1,30-36; GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu* (1919) 76.

de se nihil; et collectio eorum quae sunt nihil, non potest facere aliquid positivum in ordine ad sufficientiam exsistendi.

Sic omnes canes sunt irrationales, et collectio non est rationalis; et singuli caeci nihil vident, et collectio caecorum etiam nihil videt; et singuli pauperes carent ulla moneta, et collectio omnium pauperum non habet ullam monetam.

N. B. Quando singula membra sunt zero in ordine alicuius praedicati, etiam collectio erit zero in ordine illius praedicati; et cum per additionem unius membri non removetur quippiam de defectu prioris membri, tunc nec per additionem infinitorum membrorum removetur ille defectus; v. c., si per additionem alius caeci non removetur defectus visionis qui erat in primo caeco, tunc etiam si addantur infiniti caeci, non removebitur ille defectus; similiter si contingens de se est nihil, tunc etiam si addatur aliud contingens, habebitur maior insufficientia, sed non removebitur insufficientia exsistendi.

3. Non repugnat mutua causalitas; sic finis causat motum agentis, et motus agentis causat finem; *ergo* potest una res producere aliam, et haec vicissim primam.

Dist. antec.: in diverso genere causae, v. c. finis et agentis, *conc.;* in eodem genere causae, ita ut unumquodque non habeat suum esse nisi ab alio, *nego; et nego cqtm. ob disparitatem.* Finis est causa solum ut obiectum cognitum et ut motivum agendi, non vero physice aliquid faciendo; agens vero producit esse physicum finis, quod prius non habebat. Contra in genere causae efficientis non potest esse mutua causalitas, quia tunc quod est nihil, operaretur, ut diximus.

95. Scholia. 1. Argumentum non dependent *ex impossibilitate processus infiniti,* quia multi disputant utrum ille processus sit possibilis an non; sed sive detur processus infinitus sive non detur, tota series est impossibilis sine aliqua causa improducta, extra seriem causarum productarum, ut patet ex argumento.

96. 2. Aliqui fundant argumentum in impossibilitate processus infiniti in causis *per se ordinatis.* Causae per se ordinatae sunt illae quarum una pendet in agendo ab actione praecedentis actu influentis; sicut lapis movetur a baculo, baculus a brachio, brachium a nervis, nervi a voluntate, voluntas a fine amato. Causae autem per accidens ordinatae sunt illae causae, quarum actio non pendet ab actione actuali causae praecedentis; sicut actio filii non pendet ab actione actuali patris, aut avi aut proavi aut atavi. Et arguunt sic:

Videmus in mundo dari causas. De singulis ergo quaeramus utrum illa dependeat ab alia in operando per concursum, vel non dependeat; si non dependet ab alia in operando, illa est causa prima et increata; nam si esset creata, dependeret ab alia in operando. Si autem pendet ab alia in operando, de illa quaestio eadem fiet; *atqui* processus infinitus in causis per se ordinatis est impossibilis, licet concedatur in causis per accidens ordinatis; *ergo* deveniendum est ad causam primam et increatam. *Minorem* probant: quia in causis per se ordinatis ultima pendet a media, mediae autem dependent a prima; *ergo* si non detur prima, non erunt causae mediae neque ultima, et ita nihil causaretur, contra praesuppositum.

Crisis. Sed hic multiplex est controversia[14]. *Prima* est quod multi negant concursum immediatum Dei, et omnem dependentiam immediatam aliarum causarum ab aliis in operando. *Secunda* est quod admittant possibilitatem processus infiniti in causis per se ordinatis, semel atque concessa est illa possibilitas in causis per accidens ordinatis. *Tertia* est quod petitur principium: dicunt enim in omni serie causarum per se ordinatarum ultimam pendere a media et medias pendere a prima: sed ille qui poneret processum infinitum, negaret dari primam. *Quarta* est quod nihil concluditur: licet enim concedatur deveniendum esse ad causam primam in serie causarum per se ordinatarum, sed illa prima causa seriei per se ordinatae, posset esse subordinata per accidens aliis prioribus per accidens ordinatis: et quoniam in causis per accidens ordinatis conceditur processus infinitus, necesse non erit devenire ad causam absolute primam et increatam.

Melius ergo est praescindere a possibilitate vel impossibilitate processus infiniti, et statuere necessitatem deveniendi ad causam primam et increatam sive detur processus infinitus sive non.

ARTICULUS III

UTRUM EXSISTENTIA DEI DEMONSTRETUR EX ENTIBUS CONTINGENTIBUS

Thesis 6. Ex entibus contingentibus demonstratur Dei exsistentia ut est ens absolute necessarium.

97. S.TH., 1 q.2 a.3; IDEM, 1 CG c.15 n.4 et 2 CG c.15 n.5; SUÁREZ, DM 28,1,8-12; URRÁB., 1,84-95; DESCOQS, 1,236-261; CHOSSAT, *Dieu:* DTC c.944-5; OM n.186-194; GENY, *Les preuves thomistes de l'éxistence de Dieu:* RevPhil (1924) 575-602.

98. Nexus. Hoc argumentum differt ab argumento ex effectibus in termino a quo et in termino ad quem. Terminus a quo ibi erat effectus mundani, et hic est res contingens. Terminus ad quem ibi erat causa prima et ens a se, et hic est ens absolute necessarium. Sed principium in quo nitimur est idem, nempe principium causalitatis expressum sub illa forma, quod contingens habet causam efficientem realiter et adaequate distinctam.

99. Notiones. ENS CONTINGENS in ratione entis est illud quod potest esse et non esse sine ulla contradictione intrinseca; sic actus voluntatis qui incipit, durat et postea cessat, est contingens.

ENS AUTEM ABSOLUTE NECESSARIUM, per oppositionem ad ens contingens, est illud cuius non exsistentia implicat contradictionem, eo quod de ratione et essentia eius sit exsistentia actualis. Per hoc differt ab aliis rebus quae dicuntur necessariae, non tamen absolute necessariae in ratione entis. Et

[14] SUÁREZ, DM 30,1,25.30; OM n.181.182.

sic necessarium in ratione *illationis,* est illatio inevitabilis ex praemissis; in ratione *agentis,* est agens quod ita operatur ut non possit omittere suam actionem; et actio eius erit necessaria ex denominatione extrinseca ab agente, non ab intrinseco. Necessarium in ordine *entis, sed hypothetice,* est illud ens quod non potest non esse conditionate et hypothetice, i. e., dum est, et sub conditione, si est.

100. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum ex entibus contingentibus possit demonstrari exsistentia Dei ut est ens absolute necessarium.

Sententiae et qualificatio theseos sicut in thesi praecedenti (n.55-58).

101. Probatur thesis. Exsistunt entia contingentia, quae in alio fundantur. Et de hoc alio quaero: aut est contingens, aut non est contingens; si non est contingens, habemus intentum, nempe, erit ens absolute necessarium, cuius non exsistentia implicet contradictionem. Si est contingens, habet rationem sufficientem in alio, de quo idem quaeram, donec sistamus in ente absolute necessario quod sit ratio contingentium, vel committamus circulum, vel admittamus processum infinitum; *atqui* impossibile est committere circulum in causis, vel admittere processum infinitum; *ergo* sistendum est in ente absolute necessario, quod sit ratio ceterorum [15].

a) *Quod dentur entia contingentia* patet: quotidie enim apparent novae res in mundo, quae antea non erant, et postea evanescunt, et iterum aliae novae succedunt; v. c. novae plantae, et animalia, et homines, et mutationes omnis generis, v. c. novae cogitationes, volitiones, locomotiones. Iam vero haec sunt contingentia; nam incipiunt exsistere, cum antea non exsisterent, et sine contradictione desinunt exsistere cum antea exsisterent, ideoque exsistentia non est de essentia eorum, et consequenter de se sunt nihilum.

b) *Quod contingens fundetur in alio,* seu dependeat causaliter ab alio, patet: quia contingens ex suis constitutivis nihil est, et sibi relictum perseverabit nihil esse; *ergo,* si exsistit, non sibi relictum est, sed impulsum est ab alio ad exsistendum, quod erit eius causa efficiens et fundamentum essendi.

[15] De hoc argumento plura dabunt: BRUGGER in Gregor (1937) 379-394; VAN STEENBERGHEN, *Ontologia* (Louvain 1946) 111-119; V. COLLÉ, *Les Eternels* (Bruxelles 1943) 193-214; PINARD DE LA BOULLAYE, *Creation*: DAFC 727-228 R. JOLIVET, *A la recherche de Dieu:* ArchPh vol.3 cah.2 p.36-45.

c) Quod sit impossibile committere, *circulum* patet: quia secus aliquid produceret se mediate, quod repugnat.

d) Quod sit impossibile *admittere processum infinitum,* patet; si enim omnia sunt contingentia, etiam collectio erit contingens, eo quod singula membra sunt de se nihil in sufficientia ad exsistendum ex se; ergo fundatur in alio seu producitur ab alio, quia contingens habet causam; et simul non fundatur nec producitur ab alio: non enim ab alio extra collectionem contingentium, quia supponitur non esse; neque ab alio intra collectionem, quia secus aliquid penderet a se ipso, siquidem omnia contingentia pendent ab ipso, et ipsum est unum de contingentibus [16] (n.92).

102. Scholia. 1. Ens necessarium, quod est demonstratum, nequit dici aliquando fuisse et nunc non esse: probatum est enim exsistere ens necessarium quod sit oppositum enti contingenti; *atqui* ens contingens est illud, cuius non exsistentia non implicat contradictionem; *ergo* illud ens necessarium est ens, cuius non exsistentia implicat contradictionem intrinsecam: et ideo contradictorium est dicere antea exstitisse, nunc vero non exsistere.

103. 2. Item per hoc et per praecedens argumentum demonstratum est Deum non esse *accidens,* sed substantiam; accidens enim est dependens ab alio; ens vero a se, causa prima et ens necessarium non dependet ab ullo.

104. Obiectiones. 1. *Contra demonstrationem ex entibus contingentibus.* Nullum est ens contingens; *ergo* probatio desumpta ex ente contingente invalida est. *Antec.*: quia si cognosceremus penitus res, videremus omnia, quae accidunt, evenire necessario; *ergo* nulla est contingentia.

Nego antec. Ad prob. dist. antec.: etiam in causis liberis, *nego;* in necessariis, *subdist.*: evenire necessario hypothetice, quod contin-

[16] Quomodo S. Thomas usus est hoc argumento? Hoc argumentum adducit S. THOMAS in *Summa contra Gentiles* (1 CG c.15 n.4; et 2 CG c.15 n.5) et in *Summa theologica* (1 q.2 a.3) cuius hic est sensus: videmus dari entia contingentia seu corruptibilia; sed impossibile est omnia entia esse corruptibilia (quia quod corruptibile est, aliquando non est, ideoque et nunc nihil esset): *ergo* datur aliquod incorruptibile seu necessarium. Sed omne necessarium est necessarium per se aut per aliud; et quoniam processus infinitus in necessariis causatis est impossibilis; *ergo* deveniendum est ad ens necessarium per se: ipsum *ergo* est Deus.

Hoc argumentum examinavit P. GÉNY in RevPhil (1924) 581, et invenit in eo duo vitia: primum est quod non probatur omne corruptibile aliquando nihil esse; secundum est quod hic asseritur impossibilis processus infinitus in causis per accidens ordinatis, contra id quod idem S. THOMAS (1 q.46 a.2 ad 7) dicit, et omnes thomistae cum eo.

Argumentum tamen S. Thomae contendit defendere SERTILLANGES, RevPh (1924) et RevThom (1926) 490-503; et DOM CHOMBART O.S.B, RevThom (1927) 334; sed cum P. GÉNY sentit DESC. 1.251; Idem in ArchPh (1924) vol.3 cah.3 p.490; et ibid. vol.6 cah.4 p.205; et MARTÍNEZ DEL CAMPO, TheolN p.24.

Adhuc posterius P. BOYNES contendit ens possibile esse et non esse, significare in Summa Theol. ens transitorium, et sic intellectum valere; nam si omnia sunt transitoria, aliquando nihil est: RevPh (1932) 113-146; quam defensionem DESC. reicit ThN 2,848; cf. X. MAQUART, *Elem. Phil.* 3,308; BOYER, *Cursus Phil.* 2,309.

gentiam absolutam non tollit, *conc.;* necessario absolute ex intrinseca necessitate, *nego; et dist. pariter cons.* Etiamsi causa operetur necessario, tamen effectus non exsistit necessario ex vi sua, quia de se nihil est, sed ex vi causae, et ex vi entis necessarii.

2. Illud ens necessarium, quod conclusimus, est ipsa series rerum mundanarum vel substratum mundi; *ergo* non est demonstratus Deus distinctus a mundo.

Primam partem nego: si enim est ens necessarium, ergo non identificatur cum devenire seu cum serie mutationum mundi, nec cum complexu rerum qui potuit esse alius sine contradictione. *Secundam partem dist.*: non demonstratum est formaliter ens necessarium distingui a materia et ab omni substrato mundi, *conc.;* virtualiter et implicite, *nego;* nam ens necessarium est unicum, omniperfectum, simplicissimum, intelligens, volens, etc., ut postea ostendetur, quae non conveniunt substrato materiali mundi.

3. Ens contingens non potest concipi sine ente necessario; *atqui* in praemissis nondum cognoscis exsistentiam entis necessarii; *ergo* nec potes cognoscere exsistentiam entis contingentis, nisi cum petitione principii.

Dis. mai.: adaequate, *conc.;* inadaequate, *nego; et concessa min., dist. pariter cons.;* non possum in praemissis cognoscere ens contingens adaequate, *conc.;* inadaequate et quantum sufficit ad arguendum, *nego.*

4. Ut explicetur exsistentia entis contingentis, sufficit alia causa contingens; *ergo* necesse non est pervenire ad ens necessarium. *Antec.*: nam causa contingens vere potest facere aliud ens contingens, ut experientia constat.

Dist. antec.: non praesupposito ente necessario, *nego;* praesupposito ente necessario, *conc.; et contradist. cons. Probation* eodem modo *dist.*

Omnis enim collectio entium contingentium de se est nihil, et nihil non est explicatio ullius rei contingentis exsistentis.

5. Ut explicetur exsistentia alicuius effectus, et alicuius rei contingentis, sufficit ut effectus non superet illam rem quae dicitur causa; *atqui* multi effectus non superant alias res contingentes incomparabiliter maiores seu excellentiores; *ergo* res contingentes possunt explicari per sola entia contingentia.

Dist. antec.: non praesupposito ente necessario, *nego;* praesupposito ente necessario, *conc.; et concessa min., dist., pariter cons.*

Omnis enim collectio entium contingentium de se est nihil, et to nihil non potest explicare exsistentiam ullius contingentis.

105. 5. (*Ex Kantio*)[17]. Argumentum ex contingentia et ex effectibus reducitur ad argumentum anselmianum; quia arguis: ens necessarium est perfectissimum seu realissimum; unde per conversionem dici potest ens perfectissimum esse necessario, quod est argumentum anselmianum.

Nego assert. Ad probationem: post probatam a posteriori realitatem entis necesarii, concludam ens necessarium esse realissimum seu perfectissimum; at S. Anselmus, ex solo conceptu entis perfectissimi, priusquam a posteriori probet eius exsistentiam, concludit exsistentiam necessariam eius, unde nulla est paritas.

6. Principium causalitatis solum valet in mundo phaenomeno-

[17] Critica rationis purae, Dialectica transcendentalis, c.3 sect.3-6 bis.

rum; *ergo* ex eo potes concludere alia phaenomena, sine fine, non vero ens primum, quod non sit phaenomenum. *Antec.:* nam principium causalitatis enuntiatur sic: omne phaenomenum praeceditur ab alio phaenomeno.

Nego antec. Ad probationem, *nego assert.*: principium causalitatis enuntiatur vel "incipiens habet causam realiter et adaequate distinctam", vel "contingens habet causam realiter et adaequate distinctam"; et "quod producitur, ab alio realiter et adaequate distincto producitur"; et hoc valet universaliter sive de phaenomenis sive de rebus realibus et in se exsistentibus.

7. Argumentum dependet ex repugnantia processus infiniti; processus autem infinitus non ostenditur repugnare.

Dist. mai.: ex repugnantia processus infiniti simpliciter, *nego;* ex repugnantia processus infiniti *sine* aliquo principio aut causa non facta, quae sit extra seriem sive finitam sive infinitam, *conc.; et contradist. min.*: non ostenditur repugnare processus infinitus *sine* ulla causa prima, quae sit extra seriem, *nego;* cum aliqua causa prima, quae sit extra seriem causatorum, *transeat;* de hoc enim disputatur.

8. Concludis necessitatem entis incondicionati; et hoc repugnat; nam si ens aliquod exsistit, impletae sunt condiciones ut exsistat; ergo omne ens exsistens est condicionatum.

Nego assert.; ad probationem, *dist. antec.*: si agitur de ente dependente ab alio, *conc.;* si agitur de ente omnino independente, *nego*: (exsistit enim cum absoluta necessitate, et ideo non habet condiciones sine quibus non exsistat); *et dist. pariter cons.* (Plura in OM n.81-83, et 94-96.)

ARTICULUS IV

Utrum exsistentia Dei demonstretur ex ordine mundano

Thesis 7. Ex finalitate organismorum et ex finalitate mundi anorganici demonstratur exsistentia intelligentiae excellentissimae, quae Deus est.

106. S. Th., 1 q.2 a.3; Suárez, DM 19 s.12, ubi de casu; et d.23 s. 10, de finalitate; et d.29 s.2 n.7-27 ex ordine mundano; Urráb., *Thoed.* 1,124-142; Idem, Cosmol. p.169-177; Desc., 1,325-442; Chossat, *Dieu.* DTC c.913,-946; Janet, *Des causes finales;* Lahr-Picard, *Cours* 2,483-494; OM n.199-215; Carrel, A., *L'homme, cet inconnu* (Paris 1935); Sertillanges, *Les sources de la connaissance de Dieu* c.3 (hispane, Barcelona 1943).

107. Notiones. Ordo est dispositio rerum suis locis assingans singula membra, sub respectu alicuius relationis vel finis obtinendi.

Ordo mundanus est ordo qui apparet in mundo sensibili. Et potest considerari vel in mundo universo et astronomico, vel in mundo systematis solaris in quantum dicit habitudinem ad vitam in nostra tellure, vel in quolibet ex organismis viventium. Nos considerabimus ordinem mundi solummodo

in systemate solari in quantum fovet vitam in terra, et in quolibet ex organismis.

Ordo et finis, qui per ordinem obtinetur, potest considerari materialiter et formaliter. MATERIALITER consideratus finis est recta dispositio plurium ad agendum modo apto ut bonum aliquod determinatum obtineatur, praescindendo ab intentione alicuius agentis intellectualis. FORMALITER consideratus est illa ipsa dispositio, considerando illam ut intentam ab aliqua intelligentia. Nos arguimus ex ordine materiali, et ex illo concludemus ordinem formalem seu intentum ab aliqua intelligentia.

108. FINALITAS INTRINSECA est illa quae obtinetur per vires intrinsecas rei quae ordinatur, ut est ordo qui cernitur in organismis. FINALITAS EXTRINSECA est ea quae non obtinetur per vires intrinsecas rei ordinandae: sic homo non habet vires ut exsistant animalia sibi subordinata et proficua, neque animalia habent vires ut exsistant plantae, nec viventia ut adsit systema solare dispositum tam apte in eorum utilitatem: contra organismi habent vires intrinsecas ut totam compagem bene disponant, si modo sint circumstantiae aptae, ut aer et cibus, etc. Arguemus in ordine systematis solaris ex finalitate extrinseca, et in organismis ex finalitate intrinseca.

109. PRINCIPIUM ex quo arguemus non est principium metaphysicum finalitatis, quod ita sonat: *omne agens agit propter finem, vel omne quod est, est propter aliquem finem.* Veritas enim huius principii optime cognoscitur post demonstratam exsistentiam Dei, sapientissimi et omnipotentissimi; sed ante eius exsistentiam demonstratam non potest cum certitudine cognosci, et ideo non potest adhiberi ad Dei exsistentiam cognoscendam. Sed nitemur in principio ordinis, quod ita sonat: *dispositio rerum multarum, inter se independentium et indifferentium ut possint multis modis ineptis collocari, si est complicata, constans, et apta ut ex illa obtineatur bonum excellens operanti ipsi vel aliis, est effectus alicuius intelligentiae.*

110. Huius autem principii veritas sic demonstratur.

Nam illa dispositio utilis, ex qua sequitur bonum excellens, non debetur causae per accidens, sed causae per se; *atqui* illa causa per se debet esse intelligens; *ergo* illa dispositio utilis, ex qua sequatur bonum valde excellens, est opus intelligentiae.

Maior, quoad primum, nempe illam dispositionem deberi causae *per se,* seu quae ex sua vi determinet effectum illum. Nam si non deberetur causae per se, deberetur casui: iam vero casui non potest deberi; casus enim valde rarus est, et non producit id quod est maxime utile operanti, sed rem quamlibet. Praeterea rem *mathematice* considerando, poterat remanere infinitesimalis probabilitas ordinis utilis per casum; sed practice pro nulla reputanda est. Sic si octo litterae 40.320 positiones diversas possunt accipere, decem vero litterae 3.628.800, viginti autem quatuor litterae 620 sextilliones, quantus erit numerus combinationum possibilium in innumerabilibus atomis universi! Ex his combinationibus, paucissimae erunt utiles ad vitam, in comparatione innumerabilium, quae sint inutiles. *Ergo* practice probabilitas ut verificetur casu ea combinatio, quae est utilis, est nulla. (Gisquiére, I, p.236.)

Si igitur dispositio illa utilis non debetur casui seu causae per accidens, debetur causae *per se,* quae vi sua determinet exsistentiam illius effectus.

111. *Minor* quod illa causa per se debet esse intelligentia, probatur *primo* ex analogia. Si enim videntes horologium, imo et testam coctam quamlibet, omnes dicunt esse opus intelligentiae, a fortiori erit opus intelligentiae illa dispositio mirabilis de qua loquimur. Fatendum est tamen argumentum ex analogia, sola probabilitate gaudere.

Probatur etiam *secundo,* excludendo alias causas quae non sint intelligentes. Nam causa determinans illam ordinationem debet continere unitatem illius dispositionis quam per se determinat; iam vero illam unitatem potest continere intelligentia, causae vero non intelligentes non possunt illam continere. Nam *a*) vel continerent singulae causae ordinandae, et hoc non, quia sunt mere passivae ad illam ordinationem; vel *b)* eam dispositionem contineret forma aliqua substantialis caeca: et neque hoc habet locum: quia vel nulla est forma una, quae faciat illam unitatem, ut in systemate solari, cuius dispositio adeo fovet vitam; vel si habent tales formas, ut sunt organismi, patet illas non esse ultimam rationem quae coniungat res tam diversas et indifferentes ad multiplicem dispositionem, ut nitrogenium, ferrum, carbonem, in unitatem plantae aut animalis: et ideo illa forma intrinseca non potest operari nisi ut vicaria illius agentis, quod habet ideam dispositionis, et illam ideam alicui formae indidit. Sicut fa-

brica videtur sola moveri et movere, et tamen hoc solum debetur ideae artificis, quam artifex in aliquo mechanismo veluti impressam reliquit [18].

In hoc igitur principio tota thesis praesens nititur.

112. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum ex ordine et finalitate materiali, quae cernitur in systemate solari et in evolutione organismi cuiusque, demonstretur exsistentia alicuius intelligentiae excellentissimae, quae Deus sit.

113. Sententiae. Prima est materialistarum veterum, ut sunt HERACLITUS et EMPEDOCLES: qui dicebant ex atomis increatis omnia constare, has atomos non habere ullas vires proprias sed solum motum, et casu coaluisse in has dispositiones quas dicimus mundum, et plantas, animalia et homines.

Secunda sententia est materialistarum recentiorum: hi dicunt omnia ex atomis constare, has vero atomos habere vires proprias et leges constantes; et licet solo casu coaluerunt aliquando in aliquas dispositiones perutiles, quas vocamus mundum et viventia, tamen postea ex vi legum servant eosdem typos plantarum, animalium et hominum.

Nostra sententia affirmat hanc miram dispositionem rerum in mundum et in plantas et animalia et in homines factam esse per intelligentiam sapientissimam, quae Deus est. Hoc argumento usi sunt semper sapientes: sic ANAXAGORAS iam dixit esse mentem aliquam cui debeatur ordo mundi; et praesertim hoc docuerunt SOCRATES, ARISTOTELES, PLATO, STOICI, CICERO, Sancti PATRES frequentissime, Sanctus THOMAS, SUÁREZ, et philosophi theistae saeculi XVIII qui scribebant contra atheos illius temporis.

Haec sententia est certissima in philosophia. Etiam in Sacris litteris dicitur ex ordine et pulchritudine mundi probari exsistentiam Dei; sed ibi fortasse non dicitur aperte utrum probetur ex ordine ut est ordo, an ex ordine ut est aliquod factum contingens et mutabile [19].

114. Probatur thesis. I P. EX ORDINE ET FINALITATE IN-

---

[18] 1. DESC., I, de insufficientia explicationis per casum, p.381-392; insufficientia evolutionismi solius, p.392-399; historia huius argumenti, p.428-432; forma popularis argumenti, p.432-434.

[19] Argumentum est certissimum, sed quaeri posset de natura huius certitudinis. Non est certitudo moralis, quia motiva assentiendi non desumuntur ex moribus hominum. Neque est certitudo physica, quia nulla lex physica iubet atomos in tali ordine collocari vel non collocari. Neque est certitudo metaphysica, quia possibilitas casus non est aliquid contradictorium in terminis, et ideo possibilis est casus aliquis in mundo respectu causarum secundarum: sed haec est certitudo alius generis, quae nempe fundatur in infinite parva probabilitate rectae dispositionis per casum, quae probabilitas practice est nulla.

TRINSECA ORGANISMORUM DEMONSTRATUR EXSISTENTIA INTELLIGENTIAE EXCELLENTISSIMAE [20].

Datur in mundo organismorum eximia finalitas materialis; *atqui* haec postulat causam intelligentem, quae conceperit et intenderit finem mediaque ordinaverit ad illum; *ergo* datur causa intelligens, quae conceperit et intenderit illum finem atque ordinaverit media ad illum.

Maior probatur multis factis, sed sufficit ut eam uno exemplo illustremus, quod est organum oculi.

In eo enim datur coniunctio multarum causarum independentium et quae alio modo collocari potuerunt; et quidem collocantur modo stabili, tum in processu formationis, tum in re iam constituta, tum in transmissione per hereditatem, atque ita ut tota effectio et constructio sit valde aptata effectui utili, qui est visio. Nam ut possit dari visio, necessariae sunt fibrae nerveae, connexae cum cerebro; debent terminari contextu valde modificabili per lumen, et collocari in fundo camerae obscurae, in distantia a foco quae sit proportionata cum indice refractionis aeris et mediorum dioptricorum; et in distantia focali quae possit variari ab infinito usque ad quindecim centimetra ab oculo; debet esse diaphragma seu iris quae permittat solummodo quantitatem convenientem lucis et impediat dispersionem radiorum (irisación); debent esse elementa, quibus sentiatur non solum lumen, sed etiam varietates chromaticae; debet esse duplex organum ut volumen et distantia recte aestimentur; debent esse musculi quibus oculus moveatur asymmetrice quoquoversus, et convergant ita ut imago collocetur in loco maioris claritatis; debet adesse magna extensio campi visionis ad quaerenda utilia, vitanda pericula, et eligendum inter aptiora, et tamen imago nitida debet solum collocari in loco centrali ut attentio non dispergatur; debet adesse humor lacrymosus, qui mundet corneam eamque diaphanam conservet; debe esse defensio organi per ossa durissima, et cilia et supercilia, etc.

115. Hae res omnes sunt independentes inter se in esse et operari, ut patet si consideremus oxygenium, carbonum, calcium, christallinum, humorem aquosum et vitreum, scleroticam; et sunt indifferentes ad quamlibet aliam collocationem ineptam, et tamen modo apto collocatae sunt. Et id modo

[20] DESC., 1,320-443, et 2,852,869; PAUL JANET, *Des causes finales;* SERTILLANGES, *Les sources de la croyence en Dieu,* et hispane (Barcelona 1943); FRANCK, Gregor (1927) 385-423; GISQUIÉRE, 1,223-249; CUENOT, *Invention et finalité en biologie* (Paris 1941) 221ss.

constanti factum est et perseverat; nam effectio organi durat per menses, et observatur recta electio elementorum ut tandem habeatur organum oculi; et processus resistit impedimentis; nam si sunt quaedam resistentiae, eas vincit, et si comprimitur, iterum resumit viam suam ut perveniat ad finem.

Unde in re accidit quasi si effectus nondum exsistens in realitate, praeexsisteret in idea et regeret totam fabricam organismi. Iam vero hoc est quod diximus finalitatem materialem, quia exterius omnia accidunt quasi si aliquis conceperit et intenderit finem, et ordinaverit media ad finem obtinendum, praescindendo interea utrum revera habeatur illa intentio et illa ordinatio.

Minor probatur ex principio physico ordinis iam supra demonstrato (n.110.111).

116. II P. ITEM EX ORDINE ET FINALITATE EXTRINSECA SYSTEMATIS SOLARIS DEMONSTRATUR EXSISTENTIA INTELLIGENTIAE EXCELLENTISSIMAE.

In universo systematis solaris, cuius utilitas ad nos pervenit (non loquor de toto universo), adest ordo mirabilis et complicatissimus et constantissimus et sapientissimus, et valde bene subordinatus ad bonum viventium et praesertim ad bonum hominis et ad bonum ipsius universi; *atqui* talis ordo non est casualis seu per accidens, sed per se et quidem ex determinatione causae intelligentis sapientissimae; *ergo* datur intelligentia sapientissima quae sit causa huius ordinis.

Maior. Quod sit in mundo dispositio mirabilis patet experientia, quia numquam cessamus illum mirari, si sumus capaces aliqualis contemplationis. Ordo est complicatissimus, ut patet ex innumeris membris universi nostri, et ex innumeris legibus quibus regitur. Ordo est constantissimus quia per multa millia annorum haec dispositio mirabilis durat. Ordo est sapientissimus, quia magna est sapientia cognoscere aliquam particulam harum legum, quibus res subordinantur ad bonum viventium et ad bonum ipsius universi.

Minor probatur ex principio physico ordinis iam supra demonstrato (n.110.111) [21].

117. III P. HAEC INTELLIGENTIA EST DEUS.

Nam illa intelligentia vel est increata vel est ab alio crea-

[21] Multi fundant thesin in principio finalitatis metaphysico, quod enuntiatur: omne agens agit propter finem: sic GARRIGOU-LAGRANGE, *Finalité* p.115-121; alii ex ratione sufficiente, ex qua volunt elicere certitudinem metaphysicam; alii demum ex principio ordinis, putantes principium finalitatis metaphysicum esse verissimum, sed supponere iam demonstratam exsistentiam Dei; cf. OM n.174-175.

ta. Si est increata, ipsa est Deus; si autem est creata, tunc, quoniam omnes causae non possunt esse creatae, deveniendum est ad aliquam causam increatam, quae sit origo illius intelligentiae ordinatricis, et quae sit etiam sapientissima, et illa est Deus.

118. Scholium. Chorus laudantium. Finita demonstratione exsistentiae Dei ex creaturis, possumus veluti audire clamorem totius universi suum Factorem voce magna laudantis. Nam *effectus* innumerabiles dicunt esse causam primam et ens a se, a quo dependeant et sint. Innumerabilia signa *contingentiae* intra hominem et extra hominem designant Ens absolute necessarium in quo fundentur. *Ordo* mundanus indicat intelligentiam altissimam a qua disponatur. Perpetuus *motus* physicus et spiritualis dicit esse causam absolute immobilem a qua originetur. Diversi *gradus perfectionum,* dicunt esse perfectionem quandam infinitam ex cuius divitiis deriventur. *Pluralitas* rerum similium et aequalium, clamant dari Ens essentialiter unicum, quod simile non habeat univoce, sed solum analogice. Denique omnis creatura et omnis eius affectio et attributum aut proprietas, dicit suo modo esse *Ens supremum* a quo essentialiter dependeant, in quo fundentur et per quod totaliter explicentur sive in essentia, sive in exsistentia sive in operatione.

119. Obiectiones. 1. Multa sunt in mundo mala, ut frigora, siccitates, inundationes, productio tot seminum quae inutiliter pereunt, bella iniusta, furta, sacrilegia, oppressio debilium a fortioribus; *atqui* haec non sunt ordinata; *ergo* non datur in mundo tam mirabilis ordo [22].

Resp. 1. Conc. mai. et min., sed dist. cons.: si solum essent in mundo illa quae allata sunt in maiore, *conc.;* sed si sunt multa alia, quae exigunt ordinatorem sapientissimum, *nego.*

Resp. 2. Post probatam exsistentiam illius summae sapientiae, quae est Deus, solvam ita: *Conc. mai.; dist. min.*: sunt inordinatissima, quia non cadunt sub primaria providentia, *conc.*: quia non cadunt sub providentia secundaria et relativa, *nego;* haec mala permittuntur, si sunt moralia, ita ut compensentur magnis bonis, ut sunt paenitentia, probatio iustorum per iniurias peccatorum, ostensio divinae iustitiae in punitione obstinatorum. Si autem sunt physica, Deus ipse potest ea velle per accidens ad probationem nostram et ad bonum universi.

2. Casus potuit explicare hunc ordinem, modo materia supponatur subiecta legibus. Nam initio potuit esse massa informis; et iuxta leges postea facta est divisio materiae in plura astra, quae diversas distantias obtinuerunt et gradum infrigidationis et atmosphaeram opportunam ad vitam; et deinde apparuit vita. Diversi autem gradus vitae utuntur rebus inferioribus ad suam utilitatem, non quia inferiora facta sunt hoc fine et intentione ut superioribus subiacerent, sed quia superiora habent vires ad usum activum, et inferiora habent aptitudinem ad usum passivum; et sic ex materia subiecta legibus et ex casu obtineri potuit ordo, quem adeo miraris;

[22] Defendunt casum: WILLIAM JAMES, *L'expérience religieuse;* ROUGIER, *Les paralogismes du rationalisme* (Paris 1920); BRUNSCHVICG, atheus, *La raison et la religión* (Paris 1939) 58-61.

atqui in hac hypothesi nulla intelligentia directrix requiritur; *ergo* per hunc ordinem materialem non probatur ulla intelligentia sapientissima et potentissima.

Resp. 1. Nego assert. Ad prob., falso supponitur vita potuisse apparere ex solis viribus materialibus et ex legibus materiae.

Resp. 2. Impossibile est casu obtineri hanc subordinationem miram sine intelligentia; quia hoc universum constat partibus quae possent infinitis aliis modis ineptis ad vitam collocari; iam vero colligere in unitatem et in conspirationem in unum effectum diversas partes indifferentes ad hunc scopum, est proprium intelligentiae concipientis illam unitatem et congregantis illas partes ad illam unitatem efficiendam: hoc apparet *primo,* ex argumento analogiae, v. c. ex contemplatione horologii; *secundo,* quia casus non facit praecise id quod est valde utile ad aliquem scopum et effectum, sed quidlibet aliud; et *tertio,* quia illa unitas non continetur in ulla causa irrationali, sed solum in causa intelligente, ut explicatum est (n.110-111).

3. Saltem dolores tam ingentes animalium nullam finalitatem habent; *ergo* vel animalia non sunt disposita ab ulla intelligentia, vel ab intelligentia insipiente. *Antec.*: nam hi dolores non conferunt ad satisfactionem pro peccatis, vel ad exercitium virtutum, vel ad praebenda exempla virtutum, quia non virtuose patiuntur, neque ad monitionem contra pericula, quia illa monitio potuit fieri suavius.

Resp. 1. Trans. antec. et nego cons.: ut probetur exsistentia et sapientia illius intelligentiae, sufficit ut sint multa quae nequeant explicari sine magna sapientia.

Resp. 2. Trans. antec. et nego cons.: dolores tam ingentes sunt sequela naturae corruptibilis et sensibilis et circumdatae multis oppositis ob eius finitudinem; ergo non debet quaeri finalitas, sed contra, debet quaeri defectus ex quo nascitur dolor, qui est defectus talis naturae et non defectus artificis.

4. Ordo hic mundanus est res finita; *atqui* ad rem finitam concipiendam et faciendam non requiritur ens infinitum; *ergo* ex argumento ordinis non concluditur ens infinitum.

Conc. mai. et dist. min.: immediate et proxime, *conc.;* saltem remote, *nego; et dist. par. cons.* Ex ordine demonstratur exsistentia ordinatoris; utrum autem ille ordinator sit creatus vel increatus, solum ex argumento ex contingentia et ex effectibus concludendum est, sicut fecimus. (Plura OM, n.206-208, 214-215).

ARTICULUS V

UTRUM EXSISTENTIA DEI DEMONSTRETUR QUINQUE VIIS SANCTI THOMAE

Thesis 8. Exsistentia Dei demonstratur quinque viis Sancti Thomae (n.82-86).

120. 1. *Ex motu metaphysico demonstratur exsistentia Dei ut est Motor absolute immobilis.* Manifestum est in mundo res moveri, et quod movetur esse contingens: ens enim necessarium non movetur (n.224); *atqui* contingens postulat ens

necessarium (n.101), quod est causa omnis motus et ipsum est absolute immobile; *ergo* ex motu metaphysico demonstratur exsistentia Dei, ut est Motor absolute immobilis.

2. *Ex causis subordinatis seu dependentibus in operari demonstratur exsistentia Dei ut est causa prima et independens.* Videmus enim multas causas in mundo dependere a plurimis conditionibus et praerequisitis ut possint operari, ideoque sunt causae contingentes in esse; nam ens necessarium non dependet ab ullo; *atqui* contingens postulat ens necessarium et causam primam a nulla re dependentem; *ergo* ex causis subordinatis demonstratur exsistentia Dei, ut est causa prima et independens.

3. *Ex entibus corruptibilibus demonstratur exsistentia Dei ut est ens absolute necessarium.* Videmus enim in mundo plurima entia corruptibilia, et ideo sunt contingentia: nam ens necessarium non est corruptibile; *atqui* ens contingens postulat ens absolute necessarium; *ergo* ex entibus corruptibilibus demonstratur exsistentia Dei, ut est ens absolute necessarium.

4. *Ex gradibus perfectionis demonstratur exsistentia Dei, ut est ens simpliciter infinitum.* Videmus enim in mundo esse perfectiones vitae, substantiae, entis, secundum gradus maiores et minores, ideoque saltem gradus minores sunt finiti, et proinde contingentes: nam ens necessarium non potest esse finitum (n.237.361.362.); *atqui* ens contingens postulat ens necessarium, quod est infinitum simpliciter; *ergo* ex gradibus perfectionis secundum magis et minus demonstratur exsistentia Dei ut est ens simpliciter infinitum.

5. *Ex ordine mundano demonstratur exsistentia Dei ut est intelligentia ordinatrix.* Nam est in mundo mirabilis ordo, ut contemplanti apparet; *atqui* opus ordinatum est opus intelligentiae (n.114.116); *ergo* exsistit intelligentia ordinatrix mundi. *Iam vero* illa intelligentia aut est creata aut increata; si est increata, illa est Deus; si autem est creata, postulat causam increatam, quae sit intelligens, ne sit minor quam sui effectus intelligentes; *ergo* ex ordine mundano demonstratur exsistentia Dei ut est intelligentia ordinatrix mundi (OM n.195-198).

ARTICULUS VI

UTRUM PER ARGUMENTA PRAECEDENTIA PROBATA SIT EXSISTENTIA VERI DEI

Thesis 9. Per argumenta praecedentia demonstrata est virtualiter exsistentia veri Dei.

121. Status quaestionis. Demonstratum est quidem exsistere causam primam, ens a se et ens absolute necessarium, et intelligentiam praeclarissimam quae sit origo ordinis mundani. Et nunc quaeritur utrum illa causa prima, ens a se, ens absolute necessarium et intelligentia praeclarissima sit verus Deus an non.

122. Sententiae. *Prima* sententia est pantheistarum omnis generis: concedunt demonstratam esse exsistentiam entis necessarii et a se, sed dicunt illud ens esse substratum mundi, quod necessario evolvitur sicut mundus evolvitur. Illam vero intelligentiam, quae ex ordine mundano probata est, dicunt esse animam mundi, ex cuius informatione accidunt omnia quae videmus accidere in mundo sive rationalium sive irrationalium. Et Julián Marías dicit scholasticos non potuisse adhuc respondere ad hanc difficultatem.

Secunda sententia est quorumdam augustiniensium recentiorum, v.c. FRIDERICI SCIACCA. Fatetur quidem demonstratam esse exsistentiam causae primae, entis a se et entis absolute necessarii et quamdam intelligentiam, quae sit architectus mundi, actus purus; sed per haec nondum esse demonstratam exsistentiam veri Dei, quia non est probatus Deus amans, providens, communicans se nobiscum, qui etiam sit obiectum totius nostrae beatitudinis et infinitum. Probata est quidem exsistentia cuiusdam causae cosmicae ultimae, sed non veri Dei. Ut probetur exsistentia veri Dei debet dari definitio nominalis Dei, quae contineat characteres qui includuntur in Deo christianismi, et tunc uno solo argumento debet demonstrari exsistentia Dei sic descripti; argumentum autem, unde concluditur talis Deus, est argumentum desumptum *ex Veritate, quae a nobis est independens,* et per sui praesentiam se nobis communicat ut bonum absolutum et infinitum et obiectum beatitudinis.

123. *Nostra* sententia, quae est scholasticorum omnium, ad haec quatuor reduci potest: *primo,* evidenter demonstratam esse explicite exsistentiam causae primae, entis a se et entis absolute necessarii, et alicuius intelligentiae ordinatricis mundi. *Secundo,* explicite quidem nondum esse demonstrata omnia attributa, quae sunt propria et characteristica Dei, sed implicite et virtualiter demonstrata esse omnia eius attributa quae Sciacca exigit, eo quod ex praedicatis praedictis necessario et evidenter deducantur. *Tertio,* deductionem claram et necessariam horum attributorum relinquendam esse ad ea capita Theodiceae, in quibus agitur de essentia et de attributis Dei, nam si omnia simul in disciplina aliqua velimus demonstrare, magna confusio gignetur. *Quarto* demum, posse in hoc loco, post demonstratam exsistentiam entis necessarii et causae primae anticipari demonstrationem attributorum propriorum Dei, quae postea latius explanabuntur.

Primo igitur declarabimus proprietates entis necessarii, et postea ostendemus quomodo, demonstrata realitate entis necessarii, demonstrata sit exsistentia veri Dei.

§ 1. Indoles entis necessarii

124. *Primo. Ens necessarium constituitur per essentiam, quae sit absolute necessaria et actualis et independens:* patet: nam ens necessarium et actuale et independens non potest constitui per notas sibi contrarias, nempe per essentiam quae sit potentialis, aut contingens aut dependens.

Secundo: haec essentia entis necessarii in concreto est formaliter exsistentia, i.e. re et ratione identificatur cum ex sistentia actuali et exercitata, et non cum exsistentia mere possibili aut abstracta. Nam Ens necessarium exsistit vi essentiae, et non aliunde; *atqui* non potest exsistere vi essentiae efficienter, quasi ipsa essentia fecisset exsistentiam, quia secus aliquid fecisset seipsum; *ergo* exsistit vi essentiae formaliter, quia scilicet essentia est formaliter ipsa exsistentia.

125. *Tertio, essentia Dei est actualitas pura.* Per hoc volumus dicere essentiam Dei constitui per exsistentiam et solum per exsistentiam, exclusa omni alia differentia aut constitutivo essentiali per quod constituatur essentia entis necessarii.

Nam illud praedicatum constituit essentiam aliquam ut unicum eius constitutivum, quod et est constitutivum essen-

tiae, et se solo secernit essentiam ab omni alia; *atqui* exsistentia actualis et exercitata est constitutivum essentiae entis necessarii, et secernit illam ab omni alia; *ergo* illa est unicum constitutivum essentiae entis necessarii.

Maior patet ex notione ipsa. *Minor* vero declaratur: a) *in primis* exsistentia actualis et exercitata est constitutivum essentiae entis necessarii, quia essentia entis necessarii est formaliter exsistentia actualis et exercitata, ut probatum est. b) *Deinde* exsistentia actualis et exercitata, ut constitutivum essentiae, secernit essentiam divinam ab omni alia: quia eo ipso quod essentia aliqua sit *formaliter exsistens,* est essentia entis necessarii, ita ut sit contradictio eius non exsistentia; et essentia quae non sit entis necessarii, sed contingentis, non constituitur formaliter per exsistentiam: cum enim sit indifferens ad exsistendum et non exsistendum, exsistentia concipitur ei advenire quasi accidentaliter: unde et ab essentia necessario distinguitur, saltem ratione cum fundamento in re.

126. *Quarto, hinc sequitur essentiam Dei non posse carere ulla actualitate possibili.* Nam si careret aliqua actualitate, tunc essentia Dei constaret duplici elemento constitutivo, quorum unum esset actualitas, et aliud esset carentia actualitatis vel restrictio actualitatis usque ad determinatum gradum et non ultra; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* non potest carere ulla actualitate.

Maior: si enim essentia Dei careret aliqua actualitate, id esset aut per oppositionem ad habendam illam actualitatem, aut non per oppositionem, sed per capacitatem adquirendi illam; *atqui* utrumque pertinet ad essentiam rei et non ad accidentia; *ergo* si essentia Dei careret aliqua actualitate, praeter actualitatem haberet aliud constitutivum.

Minor: secus non esset actualitas pura, contra demonstratum.

127. *Quinto, Deus est Ipsum esse.* Ratio dubitandi est quia in omni concreto creato, ut est v.c. homo, distinguuntur et subiectum habens formam seu essentiam, et forma seu essentia habita, et subsistentia qua forma sit subsistens in se et non ut pars alius. Et quaeritur utrum in Deo subsistente seu in concreto, idem accidat. Responsio est negativa. Et sensus nostrae doctrinae est in Deo esse actualitatem puram, et non posse in eo distingui nec subiectum in quo actualitas illa subsistat, neque subsistentiam per quam subsistat; consequen-

ter Deus in concreto et ut subsistens non erit nisi actualitas pura, seu esse subsistens.

Et probatur: Deus est Ipsum esse per se subsistens si et sit in eo actualitas seu esse, et non sit in eo subiectum aut subsistentia quae re aut ratione distinguantur ab actualitate pura; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est Ipsum esse subsistens.

Maior patet ex notionibus; et *minor* probatur: *a)* si enim praeter actualitatem distingueretur in Deo aut subiectum aut subsistentia re aut ratione distincta ab actualitate, tunc illa actualitas dependeret vel conciperetur dependere ab alio distincto ab essentia, et sic non esset essentia entis necessarii, sed essentia entis contingentis; *b)* item essentia Dei careret intra se actualitate subiecti aut subsistentiae, siquidem haec haberet per realitates distinctas ab essentia.

128. *Sexto,* Ens necessarium est Actus Purus. Per hoc volumus dicere et Deum esse actualitatem in qua non sit ulla potentialitas logica, quae est capacitas non exsistendi, neque potentialitas physica aut passiva, quae est capacitas recipiendi aut amittendi aliquam perfectionem. *Et probatur*: Nam Deus est Actus Purus, si et sit actualitas, et non sit in eo capacitas logica non exsistendi, neque capacitas passiva acquirendi aut amittendi aliquid; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est Actus Purus.

Maior patet ex notionibus, et *minor* declaratur. *a*) Quod Deus sit *actualitas* aliqua, patet, nam est actualitas pura et Ipsum esse. *b)* Quod non sit in eo *potentialitas logica,* constat: quia, cum sit ens absolute necessarium, impossibile est illud non exsistere. *c)* Quod non possit aliquid *acquirere vel amittere,* etiam constat: secus enim posset carere aliqua actualitate, nempe ea quam potest acquirere et nondum habet, et illa quam potest amittere, contra n.126. *Praeterea* Ens absolute Necessarium non potest habere aliquid contingens aut potentiale neque essentialiter neque accidentaliter: *non essentialiter:* nam ens absolute necessarium iam est plene constitutum ante ens contingens, quia est causa et fundamentum omnis contingentiae; *ergo,* si iam est plene constitutum ante et independenter ab omni contingente et potentiali, illud non habet constitutive ullam contingentiam aut potentialitatem. Neque *accidentaliter.* Nam si haberet aliquid contingens vel potentiale accidentaliter, haberet capacitatem intrinsecam ut reciperet illa quae sunt contingentia et potentialia; et habere-

internam capacitatem hanc, pertinet ad constitutiva entis, ideoque constitueretur per referentiam et dependentiam a contingenti, quod iam dictum est esse impossibile.

129. *Septimo,* Deus est immutabilis. Probatur eodem modo: si enim posset mutari, posset acquirere aut amittere aliquid, et tunc non esset Actus Purus.

Octavo, essentia entis a se est essentialiter singularis et individua, ideoque nec potest esse nec concipi in universali. Nam quod est exsistens, seipso est singulare; *atqui* essentia entis necessarii est exsistens, imo, et exsistentia actualis et exercitata; *ergo* essentia entis necessarii, ut est essentia entis necessarii, et non ut est tale vel tale individuum, est singularis et individua; et ideo nequit dari conceptus universalis Dei.

130. *Nono, essentia entis a se unica et immultiplicabilis in plura individua,* seu quod idem est, non possunt esse plura individua, in quibus verificetur nota entis necessarii. Nam quod est singulare, est essentialiter unicum, ut patet ex Ontologia; *atqui* essentia entis a se, qua constituitur ut ens a se aut ut ens necessarium, est singularis et individua; *ergo* essentia entis a se est essentialiter unica et immultiplicabilis.

Decimo, ens a se est auctor omnium, quae sunt extra ipsum, per creationem ex nihilo. Nam ens increatum est unicum; *ergo* quidquid est extra ipsum, est factum ab illo immediate vel mediate, et quidem ex nihilo; si enim praesupponeretur in effectibus aliquid non factum, iam essent plura non facta.

131. *Undecimo, ens a se est omniperfectum. Primo,* quia essentia Dei est actualitas pura et actualitas pura nequit carere ulla perfectione: secus careret aliqua actualitate, nempe actualitate illius perfectionis quae deesset (contra n.126), *Secundo,* quia Deus est causa omnium rerum quae exsistunt et quae possunt exsistere extra ipsum; *ergo* habet perfectiones omnium rerum quae exsistunt et quae exsistere possunt.

Duodecimo, ens a se est intelligens: primo quia est origo entium intelligentium; *ergo* carere nequit intelligentia, secus esset imperfectius aliquo ex suis effectibus.

Decimotertio, ens a se est volitivum et liberum, eadem omnino ratione.

132. *Decimoquarto, ens a se est dominus absolutus omnium,* tam rerum quam personarum. Nam dominus est ille a

quo aliquid dependet vel cuius potestati subicitur aliquid; *atqui* ens a se est illud a quo omnia pendent quoad essentiam, quia in illo fundantur, et quoad exsistentiam, et cuius potestati subiciuntur plene, ergo ille est dominus omnium.

Decimoquinto, ens a se et necessarium est bonum nostrum infinitum. Deus enim omnia fecit propter bonitatem suam, et non propter bonum aliquod sibi extrinsecum, secus eius actus amoris ab illo extrinseco penderet. Non autem fecit ea propter se obtinendum, quia ipse iam se possidet sine illis; ergo ea fecit propter se communicandum rebus iuxta indolem earumdem, sive mere entitative, per similitudinem analogicam, sive etiam intentionaliter per intellectum et voluntatem; iam vero se communicare rebus per intellectum et voluntatem est velle ut illae possideant per intellectum et voluntatem seipsum; ergo entia intellectualia fecit ut Deum possideant per intellectum et voluntatem, tamquam bonum infinitum.

§ 2. Probatur thesis enuntiata: nempe, per argumenta praecedentia probatam esse exsistentiam veri Dei

133. Nam nomine Dei intelligo ens increatum et absolute independens, quod sit distinctum a mundo, auctor et dominator illius, personale seu intelligens et liberum, cui summa reverentia et amor debeatur; *atqui* tale ens est Ens necessarium, quod per praecedentia argumenta demonstratum est; *ergo* per argumenta praecedentia demonstrata est exsistentia veri Dei.

Maior constat ex notionibus. *Minor* vero declaratur. Ens necessarium et a se est *increatum et summe independens,* ut patet ex probatione exsistentiae Dei.

Ens a se est *distinctum a mundo*: mundus enim est plenus imperfectionibus, mutabilis et pluralis, quia semper habet aliquid cum quo conveniat generice, saltem enim per divisionem materiae habebuntur duo entia convenientia in eo quod sint materialia; iam vero ens a se est omniperfectum, penitus immutabile et unicum, ut probatum est.

Ens a se est *auctor et dominus mundi, et personale,* i. e. intelligens et volens; et *omne bonum nostrum* secundum quod declaratum est.

Et denique maxima *reverentia* ei debetur: si enim ab illo dependemus absolute in esse, et ad illum ordinamur, ut ad finem cui subordinamur, et est summum bonum nostrum, non

possumus non ei subici totaliter quoad intellectum, voluntatem et actionem, si volumus rationabiliter agere.

Ut patet, per argumenta praecedentia, quibus probata est exsistentia entis necessarii et a se, demonstrata est exsistentia veri Dei, saltem implicite et virtualiter.

Sed haec sufficiat hic leviter tetigisse, nam suo loco amplius declarabuntur et fundabuntur.

CAPUT IV

De demonstrationibus controversis exsistentiae Dei

134. Praeter argumenta exposita, quibus firmissime et certissime demonstratur exsistentia Dei a posteriori, sunt plurima alia, quae auctores quidam acceptant ut valida et alii reiciunt ut invalida. Afferimus ea tamen, tum ut cognoscatur historia philosophiae in hac parte; tum ut lector habeat occasionem per se ipsum ea roborandi, si putet ea valere, tum demum ut his argumentis utatur apologeta apud eos quos talibus considerationibus moveri cernat, modo etiam addat argumenta certo valida.

Haec autem argumenta controversa sunt metaphysica, physica et moralia, prout praedicata seu facta ex quibus conficiuntur pertineant ad ordinem metaphysicum vel ad ordinem physicum vel ad ordinem moralem. Praedicata ordinis metaphysici conveniunt et rebus corporalibus et spiritualibus, ut contingens, motus, effectus, possibile. Praedicata ordinis physici conveniunt solis corporibus, ut sunt ordo cosmicus universalis, origo vitae corporeae, et origo specierum et corporis humani. Facta ordinis moralis desumuntur ex moribus hominum, ut sunt consensus generis humani, appetitus felicitatis, obligatio. Haec tribus articulis sequentibus examinabuntur, quorum primus aget de argumentis metaphysicis, secundus de argumentis physicis, tertius de argumentis moralibus.

ARTICULUS I

ARGUMENTA METAPHYSICA CONTROVERSA

§ 1. Argumentum ontologicum seu a simultaneo

Thesis 10. Exsistentia Dei nequit demonstrari argumento ontologico seu a simultaneo.

135. URRÁB., 1,58-77; DESC., 1,606-637; RevPh (1909) 596-761, qui numerus dicatus est S. Anselmo, et agit optime de historia huius argumenti; BAINVEL, *Anselme de Cantorbéry*: DTC c.1327-13-50; CAPPUYNS, *L'argument de S. Anselme*: Recherches de Theologie anc. et mediev (1934) 313-316, DOMET DE VORGES, *S. Anselme* (Paris 1901); OM n.97-104.

136. Nexus. Argumentum Sancti Anselmi alii vocant a priori vel quasi a priori, sed improprie; quia nulla res est quae possit esse

aut concipi ut ratio a priori exsistentiae Dei. Alii vocant argumentum ontologicum, quia quidquid non sumitur ex experientia, ad ontologiam pertinet, iuxta Wolf. Alii potius loquuntur de processu ontologico quam de argumento ontologico, quia revera non est argumentum, sed solum declaratio terminorum; et defendere hoc argumentum est idem ac dicere propositionem "Deus est" esse per se notam quoad se et quoad nos[1]. Quidquid autem sit de nomine, nos illud hic examinamus inter argumenta metaphysica.

137. Notiones. Argumentum a simultaneo quoad substantiam semper consistit in hoc, quod modo arbitrario vel conventionali conformetur aliqua notio Dei, et ex illa notione sic conformata, deducatur exsistentia illius. Essentiale est igitur huic argumento ut notio, ex qua arguitur, non desumatur ex ipsa intuitione aut ex experientia ipsius rei, neque obtineatur per deductionem ab effectibus sed sit conventionalis et arbitraria.

138. Status quaestionis. Et quaeritur utrum talis forma arguendi applicata ad exsistentiam Dei probandam sit valida, an valore careat sub quacumque forma proponatur.

Sententiae. *Favent* argumento a simultaneo S. ANSELMUS, SCOTUS, VÁZQUEZ, SYLVESTER MAURUS, ANTONIUS PÉREZ, ESPARZA, DESCARTES, LEIBNIZ, AURIAULT, S. I., ADLOCH, O. S. B., DE MUNNYNCK, O. P., LEPIDI, O. P., DYROF, LE ROY, ALEXANDER HALENSIS, S. ALBERTUS M., PECKHAM, AEGIDIUS ROMANUS[2].

Illud **impugnant** S. THOMAS et thomistae generatim, SUÁREZ cum plerisque molinistis, et KANT. Nos cum S. Thoma et Suárez ei nullam vim probativam concedimus[3]; et thesis sic explicata est certissima.

139. Probatur thesis. In nulla Propositione praedicatum potest habere maiorem realitatem quam subiectum; *atqui* in argumento a simultaneo sub quacumque forma proposito

---

[1] Sic GISQUIÈRE, 1,126.

[2] Hoc argumentum ontologicum non est ontologorum, quia non fundatur in intuitione Dei, sed solum in declaratione terminorum. Hoc defendunt S. ANSELMUS, *Proslogium:* ML 158,223-225; GAUNILO scripsit pro insipiente, refutans S. Anselmum, ibid. 242ss; contra Gaunilonem scripsit S. ANSELMUS *Liber Apologeticus*, ibid. 248-260; SCOTUS dicit argumentum S. Anselmi colorari posse, ostendendo possibilitatem entis summe effectivi vel summi excogitabilis, in 1 d.2 q.2 n.14.31.32 (cf. de hoc WOESTYNE, *Cursus*, 2. p.712-713; et MINGES, *Doctrina Scoti*, II,10-11); etiam defendunt argumentum VÁZQUEZ, in 1 d.20 c.4; DESCARTES, *Medit.* 5, et *Reponse* aux 2es *obiectiones*, n.6; LEIBNIZ, *Monadol.* n.45.

[3] Impugnant argumentum: S TH., 1 q.2 a.1 c et ad 2; SUÁREZ, DM 29,3, 32ss; IDEM, *De Deo*, 1.1 c.1 n.7-9; BAINVEL, *Anselme*: DTC 1352; CHOSSAT, *Dieu:* DTC 901-911; KANT admiserat hoc argumentum anno 1763, in opusculo *De unico principio possibili ad demonstrandam exsistentiam Dei;* postea vero in *Critica rationis purae* illud impugnavit.

subiectum est mere cogitatum; *ergo* et praedicatum, quod est exsistentia, est mere cogitata, non realis.

Maior patet: si enim subiectum est possibile, praedicatum eius intrinsecum non est nisi possibile; et si subiectum est fictum, praedicatum intrinsecum est etiam fictum; et si subiectum est exsistens, praedicatum eius intrinsecum est etiam exsistens; sic homo possibilis est intelligens possibiliter; motus velocissimus omnium (quod est chimaericum) potest dici esse accidens (quod etiam erit chimaericum).

140. *Minor*: argumentum enim ontologicum in forma anselmiana ita se habet: Deus est maximum excogitabile; *atqui* maximum excogitabile continet exsistentiam realem; *ergo* Deus habet exsistentiam realem. In quo argumento *maior patet* ex conventione; et *minor* constat; quia si non exsisteret in re, non esset maximum excogitabile; siquidem posset excogitari aliud maximum excogitabile quod exsisteret non solum in mente, sed etiam realiter.

Ad quod argumentum, in forma sic respondetur: *conc. mai.; dist. min.*: continet exsistentiam realem mere cogitatam, sicut mere cogitatum est subiectum quod est maximum excogitabile, *conc.;* exsistentiam realem exercitatam in re, *subdist.*: si demonstratur a posteriori maximum excogitabile esse, non solum excogitatum, sed etiam reale, *conc.;* ex sola notione maximi excogitabilis, *nego. Et dist. pariter cons.*: habet exsistentiam realem excogitatam, *conc.;* exercitatam in re, *subdist.*: si demonstratur a posteriori maximum excogitabile esse reale, *conc.;* ex sola notione maximi excogitabilis, *nego. Ad probationem min., nego* posse excogitari aliud maximum excogitabile maius, nempe quod exsisteret; nam in primo maximo excogitabili, iam cogitavi implicite exsistentiam realem et exercitatam; sed illa exsistentia realis est excogitata etiam, sicut maximum cogitabile ipsum. Si maximum excogitabile exsisteret a parte rei, esset maius reale, sed nequaquam esset maius excogitabile, nam totum quod excogitari potest in reali, iam cogitatum est in maximo excogitabili mere cogitato.

Et habita prae oculis hac doctrina, facile solventur aliae formae sub quibus hoc argumentum est propositum a Cartesio et a Leibniz, quas formas per modum difficultatum exponemus.

141. Obiectiones. 1. *(Forma cartesiana)* Quod reperitur in idea clara alicuius rei, pertinet vere ad illam rem; *atqui* exsistentia realis reperitur in idea infiniti vel omniperfecti; *ergo* infinitum seu omni-

perfectum exsistit. *Maior*: sic si in triangulo reperio tres angulos, hi tres anguli pertinent vere ad illam ideam. *Minor*: si enim infinitum non exsistit, iam non est infinitum, quia ei deest aliquid, nempe realitas.

Dist. mai.: pertinet in cogitatione, *conc.;* in realitate exsistentiali vel possibili, *subdist.:* si subiectum, seu res repraesentata per ideam, est mere cogitatum, *nego;* si subiectum est reale, exsistens vel possibile, *conc. Et contradist. min.:* exsistentia realis cogitata reperitur in idea infiniti, *conc.;* etiam realis, *subdist.:* si infinitum est aliquid reale et non fictum, *conc.;* si autem est aliquid mere cogitatum et fictum, *nego.*

2. (*Forma leibniziana*) Infinitum seu omniperfectum exsistit, si est possibile; *atqui* est possibile; *ergo* exsistit. *Maior:* si enim omniperfectum non exsisteret, non esset possibile; nam non posset transire ad exsistendum a se, neque ab alio; non a se, secus sibi daret exsistentiam; neque ab alio, quia tunc non esset omniperfectum, siquidem penderet ab alio. *Minor:* nam impossibilitas seu contradictio oriretur ex eo quod in conceptu omniperfecti includeretur aliqua negatio incompossibilis cum aliqua realitate, vel ex eo quod constaret partibus incompossibilibus; iam vero omniperfectum non habet ullam negationem, sed solum perfectionem, neque habet partes incompossibiles, quia est simplicissimum, secus non esset omniperfectum; ergo nulla contradictio vel incompossibilitas est in conceptu omniperfecti seu infiniti.

Dist. mai.: si est possibile positive, *conc.;* si solum est possibile negative, *subdist.:* exsistit, et hoc constabit si probetur argumento a posteriori, *conc.;* ante hanc demonstrationem, *nego. Et contradist. min.*: est possibile negative, *conc.;* positive, *subdist.*: post probationem a posteriori, *conc.;* antea, *nego.* Et sub datis distinct., etc. *Ad prob. minoris, conc. mai. et dist. min.:* omniperfectum non includit aliquam negationem simul cum affirmatione, aperte, *trans.;* occulte, *nego,* vel potius ignoramus ante demonstrationem exsistentiae eius a posteriori.

Constat negative de possibilitate alicuius conceptus, cum non videmus contradictionem, licet forte occulta maneat. Constat positive de possibilitate alicuius conceptus, cum videmus absentiam contradictionis. Cum igitur concipis omniperfectum, tu non vides ibi contradictionem, sed forte sit in eo latens. (Plura in OM n.101-104).

§ 2. Argumentum ex motu metaphysico

142. Notiones. MOTUS METAPHYSICUS est transitus rei iam exsistentis de potentia in actum, sive illa res sit spiritualis: ut cum intellectus de non intelligente fit intelligens, sive res illa sit corporea: sicut cum aqua de non calida fit calida; et sive actus, de quo agitur, sit substantialis, sive accidentalis. PHYSICUS AUTEM MOTUS est transitus rei corporalis de uno statu in alium [4].

[4] Aliqui dicunt motum localem, ex quo maxime antea arguebant pro exsistentia Dei, non esse aliquid entitatis intrinsecae in re mota, sed meram denominationem extrinsecam: sic MASSI, *Il movimento absoluto e la posizione*

Motus potest esse INTRINSECUS ET EXTRINSECUS: *intrinsecus,* qui afficit intrinsece mobile, ut calor afficit aquam; *extrinsecus,* qui rem denominatam non afficit intrinsece sed est extra illam, ut si Deus dicatur non cognitus et postea cognitus a Petro. Argumentum praesens sumitur ex motu metaphysico et intrinseco, non ex extrinseco, aut mere physico.

MOBILE est omne illud, quod iam exsistit et potest recipere motum seu actuationem intrinsecam, ad quam erat in potentia physica. Et sic mobile est omne quod positive movetur; et, iuxta neothomistas defensores argumenti, ut mobile reputanda est omnis causa creata efficiens, quia illa in quantum agens transit de non agere ad agere, de potentia agendi ad actum agendi, quod dicunt fieri non posse sine motu intrinseco: agens enim agendo perficitur intrinsece.

143. PRINCIPIUM IN QUO NITUNTUR defensores argumenti ex motu, est principium motoris et mobilis, nempe "quidquid movetur, ab alio movetur".

Hoc principium differt a principio causalitatis; nam *principium causalitatis* agit de ente quod antea non erat, et nunc incipit seu de novo est, vel de contingente quod potest exsistere et non exsistere sine ulla contradictione, et est de facto exsistens: et id quod de subiecto enuntiat, est dari causam efficientem adaequate distinctam a re quae incipit vel a re contingente.

Principium vero *motoris et mobilis* agit de re exsistente, quae antea non habebat motum et nunc habet; et enuntiat motorem debere esse rem adaequate distinctam a re mota, et numquam posse rem motam movere seipsam. Et patet principium causalitatis esse evidentissimum, non autem est adeo evidens principium motoris et mobilis: nam est evidens rem quae incipit vel quae est contingens et de se est nihil, indigere causa adaequate distincta, et non posse causare seipsam; sed non est adeo evidens, rem quae iam est, non posse causare motum in seipsa.

144. Status quaestionis. Planum est ex motu posse probari exsistentiam Dei, si motus sumatur ut indicium contingentiae et dependentiae causalis, sic: manifestum est res moveri in mundo; *ergo* dantur res contingentes, nam ens necessarium non movetur; *atqui* ens contingens postulat ens necessarium; *ergo* ex motu probatur ens necessarium. In quo discursu omnia sunt plana.

Sed ulterius quaeritur utrum argumentum ex motu probet exsistentiam Dei sumendo motum solum ut transitum rei iam

---

absoluta secondo il Suárez (Roma 1947); et recensio huius J. HELLÍN RET 8 (1948) 349-362.

exsistentis de non motu ad motum, et quidem vi principii motoris et mobilis "quidquid movetur, ab alio movetur".

145. Sententiae. *Prima* sententia tenet argumentum ex motu probare exsistentiam Dei, et quidem sumendo principium in sensu exclusivo: quidquid movetur ab alio *solo* movetur; nam si mobile movet se, (v. c. causae immanentes), se movet solummodo inquantum ut causa activa, motum est a solo Deo, motore extrinseco. Sic neothomistae generatim [5].

Secunda sententia est argumentum valere, si principium motoris et mobilis sumatur in sensu assertivo: "quidquid movetur, ab alio movetur, *saltem etiam*": sic neomolinistae plures.

Tertia sententia tenet ex hoc argumento exsistentiam Dei nullatenus probari; concedit tamen post probatam Dei exsistentiam constare "quidquid movetur, ab alio etiam moveri"; nam voluntas, e. c., ut est facultas passiva, movetur a voluntate et a Deo simul agente actum volitivum; et inquantum est activa, a nullo moveri, sed solum adiuvari extrinsece per concursum simultaneum: nam agens ut agens nullatenus movetur, et ideo ut agens non indiget moveri ab ullo: haec est sententia P. Suárez et plurium [6].

Nos hic exponemus rationes pro efficacia argumenti ex motu, et postea adducemus responsiones et rationes eorum qui illud impugnant, ut lector ipse seligat quod probabilius sibi esse videatur.

146. Rationes eorum qui argumentum defendunt. Thomistae sic proponunt argumentum: Praesupponendum est omnia moveri in mundo, ipsas etiam causas agentes ut agentes. Hoc posito, sic arguitur: quidquid movetur, ab alio movetur; *atqui* est impossibile omnes motores esse motos; *ergo* deveniendum est ad aliquem motorem immobilem, qui est Deus.

Praesuppositum argumenti desumitur generatim ex experientia; et in particulari, quod ipsae causae agentes movean-

[5] Favent argumento ex motu: ARISTOTELES, 7 *Physic.* et 8 c.5; et 12 *Metaphys.* c.5-7; S. TH., 1 q.2 a.3; 1 CG c.13 et in comment. ad Arist.; IO. a S. TH., *Cursus Theol.* t.1 d.3 s.2; *Cursus phil. nat.* q.24 a.3; AVERROES, *Compendio de metafísica* 1.4 n.1-56, trad. españ. por Carlos Quirós (Madrid 1919); DESCOQS, 1, 286-310; IDEM: ArchPh (1924) vol.2 cah.2 p.141s. et (1926) vol.4 cah.4 p.107-109; CHOSSAT, *Dieu:* DTC 931-934; BERTONI, *Duns Scoto e l'argomento del moto:* RivFilNeoscol (1941) 477-489.

[6] Adversantur argumento ex motu: HERVAEUS NATALIS ap. SANTELER, *Der kausale Gottesbeweis bei Herv. Nat.* (Innsbruck 1930); MASTRIUS, *Physica* d.15 n.97-104; SUÁREZ, DM 29,1,7-17, et d.18-7; MUGNIER, *La theorie du premier moteur et l'evolution de la pensée aristotelicienne* (Paris 1930); J. HELLÍN, *El tránsito de la potencia activa al acto:* RazFe (1948) N.º Extr. p.353-409; OM n.221-242; LE ROY, E., *Le problème de Dieu* (Paris 1918, in Indice) p.18.

tur agendo, sic probant: quod transit de potentia in actum, movetur; *atqui* causae efficientes huius mundi transeunt de non agere ad agere, de potentia agendi ad actum agendi; *ergo* ipsae etiam causae efficientes ut tales moventur in agendo.

Maiorem argumenti "quidquid movetur, ab alio movetur", probant dupliciter. *Primo* quia nulla res potest esse in actu et in potentia eiusdem perfectionis, v. c., respectu eiusdem caloris; *atqui* si aliquid movet se aliquo modo, est in actu et in potentia eiusdem perfectionis; *ergo* impossibile est aliquid movere seipsum, sed quidquid movetur, ab alio movetur.

In hac argumentatione *maior* declaratur: quia esse in actu est habere perfectionem, et esse in potentia est non habere eandem perfectionem; *atqui* habere et non habere idem, est contradictorium; *ergo* contradictorium est aliquid esse in actu et in potentia respectu eiusdem. Et *minor* eiusdem argumentationis sic patet: quia si aliquid movet, est in actu respectu motus, utpote causa illius; et si movetur etiam, erat in potentia respectu motus eiusdem.

Eandem maiorem argumenti: "omne quod movetur, ab alio solo movetur", probant *secundo*: quia mobile, cum motu, superat solum mobile in tota perfectione motus (sic voluntas ut actu volens, superat potentiam volendi in tota perfectione actus volitivi); *ergo* mobile non continet actu motum; *ergo* non potest esse causa motus sui, nisi moveatur solum ab alio ut faciat illum motum sui.

147. *Minorem* principalem, nempe quod non omnes motores possunt esse moti, sic probant: quia si omnes sunt moti, nullus habet sufficientiam ad motum causandum per se; ergo et summa est insufficiens ad causandum motum, ideoque nullus erit motus.

Consequens primum, nempe, quod deveniendum est ad motorem immobilem patet: quia si non omnes motores possunt esse moti, aliquis est immobilis.

Consequens secundum, nempe quod ille motor immobilis est Deus, probant: quia motor ille immobilis, si habet vim movendi, et non acquisitam per motum, habet a se, ideoque et est ens a se.

148. Respondent qui vim argumenti non admittunt: *primo,* negant primum praesuppositum, nempe omnia moveri in mundo, etiam causas efficientes in quantum *sunt efficientes*: nam causa efficiens, quae antea non agebat, transit certe de potentia *activa* ad actum agendi, qui actus est actio: actio vero est in termino, non in agente,

ideoque agens ut agens non movetur; sed non transit de potentia *passiva* ad actum formalem alicuius perfectionis intrinsecae.

Secundo, principium motoris et mobilis ita explicant: *Dist. principium*: *Si agatur* de eo quod est mobile mere passivum, *conc. Si agatur* de aliqua re, quae est solummodo agens ad extra, *nego*: talis causa non movetur *ut agens,* sed solum movet, et in agendo mere iuvatur extrinsece per concursum simultaneum, de quo solum constat post probatam exsistentiam Dei et dependentiam omnium a Deo. *Si agatur* de causa quae sit activo-passiva, *subdist.:* movetur ab alio solo, *nego;* ab alio etiam, *iter. dist.:* in quantum est passiva et post probatam exsistentiam Dei, *conc.;* in quantum est activa, *nego omnino*: sub hoc respectu nullo modo movetur, sed mere iuvatur extrinsece. Ad summum, in ordine supernaturali, voluntas movetur a solo Deo, per gratiam quae solum moraliter movet: sed post illam motionem moralem ad actum liberum, iam non movetur physice ut actum ponat, sed solum *iuvatur* physice per concursum simultaneum de quo solum constare potest post probatam exsistentiam Dei.

149. *Tertio,* primam probationem principii (quod nulla res potest esse simul in actu et potentia respectu eiusdem perfectionis), *distinguunt sic*: non potest esse in actu et in potentia respectu eiusdem perfectionis et sub eodem respectu et sensu, *conc.;* sub diverso respectu et sensu, *negatur.* Sic potentia immanens voluntatis potest esse in actu virtuali ad faciendum actum volendi (quia potest illum producere), et simul potest esse in potentia formali (quia nondum fecit actum nec recepit): in quo nulla est repugnantia.

Quarto, secunda probatio principii sic distinguitur: mobile simul cum motu superat mobile in tota perfectione motus actualis, sub ea ratione sub qua mobile est passivum, *conc.;* sub ea ratione sub qua mobile est activum et habet sua praerequisita, *nego.* Voluntas sola nondum habet totam perfectionem actus quoad lineamenta et speciem eius; sed, supposita repraesentatione boni amandi, iam habet totam perfectionem actus quoad spiritualitatem et quoad lineamenta seu speciem, et non indiget ulteriore impulsu ad agendum, sed solum concursu simultaneo, de quo tamen non constat nisi post probatam Dei exsistentiam.

150. *Quinto,* iuxta illas duas probationes tollitur radicitus omnis causalitas creata. Quia iuxta *primam,* nulla res potest esse in actu, ne virtuali quidem, sui motus sub ullo respectu; nam si esset in actu sub aliquo respectu, tunc sub illo respectu esset simul in actu et in potentia, quod dicunt esse contradictorium. Sed causa debet continere in actu suum effectum; ergo nulla res potest esse causa sui fructus. Et iuxta *secundam* probationem, causa simul cum effectu superat solam causam in tota perfectione effectus; *ergo* effectus nullatenus continebatur in causa; *ergo* illud, quod dicitur causa, non est causa, sed ad summum mera occasio, quia causa debet continere perfectionem effectus.

Sexto, primum consequens non legitime infertur ex praemissis: non sequitur dari motorem absolute immobilem, sed solum immobilem in eo sensu in quo movet, et non in alio sensu. Posset enim perveniri ad duos motores ultimos A et B, ita ut A moveret B in ratione *a,* et B moveret A in ratione *b*: quae difficultas est in hoc sistendo solummodo in probatione motoris et mobilis? Certe nulla;

et tunc haberemus omnes motores esse mobiles, licet non in eadem ratione in qua movent.

151. *Septimo,* non legitime pervenitur ad ens a se. Solum concluderetur ad summum, illum motorem habere vim movendi non acquisitam per motum; utrum autem habeat illam vim a se an acquisitam sine ullo motu per solam creationem, omnino *per accidens* est ad causandum motum quem virtualiter continet.

Dicent defensores argumenti: ille motor ultimus aut est creatus aut increatus; si est increatus, est Deus; et si est creatus postulat causam increatam, quae sit Deus: *ergo* omni modo concluditur ex motu ens necessarium.

Resp.: Concedo totum hoc argumentum, sed hoc argumentum est ex contingentia rerum, non autem est argumentum ex motu ut est motus, et ut fundatur in principio "quidquid movetur, ab alio movetur", de quo solum disputabatur.

Instabis. Si illud quod movetur, posset continere effectum eminenter, iam non indigeret moveri: quid enim lucraretur per motum? *Resp.:* Quod se movet, continet suum effectum, non tamen meliori modo possibili, sed cum dependentia a multis praerequisitis et concausis, sicut voluntas pendet in movendo se ab obiecto volendo et ab actu intelligendi illud: sed semel atque habet haec omnia complementa, iam non indiget moveri ab alio, sed solum adiuvanda est per concursum simultaneum, de quo solum constat post probatam exsistentiam Dei et dependentiam essentialem creaturae a Deo in operando.

N. B. Die 22 Nov. 1951 Pius XII habuit orationem scientificam adstantibus Emis. PP. Cardinalibus, Excmis. Viris Exterarum Nationum Legatis ac Pontificiae Academiae Scientiarum Sociis, quae oratio inscribitur "Le prove della esistenza di Dio alla luce della Scienza Naturale Moderna" (AAS 44, 1952, 31-43). In eo sermone dicit Summ. Pontifex argumenta ex motu et ex ordine, quae sunt apud S. Thomam (p.32) multum roboris accepisse ex novis theoriis circa mutabilitatem rerum, quae pervadit usque ad atomos, et elementa atomorum, et usque ad ipsam materiam (p.34-37), et circa aetatem et durationem mutationum mundi (p. 37-41). Bene tamen notandum est Summum Pontificem ne semel quidem meminisse principiorum "Quidquid movetur, ab alio movetur" et "Nulla res potest esse simul in actu virtuali et potentia formali", quae sunt essentialia ad argumentum specificum desumptum ex motu metaphysico. Imo non obscure innuit mutabilitatem desumi ut indicium contingentiae; et ideo ex mutabilitate concludit ad insufficientiam mundi ut sit et subsistat, unde ulterius concludit necessitatem entis absolute immutabilis (p.36); et iterum ex mutabilitate arguit ad contingentiam mundi, et ex illa concludit ens a se, quod sit natura sua immutabile, imo et creator mundi (p. 42). In quo sensu diximus argumentum esse apodicticum (n.120.144). Cf. textum hispane in Pens 8 (1952) 219-227.

§ 3. Argumentum ex gradibus perfectionis

152. Notiones. Tertium argumentum metaphysicum controversum desumitur ex gradibus perfectionis. PERFECTIONES hic intelliguntur simpliciter simplices, ut sunt ens, substantia, vivens, bonum, verum; nam perfectiones mixtae, ut sunt corpus, extensio, color, evidenter numquam possunt pervenire ut sint infinitum simpliciter vel aliquid increatum, de quo agitur.

GRADUS PERFECTIONUM sunt illae varietates, per quas in diversis entibus datur ens, verum, bonum, sanctum, etc. secundum magis et minus, et secundum nobilius et ignobilius: ita vita est in plantis, in amyba, in simio et in homine, sed secundum maiorem et minorem nobilitatem.

153. Status quaestionis. Manifestum est ex gradibus perfectionis posse demonstrari exsistentiam Dei si hi sumantur ut sunt *indicia contingentiae* et dependentiae causalis, hoc modo: dantur gradus perfectionis nobiliores et minus nobiles, unde constat saltem minores gradus esse finitos, quia carent perfectione superioris; ergo dantur entia contingentia, quia ens necessarium nequit esse finitum; *atqui* ens contingens postulat ens necessarium; *ergo* ex diversis gradibus perfectionis concluditur ens necessarium.

Sed ulterius quaeritur utrum hoc argumentum ex gradibus sit efficax ad probandam exsistentiam Dei, etiam si non statuerimus gradus, saltem inferiores, esse contingentes.

154. Sententiae. *Prima* tenet hoc argumentum esse efficax: sic Muñiz, O. P., et Bordoy Torrents, et alii frequenter [7].

Secunda sententia tenet hoc argumentum esse inefficax et platonismo laborare, per quem transitur de statu ideali ad realem [8].

Nos proponemus modum quo defensores argumenti illud defendunt, et postea subiciemus quid respondeant adversarii eiusdem.

---

[7] Favent: S. TH., 1 q.2 a.3; MUÑIZ, O. P., *La cuarta vía de Santo Tomás para demostrar la existencia de Dios*: RevFil (Madrid 1944) 385-434, et (1945) 49-102, cum immensa bibliogr; BORDOY: CienTom 63 (1944) 30-43; BONAMARTINI, *Acta Academ. Rom. S. Thomae* (1936) 115. Hoc argumentum vocant henologicum (ab eis, mia, en) et climacologicum (a klimax, scala. gradus), et eminentiae, quia ex finitudine ascendit ad infinitum, et exemplaritatis.

[8] Adversantur argumento: DESC., 2,15-74,55-58; SUÁREZ, DM 29,3,13.14.21.22, et circa Suárez cf. DESC. ArchPh (1924) vol. 3 cah.3 p.103-111; AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales de la filosofía y del dogma* t.6 p.608-609; OM n.243-255; GISQUIÈRE, 1,192-211; VAN STEENBERGHEN: RevPhiLov (1947) 168.

155. Defensores argumenti sic illud proponunt: Manifestum est dari in mundo multos gradus entis, boni, vitae, veri, sapientiae: seu esse in mundo perfectiones quae verificantur in rebus secundum magis et minus; *atqui* quod est secundum magis et minus non dicitur tale nisi per approximationem ad maximum; *ergo* datur aliquid maximum in ratione vitae, sapientiae, boni, veri et entis; *atqui* quod est maximum in aliquo genere, est causa omnium quae sunt in illo genere; *ergo* datur ens maximum, quod est causa ceterorum omnium entium, et hic est Deus.

Maior constat, et *minor* probatur: sic quae sunt magis vel minus calida dicuntur per approximationem ad ignem, qui est summe calidus.

Primum consequens: quia si dantur perfectiones maiores et minores et hae non sunt nisi per approximationem ad aliquod maximum in illo genere, necessario datur illud maius in ratione, vitae, veri, boni, et entis. Et *minor subsumpta*: quod est maximum in aliquo genere est causa efficiens omnium quae sunt in illo genere: sicut maximum in calore est ignis, et hic est causa omnium calidorum:

Ultimum consequens: et hoc maximum est Deus. Illud enim ens maximum erit *increatum*: quia si omnia sunt ab illo, illud non est factum, secus se ipsum fecisset. Ideoque erit absolute *necessarium*, nam ens increatum est absolute necessarium, utpote exsistens vi essentiae, et non vi alius causae. Erit etiam *infinitum*: si enim est causa omnium, continet perfectiones omnium.

156. Adversarii argumenti sic respondent: *Primo, conceditur maior,* nempe dari perfectiones secundum magis et minus.

Secundo, minor est aequivoca; nam conceditur illud, quod dicitur secundum magis et minus, dici per approximationem ad maximum: sed illud maximum est ideale, seu universale in quo conveniant omnia quae sunt maiora et minora, quod quidem universale est maximum praecisive, quia praescindit ab imperfectionibus seu differentiis, non vero maximum positive, quia non excludit imperfectiones: est aliquid reale quoad id quod, non quoad modum quo. Si autem velis dicere illud maximum esse aliquid positive omniperfectum, est aliquid cogitatum, non reale, nisi aliunde probetur.

Tertio, quando concluditur dari aliquod maximum in ratione entis, vitae, etc., dico: in cogitatione, *conc.;* in realitate, *nego.*

Quarto, cum dicitur: maximum in aliquo genere esse causam omnium quae sunt in eodem genere, *negatur*: homo est nobilissimum in genere animalium, et non producit cetera animalia.

§ 4. Argumentum ex ideis et possibilibus et veritate

157. Notiones. PURE POSSIBILE est illud quod potest exsistere, non tamen exsistit. VERITATES NECESSARIAE sunt illae in quibus de aliquo subiecto enuntiatur aliquod constitutivum eius (ut homo est vivens), vel aliqua habitudo orta ex comparatione terminorum, (ut contingens habet causam). IDEAE sunt conceptus obiectivi de essentiis absolutis, ut de homine, cane, equo, etc.

158. Status quaestionis. Haec omnia possunt considerari vel ut *contingentia,* quae possunt venire in exsistentiam et ab exsistentia cessare, vel ut habent attributa veritatis, aeternitatis, necessitatis, immutabilitatis. Sic, Petrus, et homo, et vivens, et "homo est vivens", possunt venire in exsistentiam et ab exsistentia cessare, et sunt aliquid contingens, per respectum, ad exsistentiam. Sed haec omnia praeterea habent attributa aeternitatis, veritatis, necessitatis, immutabilitatis.

Et manifestum est ex his omnibus, si considerentur ut *contingentia,* quae possunt venire ad exsistentiam et ab exsistentia cessare, posse efficaciter demonstrari exsistentiam Dei. Sed ulterius quaeritur utrum etiam demonstretur efficaciter exsistentia Dei ex attributis aeternitatis, necessitatis, immutabilitatis.

159. Sententiae. *Prima* sententia tenet valorem argumenti in hoc secundo sensu. Sic S. ANSELMUS, S. BONAVENTURA, SERTILLANGES O. P., MARÉCHAL, HONTHEIM, LEIBNIZ, CHOSSAT, et recentius defendit idem M. FRIDERICUS SCIACCA cum magna eloquentia, GREDT, MONACO, MASNOVO, *etc.* [9].

Secunda sententia negat in hoc sensu valere argumentum: sic CUERVO, MANSER, LAHOUSSE, BILLOT, LOINAZ, DESCOQS [10]. Veteres, ut S. Thomas et Suárez, omittunt hoc argumentum.

Nos proponemus modum quo patroni defendunt argumentum et modum quo adversarii impugnant, ut lector eligat.

160. Defensores argumenti sic illud proponunt: Possibilia et veritates analyticae habent veritatem aeternam, necessariam, immutabilem; ergo habent rationem sufficientem aeternam, necessariam et immutabilem, secus rationatum esset maius quam ratio in quo fundatur; *atqui* ratio sufficiens, quae sit aliquid aeternum, necessarium et immutabile, est Deus; *ergo exsistit* Deus. In quo discursu omnia sunt plana.

161. Adversarii efficaciae huius argumenti sic respondent: Attributa necessitatis, aeternitatis et immutabilitatis conveniunt pos-

[9] Cf. GISQUIÈRE, 1,211-220, qui reicit argumentum, sed magnam informationem affert. Nominatim inquirit in mentem S. Augustini, ib.p.221.

[10] Etiam negant MERCIER, HALLEUX, LORTAL, MINDORFF, WEBERT; de quibus cf. DESCOQS, 2,75-104.

sibilibus et veritatibus necesariis mere hypothetice et praecisive, non vero exsistentialiter. Sunt vera hypothetice, si nempe ab aeterno detur aliquis intellectus qui ea concipiat. Sunt necessaria hypothetice, quia si fiat v. c. canis, debet habere has notas et non alias. Sunt aeterna, praecisive, quia praescinditur ab inceptione, non quia aeternaliter exsistant vel in se vel in mente alicuius. Sunt incorruptibilia praecisive, quia praescinditur ab eorum generatione et corruptione. Unde patet in argumento transiri ab statu hypothetico et praecisivo ad statum realem et absolutum, affirmando ea esse vera, aeterna, necessaria et incorruptibilia secundum aliquem statum realem et absolutum saltem in mente alicuius aeterni[11].

ARTICULUS II

ARGUMENTA PHYSICA CONTROVERSA

§ 1. **Argumentum ex origine vitae et specierum et corporis humani**

162. Antea solebat afferri ut argumentum validum ad probandam exsistentiam Dei, origo specierum et origo corporis humani, hoc modo; nulla causa pure materialis est proportionata ad explicandam originem vitae in suis gradibus vegetalis et animalis, neque ad explicandam originem specierum, et multo minus ad explicandam originem corporis humani; ergo datur causa supramaterialis horum effectuum; et illa saltem remote est Deus; quia causa proxima immaterialis vel est creata vel increata; si increata, illa est Deus; si autem est creata, illa postulat causam primam et ens a se, quod est Deus[12].

Sed nonnulli scientifici catholici, imo et theologi, contendunt vitam potuisse incipere in mundo per solas vires naturae non viventis, et omnes species potuisse oriri per transformationem aliarum in alias modo naturali, imo et ipsum corpus hominis potuisse ab animali irrationali originem ducere. Ergo non requiritur interventus causae superioris specialis, et ideo ex his factis non demonstratur exsistentia ullius causae supramundanae. Tamen multi scientifici catholici dicunt vitam non potuisse originem ducere per solas

---

[11] Praeter praedicata praedicta habetur aliud argumentum metaphysicum quod dicitur metalogicum, quod ita se habet: cognito quolibet contingente, occurrit nobis per contrapositionem idea entis necessarii; *ergo* hoc exsistit: consequentia autem non nititur illatione ulla aut in logico fundamento sed methodo translogica (metalogica) affirmatur, iuvamine praesertim Sensus Divini, quem omnes habemus, et qui in bona dispositione animi operatur efficaciter in mentes. De hoc argumento, cf. GRATRY, *La connaissance de Dieu* (Paris 1903), et hispane *El conocimiento de Dios* (Madrid 1941); et praesertim DESC., 2,266-268; OM n.264-268.

[12] Sic GEMELLI, O. F. M., *L'enigma della vita* (Firenze 1914); DE SINETY, *Mecanicisme et vitalisme:* Etudes 122 (1910) 222; L. ROURE, *Psychologie positive et métaphysique:* Etudes (1908 1ss); VIALLETON, *Membres et ceintures des vertebrés tetrapodes* (1924); MUCKERMANN, *Evolution:* Catholic Encyclopedie; GRASSET, *Le dogme transformiste et la philosophie* (1918); Arbor, junio (Madrid 1951).

vires materiae, unde concludunt necessitatem interventus causae supramundanae, quae sit Deus[13].

Propter hunc dissensum ab hoc argumento abstinemus, licet semper maneat validum argumentum ex *contingentia* entium vitalium corporeorum, ex qua indole semper possumus certo concludere causam primam et ens necessarium.

§ 2. Argumentum ex entropia[14]

163. Notio. Entropia est conversio energiae in calorem, qui iam non potest applicari ad laborem mechanicum utilem. Crescente ergo entropia in aliquo systemate clauso, tota energia consumitur et ideo totus motus et labor mechanicus cessat. Qui utuntur hoc argumento supponunt mundum et eius energiam esse res finitas. Et quaeritur utrum sub his suppositionibus, argumentum ex entropia concludat recte exsistentiam Dei.

Sententiae. *Prima* sententia tenet argumentum desumptum ex entropia valere: sic Donat, Eymieu, Hontheim, Boedder.

Secunda sententia dicit illud realiter non valere, sed tamen posse ad hominem adhiberi erga eos qui admittant omnia praesupposita huius argumenti. Sic Descoqs, Sertillanges, Van de Woestyne.

Defensores argumenti sic illud exponunt: Motus mundi coepit in tempore; *atqui* si coepit in tempore, sine dubio exstitit causa extramundana quae illum produxit, et illa causa est Deus; *ergo* exsistit Deus.

Maior: nam si energia finita semper decrescit, et nihil aliunde recipit, eo quod agatur de systemate clauso, tota consumitur in tempore finito; *ergo* si energia mundi, quae est finita et in clauso systemate continetur, durasset ab aeterno, iamdiu finita et consumpta tota fuisset ,et nulla nunc esset, quod est contra experientiam.

Minor: si enim motus coepit in tempore, antea mundus

---

[13] D. H. SALMAN O. P., *La biophilosophie recente:* RevScPhTh 33 (1949) 390-422, exponit plenam evolutionem usque ad corpus hominis; GISQUIÈRE, 1,253-260, argumentum ex orgine vitae non habet ut apodicticum, sed ut suasivum; Admittunt etiam plenum transformismum usque ad corpus hominis inclusive: THEILHARD DE CHARDIN: RevQSc (1923.1924.1930); DORLODOT, *Le Darwinisme au point de vue de l'orthodoxie* (1921). *De rationibus seminalibus ap. S. Augustinum;* GALTIER: Gregor (1930) 5-31; SCHEPPENS: Greg. (1925) 216-230.

[14] DESC., 1,652-663, illud reicit. POINCARÉ dicit passim principium entropiae non gaudere certitudine, sed esse hypothesin utilem: *Science et hypothèse; La valeur de la science;* similiter NYS, *La notion du temps* (Louv. Paris 1925) 197.

non movebatur, et a seipso non poterat transire in motum, ob principium inertiae; *ergo* per aliam causam distinctam a mundo transivit ad motum. Et illa causa est Deus. Nam vel illa causa extramundana est increata vel creata; si increata, illa est Deus; si autem est creata, postulat causam primam et ens a se, quod est Deus.

164. Adversarii vero argumenti sic respondent: argumentum valet erga illum qui admittat omnia postulata quae hic praesupponuntur; non autem videtur in se valere. *Primo,* quia non constat energiam mundi esse finitam. *Secundo,* quia non constat energiam universaliter consumi modo irreversibili; fortasse enim extrema mundi sunt quasi speculum per quod reflectantur extremi radii caloris illuc pervenientes. *Tertio,* quia non constat mundum et eius energiam esse systema clausum: cur enim energia non potest accipere augmentum ab aliquo spiritu finito qui sit extra mundum? *Quarto,* quia non constat certo energiam semper minui, et converti in calorem inutilem: imo videtur contrarium constare: dicunt enim energiam gravificam attractionis universalis non minui, nec converti in calorem inutilem.

ARTICULUS III

ARGUMENTA MORALIA CONTROVERSA

§ 1. Argumentum ex consensu generis humani

165. URRÁB., 1,143-164; DESCOQS, 1,158-215; PINARD DE LA BOULLAYE, *L'étude comparée des religions* (Paris 1922-1925); W. SCHMIDT, *Der Ursprung der Gottesidee* (Münster 1925); IDEM, *Manual de historia comparada de las religiones* (hispane, Madrid 1941); TACCHI VENTURI, *Historia de las religiones* (hisp., Barcelona 1947).

166. Sententiae. *Prima* sententia affirmat hoc argumentum valere: sic PLATO, CICERO, multi gentiles, multi Patres et scriptores ecclesiastici: et inter scholasticos CHOSSAT, HONTHEIM, LENNERZ, MÓNACO, URRÁBURU, SCHIFFINI.

Secunda sententia negat hoc argumentum valere, et explicat consensum per theorias quae admitti non possunt: sic sociologistae DURKHEIM, LÉVY-BRUHL, evolucionistae et psychologistae: qui dicunt originem consensus deberi mythis, metui tyrannorum, deceptioni sacerdotum, ignorantiae causarum naturalium, animismo, magiae [15].

Tertia sententia etiam negat valorem argumenti et solum dicit habere vim suasivam, ut inducat audientes ad attenden-

[15] De schola sociologica vide: MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain* (Paris 1909) 1-70; IDEM, brevius, in art. *Religion*: DAFC 857-879; GRANDMAISON, *Jesus-Christ* (Paris 1941) 1,196-200; DESC., 1,182-196.

dum argumentis rationalibus quae adducantur. Sic BILLOT, BUONPENSIER, O. P., GARRIGOU-LAGRANGE, O. P., SERTILLANGES, O. P., MERCIER, VAN DE MEERSCH, DESCOQS .

Nos utriusque partis rationes exponemus.

167. Defensores argumenti sic illud proponunt: datur circa Dei exsistentiam consensus moraliter universalis, constans et invincibilis, de re gravissima, qualis est Deus, finis totius humanae vitae, et hic consensus, non debetur causis accidentalibus erroris; *atqui* consensus ornatus his condicionibus est criterium veritatis; *ergo* realiter exsistit Deus.

Maior: a) quod detur consensus moraliter universalis et constans et invincibilis, patet ex historia religionum, ut videre est apud scriptores qui de hac materia scripserunt accuratissime, ut sunt: PINARD DE LA BOULLAYE, W. SCHMIDT, TACCHI VENTURI, S. I. Statistica autem recentissimi temporis assignat 2.108.000.000 incolarum in orbe; ex quibus sunt theistae christiani, iudaei, mahumetani, 1.106.110.000; dubie theistae, hindues, pagani, confucionistae, etc. 946.600.000; athei, sine religione, 55.100.000 [16].

b) Quod sit de re gravissima, patet, cum agatur de fine ultimo totius vitae nostrae.

168. *c*) Quod hic consensus non debeatur causis notis erroris, etiam constat; nam causae allatae ab adversariis evolutionistis, psychologistis, sociologistis, sunt confictae; dicunt enim consensum non fuisse semper in humanitate, quia initio homines solum habebant sensus, donec evoluti sunt usque ad acquisitionem rationis, quasi sensus potuisset per evolutionem fieri intellectus. Vel dicunt causam consensus fuisse mythos aut metum tyrannorum, timorem tempestatum, animismum, secundum quem credebant omnia animari ab spiritibus minoribus et maioribus. Hae, inquam, non sunt causae sufficientes consensus; si enim hae fuissent causae consensus, hic debuit disparere statim atque explicata est origo tempestatum, et sublatus est timor tyrannorum, et detecta est fallacia fabularum, et cognita est inanitas animismi: quod tamen non accidit.

Minor: quod consensus talibus praeditus condicionibus,

---

[16] Consentiunt in exsistentiam Dei viri scientiarum periti plerique, de quo cf. EYMIEU, *La part des incroyents dans le progrès de la science au XIX siècle*, 2 vol. (Paris 1920); IDEM, brevius, *Science et religion:* DAFC; de pygmaeis vide TRILLES, *L'âme des pygmées d'Afrique* (Paris 1945); de his et aliis populis, MAGNIN, *Religion:* DTC 2240-2242.

sit criterium veritatis, probatum est in Critica: nam consensus tam uniformis et constans et invincibilis et de re tam gravi, et qui non debeatur causis cognitis erroris, necessario habet pro causa indolem innatam intellectus, quae est iudicare solummodo propter evidentiam veritatis.

169. Adversarii autem huius argumenti inter catholicos, sic respondent. *Primo* concedunt argumento quandam vim suasivam ut inducantur homines ad attendendum argumentis rationalibus quae proponantur, cum agatur de re quae omnes homines vel plerique acceptant.

Secundo, dicunt fundamenta allata a sociologistis ad invalidandum hoc argumentum esse fictitia, ut est evolutionismus, metus tyrannorum, tempestatum, etc.

Sed tertio addunt non constare de facto universali consensus etiam temporibus praehistoricis.

Quarto, non constat illum consensum fuisse in verum Deum, an in quamlibet aliam rem, v. c. in vires naturales personificatas, in animas avorum, in potestates quas vi possent sibi subicere; nec constat idololatras semper suis diis vel alicui eorum attribuisse praedicatum saltem aliquod exclusivum Dei: nam et ipse summus deus graecoromanus, Iuppiter, natus est in tempore, cum antea non fuerit, et Sacra Scriptura dicit deos gentium esse daemonia (Ps. 95,5) et non esse deos nec deum verum (Bar. 6).

Quinto, dicunt non constare de valore huius consensus: nam consensus est criterium secundarium, si nempe fundetur in rationibus evidentibus et non aliter; *ergo* donec videamus utrum adsint rationes evidentes, consensus logice non valebit.

Tandem consensus est validus, si est invincibilis; et non constat utrum re vera sit invincibilis, cum hodie facillime relinquant consensum in exsistentiam Dei tot millia hominum in Russia, in Gallia et in Statibus Unitis americanis.

§ 2. Argumentum ex obligatione

170. Notiones. OBLIGATIO PERFECTA, de qua sola hic est sermo, est necessitas moralis absoluta alicuius actionis vel omissionis, eo quod talis actio vel omissio connexa est cum obtentione vel amissione finis totius vitae nostrae et cum responsabilitate apud personam a cuius nutu nos eximere non possumus, Dicitur *necessitas moralis,* non physica, quia libertas physica manet intacta, et solum habetur ligatio actionis vel omissionis cum fine. Dicitur *absoluta* quia agitur de fine nobis imposito, non ex nostra voluntate, sed independenter ab ea.

Praeter obligationem perfectam, est et alia OBLIGATIO IMPERFECTA, quae etiam est necessitas moralis absoluta alicuius actionis vel omissionis, ob connexionem actionis vel omissio-

nis cum honestate et decentia quae exigitur a natura nostra et a suis relationibus erga alios et erga se et res inferiores. Haec etiam obligatio est necessitas moralis, et est absoluta, quia provenit ex fine nobis imposito independenter a nostra voluntate, qui finis est conformare actiones nostras cum natura nostra, quam nobis non dedimus. Deest autem ligatio cum ultimo fine totius vitae nostrae et cum responsabilitate vel dignitate personae a cuius nutu non possumus nos eximere.

171. Status quaestionis. Constat ex obligatione imperfecta non probari exsistentiam Dei; nam ex illa ad summum deducitur dari naturam quae habeat tales et tales exigentias, quae est nostra. Quaeritur ergo utrum ex facto obligationis perfectae probetur exsistentia Dei.

172. Sententiae. *Prima* tenet ex obligatione perfecta non posse demonstrari exsistentiam Dei, quia ante cognitum Deum ut legislatorem non potest sentiri illa obligatio perfecta, sed ad summum quaedam obligatio imperfecta, consistens in quadam congruentia actionis cum natura rationali. Sic BILLOT, FRANZELIN, GREDT, HARENT, LAHOUSSE, LERCHER, NIVARD, RICHARD, SCHAAF, etc.

Secunda sententia tenet hoc argumentum esse tam apodicticum, sicut argumentum ex effectibus aut ex entibus contingentibus: sic Descoqs et alii [17].

Tertia sententia docet hoc argumentum non esse apodicticum, valere tamen ut suasivum, inducens ad hoc ut considerentur alia argumenta rationalia quae adducuntur pro exsistentia Dei.

Nos utriusque partis rationes proponimus, ut lector eligat.

173. Defensores argumenti sic illud proponunt: Datur experientia obligationis seu necessitas moralis absoluta faciendi aliquid vel vitandi, non solum ob decentiam quae exigitur a nostra natura, sed ob subiectionem erga aliquam personam potentissimam, quae sit domina finis ultimi totius vitae nostrae; ergo exsistit illa persona; *atqui* illa persona est Deus; *ergo* exsistit Deus.

Primum antecedens enuntiat factum apertum; *primum consequens* probatur, quia si non exsisteret illa persona, male conformata esset nostra natura, quae fictionibus dirigeretur

[17] DESC., 2,445-523, ubi etiam immensa bibliogr. et historia argumenti; KERKHOFS, epis. leodi.: RevEcclLiege, jul. 1923 ad nov. articuli valde commendati.

in re morali. *Minor subsumpta,* constat, quia nulla persona nisi ens supremum et auctor naturae nostrae posset imponere tales necessitates morales faciendi vel vitandi aliqua etiam in occulto, quae praeferantur ipsi vitae et famae.

174. Adversarii autem argumenti sic respondent: *Primo,* factum seu experientia obligationis tam absolutae sicut descripta est, non potest a nobis sentiri, nisi post cognitum Deum, et postquam noverimus nos habere aliquem finem ultimum totius vitae nostrae: omnia autem testimonia huius experientiae, proveniunt ex iis qui iam certo noverunt Deum, vel qui multum suspicabantur illum exsistere, unde hoc factum non est praesuppositum ad probandam exsistentiam Dei, sed evenit post illum cognitum.

Secundo, etiam concesso facto seu experientia obligationis ante cognitum Deum, non sequitur illud factum esse fundatum in realitate ontologica talis obligationis et non potius in aliqua fictione aut praeiudicio inani: nam necessitas faciendi aliquid ut inanis reputanda est, si prius non constat de realitate legis et de auctoritate legislatoris: *atqui* ante illud factum non constabat adhuc iuxta argumentum de exsistentia legis et auctoritate legislatoris; *ergo* inanis reputanda est illa necessitas.

Tertio, etiam si concedatur factum, ex experientia obligationis, non sequitur illam personam apud quam respondere debemus et a cuius nutu nos eximere non possumus, esse realem: hoc enim supponit naturam, quae habet tales experientias, esse optime conformatam a suo auctore Deo, et ideo, naturam esse infallibilem. Sed hoc est praesupponere Deum exsistere antequam perveniatur ad conclusionem [18].

§ 3. Argumentum ex appetitu felicitatis [19]

175. Notiones. FELICITAS est status permanens, in quo persona humana habet omnia bona sibi convenientia sine admixtione mali. Priusquam cognoscamus exsistere Deum, non potest illa felicitas magis determinate definiri.

APPETITUS INNATUS est connaturalitas et coaptatio alicuius naturae cum bonis sibi convenientibus, et cognoscitur inter alias vias, etiam hoc modo: si appetitus elicitus feratur constanter, universaliter et invincibiliter ad rem aliquam, illam appetimus etiam appetitu innato.

[18] Multi qui Deum negant, admittunt tamen factum obligationis absolutae; erga illos ad hominem potest confici argumentum petitum ex obligatione, sic: tu sentis et admittis obligationem categoricam et absolutam; *atqui* nemo potest admittere tantam obligationem nisi admittat legislatorem potentissimum et independentissimum (secus illa obligatio esset penitus infundata) *ergo* tu debes admittere Legislatorem potentissimum et indepentissimum. Item potest argui ex consensu: tu et omnes sentiunt obligationem categoricam; atqui hoc factum implicite continet exsistentiam Dei; ergo ex consensu admittendus est Deus.

[19] DESC., 2,135-253; ELTER: Gregor (1928) 269-307; DONAT, *Theod.* (1929) n.91; OM n.289-297.

176. Quaeritur ergo utrum ex appetitu innato huius felicitatis possit demonstrari exsistentia Dei.

Sententiae. *Prima* tenet ex appetitu felicitatis probari bene exsistentiam Dei. Sic S. AUGUSTINUS, S. BONAVENTURA, BOEDDER, DONAT, DE BACKER, GARDEIL, GARRIGOU-LAGRANGE, HONTHEIM, MONACO, MONNIER, SCHIFFINI.

Secunda sententia docet per hoc argumentum non demonstrari exsistentiam Dei. Eam tenet BILLOT, BUONPENSIÈRE, CUERVO, MANSER, MERCIER, PINARD DE LA BOULLAYE, VAN DE WOESTYNE, MERKELBACH, ELTER.

Nos utriusque partis rationes afferemus, ut lector prudens eligat.

177. Defensores argumenti sic proponere solent illud: Homo appetit innate bonum infinitum; *atqui* appetitus innatus non potest esse inanis; *ergo* exsistit realiter bonum infinitum, quod evidenter est Deus.

Maior: quia homo appetit innate felicitatem perfectam: felicitas autem perfecta consistit in bono infinito, quod sic patet: *Primo* quia intellectus tendit in omne bonum, omne autem bonum est infinitum. *Secundo,* quia dato quolibet bono finito, adhuc desideramus aliud; iam vero, aliud distinctum ab omni bono finito est bonum infinitum.

Minor autem facile constat: primo ex inductione: videmus enim omnes res pervenire ad id quod innate appetunt: sic ignis appetit calefacere, visus videre, et hos fines obtinent: ergo a fortiori homo perveniet ad id quod innate appetit, ne forte dicatur hominem esse maxime inordinatum inter res creatas.

178. Adversarii tamen huius argumenti sic respondent: *primo* non constat hominem innate appetere bonum simpliciter infinitum: appetimus esse bene sine admixtione mali pro nostro captu et indole: utrum autem captus noster et indoles sit ad bonum infinitum, an solum ad aliquem statum permanentem in quo secure possimus frui bonis indefinite variatissimis, sed finitis, non constat ante probatam exsistentiam Dei.

Secundo, neque hic appetitus innatus boni simpliciter infiniti potest probari ex eo quod appetamus elicitive bonum infinitum semper, constanter et invincibiliter; nam qui appetunt explicite bonum infinitum simpliciter sunt paucissimi, et quidem post cognitum Deum; ceteri autem qui Deum non norunt, et non pauci ex iis qui Deum norunt, ne cogitant quidem de bono simpliciter infinito, sed de statu securo, in quo possideantur bona indefinite variata, et in quo sint bene sine admixtione mali pro captu suo.

Tertio, licet appetitus ferretur in bonum simpliciter infinitum,

adhuc non constaret illum appetitum non posse frustrari, ideoque esse de re reali et non fictitia: hoc enim non potest cognosci nisi post probatam exsistentiam Dei, qui sit auctor sapientissimus naturae et ipsius appetitus innati.

CAPUT V

De atheismo

179. Urráb., 1,181-190; Descoqs, 2,442-525; A. D. Alès, *Salut des infidèles*: DAFC, 1156-1182; Chossat, *Dieu*: DTC 874-923; Idem, *Agnosticisme*: DAFC 11ss; Billot, *La Providence de Dieu et le nombre infini des hommes en dehors de la voie de salut*: Etudes (1920-1924); Caperan, *Le problème du salut des infidèles*: *Essai historique* (Paris 1912) A. Brémond, *La querelle de l'atheisme*: ArchPhil vol. 8 cah. 3 p.412-454; OM n.301-322.

180. Nexus. Postquam in tuto collocata est exsistentia Dei investigandum est nunc de ignorantia et negatione illius, et quaeritur utrum sit possibilis, et quatenus sit culpabilis vel inculpabilis.

181. Notiones. Atheismus est status illius qui Deum vel ignorat vel non admittit. Potest esse practicus et speculativus.

Practicus est status illius qui Deum quidem cognoscit, sed tamen in praxi de cultu et oboedientia ei debita non curat. *Speculativus* est status illius qui mente Deum non agnoscit. Et hic potest esse systematicus et psychologicus.

Atheismus systematicus est systema scientificum Deum negans aliquo modo. Psychologicus est status illius qui revera Deum minime agnoscit vel quia de eo numquam cogitavit, vel quia eius notionem habet, et tamen negat illum exsistere, vel quia de eo dubitat negative, ignorans rationes pro aut contra Dei exsistentiam, vel quia habet rationes aliquas inclinantes ad negandum.

De possibilitate atheismi *practici* non est dubitandum, ut constat ex experientia. Et ratio a priori est libertas physica hominis, qua potest abuti ut non servet obligationes quas cognoscit se habere.

182. Item de possibilitate atheismi *speculativi systematici* nullatenus est dubitandum, ut constat experientia: plurima enim sunt systemata quae negant Dei exsistentiam vel omnem de illo cognoscibilitatem, ut sunt systemata materialismi, positivismi, scepticismi, idealismi, agnosticismi, vel illius pantheismi qui identificat Deum cum substrato mundi vel

saltem cum to ego cogitante. Praeterea adsunt associationes potentissimae in toto mundo quae haec systemata defendunt quaquaversus. Sic associatio quatuor A in Statibus foederatis americanis (American Association to Advance of Atheism); et materialismus dialecticus, qui colitur in Russia, et Internationale des Libres Penseurs Bruxellis, et Internationale proletarischer Freidenker in Germania, Tchecoslovaquia, Polonia; de quibus omnibus amare conqueruntur Summi Pontifices passim, tamquam de plaga horrenda horum temporum.

183. Status quaestionis. Sed hic tota quaestio est de *atheismo psychologico,* qui consistit in ignoratione Dei aut in convictione de eius non exsistentia; et quaeritur utrum sit possibilis totalis ignorantia Dei aut eius positiva et sincera negatio, et utrum haec ignoratio aut positiva negatio accidat semper culpabiliter, an aliquando possit accidere inculpabiliter.

Responsio autem erit clarior si loquamur seorsim de atheismo negativo, de positivo et de dubitativo. Et quia dicemus omnem atheismum esse per se culpabilem, per accidens autem et diu sed raro esse inculpabilem, hi termini explicandi sunt.

Per se, significat ex natura et indole causarum naturalium, et ex ordinatione rerum facta per Deum. *Per accidens* significat ex praesentia impedimentorum quae non accidunt ex natura et indole causarum neque ex ordinatione rerum per Deum. *Diu,* significat longo tempore, usque ad mortem. *Raro* significat atheos inculpabiles non esse relative multos ita ut sint pars insignis humanitatis, licet possint esse absolute in magno numero.

ARTICULUS I

De atheismo negativo

Thesis 11. Atheismus negativus semper est inculpabilis, et per se est impossibilis: per accidens autem est possibilis, etiam diu, sed raro.

184. Sententiae. *Prima* tenebat sat frequenter atheismum negativum esse possibilem, non per se, sed per accidens, sed raro et brevissimo tempore, quia statim atque se offert occa-

sio violandi honestatem, occurrit persuasio de exsistentia Dei legislatoris. Sic URRABURU, ROMEYER, GONET, etc.

Secunda sententia ex adverso tenebat hunc atheismum posse accidere frequenter et diu, non per se, sed per accidens: sic BILLOT.

Tertia demum sententia est media, scilicet, atheismum negativum non esse possibilem per se, sed solum per accidens, et quidem raro, sed diu: sic MOLINA, DESCOQS, CHOSSAT, VITORIA, LANGE. Hanc et nos sequemur.

185. Probatur thesis. I P. ATHEISMUS NEGATIVUS SEMPER EST INCULPABILIS.

Nam atheus negativus non cognovit legislatorem neque legem divinam, ideoque neque obligationem venientem ex Deo; *atqui* qui non cognoscit obligationem non violavit eam; *ergo* atheus negativus nullam violavit obligationem cognoscendi Deum aut legem eius, licet eum ignoret et legem eius.

186. II P. ATHEISMUS NEGATIVUS EST IMPOSSIBILIS PER SE.
Per se esset possibilis, si natura humana non esset de se curiosa circa causas rerum, et praesertim circa ultimam, aut si non adessent principia quibus facile perveniretur ad eius cognitionem, aut si Deus non omnes homines ordinavisset ad beatitudinem, aut si non disposuisset res ita ut esset possibile hunc finem obtinere; *atqui* haec omnia non accidunt, sed contraria; *ergo* atheismus mere negativus est impossibilis per se.

187. III P. EST TAMEN POSSIBILIS PER ACCIDENS.

Est possibilis per accidens si possunt esse causae non intentae a natura, quae impediant naturalem evolutionem mentis humanae, licet haec alioquin non sit hebes; *atqui* tales causae dari possunt; *ergo* est possibilis atheismus negativus per accidens.

Maior patet, et *minor* probatur a priori: quia non apparet ulla impossibilitas in eo quod aliquis educetur in terris barbarorum, qui sint in infimo statu evolutionis culturalis, aut in summa miseria, ita ut fere non habeant tempus nisi ut inopiae et miseriae subveniant; iam vero in his circumstantiis possibile est ut non cogitent de Deo, neque audiant aliquid de Deo. Et hoc confirmatur a posteriori: semper enim inventae sunt paucae aliquae familiae quae notionem de Deo non haberent.

IV P. ATHEISMUS NEGATIVUS POTEST DURARE INCULPABILITER USQUE AD MORTEM.

Patet: quia circumstantiae praedictae possunt perdurare usque ad mortem. Et facto comprobatur, quia inventae sunt tribus aliquot quae per generationes multas non cognoscebant Deum ut Tupinambi et Mondiembi[1].

188. V P. TAMEN HIC ATHEISMUS INCULPABILIS RARO ACCIDET.

Si enim saepe accideret, putandum esset Deum ordinavisse homines ad cognitionem Dei et beatitudinem, et tamen tam male ordinasse res ut hic finis ex cursu naturali rerum non obtineatur.

Dices. Finis essentialis, ad quem Deus creavit et ordinavit hominem, est gloria Dei formalis, consistens in cognitione et amore Dei; *ergo* Deus dedit hominibus media ut possint cognoscere et amare Deum; *ergo* si potuerunt cognoscere et non cognoscunt, culpa eorum est, ideoque omnis atheismus speculativus culpabilis est, non inculpabilis.

Respondemus concedendo essentialem destinationem hominis esse ad Deum cognoscendum et amandum, et concedendo hominem posse Deum cognoscere, cum hac distinctione: potest cognoscere Deum cum potentia, quae non possit impediri per se, *concedo;* quae non possit impediri per accidens, *nego,* et hanc solutionem explicabimus magis in thesibus sequentibus[2].

189. *Instabis*: si posset Deus ignorari invincibiliter et inculpabiliter, posset dari peccatum philosophicum: nam ignorans Deum posset cognoscere honestatem naturalem v. c. iustitiam et fidelitatem erga alios, eamque posset libere violare. Haec quidem violatio esset peccatum contra rationem et honestatem cognitam, non vero esset peccatum contra legem Dei aut contra oboedientiam erga legislatorem, quia illum ignorat; *ergo* esset peccatum philosophicum. Peccatum vero philosophicum est impossibile, iuxta decretum Alexandri VIII (DB 1290); *ergo* non est possibilis ignorantia inculpabilis Dei.

Resp. Doctrina Ecclesiae videtur esse haec: *a*) peccatum philosophicum est impossibile in eo qui iam habitualiter cognoscit Deum, et de Deo non cogitans, violat libere et conscienter honestatem naturalem: in hoc casu peccatum semper est theologicum, et privat gratia et caelo. *b*) Cum vero datur ignorantia invincibilis et incul-

[1] Ap. DESCOQS, 1,204-205. Cum P. LANGE (*De gratia* n.695) et GUTBERLET potes admitti "inter gentes valde degeneratas inveniri non paucos adultos, quorum ratio adeo non est evoluta ut peccati mortalis capaces non sint, atque adeo parvulis comparandi"; et hoc dici potest etiam de illis qui non sunt hebetes, nam capaces sunt procurandi sibi alimenta per venationem vel alio modo, et defendendi se ab hostibus et gerendi parva quaedam negotia et constituendi tribum cum ducibus et quibusdam legibus seu regulis vitae.

[2] His etiam atheis negativis Deus dat gratias intrinsecas, quae tamen non necessario sunt proxime sufficientes ad cognoscendum Deum, sed remote sufficientes (BERAZA, *De gratia* n.432); tamen his omnibus in fine infundet Deus lumen quo voluntarie salventur vel voluntarie damnentur. Cf. LOMBARDI, RICCARDO, *La salvezza di chi non ha fede* (Roma 1949) 334-340.

pabilis Dei et legis Dei, et violatur deliberate honestas naturalis, tunc potest dari peccatum philosophicum, neque hoc est damnatum ab Ecclesia, modo ne dicas eos qui ignorant inculpabiliter Deum esse plurimos.

Inst. Sed peccatum semper includit factum cum responsabilitate erga aliquam personam quae non est ipse peccans, neque societas, sed altior; *ergo* qui committit peccatum quodlibet, committit peccatum contra personam et legem altiorem quod est peccatum theologicum, non philosophicum.

Resp. Nego antec. quod voluntarie asseritur. Peccatum deliberatum quod committitur contra honestatem cognitam ante cognitum Deum et legem eius, est peccatum contra rationem et non contra ullam personam aut legem altiorem, quam peccans ignorat. Si autem omnino nolis vocare peccatum talem violationem, voces illam alio nomine, v. c. violationem honestatis naturalis cognitae, vel defectum antiaestheticum in materia morum: est quaestio vocalis.

ARTICULUS II

DE ATHEISMO POSITIVO

Thesis 12. Atheismus positivus per se semper est culpabilis initio et in perseverantia; per accidens autem potest esse sine culpa actuali in perseverantia; imo per accidens et raro potest esse inculpabilis initio et in perseverantia, etiam diu.

190. I P. ATHEISMUS POSITIVUS PER SE SEMPER EST CULPABILIS, INITIO ET IN PERSEVERANTIA.

Nam per se homo habet media quibus cognoscat Dei exsistentiam, ut sunt indoles curiosa circa causas, praesertim ultimam, argumenta facillima quae Dei exsistentiam probent, ordinatio hominis ad beatitudinem et ad cognitionem Dei, dispositio rerum a Deo ita ut hic finis possit obtineri, societas in qua doceatur de Deo: ergo si aliquis Deum negat, id non evenit per se, i.e. ex defectu mediorum, sed ex culpa aliqua.

191. II P. PER ACCIDENS TAMEN ET RARO, QUAMVIS INITIO SIT CULPABILIS, POTEST IN PERSEVERANTIA ESSE SINCERUS ET INCULPABILIS ACTUALITER, LICET SEMPER SIT CULPABILIS IN CAUSA.

Hanc thesim negabant passim veteres, ut P. URRÁBURU et alii; sed recentius conceditur a P. DESCOQS, quem nunc sequimur.

Et probatur thesis: nam postquam quis culpabiliter negavit exsistentiam Dei inductus rationibus sophisticis, potest in posterum indesinenter audire et legere eadem sophismata et ea acceptare ut argumenta valida et diutissime contemnere lumen intellectus et remorsus; iam vero constat experientia sophismata indesinenter audita et lecta et acceptata, et contemptum luminis et remorsuum posse gignere indurationem cordis et obcaecationem intellectus, quae psychologice expellant omnem formidinem, animam reddant ineptam ad veritatem amplius percipiendam, et tranquillitatem in sua negatione afferant, et hoc potest durare usque ad mortem propter praeiudicia fortiter animo adhaerentia; *ergo* atheismus positivus, licet sit culpabilis initio, potest esse sincerus et inculpabilis in perseverantia, licet sit semper culpabilis in causa.

192. III P. Per accidens et raro potest accidere ut aliquis inculpabiliter neget Deum positive initio et in perseverantia usque ad mortem.

Haec thesis negabatur sat communiter, antequam haberetur experientia atheismi russi; sed post hanc experientiam sat multi hanc thesim admittunt, ut de Woestyne, Donat, Claeys-Bouüaert [3].

Probatur thesis. Potest enim accidere ut pueri ab initio usus rationis imbuantur a paedagogis pessimis in persuasione quod non sit Deus, et quod non detur aliud praeter materiam, et quod totus finis hominis sit in terra, et quod idea Dei sit radix oppressionum quas patiuntur pauperes a divitibus. Insuper potest fieri ut pueri malis moribus ab initio exerceantur, et ut non possint acquirere maiorem culturam quam quae acquiritur in officinis fabrilibus; atqui haec persuasio quod non sit Deus in circumstantiis praedictis est ab initio inculpabilis, et hae circumstantiae possunt durare per totam vitam usque ad mortem; ergo atheismus positivus potest esse inculpabilis initio et in perseverantia usque ad finem vitae.

Hic casus tamen est *per accidens:* non enim accidit propter defectum mediorum aut malam ordinationem rerum in ordine ad hoc ut homines possint cognoscere Deum, sed solum ex mala educatione. Et propter hanc causam casus hic est *rarus*: secus dicendum esset res esse tam male ordinatas

[3] Van de Woestyne, *Cursus* 2,716; Claeys-Bouüaert: NouvRevTheol (1921) 169-185; Donat, Theod. n.122-131.

a Deo ut non possit obtineri finis cognoscendi Deum ad quem Deus homines ordinavit. Rarum tamen dico, non quia non sint multi athei positivi inculpabiles, sed quia non est pars insignis humanitatis.

ARTICULUS III

DE ATHEISMO DUBITATIVO

Thesis 13. Atheismus dubitativus, in eo qui nondum certo cognovit Deum, per se est possibilis sine ulla culpa; sed cito vertetur in culpabilem, si dubitans non investiget, vel si investigando non invenit. Est sententia communis.

193. Probatur thesis. I P. ATHEISMUS DUBITATIVUS IN EO, QUI NONDUM CERTO COGNOVIT DEUM, EST POSSIBILIS PER SE.

Haec enim est indoles intellectus humani, ut priusquam admittantur propositiones non immediate evidentes, de illis aliqua dubitatio habeatur, donec posita sufficiente inquisitione circa propositionem, vel abiciamus vel admittamus: *atqui* propositio, "quod Deus exsistat", est propositio non immediate evidens; *ergo* priusquam eam admittamus, de ea dubitamus (nisi forte ab incunabulis edoceamur).

194. II P. SED CITO CONVERTETUR IN DUBITATIONEM CULPABILEM, NISI QUIS INVESTIGET.

Nam qui dubitat de exsistentia Dei et consequenter de legibus ab eo datis, tenetur investigare veritatem; *ergo* si non investigat, peccat et culpabilis est si permaneat in sua dubitatione. *Antecedens:* si enim non investigat, et tamen interea neque colit Deum neque ei oboedit, acceptat in animo suo offendere Deum, si forte exsistat; *atqui* revera exsistit; *ergo* de facto offendit Deum et peccat. Ille nescit certo se peccavisse, quia nescit certo exsistere Deum; sed quoniam acceptat Deum offendere, si forte exsistat, et de facto exsistit, de facto offendit Deum, et iuste pro offensa punietur.

III P. IMO ILLE STATUS DUBITANDI TRANSIT IN CULPABILEM, SI INVESTIGET ET NON INVENIAT.

Nam invenire exsistentiam Dei est facillimum ei qui investigat sincere; ergo si non invenit, non sincere investigavit, neque usus est mediis, quae erant in sua potestate.

195. Scholia. 1. *Utrum ille qui iam Deum certo cognoscebat, possit inculpabiliter incidere in dubitationem positivam, an contra talis dubitatio sit semper culpabilis.* Respondemus per se semper esse culpabilem talem dubitationem: non enim accidet propter defectum mediorum retinendi certitudinem quam iam acquisierat de exsistentia Dei. Per accidens tamen potest aliquando accidere ut quis sine peccato gravi incidat in illas dubitationes, propter socios aut magistros, quos non potuit vitare, et propter lectiones quas non advertendo periculum habuit; sed tamen posita hac dubitatione positiva, semper tenetur inquirere; quod si inquirat inveniet, et si non invenit, non sincere quaesivit, ideoque culpabiliter perseverabit in dubio positivo.

2. Quoniam possibilitas atheismi inculpabilis est solum per accidens, semper fuerunt pauci athei, et pauci semper erunt comparative ad totam humanitatem, licet absolute sint plurimi.

3. Cum dicimus posse dari atheos inculpabiles usque ad mortem, non affirmamus eos *morituros* esse cum ignorantia aut negatione inculpabili Dei, et ita ad limbum infantium destinari, ut volebat Billot. Nam theologi dicunt, si quis in suo atheismo inculpabili usque ad mortem perveniat, illuminandum esse ut Deum et legem eius et revelationem agnoscat, et sic possit libere acceptare fidem et salvari, vel libere abicere eam, et sic iuste damnabitur[4].

---

[4] De historia, causis, malis et remediis atheismi, DESC., 2,492-524; OM n.317-322.

LIBER II

De essentia Dei

•

196. In praecedentibus demonstrata est exsistentia Dei sub ratione causae primae, entis a se et entis necesarii; et modo simpliciore, licet certissimo, deduximus praecipua praedicata quibus et Deus distinguitur a mundo et quae sunt characteristica veri (n.120-133). Nunc modo magis scientifico procedendo, *primo* statuemus praedicata quidditativa Dei, *secundo* statuemus quodnam ex iis praedicatis sit essentia metaphysica ex qua cetera praedicata Dei characteristica quasi a priori deducantur; *tertio* agemus de nostra cognitione essentiae divinae; *quarto* de confusione essentiae divinae cum mundo in quam incurrunt pantheistae.

CAPUT I

De praedicatis quidditativis divinis

197. In hoc capite primo agemus de praedicatis quidditativis Dei, quae significant totum Deum, et non aliquid superveniens per modum adiectivi aut attributi ad Deum iam constitutum. Haec autem praedicata sunt: identitas realis et conceptualis essentiae Dei cum exsistentia; ipsum esse per se subsistens; ens per essentiam; actus purus; omniperfectus.

ARTICULUS I

De identitate essentiae Dei cum exsistentia, et de actualitate pura

Thesis 14. Essentia entis necessarii absolute spectata identificatur re ac ratione cum exsistentia, unde essentia entis necessarii est actualitas pura.

198. S. Th., 1 q.3 a.4; 1 CG c.22.25; 2 CG c.52; *De Pot.* q.7 a.2 etc.; Suárez, *De Deo Uno* l.1 c.2 n.4-9, et c.3 n.1-3; Idem, *De Verbo Incarn.* d.11 s.1; DM 30 *introd.;* Urráb., 1,207; Desc., 2,569-575; Bittremieux, *Deus est suum esse, creatura non est suum esse;* Kleutgen, *Philosophie Scholastique,* t.4 p.366; Franzelin, *De Deo Uno* p.287-294; OM n.324-340.

199. Nexus. Ens necessarium, sicut quodlibet aliud, habet suam essentiam, et nunc quaerimus in quo illa con-

sistat; et quaerimus essentiam entis necessarii in quantum est ens necessarium, et non in quantum est tale individuum entis necessarii, si forte dentur plura individua, licet pluralitas haec sit omnino neganda, ex probandis.

200. Notiones. ESSENTIA est id, quo res constituitur in aliquo gradu vel ordine entitatis distincto ab omni alio, formaliter et primo.

Essentia semper dicit ordinem ad exsistentiam, sed non exprimitur utrum illa exsistentia sit re aut ratione distincta ab essentia, vel non sit distincta ab essentia neque re neque ratione. Nunc explico terminos definitionis.

GRADUS entitatis est entitas mensurae finitae. *Ordo* entitatis est modus aliquis entitatis, licet non sit mensurae finitae. *Distincto* ab omni alio, quia hoc est munus essentiae, discernere modos entitatis distinctos quolibet modo, nempe sive specifice sive individualiter. *Formaliter,* quia per essentiam res constituitur quasi per formam, et non quasi per causam aut per actionem. *Primo,* quia elementa essentiae non derivantur ex aliis praedicatis intrinsecis quasi a priori, sed potius est id, unde cetera quae sunt necessario in re deducuntur quasi a priori.

201. ABSOLUTE SPECTATA: quia consideratur essentia entis necessarii ut essentia entis necessarii, independenter ab omni hypothesi, v. c. ab hypothesi quod exsistat vel quod creata sit, sicut cum essentia creata exsistit: haec enim exsistit si creata sit et non sit destructa, et non quia est essentia humana absolute spectata; sed essentia divina est exsistentia quia est talis essentia entis necessarii absolute talis.

IDENTIFICATUR REALITER CUM EXSISTENTIA, quia ante mentis considerationem sunt eadem realitas. Et *ratione:* quia si recte cogitamus essentiam hanc, nullum est fundamentum ut distinguamus conceptum obiectivum essentiae a conceptu obiectivo exsistentiae.

EXSISTENTIA: est id quo res seu essentia primo et formaliter constituitur extra nihilum et extra merum possibile. Exsistentia, dicit, ut patet, ordinem ad essentiam, non vero exprimitur utrum illa essentia sit re aut ratione distincta ab exsistentia, sed ab hac distinctione praescinditur. Explicantur termini.

PRIMO significat rem seu essentiam sine exsistentia esse nihilum, et solum per exsistentiam esse extra nihilum.

FORMALITER, quia per exsistentiam res est extra nihilum quasi per formam et non quasi per actionem aut causam.

ACTUALITAS est idem atque exsistentia perfectionis. Adhibemus autem nomen actualitatis ut inculcemus nos agere de exsistentia actuali et exercitata et non de exsistentia mere possibili aut abstracta.

PURA, significat actualitatem esse constitutivum essentiae et hoc esse unicum eius constitutivum, exclusa omni alia differentia per quam essentia determinetur ut sit essentia divina. Iuxta hoc ergo *essentia divina est formaliter exsistentia et tantum exsistentia, excluso omni alio constitutivo seu differentia essentiali qua constituatur ut essentia divina.*

202. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum in ente necessario essentia sit idem re et ratione cum exsistentia actuali et exercitata, excluso omni alio constitutivo, quo constituatur essentia entis necessarii.

Sententiae. *Prima* tenet essentiam et exsistentiam Dei realiter distingui: sic PICUS A MIRANDULA.

Secunda est scotistarum, dicentium eas distingui formaliter ex natura rei, quod difficile intelligitur.

Tertia sententia est MANSER, qui dicit eas distingui ratione, et inter essentiam Dei eiusque exsistentiam fieri *compositionem logicam,* in cuius favorem adducit S. Thomam, et BAÑEZ: sed fortasse ii bene possint intelligi.

Nostra sententia, quae fere est communis omnium scholasticorum, dicit conceptus obiectivos essentiae et exsistentiae in Deo nullatenus distingui, si concipimus Deum verum et non fictionem aliquam. Ad summum possunt distingui solum in modo significandi: quia cum dicimus essentiam Dei, potius attendimus ad quidditatem seipsa actualem, et cum dicimus exsistentiam, potius attendimus ad actualitatem seipsa perfectam; sed conceptus *obiectivus* in utroque casu unus idemque est.

Hanc sententiam tenemus ut certissimam, supposita nostra explicatione terminorum; magnique facienda est, quia est fundamentum totius deductionis metaphysicae et systematicae de Deo, ut postea videbimus.

203. Probatur thesis. I P. ESSENTIA ENTIS NECESSARII IDENTIFICATUR RE ET RATIONE CUM EXSISTENTIA ACTUALI.

Prob. 1. (Ex conceptu entis necessarii.) Nam ens necessarium habet exsistentiam vi essentiae, et non ab alio; *atqui*

non habet exsistentiam vi essentiae efficienter, quasi essentia produxerit suam exsistentiam, quia hoc esset producere se ipsam; *ergo* habet exsistentiam vi essentiae formaliter, seu quia essentia est ipsa exsistentia realiter et secundum conceptum obiectivum.

204. *Prob. 2.* Haec eadem pars potest probari fusius, sed eadem efficacia, sequenti modo.

A. Essentia entis necessarii (tota) identificatur realiter cum exsistentia actuali. Si enim essentia entis necessarii non identificaretur realiter cum exsistentia actuali, haec superveniret essentiae ut eam actuaret aut ut donata ab alio, aut ut emanans ab essentia, aut ut aliquid quod est a se et necessario actuat essentiam; *atqui hae hypotheses* sunt absurdae; *ergo* essentia Dei non distinguitur realiter ab exsistentia.

Maior continet omnes hypotheses possibiles. Minor vero probatur per partes. *a*) Exsistentia non potest supervenire essentiae ut eam actuet, ut donata ab alio, quia secus Deus in sua exsistentia dependeret ab alio. *b)* Neque ut emanans ab essentia; nam essentia ut contradistincta ab exsistentia vel actualitate est nihil, et a nihilo nihil emanare potest. *c*) Neque ut aliquid quod sit a se et necessario actuet essentiam: quia tunc essentia illa dependeret ab aliqua realitate distincta ab illa nempe ab exsistentia et consequenter non esset essentia entis necessarii, sed essentia entis contingentis.

205. B. Essentia entis necessarii tota identificatur ratione cum exsistentia. Si enim essentia distingueretur ab exsistentia secundum rationem, haec conciperetur supervenire essentiae ut eam actuaret aut ut donata ab alio, aut ut emanans ab essentia, aut ut aliquid quod est a se et necessario actuat essentiam; *atqui* hae hypotheses sunt absurdae; *ergo* essentia Dei non potest distingui ab exsistentia secundum rationem.

Maior continet omnes hypotheses possibiles. Minor probatur per partes: *a*) Si enim exsistentia conciperetur superveniens essentiae ut donata ab alio, conciperetur Deus ut dependens ab alio, et sic non conciperetur Deus, sed res contingens. *b*) Si conciperetur exsistentia ut emanans ab essentia, conciperetur aliquid emanare a nihilo, quia essentia ut contradistincta ab exsistentia debet concipi ut nihilum actuale, quod est absurdum. *c)* Si conciperetur exsistentia ut ali-

quid a se, et necessario informans essentiam, conciperetur essentia dependens ab illo ente a se, et sic non conciperetur essentia entis necessarii, sed essentia entis contingentis.

206. II P. UNDE ESSENTIA ENTIS NECESSARII EST ACTUALITAS PURA..

Essentia Entis Necessarii est actualitas pura, si et habet pro constitutivo formali exsistentiam actualem, et si praeter eam non habeat aliud constitutivum ut sit essentia Entis Necessarii; *atqui* ita se res habet; *ergo* essentia divina est actualitas pura.

Maior patet ex notionibus. Et minor *declaratur.* a) Et *in primis* exsistentia actualis et exercitata est constitutivum essentiae Entis necessarii (quia essentia entis necessarii est formaliter exsistentia actualis et exercitata, ut probatum est). b) *Deinde,* exsistentia actualis et exercitata, ut constitutivum essentiae, secernit essentiam divinam ab omni alia: quia eo ipso quod essentia aliqua sit formaliter exsistens, est essentia entis necessarii, ita ut sit contradictio eius non exsistentia; et essentia, quae non sit entis necessarii, *sed contingentis,* non constituitur per exsistentiam: cum enim sit indifferens ad exsistendum et non exsistendum, exsistentia concipitur ei advenire quasi accidentaliter logice; unde et ab essentia necessario distinguitur, saltem cum fundamento in re, et non est eius constitutivum formale.

207. *Dices*: sed fortasse essentia divina possit accipere ulteriores determinationes, v. c. ut sit tale vel tale individuum essentiae divinae, vel ut sit cogitans aut volens hoc aut aliud; *ergo* non est actualitas pura.

Resp.: Praetermitto antecedens ad ulteriores investigationes; et *nego consequens*: nam cum asserimus essentiam divinam esse actualitatem puram, volumus dicere essentiam divinam constitui ut divinam per exsistentiam actualem, et solum per exsistentiam actualem, et hoc non negatur in difficultate.

Resp. 2: Nego antec.; nam ex hac propositione, quod essentia divina sit actualitas pura, deducemus et immultiplicabilitatem in plura individua aut species, et esse actum purum penitus sine ulla potentialitate acquirendi aut amittendi aliquid.

Instabis: Exsistentia vel actualitas debet determinari per differentiam "divina", ut sit exsistentia vel actualitas Dei; *ergo* actualitas est capax alicuius differentiae recipiendae ut significet essentiam divinam.

Dist. mai.: exsistentia communis, *conc.* (quia haec est indifferens ut sit Dei vel non sit Dei); exsistentia quae sit constitutivum essentiae, *nego;* nam haec est ita propria essentiae divinae, ut non sit indifferens ut sit vel non sit divina. *Et pariter dist. cons.*

208. Corollaria. 1. Essentia Dei non est exsistentia vel actualitas *abstracta,* sed concreta et valde determinata, imo determinatissima, sed eius determinatio consistit in hoc quod excludat omnem determinationem ulteriorem ut sit divina, non in hoc quod praescindat ab omni determinatione.

2. Ergo nostra thesis multum differt ab errore *platonicorum*: hi enim dicebant nos posse concipere exsistentiam, praescindendo ab omni ulteriori determinatione, et ab omni imperfectione, imo et ab oppositione cum essentia; et addebant, si hanc exsistentiam ponamus in realitate, ipsam esse actualitatem puram, quod non est verum: nam si talis conceptus praecisus ponatur in realitate, erit indeterminatus per *praecisionem* ab omni determinatione, sicut erat in conceptu, et talis realitas erit contradictoria et monstruosa, quia nec erit creata nec non creata, nec corporea nec non corporea. Nos autem progressi sumus *ex realitate concreta et singulari entis necessarii,* et examini subicientes hanc realitatem, vidimus eius constitutivum essentiale totale esse actualitatem puram, cum exclusione omnis alius differentiae constitutivae, ut sit divina.

209. 3. Ut *designetur* essentia divina vel increata, necesse non est addere ad "essentiam formaliter exsistentem", differentiam "divinam" aut "increatam", sed sufficit dicere *essentiam formaliter constitutam per exsistentiam actualem, aut exsistentiam quae formaliter sit constitutivum essentiae:* haec enim soli enti increato conveniunt, ut patet, nam in creatis semper distinguitur, saltem ratione, essentia ab exsistentia, quia potest permanere intelligibilitas essentiae, etsi actu non exsistat.

4. In creatis essentia actualis necessario est idem re et ratione cum essentia exsistente, quia actualis et exsistens penitus idem sunt re et ratione; sed essentia rei actualis, licet dicatur quatenus actualis, numquam est secundum rationem idem atque exsistentia vel actualitas, quia semper essentia potest manere intelligibilis licet pereat, quoad exsistentiam, quod esset penitus impossibile, si essent idem re et ratione.

210. 5. Deo applicantur nomina communia v. c. ens, substantia, vivens: et haec, ut sint divina, debent determinari, saltem per differentias quae sunt maior expressio rationis communis, ut cum dicitur Deus est ens "per essentiam", sapientia "increata". Nomen autem *actualitas pura* non est nomen commune, sed ita proprium Dei, ut nulli alii conveniat, sed soli increato, et ideo non admittit ullam aliam differentiam constitutivam neque per maiorem expressionem.

6. Tamen possunt Deo attribui multa praedicata multo magis determinata quam actualitas pura; sed haec non constituunt essentiam Entis necessarii, nec determinant eius extensionem, aut comprehensionem aut actualitatem, sed mere explicitant id quod erat implicite in conceptu, "actualitas pura", ut cum Deus dicitur "omnipotens, sapiens". Haec alia praedicata concipiuntur quoad explicitum ut proprietates aut attributa, non ut constitutiva essentiae divinae.

211. Obiectiones contra thesim. 1. Quaestiones distinctae postulant responsiones distinctas; *atqui* alia est quaestio an res sit et alia quid res sit, et primae respondetur per exsistentiam, et secun-

dae per essentiam; *ergo* exsistentia et essentia distinguuntur saltem ratione in Deo.

Dist. mai.: postulant responsiones distinctas saltem ut commune et proprium, *conc.;* ut proprium et proprium, *nego.* Et concessa min., *dist. pariter cons.*: ut commune et proprium, *conc.;* ut proprium et proprium, *nego.*

Cum quaeritur utrum Deus exsistat, respondetur per exsistentiam communem omnibus, licet analogice; cum autem quaeritur quid Deus sit, respondetur per exsistentiam propriam Dei, quae est exsistentia constitutiva essentiae absolutae spectatae, et non sub aliqua conditione v.c. si exsistat, aut si creata sit, quod non accidit in ulla creatura.

2. Exsistentia semper est actus alterius; *atqui* actus alterius semper distinguitur ab illo cuius est actus, seu ab essentia; *ergo* exsistentia semper distinguitur ab essentia. *Maior*: motus enim semper est motus alterius, et ideo non potest dari motus purus; *ergo* pariter non potest dari exsistentia pura, sed exsistentia alterius.

Dist. mai.: respective considerata, *conc.;* absolute considerata, *nego;* et *concessa min., contradist. cons.*: si exsistentia respective consideretur, *conc.;* si absolute, *nego. Ad prob. maioris nego cqtm. ob disparitatem;* disparitas est in eo quod motus est modus mobilis, et hoc essentialiter; et contra, actualitas non est modus alicuius, si absolute consideretur, sed potest esse realitas seipsa perfecta.

3. Deus est sapientia per essentiam; ideoque sapientia est tota essentia Dei re et ratione; *atqui* tamen sapientia non est formaliter exsistentia, *ergo* essentia non est exsistentia saltem formaliter.

Dist. mai.: Deus est sapiens per essentiam secundum implicitum, *conc.;* secundum explicitum quod dicit sapientia, *nego;* et *contradist. min.*: secundum implicitum, *nego;* secundum explicitum, *conc.*

4. Si essentia Dei est solum exsistere purum et actualitas pura seu esse purum, non est in eo formaliter sapientia, neque sanctitas, neque potentia, sed aliquid tertium et indistinctum, quod non est formaliter sapientia, sanctitas; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non est verum quod Deus sit actualitas pura et quod non detur essentia aliqua praeter exsistentiam.

Dist. mai.: non daretur in Deo sapientia, etc. implicite, *nego;* explicite, *subdist.*: ut constitutivum, *conc.;* ut proprietas vel attributum, *nego;* et *contradist. min.*

In Deo est quaedam res eminentissima, quae non est nisi ipsum esse purum; et illa res est formaliter sapientia et sanctitas, etc.; sed non secundum modum praecisivum concipiendi nostrum, sed *modo* ineffabili, qui pro nobis est penitus inintelligibilis. Si autem illa res debet concipi per conceptus nostros et modo nostro, debet concipi ut esse purum et oceanus actualitatis, et cetera praedicata particularia apparebunt nobis ut praedicata derivata ex primo illo, quod concipitur a nobis ad modum primi constitutivi, quod est esse purum.

5. Fundamentum distinctionis rationis est eminentia perfectionis per quam res aequivalet multis aliis, quae realiter distinguuntur, et debilitas intellectus nostri qui nequeat concipere rem prout est in se, sed per conceptus desumptos ex aliis; *atqui* Deus continet in sua eminentia perfectionem es-

sentiae et exsistentiae, quae in aliis sunt realiter distinctae, et noster intellectus est tam debilis ut Deum solum possimus intelligere per conceptus desumptos ex aliis rebus; *ergo* in Deo debet poni distinctio rationis inter essentiam et exsistentiam.

Resp. 1. Conc. mai. et nego min. quoad distinctionem realem essentiae et exsistentiae in creaturis: solum datur distinctio rationis, ob fundamentum dependentiae et contingentiae, quae cum non sint in Deo, non est in illo ponenda distinctio ulla rationis.

Resp. 2. Hoc est fundamentum distinctionis rationis saltem secundum modum concipiendi, *conc.;* secundum conceptum obiectivum, *subdist.*: si non destruatur res illa eminens per talem distinctionem, *conc.;* secus, *nego.*

Distinctio rationis secundum modum concipiendi, et non secundum conceptum obiectivum, tunc datur cum in re in qua non est subiectum nec forma, sed sola forma, distinguimus solum grammaticaliter subiectum et formam, non autem secundum conceptum obiectivum: sic cum distinguimus inter colorem et coloreitatem. Talis distinctio inter essentiam et exsistentiam potest admitti in Deo (n.202). (*Plura in OM n.333-340.*)

ARTICULUS II

UTRUM DEUS SIT IPSUM ESSE PER SE SUBSISTENS

Thesis 15. Deus est Ipsum esse per se subsistens.

212. S. TH., 1 q.3 a.4, et q.41 a.2; 1 CG c.22; SUÁREZ, *De Incarnat.* 11,3,13-22; IDEM, *De Deo* l.1 c.8 n.10; URRÁB., 1,209; SCHIFFINI, *Theol. Nat.* n.437; OM n.341-346; FRANZELIN, *De Deo Uno* p.267-293.

213. Notiones. ESSE est actualitas pura seu exsistere purum.

IPSUM est terminus qui additus abstractis significat illud abstractum seu formam exsistere per se seorsim, et non ut partem, i. e. independenter ab omni subiecto in quo subsistat, et ab omni modo subsistentiae, cui debeatur ut sit cum illa independentia.

SUBSISTENS, additum abstractis, significat penitus idem atque ipsum, scilicet exsistens per se seorsim, i. e. non ut pars sed cum independentia ab omni subiecto re aut ratione distincto et ab omni modo subsistentiae cui debeatur illa independentia et totalitas.

214. Status quaestionis. In thesi praecedenti vidimus essentiam abstractam Dei, seu consideratam seorsim a subiecto, esse exsistentiam seu actualitatem puram; sed non determinavimus utrum etiam ipse Deus, ut subsistens et concretum, sit etiam actualitas pura, ita ut in eo non distinguatur secundum conceptum obiectivum et subiectum habens deitatem et deitas et modus subsistentiae, sed sola exsistentia seu deitas, quae proinde seipsa erit subsistens per se seorsim et non ut pars ullius concreti.

215. Et ratio dubitandi est quia in creatis haec tria distinguuntur re vel ratione. Sic concretum "homo" metaphysice constat et subiecto habente humanitatem et forma humanitatis habita ab illo subiecto; et in ordine physico seu reali hoc concretum constat et humanitate et modo subsistentiae qui facit humanitatem exsistere per se seorsim.

Et respondemus non ita accidere in Deo: sed contra Deus est tale concretum, ut in eo non distinguatur re neque ratione et subsiectum habens esse, et esse et subsistentia qua *esse* subsistat, sed haec omnia sunt unus conceptus obiectivus qui est actualitas pura, seu Ipsum esse exsistens independenter ab ullo subiecto et ab omni forma subsistentiae. Ideo Deus in concreto erit ipsum esse, vel esse subsistens, vel actualitas pura et nihil amplius. Ad summum potest admitti inter Deum et esse distinctio rationis solum secundum modum significandi, et non secundum conceptum obiectivum, sicut cum distinguimus inter colorem et coloreitatem, vel inter animam et animitatem.

216. Sententiae. *Prima* sententia non vult concedere naturam Dei esse subsistentem seipsa et praecisive a relationibus et personis divinis: sed lis est de verbo, quia subsistens intelligunt semper ut suppositum, et planum est naturam divinam non esse personam, sed communicari pluribus personis.

Nostra sententia est communis, ita ut si intelligantur termini ut explicati sunt, nullus sit adversarius: et dicit nomen concretum "Deus" esse re et ratione idem cum actualitate pura, seu Deum in *concreto* esse formaliter actualitatem puram, et nihil amplius. Hanc sententiam tenemus ut certissimam, posita nostra explicatione terminorum.

217. Probatur thesis. (*Ex absoluta independentia Dei*). Deus est ipsum esse subsistens seu actualitas pura, si in eo sit actualitas pura, et non possit distingui ullum subiectum in

quo illa natura sustentetur, neque ullus modus subsistentiae a quo compleatur eius sufficientia ut exsistat per se seorsim, et non ut pars; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est ipsum esse seu actualitas pura (n.127).

Maior, exprimit id quod demonstrare intendimus.

Minor: a) planum est in Deo esse actualitatem puram, siquidem haec est eius essentia. *b*) Et praeter eam non potest distingui in Deo aut subiectum in quo subsistat, aut modus quo subsistat: nam in utroque casu essentia divina dependeret aut conciperetur dependere ab aliquo distincto, et tunc neque esset neque conciperetur ut essentia entis necessarii, sed ut essentia entis contingentis.

Insuper, actualitas seu exsistentia non potest habere aliud subiectum quam essentiam; *atqui* essentia nequit esse subiectum exsistentiae, quia est ipsa exsistentia; *ergo* exsistentia Dei nequit concipi ut in ullo subiecto. *Denique* essentia Dei nequit carere ulla actualitate, sed quidquid actualitatis est, est intra essentiam divinam (n.126); *ergo* actualitas, quae posset provenire ex subiecto in quo subsisteret, vel ex forma subsistentiae, est intra ipsam essentiam seu intra actualitatem puram neque ab illa distinguitur re aut ratione.

218. Scholium. *De notionibus subsistentis.* Ut melius intelligantur quae dicta sunt de Deo subsistente seipso, hae notiones habendae sunt prae oculis.

Notiones. SUBSISTENS est illud quod potest exsistere per se seorsim, i. e. independenter ab omni subiecto, sicut anima rationalis et materia prima et angelus et homo. Potest esse COMPLETUM et INCOMPLETUM: *incompletum* destinatur ad compositionem cum alia comparte, ut anima rationalis et materia prima; *completum* est quod iam ulterius non ordinatur ad componendum cum alia comparte, ut est homo, angelus, Deus.

Complete subsistens, potest esse *actualiter* et *exigitive* subsistens. *Actualiter* subsistens est quod actu exsistit per se seorsim, non ut pars alius. *Exigitive* subsistens, est illud quod, licet exigat exsistere per se seorsim, tamen actu est exsistens ut pars alius et dependens in exsistendo ab alio subiecto ut a termino: sic humanitas Christi.

Complete et actualiter subsistens potest esse *creatum* et *increatum*: subsistens completum creatum semper est suppositum, quia ob suam finitudinem est iam incommunicabile aliis neque ad modum partis neque per identitatem; et subsistens completum *increatum* potest esse suppositum et non suppositum: *non suppositum* est natura divina, quia ob suam infinitudinem potest communicari pluribus, non ut pars, sed per identitatem; et *suppositum* est quod iam non potest communicari per identitatem pluribus ob relativam oppositionem cum aliis: tales sunt personae divinae Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Hae non possunt communicari ulli enti per identitatem neque ut pars, sed certe ut totum assumens naturam alienam: tale est Verbum Dei assumens humanitatem in Christo.

His positis, dictum est Deum ut unum, esse subsistentem seipso

et per essentiam; non autem seipso est suppositum, quia est communicabilis pluribus, non ut sit pars alicuius, sed per plenam identitatem: unus igitur est subsistens absolutus, sed triplex subsistens relativus.

219. Corollaria. 1. Ergo Deus non est Deus per formam *deitatis* quasi superadditam re aut ratione, sed Deus est Deus toto se et sola deitate. Et in hoc differt a creatis, in quibus concretum v. c. homo, non est homo toto se, sed per humanitatem quae ratione et quodammodo realiter distinguitur a concreto, ut apparet in Christo, ubi humanitas creata non est subsistens creatum.

2. Thesis haec multis *aliis modis* aequivalentibus profertur. Et sic dicitur Deus: "esse subsistens, ipsum esse subsistens, ipsum esse per se subsistens, (in quibus postremis est pleonasmus, cum sufficiat dicere ipsum esse, vel esse subsistens), suum esse, suum esse subsistens, ipsum suum esse subsistens".

3. Essentia divina seipsa formaliter non est *persona,* quia est communicabilis multis per identitatem, ut Patri et Filio et Spiritui Sancto; sed est persona per relationes quae ad modum proprietatum concipiuntur.

4. Tamen non ideo essentia divina desinit esse *subsistens* seipsa: nam licet sit in tribus personis, sed non est in illis quasi forma in subiectis, aut tamquam pars in toto, sed est in illis per absolutam identitatem cum illis. Est igitur in Deo unum subsistens absolutum, et triplex susbsistens relativum.

220. 5. Dicere de Deo illum esse actualitatem puram aut Ipsum esse, non est praedicatum exile et tenue, sed est *encomium maximum* quod de Deo dicere possumus, ut patet ex S. Scriptura, et PP. et ex ratione.

Ex S. Scriptura. Cum enim interrogaretur Deus a Moyse quo nomine vellet insigniri apud populum ad quem mittebatur, nihil amplius se dixit esse nisi haec verba: Ego sum qui sum (Ex. 6, 6).

Ex Patribus. Sanctus Bernardus ait: nihil eo (praedicato, scl. *ipsum esse*) competentius aeternitati, quae Deus est. Si bonum, si magnum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est esse (exsistere). Nempe hoc est ei esse quod omnia esse. Si et centum talia addis, non recessiti ab esse; si ea dixeris nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Iam si vidisti hoc tam singulare, tam summum *esse,* nonne in comparatione huius, quidquid hoc non est, iudicas potius non esse quam esse?"[1].

Sanctus Bonaventura ait: "Ipsum esse purissimum non occurrit (non invenitur) nisi in plena fuga τοῦ non esse; nam ipsum esse nihil habet de non esse. Praeclare Dionysius nomen "Qui est" circumscribit (declarat): Deus non quadantenus est ens, sed simpliciter est infinite, utpote qui totum in se esse complexus est et anticipavit"[2].

Ex ratione non minus clare patet quam excellens sit hoc praedicatum; si enim Deus est Ipsum esse subsistens seu actualitas pura, non potest carere ulla actualitate (n.126): secus essentia divina constaret duplici constitutivo, nempe et actualitate et restrictione actualitatis ad determinatum gradum, quod est impossibile. Si ergo ipsum esse nequit carere ulla actualitate, habebit omnem actualita-

[1] S. Bernardus, *De consideratione* 1.5 c.6 n.13: ML 182,795.
[2] S. Bonaventura, *Itinerarium mentis ad Deum* c.5.

tem, ideoque et omnem perfectionem, sive formaliter sive eminenter sive virtualiter. Habebit quidem omnem actualitatem, licet non omnem modum habendi actualitatem; nam sunt modi habendi actualitatem qui minuunt actualitatem, ut sunt v. c. susbstantia corporalis, vivens caninum, et hos modos in se non habet, sed certe habebit quidquid actualitatis est in omnibus rebus. Consequenter habebit omnem omnino perfectionem possibilem; nam si careret aliqua perfectione, evidenter careret actualitate aliqua, nempe actualitate illius perfectionis quae deest[3].

ARTICULUS III

UTRUM DEUS SIT ACTUS PURUS

Thesis 16. Deus est actus purus.

221. S. TH., 1 CG c.16.22; SUÁREZ, DM 28,1,15-16; et d.30 s.2; URRÁB., 1,210; OM n.355-357.

222. Notiones. ACTUS est quaevis entitas actualis et non mere possibilis. PURUS autem significat nullam habere potentialitatem, seu potentiam: quare hic terminus quoque est explicandus.

POTENTIA est illud quod potest esse simpliciter vel determinato modo, et nondum est per se ipsum.

Iuxta hanc descriptionem, potentia potest esse *obiectiva et subiectiva. Obiectiva* est mera possibilitas rei. *Subiectiva* est res iam exsistens, quae potest esse aliquid quod nondum est se ipsa.

Et subiectiva potest esse *passiva* et *activa*.

Passiva est res actualis quae potest acquirere perfectionem aliquam intrinsecam vel amittere iam acquisitam: in utroque casu habet vel habuit potentialitatem seu passivitatem.

Potentia *activa* est capacitas agendi actu, et hoc agere non habet res seipsa, sed per actionem realiter modaliter distinctam, quae est actus illius potentiae. Haec potentia non dicit imperfectionem, sed contra, dicit magnam perfectionem, nam dicit continere actu perfectionem quam potest communicare per efficientiam, nihil amittendo vel acquirendo. Excludimus ergo in hoc loco a Deo solummodo potentialitatem seu potentiam obiectivam et potentiam subiectivam passivam, non vero activam.

223. Haec thesis secundum modum significandi *differt* ab ea in qua diximus essentiam Dei esse actualitatem puram,

---

[3] FRANZELIN, *De Deo* p.274-276.

nam ibi loquebamur de essentia abstracta a subiecto, non de Deo concrete considerato, nec tam expresse excludebamus omnem potentialitatem, sed solum excludebamus ab illa essentia ullum aliud constitutivum praeter actualitatem; nunc vero loquimur de Deo concrete spectato et subsistente, et excludimus ab eo diversos modos potentialitatis; ideo non inutiliter eadem quaestio sub his diversis terminis tractatur. Et volumus dicere Deum concrete esse actum purum, seu actum qui excludat omnem potentialitatem obiectivam et passivam, non in aliqua linea particulari, sed in linea exsistentiae ut talis.

Thesis nostra *admittitur* ab omnibus catholicis, et solum negatur ab iis qui male sentiunt de Deo, ut sunt pantheistae, evolutionistae omnis generis, finitistae americani qui etiam sunt pragmatistae et proprie sunt athei. Et posita nostra explicatione terminorum, thesis est certissima.

224. Probatur thesis. Deus est actus purus si ipse est actus in linea exsistentiae, et si non habet ullam potentialitatem obiectivam aut passivam; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est actus purus (n.128).

Maior constat, quia exprimit sensum in quo intelligimus Actum Purum. *Minor* vero declaratur. Deus non habet potentialitatem ullam *obiectivam* sive logicam, quia non potest nec incipere nec cessare in esse: nam est ens absolute necessarium, cuius non exsistentia implicat contradictionem. Item non habet potentialitatem passivam: secus posset acquirere vel amittere aliquid, et sic posset carere aliqua actualitate, ea quam nondum acquisivit et potest acquirere, vel ea quam habet et potest amittere. Impossibile autem est Deum carere aliqua actualitate: secus enim constaret duplici constitutivo, scilicet, actualitate et restrictione actualitatis ad talem gradum determinatum (n.126).

Dices: ex argumento sequitur essentiam Dei esse actualitatem puram, et non habere ullam potentialitatem obiectivam aut passivam; sed non sequitur *Deum* concrete sumptum et subsistentem esse Actum purum. *Resp.;* etiam sequitur Deum concrete consideratum esse actum purum, quia Deus concrete consideratus est actualitas pura seu ipsum esse subsistens, ut iam probatum est.

Obiectiones. (*Conferas quae contra immutabilitatem obiciuntur* n.381.)

ARTICULUS IV

UTRUM DEUS SIT ENS PER ESSENTIAM

Thesis 17. Deus est ens per essentiam.

225. SUÁREZ, DM 28,1,13; URRÁB., 1,214, *et Ontol.* p.552-554; KLEUTGEN, *Phil. Schol.* 1,110-118; OM n.348-349.

226. Notiones. ENS PER ESSENTIAM est illud quod non est per participationem ullo modo. Primo igitur explicandum est quid sit ens per participationem, ut per negationem participationis sciamus quid sit ens per essentiam.

PARTICIPARE est partem capere, non habere illam perfectionem a se, neque seipso, sed per formam; esse partem et non totum quod amplectitur illa perfectio. Unde triplex est participatio: dynamica, formalis et materialis.

227. PARTICIPATIO DYNAMICA consistit in eo quod perfectio habeatur per effectionem alicuius causae: effectus enim numquam habet tantam perfectionem sicut causa *adaequata et sufficiens,* et ideo dicitur partialiter accipere vel habere perfectionem causae.

PARTICIPATIO FORMALIS consistit in eo quod perfectio aliqua habeatur per formam aliquam.

Haec participatio potest esse PHYSICA ET LOGICA. *Physica,* si forma est realiter distincta a subiecto: sic aqua est calida per formam realiter distinctam ab aqua. *Logica,* si forma solum ratione distinguatur a subiecto, sive adaequate sive inadaequate, vel si nullo modo distinguatur a subiecto, saltem forma illa exprimatur termino complexo, seu per genus et differentiam. Exempla rem declarabunt.

Participatio logica per formam *adaequate distinctam* a subiecto habetur v. c. cum dicitur "hoc animal est *rationale*".

Participatio logica per formam *inadaequate distinctam* a subiecto habetur cum forma est magis universalis quam subiectum, et convenit pluribus univoce: sic homo est animal per participationem, quia animal est infinitae extensionis, et homo est solum pars illius extensionis.

Participatio logica per formam *adaequate identicam* cum subiecto, expressam tamen univoce per terminum complexum, qui constat ex genere et differentia, habetur in definitionibus metaphysicis strictis, ut cum homo dicitur *animal rationale*: homo est animal rationale per participationem: nam homo est *animal* per participationem, quia animal est terminus magis universalis, et homo est solum pars illius extensionis; et est *rationale* per participationem, quia non est rationale nisi in quantum animal recipit formam rationalem, quae est forma adaequate distincta ab animali.

228. Cum forma non est praedicatum univocum sed *transcendentale,* tunc subiectum non habet illam participationem formalem, sed analogam, et ideo uni convenit per essentiam, et inferioribus

per participationem dynamicam. Sic tam Deus quam homo sunt *ens*. Utrique autem convenit ens seu *aptum* ad exsistendum, non per participationem formalem logicam, quia *ens* ut *aptum* esse est ipsa essentia utriusque; sed Deo convenit per essentiam, et creaturae convenit per participationem dynamicam. (Si autem intelligamus ens, non ut aptum esse, sed ut actu exsistens, sic Deo convenit per essentiam, creaturae autem per participationem dynamicam et formalem logicam.)

PARTICIPATIO MATERIALIS habetur cum exprimitur forma et limes eius, ut cum dicitur calor ut tres, vel sapientia creata[4].

229. Explicata notione participationis, facile explicatur quid sit ens per essentiam. ENS PER ESSENTIAM est illud ens quod habet exsistentiam a seipso, et seipso et ut totam suam essentiam. *A seipso,* quia secus haberet participationem dynamicam. *Seipso,* seu per formam quae non distinguitur nec re nec ratione a subiecto: quia secus haberet participationem logicam. Et ut *totam suam essentiam*: si enim exsistentia esset pars solum essentiae, illa pars esset magis universalis quam essentia, et sic haberet illam per participationem. Et in *gradu infinito,* quia secus non haberet formam quantum haberi potest, sed partialiter.

230. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum Deus sit ens per essentiam, seu utrum habeat exsistentiam per essentiam, an per aliquod genus vel umbram participationis.

Responsio communis omnium scholasticorum est Deum esse ens seu exsistentiam per essentiam et non per ullam participationem. Et posita nostra explicatione terminorum, thesis est certissima.

231. Probatur thesis. Deus est ens per essentiam si habet exsistentiam a se ipso, et seipso, et ut totam suam essentiam et cum exclusione limitum; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est ens per essentiam.

Maior constat ex notionibus. *Minor* vero declaratur: *a*) Deus habet exsistentiam a se ipso, quia est increatus; *b*) Deus habet exsistentiam seipso, quia non habet exsistentiam per formam distinctam ab ipso, sed per formam quae re et ratione identificatur cum ipso. *c*) Deus habet exsistentiam ut totam suam essentiam, nam probatum est Deum esse

---

[4] De participatione cf. GEIGER, *La participation dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin* (Paris 1942); CORNELIO FABRO, *La nozione metafisica de participazione secondo S. Tomaso d'Aquino* (Torino 1950 2 ed.); SALVADOR CUESTA, *Ontologia* (Santander 1948) 218-229; OM n.347-350.372-376.

actualitatem puram et solum actualitatem seu exsistentiam; ergo exsistentia est tota eius essentia. *d*) Et cum exclusione limitum: nam essentia entis necessarii est actualitas pura, et actualitas pura nequit carere ulla actualitate, ideoque est infinita seu caret limite.

232. Corollaria. 1. Omnia quae sunt in Deo, conveniunt ei per essentiam praeter relationes ad intra; sic sapientia convenit ei per essentiam, quia sapientia convenit ei a se et seipso et ut tota eius essentia, ob absolutam simplicitatem. Sed tamen non ei conveniunt per essentiam secundum explicitum, sed secundum implicitum, ipsum esse autem seu exsistentia pura convenit ei per essentiam secundum explicitum.

2. Relationes ad intra non conveniunt Deo per essentiam, quia licet relationes identificentur cum essentia, et per eam definiantur, sed tamen essentia non identificatur ratione cum relationibus, neque per eas definitur, sed hae quasi superveniunt essentiae iam constitutae per maiorem expressionem: haec maior expressio non constituit deitatem, sed personam intra essentiam.

3. Tamen *relationes* non conveniunt Deo per participationem; participatio enim formalis facit compositionem cum subiecto, relatio autem non facit compositionem cum essentia divina, sed est solum maior expressio illius. Et generatim praedicata quae sunt solum maior expressio subiecti et ab eo distinguuntur ratione non mutuo, conveniunt subiecto, non per essentiam nec per participationem, sed per maiorem expressionem. Sic cum dicis: substantia est ens per se, perseitas convenit enti non per essentiam, nec per participationem, sed per maiorem expressionem subiecti.

233. Obiectiones. 1. Iuxta doctrinam expositam, homo est etiam ens per essentiam; quia ens non distinguitur ab homine neque re neque ratione, et est tota eius essentia; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* notio data est absurda.

Nego assertum. Ad probationem nego antecedens. Ens est praedicatum magis universale quam homo, et est trascendentale, ideoque convenit Deo et creaturis analogice: Deo per essentiam, creaturis autem per participationem duplicem: per dynamicam, quia a Deo est; per formalem, quia exsistentia convenit ei per formam ratione distinctam ab essentia. (Plura in OM n.354.)

ARTICULUS V

UTRUM DEUS SIT OMNIPERFECTUS

Thesis 18. Deus est essentialiter et absolute perfectus.

234. S. TH., 1 q.4 q.2; 1 CG c.31; SUÁREZ, DM 30,1,8; URRÁB., 1,221-239; HONTHEIM, *Theod.* p.293-302.

235. Notiones. PERFECTIO est omnis realitas qua aliquid constituitur perfectum. PERFECTUM autem *etymologice* est idem ac totaliter factum. In hoc sensu Deus non est perfectus quia non est factus. Perfectum autem *secundum rem* est illud, cui nihil deest eorum quae ei debentur.

Et potest esse perfectum SECUNDUM QUID ET SIMPLICITER. Perfectum *secundum quid* est illud quod substantialiter habet omnia, non vero quae accidentaliter debentur; sicut homo claudus, habet crura, sed non sana et recta. *Perfectum simpliciter* est illud quod habet quae debentur et substantialiter et accidentaliter.

Perfectum simpliciter potest esse RELATIVE ET ABSOLUTE PERFECTUM. Perfectum *relative* est illud cui nihil deest eorum quae sibi debentur, sed tamen non debentur omnes perfectiones possibiles, et sic bos et equus possunt esse simpliciter et relative perfecti. Perfectum *absolute* est illud cui nihil deest eorum quae sibi debentur, et debentur omnes perfectiones possibiles: hoc est idem atque omniperfectum. *Essentialiter* perfectum; significat esse perfectum ex essentia sua et non ex ulla donatione aut participatione.

236. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum Deus sit ens perfectum absolute et essentialiter, seu omniperfectum.

Responsio est affirmativa, et in eam conveniunt omnes catholici: solum contradicunt pantheistae pluralistae et finistae et pragmatistae americani, et RENAN et LE ROY [5].

237. Probatur thesis.

Prob. 1. (Ex eo quod Deus sit ipsum esse seu actualitas pura). Deus est ipsum esse seu actualitas pura; *atqui* actua-

[5] DESC., 2,621; OM n.49. RENÁN dicebat Deum esse mundum qui fit et ascendit altius; et similiter LE ROY concipit Deum ut fieri et devenire, *Le problème de Dieu,* nixus in doctrina tou fieri Bergsonis.

litas pura habet actu omnem omnino perfectionem possibilem; *ergo* Deus habet omnem perfectionem possibilem.

Maior supra est demonstrata, cum demonstravimus et essentiam Dei et ipsum Deum esse Ipsum esse subsistens seu actualitatem puram (n.217).

Minor: essentia enim Dei nequit *carere ulla actualitate,* secus constaret duobus constitutivis essentialibus, nempe et actualitate et restrictione actualitatis (sive per oppositionem ad ulteriorem actualitatem, sicut equus opponitur rationalitati, sive per capacitatem acquirendi ulteriorem actualitatem), quod est impossibile, iuxta demonstrata. Si autem essentia Dei nequit carere ulla actualitate, *nequit carere ulla perfectione possibili,* secus careret actualitate illius perfectionis, quam non habet (n.124-126).

238. *Prob. 2.* (*Ex origine omnium a Deo*). Deus habet actu omnes perfectiones possibiles, si et ipse creavit omnia quae sunt extra ipsum, et si ipse potest creare omnia possibilia; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus habet omnes omnino perfectiones possibiles.

Maior patet: nam causa continet perfectionem effectuum, si est causa adaequata et sufficientissima ut est Deus.

Minor probatur. *a*) Deus creavit de facto ex nihilo omnia quae sunt extra ipsum. Nam ens necessarium et increatum est unicum; *ergo* quidquid est extra ipsum ab ipso creata sunt; si enim non creata essent ab ipso, vel sunt increata, vel sunt producta ab alio increato, et in utraque hypothesi affirmatur exsistere plus quam unum ens necessarium et increatum. Quod autem ens necessarium seu Deus sit unicus, iam patet, et postea magis declarabitur ex hac ratione; quia essentia entis necessarii ut talis, est actualitas seu exsistentia pura; atqui quod exsistit est unicum et immultiplicabile; ergo essentia entis necesarii est unica et immultiplicabilis.

b) Et Deus potest creare omnia omnino possibilia, saltem distributive et mediate. Nam possibile, iuxta Aristotelem, est illud ex quo, si poneretur in exsistentia, nullum sequeretur contradictorium. Si autem nulla esset causa actualis possibilium, tunc si ponerentur in exsistentia, sequeretur hoc contradictorium, quod illa entia essent a se, quia nullam haberent causam proportionatam ex hypothesi; et non essent a se, quia sunt contingentia. Ergo debet esse causa proportionata possibilium, quae saltem remote est Deus (ex notissimo dilemmate; aut illa causa est a se, aut non est a se, etc); unde Deus potest producere omnia possibilia.

Prob. 3. (Ex divisione omnis perfectionis). Omnis omnino perfectio aut est increata aut creata et creabilis; si est increata, est in ipso, quia increatum est unicum; si autem est creata vel creabilis, omnes sunt actu in ipso; quia ipse creavit omnia creata, et potest creare omnia creabilia, et causa continet actu omnem perfectionem effectuum. *(Obiectiones, in thesi sequenti.)*

ARTICULUS VI

De modo quo Deus continet perfectiones omnes

Thesis 19. Perfectiones simpliciter simplices Deus continet actu formaliter, mixtas vero solummodo virtualiter, aequivalenter et eminenter.

239. S. Th., 1 q.4 a.2; 1 CG c.31; Suárez, DM 1,8; Urráb., I, p.228; Hontheim, p.297.

240. Notiones. Perfectiones aliae sunt stricte et proprie DIVINAE, ut sunt aseitas, aeternitas, et hae sunt in Deo formaliter.

Aliae sunt perfectiones SIMPLICES[6], quae non implicant ullam imperfectionem, dicunt tamen oppositionem cum alia aequali, et non est melius habere eam quam habere oppositam: tales sunt relationes immanentes in Sma. Trinitate, quae sunt propriae personarum, non vero sunt constitutiva divinae essentiae. Neque de his loquimur.

Aliae perfectiones sunt SIMPLICITER SIMPLICES, quae in suo conceptu non includunt ullam imperfectionem neque oppositionem cum alia aequali vel maiore, et simpliciter in omni casu melius est habere eas quam non habere, v. c. sapientia.

Aliae perfectiones sunt MIXTAE, quae in suo conceptu implicant imperfectionem: tales sunt omnes perfectiones, quae possunt praescindere ab omni imperfectione, sed tamen prout sunt in creaturis imperfectionem dicunt, ut sapientia creata; et praeterea omnes illae quae ab imperfectione non possunt praescindere, ut sunt corpus, accidens, equus. In thesi loquimur solummodo de perfectionibus simpliciter simplicibus et de mixtis, nam de propriis essentiae divinae et de relationibus immanentibus constat esse formaliter in Deo.

241. CONTINERE PERFECTIONEM est habere eam. Et potest haberi perfectio intentionaliter et physice.

INTENTIONALITER CONTINERE est aliquam perfectionem intelligere aut amare: sic Deus per intellectum continet formaliter omnia intelligibilia, et per voluntatem omnia quae decrevit creare.

PHYSICE CONTINERE est habere realitatem ipsam perfectionum. Et hoc potest contingere formaliter, aequivalenter, virtualiter et eminenter.

[6] Suárez, *De Trinitate* 1.3 c.8 n.10 et c.10 n.4.

Continere perfectionem FORMALITER est eam habere secundum propriam notionem illius perfectionis, v.c. sapientiam continet formaliter qui habet notitias certas de rebus secundum ultimas causas.

Continere perfectionem AEQUIVALENTER est habere perfectionem aequalem vel etiam superiorem quae praestet quod praestat perfectio inferior, ita tamen ut non possit producere eam: sic angelus continet aequivalenter perfectionem sensuum, et equi, quia per intellectum praestat excellentius id quod praestat sensus, et per potentiam activam potest facere quod facit equus, et amplius.

242. Continere perfectionem VIRTUALITER est eam producere. Omnis autem qui continet virtualiter effectum, eo quod possit producere illum, continet etiam eius perfectionem vel formaliter vel eminenter.

Continere perfectionem EMINENTER est continere perfectionem meliorem, quae possit producere eam quae dicitur contineri eminenter. Aliqui dicunt continere eminenter esse continere perfectionem v.c. canis sine imperfectionibus canis. Sed hoc est inintelligibile: quia habere perfectionem canis sine imperfectionibus canis non est continere perfectionem canis sed aliud, et sic nihil explicatur [7].

243. Status quaestionis. Quaerimus ergo quomodo Deus contineat omnes perfectiones creaturarum, ita ut non ponamus in Deo ullam imperfectionem aut monstruositatem ex coniunctione rerum tam dissimilium.

Sententiae. *Prima* est pantheistarum, qui dicunt Deum esse omniperfectum, eo quod contineat formaliter omnes omnino realitates huius mundi, ita ut non sit distinctus ab illis. Hic error iam refutatus est cum diximus Deum esse distinctum a mundo, et actum purum et unicum, et magis declarabitur cum exponamus eius simplicitatem et immutabilitatem.

Nostra sententia est omnium catholicorum, et tenet Deum continere actu omnes perfectiones, et quidem simpliciter simplices formaliter, mixtas vero virtualiter, aequivalenter et eminenter. Thesis est certissima.

244. Probatur thesis. I P. PERFECTIONES SIMPLICITER SIMPLICES DEUS CONTINET FORMALITER.

[7] SUÁREZ, DM 30,1,10-12.

Prob.1. (Ex thesi priore.) Deus continet omnes omnino perfectiones et nullam imperfectionem; *atqui* perfectiones simpliciter simplices formaliter consideratae sunt perfectiones et nullam includunt imperfectionem; *ergo* Deus continet perfectiones simpliciter simplices formaliter. *Maior* constat ex thesi superiore, et *minor* ex ipsa notione perfectionis simpliciter simplicis.

Dices: perfectiones simpliciter simplices non includunt imperfectionem saltem patentem, sed implicite et occulte fortasse includant imperfectionem, propter quam non possint esse in Deo.

Resp. 1. Nulla est ratio suspicandi talem imperfectionem occultam. *Resp. 2.* Argumento sequenti probatur eas esse in Deo formaliter, ideoque nullam includere imperfectionem.

245. *Prob.2. (Ex eo quod Deus est causa omnium.)* Deus non potest esse imperfectior suis creaturis; *atqui* si non haberet formaliter perfectiones simpliciter simplices, v.c. sapientiam seu cognitionem, esset inferior suis creaturis; *ergo* Deus habet formaliter perfectiones simpliciter simplices, v.c. sapientiam.

Minor constat: si enim Deus caret notitia formali rerum, est ignorans et veluti truncus, ideoque neque est dignus veneratione et cultu, neque habebit dominium ullius rei, neque erit legislator, et consequenter inferior erit suis creaturis.

Nec dicas Deum posse habere eas perfectiones solum eminenter: nam si caret v. c. notitia formali, sed habeat solum eminenter, erit veluti truncus, et imperfectior creatura, et ita non habebit neque eminenter: hae perfectiones non possunt haberi modo meliori quam formali.

246. II P. MIXTAS VERO NON CONTINET FORMALITER SED VIRTUALITER, AEQUIVALENTER ET EMINENTER.

A. MIXTAS VERO NON CONTINET FORMALITER. Nam Deus non potest continere ullam imperfectionem; iam vero, si contineret formaliter perfectiones mixtas, contineret multas imperfectiones: sic si contineret aquam formaliter, diffunderetur, divideretur, dissolveretur.

B. SED VIRTUALITER. Continere virtualiter est posse producere perfectiones mixtas; *atqui* Deus potest facere eas, quia sunt entia contingentia et Deus potest facere omne ens contingens; *ergo* continet eas virtualiter.

C. ET AEQUIVALENTER. Continere aequivalenter est Deum posse praestare meliore modo quod praestat creatura saltem efficienter; *atqui* Deus potest praestare meliore modo omnia

quae possunt praestare creaturae; *ergo* continet omnes perfectiones creatas mixtas aequivalenter. *Minor:* sic si homo discurrit ut cognoscat, Deus melius cognoscit sine discursu; si equus cognoscit sensitive, Deus multo melius cognoscit. Si lapis opprimit et impellit alia pondere et mole sua, Deus potest opprimere et impellere mere efficienter, non autem mole sua.

D. ET EMINENTER. Deus continet perfectiones mixtas eminenter, si continet perfectionem ordinis multo superioris, quae potest praestare omnia quae praestat creatura meliore modo, et si potest eas perfectiones mixtas producere efficienter; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus continet perfectiones mixtas eminenter. *Maior* patet, quia in hoc sensu volo demonstrare thesim. *Minor* constat ex B et C.

247. Scholia. 1. Perfectiones mixtae sunt similes essentiae divinae analogice secundum aspectus positivos et *abstractiores,* quia hae perfectiones secundum totam suam perfectionem et realitatem sunt ens, unum, verum, bonum, substantia, virtus, perfectio; et sub his rationibus transcendentalibus sunt imitationes et similitudines formales, licet analogicae divinae essentiae. Secundum vero rationes *specificas* sunt imitationes formales divinae ideae, sed non divinae essentiae a qua recedunt, ut diversi modi finitudinis; finitudo autem formaliter constituitur negatione ulterioris realitatis possibilis, quae non est in Deo.

2. Ergo nulla perfectio creaturarum est in Deo formaliter *ut est in creatura.* Nam in creatura est perfectio mixta, contingens et creata, et in Deo non sunt formaliter perfectiones mixtae, sed solum eminenter. Tamen sunt in Deo formaliter perfectiones creaturarum, in quantum possunt exhiberi conceptu praescindente ab imperfectione.

248. 3. Nulla realitas, quae est extra Deum, habet valorem nisi per dependentiam essentialem a Deo. Omnia enim dependent a Deo essentialiter, quia ens increatum est unicum; ergo cetera extra ipsum sunt creata ab ipso, saltem mediate: secus vel essent increata vel procederent a re non creata a Deo.

Et dependent quoad essentiam et possibilitatem; quia res extra Deum non possunt exsistere nisi ut effectus Dei; *atqui* effectus non habent realitatem possibilem nisi eius perfectio contineatur in essentia causae; *ergo* omnis effectus Dei ideo est possibilis, quia eius perfectio continetur in essentia Dei, ideoque a Deo est omnis possibilitas intrinseca. Dependent etiam quoad *exsistentiam,* quia indigent divina actione ut possint exsistere.

N. B. Creaturae sunt imitationes divinae essentiae, non casu et logice, sicut quaelibet res est imitatio rei similis, sed *per assimilationem causalem.* Item non sunt imitatio per totalem communicationem identicae naturae sicut Filius Dei, sed per veram dependentiam causalem et efficientem. Sunt igitur ens per *participationem dynamicam,* seu per dependentiam *positivam et radicalem; po-*

sitivam, quia sunt imitationes divinae essentiae; *radicalem,* quia sunt indigentiae (seu habent indigentiam) divinae actionis ut exsistant. Vel aliis verbis, sunt per *participationem dynamicam,* quia non sunt nisi *imitationes causales* divinae essentiae, ut effectus est imitatio suae causae totalis et sufficientissimae.

249. 4. Multae res exsistunt *extra Deum,* sed non ideo debet dici Deus carere perfectionibus earum rerum. Nam totus valor earum est per meram dependentiam a Deo ideoque summa entitatis creaturarum et Dei non constituit maius ens, licet constituat plura entia et plures varietates entium. Sicut in Statu praeter supremum magistratum sunt plures alii magistratus, et tamen summa potestatis magistratuum minorum et supremi non est maior quam potestas solius magistratus supremi, si ab eo ceteri recipiunt. Et si discipuli discunt a magistro, et solum sciunt quae a magistro didicerunt, non est maior scientia in summa discipulorum et magistri quam in solo magistro, sed tamen sunt plures scientes.

250. Nec ideo sumus *pantheistae.* Aliquis enim potest obicere: Deus continet omnes perfectiones possibiles, et quidem actu; *ergo* extra Deum nulla est perfectio possibilis, ideoque nihil est nisi Deitas.

Dist. antec.: eminenter et virtualiter, conc.; formaliter, *subdist.: secundum quod conceptu aliquo communi exhibentur, conc.;* secundum identitatem numericam, *nego. Et pariter dist. cons.* si Deus continet eminenter et virtualiter, *nego;* si eas continet formaliter, *iterum dist.:* si eas continet numerice, *conc.;* si solum secundum quod conceptu aliquo communi exhibentur, nego.

251. Obiectiones. 1. *(Deus non continet formaliter perfectiones simpliciter simplices.)* Patres dicunt in Deo non esse ens aut substantiam aut vitam, sed supraens, suprasubstantiam, supravitam; *ergo* docent non esse in Deo has perfectiones formaliter, sed quodammodo aequivoce[8].

Dist. mai.: Deus non est proprie ens, substantia et vita, univoce, *conc.;* analogice, *nego; et contradist. cons.:* si negarent haec esse in Deo analogice, *conc.;* si solum negant univocitatem, *nego.*

252. 2. Deus est causa aequivoca; *atqui* si est causa aequivoca, non convenit formaliter cum perfectionibus quas nos concipimus; *ergo* Deus non continet formaliter perfectiones quas nos concipimus.

Dist. mai.: Est aequivoca stricte, sive a casu sive a consilio, *nego;* est aequivoca improprie dicta, i. e. *metaphysice, analoga, conc. Et contradist. min.*

253. 3. In Deo est una simplicissima entitas sine ulla varietate; *atqui* si contineret formaliter perfectiones simpliciter simplices, in Deo adesset varietas; *ergo* in Deo non sunt illae perfectiones formaliter. *Maior:* quia est ipsum esse.

Dist. mai.: Sine ulla varietate secundum rem, *conc.;* secundum rationem et fundamentaliter, *nego. Et contradist. min.:* adesset varietas secundum rem, *nego;* fundamentaliter, quatenus dat fundamentum ut vere concipiamus eum ut intelligentem et volentem formaliter, *conc.*

---

[8] URRÁB., 1,222; OM n.407-410.

254. 4. Si darentur in Deo perfectiones simpliciter simplices formaliter, essent accidentia propria quia ex essentia necessario derivantur; *atqui* in Deo nulla sunt accidentia; *ergo* non sunt in Deo illae perfectiones formaliter.

Nego maior.; ad probat. dist. assertum: ex essentia derivantur stricte et proprie *nego;* improprie et a simultaneo, *conc.*

255. 5. Diversis nostris conceptibus respondent diversae res (secus essent synonymi, sicut volunt agnostici dogmatici); *atqui* si diversis conceptibus respondent diversae res, ponitur in Deo diversitas rerum et tollitur simplicitas; *ergo* conceptus illi non conveniunt Deo.

Dist. mai.: distinctae realiter aut secundum rationem perfecte, *nego;* diversae res solum secundum rationem et cum distinctione imperfecta, *conc.; et contradist. min.:* si responderent diversae res distinctae realiter aut secundum rationem perfecte, *conc.;* si distinctae solum secundum rationem et imperfecte, *nego.* (Plura in OM, nn.450-454.)

CAPUT II

Quodnam ex his praedicatis exprimat essentiam metaphysicam et physicam Dei

ARTICULUS I

DE ESSENTIA METAPHYSICA DEI

Thesis 20. Essentia metaphysica Dei consistit in praedicato "Ipsum esse".

256. SUÁREZ, *De Deo Uno* 1.1 c.3 n.1-3; PETAVIUS, *De theol. dogmat.* 1.1 c.6; URRÁB., 1,270-292; FRANZELIN, *De Deo* th.20.22; PICCIRELLI, *De Deo* n.281; OM n.358-369.

257. Nexus. Iam investigavimus omnia praedicata quidditativa Dei, quae scilicet ei conveniunt ut exprimentia totam realitatem, et non ut aliquid per modum adiectivi aut supervenientis essentiae iam constitutae. Nunc autem determinandum est quodnam ex his sit essentia metaphysica, quodnam vero sit essentia physica.

258. Solutio huius problematis est magni momenti ad construendum systema metaphysicum. Totum enim systema metaphysicum construitur supra duplex hoc praedicatum essentiale Dei et creaturae: "Deus est ipsum esse", et ex eo derivantur a priori omnia eius attributa characteristica; et "creatura est ens per participationem", seu est dependens essentialiter a Deo, ex quo derivantur a priori omnia attributa characteristica creaturae.

259. Notiones. ESSENTIA est id quo res constituitur in aliquo gradu vel ordine entitatis distincto ab omni alio, formaliter et primo. Termini huius descriptionis iam supra explicati sunt (n.200).

Essentia potest multis *aliis modis describi:* v.c. essentia est id quo res est id quod est formaliter et primo; vel est id, quo posito, res ponitur formaliter et primo, et quo non posito res nondum posita est formaliter et primo; vel id quo concepto, res formaliter et primo constituta concipitur, et quo non concepto, res nondum formaliter et primo constituta concipitur.

260. Essentia potest esse physica et metaphysica.

ESSENTIA PHYSICA est essentia prout est vel esse potest in re independenter a mentis distinctionibus; sic essentia physica hominis est corpus et anima unita; essentia physica angeli est tota eius entitas simplex prout est distincta ab accidentibus.

261. ESSENTIA METHAPHYSICA est essentia prout constat duplici elemento, communi et differentiali; per partem communem convenit cum omnibus quae non sunt ipsa res; et per partem differentialem differt ab omnibus quae non sunt ipsa res. Pars *communis* obtinetur comparando rem cum omnibus aliis, et colligendo ea in quibus convenit cum illis; pars *differentialis* retinet id quo differt ab omnibus aliis et est radix ceterorum quae sint necessario et proprie in re.

262. Essentia metaphysica potest esse PROPRIE ET STRICTE dicta, si constat partibus mutuo et perfecte distinctis secundum rationem, ut sunt genus et differentia.

Potest esse etiam PROPRIE ET MINUS STRICTE dicta, si pars communis et differentialis distinguuntur ratione non mutuo et imperfecte, ita ut pars differentialis sit solum maior expressio partis communis, ut si substantia definitur ens per se, vel Deus describatur Ens per essentiam, vel Esse Subsistens, vel Actus Purus.

Denique potest esse IMPROPRIE DICTA, si colliguntur omnia praedicata communia et unum differentiale, licet aliqua ex communibus deducantur ex differentiali, ut cum Deus describitur "Ens substantiale vivens, spirituale, intelligens per essentiam": nam in hac descriptione termini "vivens et spirituale" deducuntur veluti a priori ex eo quod sit ens per essentiam vel Ipsum esse subsistens.

263. Status quaestionis. Nos quaerimus quaenam sit essentia metaphysica Dei proprie, licet minus stricte dicta [1].

264. Sententiae. *Prima* tenet essentiam metaphysicam Dei esse aseitatem seu ens a se. Sed ens a se, in quantum dicit non esse ab alio, derivatur ex Ipso esse; et in quantum dicit exsistere vi essentiae, dicit aequivalenter consistere in Ipso esse.

Secunda tenet eam consistere in intellectione subsistente; sed intellectio derivatur ex eo quod res sit spiritualis, ideoque non est primum praedicatum differentiale [2].

Tertia tenet eam esse amorem vel libertatem [3]: sed patet amorem et libertatem derivari a priori ex intellectione, ideoque non sunt primo in re.

265. *Quarta* dicit esse cumulum omnium perfectionum: sed haec sententia designat essentiam physicam: nam indicat explicite, licet confuse, omnes perfectiones quae sunt in Deo a parte rei independenter a nostris distinctionibus rationis, et non aliquod praedicatum primum et differentiale ex quo, modo nostro concipiendi, deducantur quasi a priori reliqua quae necessario sint in Deo.

Quinta tenet consistere in infinitate. Sic scotistae. Sed haec sententia admitti nequit. Nam vel infinitas significat *cumulum* perfectionum, et sic indicat essentiam physicam; vel indicat *modum* attributorum, et sic iam supponit constitutam essentiam ex qua deriventur attributa; vel denique indicat *radicem* ultimam ex qua resultat infinitudo, et sic verum dicit, sed non explicat in quo consistat illa radix; vel si expliest "*Ens*"; praedicatum vero differentiale est "*quod sit Ipsum* esse subsistens [4].

266. *Nostra* sententia docet essentiam metaphysicam Dei consistere in eo quod Deus sit *Ipsum esse subsistens*, seu *actualitas pura seipsa subsistens.* Ubi praedicatum commune est "*Ens*"; praedicatum vero differentiale est "*quod sit Ipsum*

[1] Alii vocant Ipsum attributum centrale: sic WOESTYNE, *Cursus* 2,751; vel attributum fundamentale. Cf. MERCIER, *Traité de Phil.* (Louv.) 2,59.

[2] Qui reponunt essentiam Dei in intelligere, alii reponunt in intelligere radicali remoto quod est spiritualitas, ut CAIETANUS; alii in intelligere radicali proximo, quod est intellectus: sic ARRUBAL, ARRIAGA, GODOY; alii in intelligere actuali subsistente, ut IO. a S. TH., GONET, BILLUART, ISAMBERTUS, MAQUART, et CLARENCE FINLAYSON.

[3] Essentiam divinam reponunt in voluntate, et quidem quatenus est libertas: SECRETAN († 1895), qui dicit Deum esse quod vult, et habere libertatem quia libere hoc vult; LEQUIER († 1865); BOUTROUX († 1921).

[4] DE WOESTYNE reponit in infinitate radicali, *Cursus* 2,752.

Esse", et proinde definitio quasi metaphysica Dei erit: *Deus est Ens quod sit Ipsum esse subsistens.* Haec est sententia S. Thomae, Suárez et omnium thomistarum, eamque habemus ut certissimam, nec credo adversarios, si ita intelligant terminos, dissensuros [5].

267. Probatur thesis. Essentia metaphysica Dei debet continere partem communem et partem differentialem, quae partes non deducantur a priori ex aliis elementis intrinsecis, et ex quibus cetera characteristica quae sunt in re necessario intelligantur derivari a priori; *atqui* tale est praedicatum "Ipsum esse subsistens"; *ergo* in hoc praedicato consistit essentia metaphysica Dei.

Maior continet notionem essentiae metaphysicae. Et *minor* probatur per partes: *a)* Continet partem communem et differentialem. Pars communis est Esse, in quo convenit cum quolibet esse, analogice; pars vero differentialis est Ipsum, seu subsistens: haec enim differentia significat essentiam Dei identificari re et ratione cum exsistentia, excludi omnem non actum et praesertim ullam indigentiam subiecti sustentantis aut subsistentiae ut subsistat.

b) Hae partes non deducuntur ex aliis praedicatis prioribus. Nam esse non deducitur ex alio, sed est primum datum in qualibet realitate. Et ipsum esse subsistens, non deducitur ex alio intrinseco. Nam aut deduceretur ex notione tou esse, aut ex aseitate aut ex infinitate, de quibus unice posset disputari.

Iam vero non deducitur ex sola ratione *tou esse,* secus omne esse esset ipsum esse, i.e. actualitas pura seipsa subsistens.

Neque deducitur ex ratione *entis a se:* nam ens a se aut intelligitur negative, ut *non ab alio:* et haec negatio non est aliquid primum in ente, sed fundatur in alio positivo, quod erit prius; vel intelligitur positive ut exsistens vi essentiae formaliter, et hoc est omnino idem ac Ipsum esse.

Nec deducitur ex *infinitate*: nam infinitas vel est *cumulus* omnium perfectionum, et sic est essentia physica; vel est *modus* attributorum, et hoc iam supponit essentiam constitutam ex qua emanant attributa; vel est *radix* ultima infinitatis, et hanc radicem vel non explicant, vel si explicant, coincidunt nobiscum, quia talis radix est Ipsum esse.

---

[5] Consentit th.23 ex 24 thomistis.

c) Et ex hac differentia characteristica deducuntur a priori reliqua attributa characteristica Dei, ut probabitur in tota theodicea, et aliquo modo expositum fuit nn.120-133.

268. Scholium. *Per oppositionem ad essentiam metaphysicam Dei, quaenam est essentia metaphysica creaturae?* Sunt duae sententiae: *prima* tenet essentiam metaphysicam creaturae esse compositionem realem ex actu et potentia, seu ex essentia et exsistentia; dependentia vero a Deo et omnia alia praedicata characteristica creaturae ex hac compositione deduci[6].

Secunda sententia habet partem negativam et positivam. In parte *negativa,* non admittit essentiam metaphysicam creaturae esse *compositionem realem* ex essentia et exsistentia, quia hanc distinctionem iudicat impossibilem; imo nec vult admittere essentiam metaphysicam creaturae esse *compositionem rationis* ex essentia et exsistentia, nam essentia metaphysica non derivatur ex alio praedicato priori, haec autem compositio rationis derivatur solum ex eo quod creatura sit essentialiter dependens a Deo. In parte *positiva* asserit essentiam metaphysicam creaturae consistere in dependentia positiva et radicali a Deo (n.248, NB). Hoc enim praedicatum facit creaturam a Deo differre primo, quia ex nullo alio praedicato priori deducitur, et ex illo derivantur quasi a priori omnia attributa characteristica creaturae[7]. Haec secunda sententia praeferenda est iuxta S. Thomam et iuxta P. Geiger O. P.[8].

269. Obiectiones. 1. Essentia metaphysica Dei debet esse aliquid characteriscum Dei, non vero aliquid commune cum multis; *atqui* esse est aliquid commune cum multis; *ergo* esse non est essentia metaphysica Dei. *Minor:* nam esse convenit omnibus exsistentibus.

Conc. mai.; dist. min.: esse abstractum est commune cum multis, *conc.;* esse concretum et per se ipsum subsistens, *nego; et dist. pariter cons. et probationem.*

2. Essentia metaphysica Dei debet distingui ab attributis et proprietatibus; *atqui* ipsum esse non distinguitur ab attributis Dei; *ergo*

---

[6] Norb. del Prado, *De veritate fundamentali philosophiae christ.* (Friburgi Helvetiorum 1911) p.170-171; Breuer, S.D.C., *Der Gottesbeweis b. Thomas u. Suárez* (Freiburg Sweitz 1929) et passim ap. thomistas.

[7] Suárez, DM 31,14,1-11; J. Hellín, *La analogía del ser* (Madrid 1947); Idem, *Sobre el constitutivo esencial y diferencial de la criatura: Actas del IV centenario del nacimiento de Francisco Suárez* (Madrid 1948) vol.1 p.251-291.

[8] Geiger, *La partic.pation dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin* (Paris 1942) p.64.239.244.393. Admittit quidem realem distinctionem inter essentiam et exsistentiam, sed ait hoc non esse praedicatum primum et fundamentale creaturae, sed similitudinem hierarchicam, seu per dependentiam. S. Thomas dicit creaturam non differre a Creatore ob realem distinctionem essentiae et exsistentiae, sed quia creatura est dependens ab alio, et Creator a nullo dependet: *Dato igitur quod creatura esset ipsum suum esse sicut et Deus, adhuc tamen esse creaturae non haberet rationem boni nisi praesupposito ordine ad Creatorem; et pro tanto adhuc diceretur bona per participationem et non absolute in eo quod est. Sed esse divinum, quod habet rat'onem boni non praesupposito alio, habet rationem boni per seipsum, et haec videtur esse intentio Boetii in libro de hebdomadibus* (*De verit.* q.21 a.5 c). Imo asserit realem distinctionem inter essentiam et exsistentiam non posse probari ex participatione efficiente sive dynamica. "*Non omne acceptum (ab alio) est receptum in aliquo subiecto, alioquin non posset dici quod tota substantia rei creatae sit accepta a Deo, cum totius substantiae non sit aliquod subiectum receptivum*" (S. Th., 1 q.27 a.2 ad 3).

ipsum esse non est essentia metaphysica Dei. *Minor:* quia attributa non distinguuntur inter se et ab essentia perfecte.

Dist. mai.: debent distingui realiter aut secundum rationem perfecte, *nego;* saltem ratione et imperfecte et secundum explicitum, *conc. et contradist. min.*

3. Essentia metaphysica est illud quod primum concipitur de re; *atqui* quod primum concipitur de Deo est ens a se; *ergo* ens a se est essentia metaphysica.

Dist. mai.: quod primo concipitur quasi chronologice, *nego;* quod concipitur ut primum, seu non ex alio derivatum, et ex quo cetera derivantur quae sunt necessario in re, *conc.; et contradist. min.:* ens a se est quod concipitur primo quasi chronologice de Deo, *conc.;* quod concipitur ut primum, *nego.*

Ens a se duó dicit: negative, non esse ab alio, et hoc derivatur ex alio priori, quod est ipsum esse; positive dicit exsistere vi essentiae suae formaliter, et hoc est idem atque Ipsum esse. (Plura in OM, nn.367-369.)

ARTICULUS II

De essentia physica Dei

Thesis 21. Essentia physica Dei consistit in omniperfectione absoluta.

270. Nexus. Iam supra est demonstratum essentiam metaphysicam Dei esse actualitatem puram seu ipsum esse per se subsistens; quia hoc praedicatum est distinctum ratione a reliquis omnibus, et ex hoc primo reliqua concipiuntur quasi a priori deduci. Nunc quaerimus quaenam sit essentia physica, seu tota illa realitas divina quae est a parte rei, independenter a nostris distinctionibus, et quae non sit ullum accidens aut proprietas.

271. Sententiae. *Prima* est essentiam physicam Dei esse totam realitatem Dei, etiam relationes immanentes: nam in Deo nulla sunt accidentia aut proprietates stricte dictae emanantes ab essentia; ergo tota eius realitas est essentia. Haec sententia admitti non potest: quia unaquaeque persona divina est tota essentia physica Dei; atque tamen unaquaeque persona non est alia persona; ergo signum est essentiam physicam non constitui personalitatibus seu relationibus [9].

Secunda tenet essentiam physicam Dei philosophice consideratam esse totam realitatem, quae est in Deo, etiam re-

---

[9] PESCH, *De Deo Uno* n.622; FRANZELIN, *De Deo Trino* th.21; CAIETANUS, BAÑEZ, VALENTIA, KLEUTGEN, TANNER.

lationes immanentes; nam quoniam ibi nulla sunt accidentia aut proprietates stricte dictae, omnis realitas est essentia. Sed theologice consideratam, essentiam physicam ait esse omnem perfectionem absolutam, non relationes immanentes: sic MENDIVE[10].

Nostra sententia est communior, et dicit essentiam physicam esse omnem perfectionem absolutam et non relationes. Haec sententia coincidit cum thesi, quam posset statuere qui ignoraret revelationem et nesciret in Deo esse relationes reales immanentes[11].

272. Probatur thesis. Nam essentia physica est tota illa realitas quae est in re, et non est neque accidens neque proprietas: *atqui* sola omniperfectio absoluta est tota realitas quae est in Deo, et non est accidens neque proprietas; *ergo* sola omniperfectio absoluta est essentia physica Dei.

Maior patet ex notionibus essentiae physicae. *Minor* autem probatur. In *primis* quod omniperfectio absoluta sit in Deo independenter a nostris distinctionibus mentalibus, patet, quia non est unum aliquod praedicatum praecisum ab aliis, sed dicit omnem Dei realitatem prout est in re. *Secundo,* cetera quae sunt in Deo, v.c. perfectiones relativae, concipiendae sunt ad modum proprietatum et non ad modum praedicati constitutivi essentiae: nam si relationes essent constitutivum essentiae physicae, de quocumque praedicaretur essentia per identitatem, praedicarentur et omnes relationes, quod non accidit: nam Pater vere et integre est Deus, et vere et integre habet totam essentiam physicam Dei; *atqui* tamen non de illo praedicantur per identitatem ceterae relationes, ut Filius aut Spiritus Sanctus; *ergo* relationes non pertinent ad constitutivum essentiae divinae physicae.

10 MENDIVE, *De Deo Uno et Tr.* p.25-29; IZQUIERDO, MARÍN, WIRCEBURGENSES.
11 SUÁREZ, *De Trinit.* 1.4 c.5; MOLINA, VÁZQUEZ, RUIZ DE MONTOYA, PICCIRELLI, MUNCUNILL, *De Deo Uno et Tr.* n.78ss.

CAPUT III

Quomodo cognoscamus essentiam Dei

ARTICULUS I

QUOMODO COGNOSCAMUS ESSENTIAM DEI PER NOMINA ET CONCEPTUS COMMUNES

Thesis 22. Nomina perfectionum simpliciter simplicium non conveniunt Deo et creaturis aequivoce aut univoce, neque per analogiam extrinsecam, sed per analogiam metaphysicam attributionis intrinsecae.

273. S. TH., in 1 *prologo* q.1 a.2 ad 2; 1 q.13 a.3.6; IDEM, *De verit.* q.2 a.2.11; 1 CG c.29.30.33; *De Pot.* q.7 a.2.5.7; SUÁREZ, DM d.28 s.3; URRÁB., 1,239-258, et 296-301; DESC., *Instit. Met. Gener.,* 1,206-294, et 598, et 180-182, bibl.; IDEM, *Theol. Nat.* 1,735-840, plene; LE ROHELLEC, *Problèmes philosophiques* (Paris 1933); J. HELLÍN, *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez* (Madrid 1947); OM n.430-460; FRANZELIN, *De Deo Uno* p.127-138.

274. Nexus. Constat nos cognoscere essentiam Dei, siquidem de illa loquimur et eius constitutivum designavimus. Restat quaerere quomodo eam cognoscamus et quomodo eam non cognoscamus. Quomodo Deum non cognoscamus postea explanabimus, cum declarabimus eum esse naturaliter invisibilem, absolute incomprehensibilem, et ineffabilem. Nunc autem oportet declarare quomodo illum cognoscamus.

De Deo autem habemus et conceptus communes cum aliis entibus, ut cum eum dicimus ens, substantiam, viventem, sanctum; habemus etiam conceptum proprium, tum distinctum, ut cum dicimus Deum esse ens increatum et Omnipotens, tum confusum, ut cum eum nominamus simpliciter Deum. Quaerimus ergo quam cognitionem habeamus de Deo per omnes hos conceptus. Materiam dividemus in duo capita: primum erit de cognitione Dei per conceptus communes; secundum de cognitione Dei per conceptus proprios.

275. Notiones. Quoniam nomen analogum est nomen commune, quod multipliciter dividitur, prius explicabimus notiones nominis communis et praecipuarum divisionum.

NOMEN COMMUNE est quod de multis dicitur, v.c. ens. Potest esse aequivocum a casu, univocum et analogum.

AEQUIVOCUM A CASU est illud quod de pluribus dicitur a casu, sine ulla similitudine et dependentia, ut taurus dictus de civitate et de animali.

UNIVOCUM est illud quod dicitur de multis eodem modo

secundum conceptum, ita ut si sit in inferioribus aliqua diversitas, haec non sit in ratione communi, sed in differentiis superadditis, quae non definiuntur per rationem communem. Sic animal dictum de tauro et de homine, est notio penitus eadem; si autem est diversitas in inferioribus de quibus dicitur, id debetur non animalitati, sed differentiis specificis, ut sunt cornuitas vel rationalitas, quae nequaquam per rationem animalitatis definiuntur.

ANALOGUM est quod dicitur de multis *partim* eodem modo, quia eadem semper forma significatur; *partim* diverso modo, quia modus habendi eamdem formam diversus est in inferioribus; vel brevius, analogum est quod in inferioribus est idem et diversum secundum diversos respectus.

276. Analogum potest esse extrinsecum et intrinsecum seu metaphysicum.

Analogum EXTRINSECUM (quod etiam aequivocum a consilio dicitur), significat eandem numero formam, ita tamen ut in uno sit intrinsece et formaliter, in aliis sit solum per habitudinem extrinsecam ad illam formam. Haec habitudo potest esse *a)* similitudo in operando; et est analogia propria metaphorae: sic Beata Virgo dicitur ianua coeli, quia similis est ianuae in officio aperiendi ingressum; *b)* vel habitudo ad alium potest esse causae, signi, medii: sic medicina dicitur sana, quia potest causare sanitatem; color dicitur sanus, ut signum; vestis dicitur religiosa, quia destinatur alicui religioso. De his analogis extrinsecis non agimus in philosophia, et pertinent ad campum litterarum.

Haec analoga non habent eumdem conceptum in inferioribus. Et sic sanum, dictum de animali, significat rectam compositionem humorum; et dictum de colore sognificat indicium bonae compositionis humorum.

277. ANALOGUM INTRINSECUM est illud quod verificatur formaliter et intrinsece in omnibus inferioribus, sed tamen diverso modo. Et potest esse attributionis intrinsecae et proportionalitatis.

Analogum metaphysicum ATTRIBUTIONIS INTRINSECAE significat formam quae formaliter et proprie et intrinsece in omnibus inferioribus reperitur, et in eisdem diversificatur essentialissime per ordinem prioritatis et posterioritatis, quae diversitas per conceptum communem repraesentatur, licet solum confusive et sub ratione communi.

Quare has habet notas: *prima* est ut conceptus obiectivus sit unus et praecisus, et quidem imperfecte unus et praecisus, quia transcendit omnes differentias. *Secunda,* ut diversificetur essentialissime in inferioribus ratione sui, quia ipsa ratio communis diversissimo modo in eis verificatur: haec vero diversitas debet esse per ordinem prioritatis et posterioritatis, quia in uno verificatur principaliter, et in aliis secundario et cum referentia ad primum. *Tertia,* illa diversificatio realis est talis, ut eodem conceptu repraesentetur confusive sub ratione communi, quia differentiae constituuntur ut tales per rationem communem.

In hac igitur analogia habetur similitudo propria in forma, simul cum infinita dissimilitudine, quae duo eodem conceptu communi confusive significantur.

Quaeres: quid est ordo prioritatis et posterioritatis, et cur analogia debet definiri per hunc ordinem et non simpliciter per hoc quod nomen commune transcendat formaliter omnes differentias?

Ad primum, ordo prioritatis et posterioritatis significat formam reperiri in uno principaliter et ut in origine et causa, et in reliquis secundario et dependenter a primo aliquo genere dependentiae essentialis. Sic ens reperitur in Deo et in creaturis: sed in Deo ut in fonte et modo infinito, in creaturis vero per participationem et modo finito; et similiter ens reperitur in substantia et in accidente: sed in substantia principaliter et ut in causa finali et materiali, et in accidente secundario et per ordinationem ad substantiam ut ad causam materialem et finalem.

Ad secundum, analogia definitur per hunc ordinem prioritatis et posterioritatis, *primo* quia in hoc sensu eam intelligunt sapientes, ut S. Thomas (cf. n. 281 nota 5) et Suárez. *Secundo* videtur hunc sensum postulare ipsa etymologia: analogum enim est secundum rationem et secundum habitudinem: et hoc significat secundarium habere totum quod est per ordinem et habitudinem et dependentiam a primo. *Tertio,* quia si solam significat transcendentiam nominis, nullius momenti erit analogia, quando dicemus creaturas esse entia solummodo per analogiam ad Deum: nam etiam Petrus et Paulus erunt analogi in ratione entis quia ens transcendit differentias individuales, et tamen nulla praecellentia singularis unius prae alio significatur, sed plena paritas. *Denique* significatio nominum est conventionalis et arbitraria: conveniamus ergo cum sapientibus et cum rationibus praedictis analogiam significare formam, quae convenit inferioribus cum ordine prioritatis et posterioritatis: et postea quaestio, non iam verbalis, sed realis erit, utrum haec analogia verificatur inter Deum et creaturas an non: nos demonstraturi sumus hanc analogiam, quae est attributionis intrinsecae, verificari, et argumentis oppositis cum claritate respondebimus (cf. longiores explicationis in J. Hellín, *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez* p.71.72.78.79).

278. Analogum metaphysicum PROPORTIONALITATIS INTRINSECAE, est nomen significans formam, quae in omnibus inferioribus repe-

ritur formaliter et intrinsece, sed modo simpliciter diverso et secundum quid eodem. Modus est *simpliciter diversus,* quia non uno conceptu possunt comprehendi neque convenire, sed una voce quae formaliter, licet confuse et implicite, significet *plura* dicentia ordinem ad *plura:* Sic cum dicimus "Deus est ens", non volumus dicere rationem simplicissimam entis convenire Deo, sed Deum se habere ad suam exsistentiam, sicut creatura se habet ad suam exsistentiam, et sicut substantia se habet ad suam exsistentiam, et sicut accidens se habet, etc.; quae multitudo repraesentatur per nomen "ens" formaliter, licet confuse, sicut visio multitudinis a longe. *Secundum quid tamen est eodem modo* in inferioribus: quia habitudo est eadem, siquidem tam in Deo quam in creatura significatur proportio exsistentiae ad essentiam. Sed illa habitudo seu proportio essentiae ad exsistentiam iterum est simpliciter diverso modo et secundum quid eodem modo.

279. Status quaestionis. Quaerimus ergo quomodo conceptus perfectionum simpliciter simplicium, quae sunt communes Deo et creaturis, praedicentur de illis.

280. Sententiae. *Prima* sententia defendit haec nomina esse *aequivoca,* non a casu, sed certe a consilio, et ideo haec nomina Deo conveniunt aut negative aut metaphorice, aut relative, aut pragmatice. Sic nomen *persona,* quando attribuitur Deo, non significat in Deo reperiri personam sub ratione personae, sed solum *negative,* quia non èst veluti truncus; et *metaphorice,* quia in agendo se gerit sicut persona; et *relative,* quia ipse est origo entium personalium; et *pragmatice,* quia nos debemus nos gerere erga illum sicuti erga personam: licet intrinsece et formaliter persona non est. Sic MAIMONIDES [1], HAMILTON, MANSEL, E. LE ROY, et favet SERTILLANGES. Et sic de Deo non cognosceremus quid sit in se, sed solum quid non sit [2].

Secunda sententia tenet haec nomina Deo convenire *univoce,* eo quod nomina entis et reliquarum perfectionum simpliciter simplicium praescindant perfecte a differentiis; unde si in inferioribus est aliqua diversitas, id non debebitur rationi communi, sed differentiis additis et alienis a ratione

---

[1] *Dux perplexorum* p.1 cc.50-62.

[2] Ad agnosticismum hunc pertinent multi ex his qui dicunt per rationem perveniri ad Deum philosophorum et cosmologicum, non vero ad Deum religionis, scilicet dicunt perveniri ad ens a se, actum purum, sed non ad personam providam et amantem. Tales sunt SCHELER, *Vom Ewigen in menschen* (Berlin 1933 2 edit.) p.327; BERGSON, *Les deux sources* (Paris 1932) 258; HESSEN, *Platonismus u. prophetismus* (München 1939); BRUNSCHVICG, *La raison et la Religion* (Paris 1939) 66-71; H. DE LUBAC, *De la connaissance de Dieu* (Paris 1941) 13,29,61, passim; contra quos omnes cf. PENIDO, *La conscience religieuse* (Paris 1936) 167; IDEM, *Dieu dans le bergsonisme* (Paris 1934) 109-126; WUNDELER, *Ueber das irrationale in religiosen Erleben* (Paderborn 1930) 22.

entis. Solebat attribui Scoto et scotistis, sed sine fundamento, ut videtur. Cuiuscumque tamen sit, eam refutabimus [3].

Tertia sententia defendit analogiam metaphysicam proportionalitatis intrinsecae: sic plerique thomistae [4].

Quarta sententia defendit analogiam metaphysicam tum attributionis intrinsicae tum proportionalitatis intrinsecae, ut URRÁBURU, DESCOQS, et plurimi suareciani.

281. *Nostra* sententia praescindit ab analogia proportionalitatis intrinsecae, et solam defendit analogiam metaphysicam attributionis intrinsecae [5].

Per hoc volumus dicere Deum et creaturas esse formaliter similes in conceptibus de perfectionibus simpliciter simplicibus, et quidem cum infinita dissimilitudine et distantia, ita tamen ut illa dissimilitudo habeat sufficientem similitudinem ut uno conceptu imperfecte praeciso repraesentetur.

Hanc sententiam putamus esse plerorumque eorum auctorum qui defendunt analogiam proportionalitatis intrinsecae; nam licet in nomine distent a nobis, tamen in realitate conveniunt [6].

282. Probatur thesis. I P. NOMINA PERFECTIONUM SIM-

---

[3] Scotistae admittunt univocitatem entis, sed talem explicationem dant eius, ut videantur coincidere cum sententia communi et solum verbis differre: sic DESC., ThN 2,755-758.828-836. Crassiorem univocitatem his conceptibus dant quidam anthropomorphistae: hi dicunt Deum habere corpus et passiones sicut homines: sic AUDIUS (+375, ex Mesopotamia), et quidam monachi aegyptii ap. Cassianum, de quibus cf. Bittremieux, De analogica nostra cognitione Dei (Louv. 1913); hunc univocismum profitentur etiam pragmatistae americani PIERCE SANDERS, *W.* JAMES; et COUSIN et RENOUVIÈRE.

[4] De analogia proportionalitatis cfr. ANDRÉ MARC S. I. *L'idée de l'être chez les thomistes: Cajétan et Sylvestre de Ferrare*: ArchPh 10 (1933) 58-63 et 70- 73; DESCOQS, *sur les rapport de l'analogie d'attribution et de proportionalité*: ArchPh 11 (1934) 583-585; SERTILLANGES, profitetur analogiam thomisticam fere agnosticam in RevPhil (1906) 166 et passim; eum tamen refutat PENIDO, *Le rôle de l'analogie* p. 170-175, et DESCOQS, 2, 816-828.

[5] Sic SUÁREZ, URRÁB., et videtur esse S. THOMAE. "*Ad secundum dicendum quod Creator et creatura reducuntur ad unum, non communitate univocationis, sed analogiae. Talis autem communitas potest esse dupliciter. Aut ex eo quod aliqua participant aliquid unum secundum prius et posterius, sicut potentia et actus rationem entis, et similiter substantia et accidens; aut ex eo quod unum esse et rationem ab altero recipit: et talis est analogia creaturae ad Creatorem. Creatura enim non habet esse nisi quod a primo ente descendit: unde nec nominatur ens nisi quantum ens primum imitatur; et similiter est de sapientia et de omnibus aliis quae de creatura dicuntur*" (In 1 prolog. q.1 a.2 ad 2). Unde ens convenit omnibus rebus intrinsece, sed analogice, quia aliis convenit per prius et principaliter, et aliis per posterius et minus principaliter. Hanc eandem doctrinam tradit in *Summa*, 1 q.13 a.6 c.: "*Dicendum quod in omnibus nominibus quae de pluribus analogice dicuntur, necesse est quod omnia dicantur per respectum ad unum*". Deinde distinguit analogiam attributionis extrinsecae et intrinsecae, et de hac dicit: "*unde secundum hoc dicendum est quod quantum ad rem significatam per nomen, prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quia a Deo huiusmodi perfectiones in creaturas dimanant*".

[6] Talis est GISQUIÈRE, 357.358.

PLICITER SIMPLICIUM, NON CONVENIUNT DEO ET CREATURIS AEQUIVOCE SIVE A CASU, SIVE A CONSILIO.

Nam si haec nomina essent aequivoca, sive a casu sive a consilio, forma significata non esset formaliter et proprie in Deo: iam vero hoc est falsum: nam si Deus non haberet formaliter has perfectiones, inferior esset suis creaturis, ut supra iam est probatum (n.237, 244).

283. II P. HAEC NOMINA PERFECTIONUM SIMPLICITER SIMPLICIUM NON CONVENIUNT DEO ET CREATURIS UNIVOCE.

Nam univoca diversificantur in inferioribus ratione differentiarum additarum, quae non definiuntur per eandem rationem communem; et contra haec nomina dicta de Deo et de creaturis in inferioribus diversificantur essentialiter per eandem rationem communem, ut constabit in probatione analogiae.

284. III P. HAEC NOMINA CONVENIUNT DEO ANALOGICE, NON TAMEN PER ANALOGIAM EXTRINSECAM.

Nam analoga extrinseca conveniunt inferioribus ita ut forma non reperiatur intrinsece et formaliter in omnibus, sed in uno; *atqui* forma significata per haec nomina nempe, perfectiones simpliciter simplices, conveniunt Deo et creaturis intrinsece et formaliter (n.237, 244); *ergo* non conveniunt per analogiam extrinsecam.

285. IV P. SED PER ANALOGIAM ATTRIBUTIONIS INTRINSECAE.

Prob. 1 (*Ex transcendentia horum conceptum*). Ille conceptus est analogus cum analogia metaphysica attributionis intrinsecae, in quo conveniunt inferiora et in quo differunt cum ordine prioritatis et posterioritatis; *atqui* tales sunt conceptus communes perfectionum simpliciter simplicium quae conveniunt Deo et creaturis; *ergo* illi conceptus sunt analogi cum analogia metaphysica attributionis intrinsecae.

Maior patet ex notionibus. *Minor* vero declaratur.

A) ET PRIMO IN RATIONE ENTIS.

Conceptus entis est ratio in qua conveniunt inferiora, quia illis convenit idem conceptus formaliter et intrinsece. Est etiam ratio in qua differunt cum ordine prioritatis et posterioritatis: nam omnia inferiora differunt per differentias quae se habent cum ordine prioritatis et posterioritatis (Deus, creatura); *atqui* singulae differentiae definiuntur et constituun-

tur per ens; *ergo* differunt per ens cum ordine prioritatis et posterioritatis: Haec vero differentiae sunt in conceptu entis, sed tantum confusive et non secundum expressionem determinatam.

B) ET SECUNDO, EADEM MINOR PROBATUR IN ALIIS CONCEPTIBUS, UT SUNT INTELLECTUS, SANCTITAS, VITA, ETC.

Hi conceptus sunt ratio in qua conveniunt inferiora, nempe Deus et creatura, quia iisdem conveniunt formaliter et intrinsece. Et etiam sunt ratio in qua differunt: nam inferiora, ut sunt v. c. vita creata et increata, differunt per suas differentias "creati et increati, finiti et infiniti", quae se habent per ordinem prioris et posterioris; *atqui* hae differentiae definiuntur per eandem rationem communem nempe per vitam; *ergo* differunt in ratione communi. Et haec minor sic ostenditur; quia "creata et increata, finita et infinita" sunt *modi metaphysici,* et modi metaphysici sunt ipsa ratio communis magis expressa.

286. N. B. Ut haec minor melius intelligatur subiungimus has observationes. a) *Prima* est quid sit *modus metaphysicus:* est determinatio aliqua rationis communis quae indicat solum originem, ut creatum et increatum, a se et ab alio; vel modum essendi, v. c. in se et in alio; vel magnitudinem, ut finitum et infinitum. b) *Secunda* est modos seu determinationes quae significant solum originem aut modum essendi, aut magnitudinem, non esse differentias distinctas ratione a notione communi, sed sunt ipsa ratio communis magis expressa: sicut magnitudo ut tres, non est nisi magnitudo, et similiter sapientia creata non est nisi sapientia, et sapientia infinita vel finita non sunt nisi sapientia magis expressa. c) *Tertia* est corollarium praecedentium, nempe, rationes communes transcendere formaliter eas differentias, quae indicant originem, modum essendi, magnitudinem, seu quod idem est, has differentias definiri per rationem communem; sicut supponitur in probatione minoris praecedentis.

287. *Prob. 2* (*Ex origine omnium a Deo ut a causa sufficientissima*). Ille conceptus est analogus cum analogia metaphysica attributionis intrinsecae, qui convenit omnibus inferioribus intrinsece et formaliter, partim eodem modo et partim diverso, cum diversitate essentiali et cum ordine prioritatis et posterioritatis; *atqui* tales sunt omnes conceptus de perfectionibus simpliciter simplicibus prout sunt communes Deo et creaturis; *ergo* tales conceptus sunt analogici cum analogia metaphysica attributionis intrinsecae.

Maior patet ex notione ipsa: et solum indicat sensum in quo volo probare thesim.

Minor: a) Hi conceptus conveniunt omnibus inferioribus formaliter, proprie et intrinsece *partim eodem modo*: nam supra est demonstratum Deum habere formaliter proprie et intrinsece perfectiones simpliciter simplices, ut ens, substantia, vita, intellectus, etc.

288. b) *Partim diverso modo* sub eodem conceptu communi, nempe cum ordine prioritatis et posterioritatis. Nam Deus est causa sufficientissima omnis perfectionis et realitatis quae est extra ipsum (licet enim saepe Deus utatur multis concausis, sed ipse posset solus producere omnia); *atqui* causa sufficientissima, quae producit perfectionem similem sibi, non potest eam producere sub eadem ratione essentiali sub qua est in ipsa causa, sed sub ratione essentialiter diversa, quae diversitas sit in ipsa ratione communi et cum ordine prioritatis et posterioritatis; *ergo* perfectiones quae sunt communes Deo et creaturis, conveniunt Deo partim eodem modo partim diverso, quae diversitas sit in ipsa ratione communi et cum ordine prioritatis et posterioritatis.

Maior haec: Nulla indiget demonstratione: nam ens increatum est unicum; ergo cetera quae sunt praeter ipsum, sunt ab illo unico increato, ut a ratione sufficientissima.

Minor: si enim posset producere effectum sub eadem ratione sub qua est in ipso Deo, posset producere et illam perfectionem quae est in ipso Deo, quod sic ostenditur: nam in hac hypothesi obiectum formale sub quo causa tenderet ad effectum, amplecteretur perfectionem ipsius Dei, et ideo illam posset producere (n.557, *Minor*;573),

Sequitur ergo Deum posse producere perfectionem similem ei quae est in ipso, sed cum tanta simul dissimilitudine, ut in ratione ipsa in qua est similis, sit etiam dissimilis, et magis dissimilis quam similis: ita tamen ut utraque perfectio sub eodem conceptu communissimo claudatur.

Si igitur conceptus communes perfectionum simpliciter simplicium conveniunt Deo et creaturis partim eodem modo, quia in omnibus formaliter et intrinsece verificantur cum intrinseca similitudine; et partim diverso modo, quia inferiora in ipsa ratione communi debent esse diversa, cum ordine prioritatis et posterioritatis, conceptus illi sunt analogi metaphysice cum ordine prioritatis et posterioritatis.

289. Corollarium. Ex hac thesi in tuto posita sunt sequentia: a) *Primo*, Deum esse similem creaturis formaliter et intrinsece et proprie in perfectionibus simpliciter simplicibus; b) *Secun-*

do, hanc similitudinem admixtam esse cum infinita dissimilitudine. c) *Tertio,* eam dissimilitudinem se habere per ordinem prioris et posterioris, i. e. ut fontis et participationis, ut infiniti et finiti. d) *Quarto,* has differentias confusive et sub ratione communi repraesentari per conceptus perfectionum simpliciter simplicium. e) *Quinto,* servari transcendentiam entitativam Dei, quia licet conceptus sint communes, sed tamen iidem attributi diversis subiectis repraesentant confusive totam eorum diversitatem, et nullo modo aequalitatem. f) *Sexto,* servari transcendentiam cognoscitivam, quia licet hi conceptus communes repraesentent differentias characteristicas etiam divinam, sed tamen eam repraesentant confusive sub ratione communi, non vero ut est in se, quod homini non conceditur naturaliter. g) *Septimo,* denique servari veram cognitionem positivam perfectionum divinarum communium, quia nostri conceptus circa has perfectiones repraesentant aliquid positivum, quod invenitur formaliter et proprie et intrinsece in Deo quoad id quod concipitur, licet non quoad modum quo cognoscitur.

290. Obiectiones. 1. *(Contra analogiam attributionis intrinsecae)*[7]. Contradictorium est conceptum esse unum, et conceptum non esse unum; *atqui* hoc dicit analogia attributionis intrinsecae; *ergo* haec est contradictoria. *Minor:* est unus, ut conceditur; et non est unus, quia seipso variatur in inferioribus, in quibus res diversas repraesentat.

Dist. mai: si hoc asseritur in sensu eodem, *conc.;* si in sensu diverso, *nego; et contradist. min. Ad probat.* eadem esto responsio.

Conceptus entis logice et psychologice est unus, quia nihil notificat nisi aptum esse. Ontologice tamen est diversissimus: nam ens constituit totam realitatem differentiarum, et quod constituit diversitatem, non potest esse uniforme in illis, sed tam diversum quam diversae sint differentiae. Sed tamen illa diversitas est talis ut inferiora conveniant in ratione communi entis et, uno conceptu entis repraesentetur confusive.

2. Iuxta hanc solutionem diversificantur res, sed non conceptus, qui semper permanet idem; *atqui* si conceptus non variatur, est univocus; *ergo* conceptus v. c. entis est univocus.

Dist. mai.: non variatur conceptus in nota notificata, sed variatur in re verificata per illam eandem notam, *conc.:* non variatur conceptus neque in nota neque in re verificata per illam notam, *nego; et contradist. min.:* si non variatur neque in nota verificata, neque in re verificata per illam notam, *conc.;* si non variatur in nota verificata, variatur tamen in re verificata per illam eandem notam, *nego.*

In univocis, contra accidit: nam conceptus v. c. animal, semper est idem quoad notam notificatam, et quoad rem per illam notam verificatam: si in re verificata adest diversitas, non debetur notae communi, v. c. animal, sed notae distinctae, qualis esset v. c. quadrupedum, cornutum, latrativum, etc.

291. 3. Contradictorium est ea, quae sunt totaliter dissimilia, esse etiam totaliter similia secundum idem, ita ut uno conceptu

[7] Obiectiones pro aequivocitate conceptuum, OM n.450-454; pro univocitate, ib. n.455-457. Obiectiones recentiores contra analogicam nostram cognitionem de Deo, cf. BITTREMIEUX, o.c. p.153-172.

comprehendantur; *atqui* hoc dicitur in analogia attributionis intrinsecae; *ergo* haec est contradictoria. *Minor:* nam dicitur entia secundum se tota esse dissimilia essentialissime in ratione entis; et aliunde dicitur esse similia etiam in tota ratione entis.

Dist. mai.: Si sint dissimilia ut ens et negatio entis, *conc.;* si sint dissimilia ut termini positivi, *subdist.:* est impossibile ut sint idem secundum eundem conceptum, si hic non sit transcendentalis, *conc.;* si autem sit transcendentalis, *nego; et contradist. min.:* dico inferiora esse dissimilia ut terminum positivum et negativum, *nego;* ut terminos positivos, *subdist.:* sunt similia in eodem conceptu qui non sit transcendentalis, *nego;* qui sit transcendentalis et constituens omnes diferentias, *conc.*

4. In analogia attributionis nomen analogum dictum de secundario definitur per principale et est formaliter solum in principali, in secundario autem per denominationem a principali, nec datur unus conceptus communis pro principali et secundario; atqui in analogia metaphysica, nomen analogum dictum de secundario, non definitur per principale, sed per notionem intrinsecam, et est formaliter et intrinsece in secundario, et datur unus conceptus qui formaliter praedicatur de principali et de secundario; ergo analogia metaphysica non potest esse attributionis neque intrinsecae neque extrinsecae.

Dist. mai.: Et haec omnia valent de analogia attributionis extrinsecae, *conc.;* de analogia attributionis intrinsecae, *nego. Et concessa min., contradist. cons.;* analogia metaphysica non potest esse attributionis extrinsecae, *conc.;* non potest esse attributionis intrinsecae, *nego.*

5. Absurdum est, ea quae sunt intrinseca alicui, non dici de illo nisi per attributionem et denominationem ab alio; *atqui* in analogia metaphysica notio communis reperitur intrinsece etiam in secundario; *ergo* absurdum est haec dici de eo per attributionem et denominationem ab alio.

Dist. mai.: est absurdum ea, quae sunt intrinseca alicui, praedicari de illo per attributionem extrinsecam, *conc.;* praedicari de illo per praedicationem intrinsecam et formalem, ita tamen ut illa forma intrinseca tota quanta sit solummodo per imitationem essentiae divinae et per dependentiam essentialem a Deo, *nego. Et concessa min., dist. pariter cons.;* est absurdum ea preadicari de secundario per attributionem extrinsecam, *conc.;* per attributionem intrinsecam, ita ut illa forma intrinseca sit totaliter per imitationem divinae essentiae et per dependentiam essentialem a Deo, *nego.*

Quaenam difficultas est in hoc quod forma alicui intrinseca et propriissima, sit tantum per imitationem divinae essentiae et per dependentiam essentialem a Deo? Haec est unica difficultas contra thesim, et tamen est veritas primaria quam profitentur omnes omnino scholastici, etiam qui hanc attributionem intrinsecam impugnant ut contradictoriam. (Plura OM, n.457-460.)

ARTICULUS II

Quomodo cognoscamus essentiam Dei per nomina et conceptus proprios

Thesis 23. De Deo habemus conceptus proprios et distinctos, qui formantur per affirmationem, negationem et eminentias; habemus etiam conceptum proprium et confusum Dei.

292. Nexus. Constat nos de Deo habere conceptus communes, qui ita conveniunt Deo sine ulla metaphora, ut etiam conveniant aliis praeter Deum, licet modo analogo, non univoco. Nunc autem investigamus utrum de Deo habeamus conceptus proprios, qui ita conveniant Deo ut non conveniant aliis: et in casu affirmativo quaerimus quid repraesentent hi conceptus et quomodo formentur.

293. Notiones. Conceptus proprius, prout oppositus communi, est ille qui ita convenit uni, ut non conveniat alii. Et potest esse distinctus et confusus.

Distinctus est ille qui continet notionem aliquam communem et aliam differentialem propriam, seu non communem cum aliis.

Et conceptus distinctus potest esse proprius ex propriis et proprius ex communibus seu analogicus.

Proprius ex propriis est ille qui desumitur ex ipsa re, et eam repraesentat suis quasi coloribus.

Proprius ex communibus est ille qui non desumitur ex re ipsa, quam concipimus, sed formatur ex recta coniunctione multorum conceptuum, qui non sunt desumpti ex re ipsa cognoscenda sed ex aliis similibus: horum tamen recta coniunctio repraesentat rem, de qua agitur, directe et immediate et non aliquid diversum ab illa, sed tamen non repraesentat prout est in se et suis quasi coloribus: hi conceptus sunt analogici, per oppositionem ad quidditativum et intuitivum.

Conceptus proprius et confusus est conceptus proprius, qui tamen non repraesentat distincte notam communem et differentialem obiecti. Sed tamen id quod concipimus sufficit ut illud ab omni alio discernamus.

294. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum habeamus conceptus proprios Dei tum distinctos tum confusos, et quomodo formentur et quid repraesentent.

295. Sententiae. *Prima* est nos habere de Deo conceptum proprium et distinctum et quidditativum et intuitivum. Haec est sententia ontologorum et aliorum qui postea refutabuntur.

Secunda sententia. Est extreme contraria, dicentium nos de Deo scire quid non sit, non autem quid sit. Hi sunt agnostici dogmatici, ut PLOTINUS, MAIMONIDES, LE ROY, etc. Hi iam refutati sunt cum diximus Deum continere formaliter perfectiones simpliciter simplices (n.244), et cum docuimus non omnia nostra nomina de Deo esse aequivoca a casu vel a consilio, sed aliqua esse analoga metaphysice (n.285).

Tertia sententia affirmat nos non habere de Deo conceptum proprium et confusum, sed aut esse distinctum aut non esse conceptum Dei.

Nostra sententia dicit nos habere de Deo conceptum proprium tum distinctum tum confusum; et conceptum proprium et distinctum formari per conceptum positivum, alicuius perfectionis simpliciter simplicis, et per contractionem talis conceptus positivi per negationes, aut per relationem ad alia, aut per eminentiam et excessum. Haec est communis scholasticorum et nostra [8].

296. Probatur thesis. I P. DE DEO HABEMUS CONCEPTUS PROPRIOS ET DISTINCTOS.

Nam conceptus proprius et distinctus est qui ita convenit Deo, ut non conveniat aliis, et contineat rationem aliquam communem et differentiam propriam illius; *atqui* nos habemus tales conceptus; *ergo* habemus conceptus proprios et distinctos Dei. *Minor* probatur: Sic tales sunt conceptus quibus Deus repraesentatur ut ens a se, ens increatum, ens Omniperfectum, Omnipotens, Immensum, etc.

297. II P. HI CONCEPTUS PROPRII ET DISTINCTI FORMANTUR EX DEBITA CONIUNCTIONE CONCEPTUUM POSITIVORUM PERFECTIONUM SIMPLICITER SIMPLICIUM, ET EX NEGATIONIBUS, RELATIONIBUS ET EMINENTIIS.

Nam nos non possumus cognoscere Deum nisi per similitudinem cum creaturis, ita tamen ut bene exprimatur illum non habere perfectiones sicut sunt in creaturis, sed cum infinito excessu; *atqui* similitudo exprimitur per nomina com-

[8] S. TH., 1 q.12 a.12; SUÁREZ, DM 30,12,4-12; IDEM, *De anima*, 1.4 c.7 URRÁBURU, *Theod.* I p.200-206; J. HELLÍN, *La analogía del ser* (Madrid 1947) 397-406; TOUSSAINT, *Attributs divins:* DTC 226; CHOSSAT, *Agnosticisme:* DAFC 62-66; PENIDO, *Le rôle de la analogie* p.131-136.147-151; PS-DIONYS., *Mystica theologia* c.5; et circa Dionysium cf. LOSSKY: RevScPhTh (1939) 204-221; FRANZELIN, *De Deo Uno*, p.154-168.

munia perfectionum simplicium; illum non habere perfectiones sicut sunt in creaturis bene exprimitur per negationes superadditas; et illum habere illas cum infinita transcendentia entitativa et cognoscitiva bene exprimitur per excessum et eminentiam supra omnia; *ergo* nos non possumus habere conceptus proprios et distinctos Dei nisi per affirmationes, seu conceptus positivos qui repraesentant perfectiones simpliciter simplices, et per negationem et per excessum seu eminentias.

298. III P. ETIAM HABEMUS CONCEPTUM DEI PROPRIUM ET CONFUSUM [9].

Nos habemus conceptum Dei proprium, licet confusum, si habemus nomina quae ita illum significent ut non alteri applicentur, et tamen non repraesentent distincte unum attributum, sed modo confuso repraesentent aliquid quod est supra omnia; *atqui* ita se res habet; *ergo* de Deo habemus conceptum proprium et confusum.

Maior constat, et *minor* declaratur: Talis est conceptus respondens nomini Dei. Omnes enim audientes tale nomen, illud attribuunt Deo vero et non alii, et tamen nullus conceptus distinctus est in mente. Quod patet quia omnes per hoc nomen intelligunt idem omnino, et tamen si velimus ut describant quid hoc nomen significet, unusquisque describit vere, sed sub diversis praedicatis; ergo signum est haec praedicata non fuisse in mente cum intellectum fuit nomen et habitus est conceptus illi respondens, secus non omnes penitus idem intellexisent.

299. Corollarium. Ergo non est verum nos cognoscere de Deo solum quid non sit, et non quid sit positive, nam per nomina perfectionum simpliciter simplicium cognoscimus quid sit sub notionibus communibus Deo et creaturis, et per negationes et eminentias cognoscimus quomodo non sit, et quomodo differat a creaturis.

CAPUT IV

De pantheismo

Thesis 24. Pantheismus absurdus est.

300. VALENSIN, A., *Pantheisme:* DAFC 1303-1333; MALLEBRANCQ, *Monisme:* DAFC 878-929; H. DEHOVE, *Idealisme*: DAFC 542-569; SCHALCK, *Panthéisme:* DTC 1855-1874; L. BAUR, *Monismus* in Lexikon f.theol.u.Kirche; ALGERMISSEN, *Pantheismus* ibid; URRÁB., *Cosmol.* p.96-156; DONAT, *Cosmol.* 7 ed. p.338; HABERT, *Materialisme et Monisme:* DTC; OM n.415-428.

301. Nexus. Diximus Deum esse Ipsum esse, actualitatem puram, et continere actu omnem perfectionem, unde pronum fuit statim concludere Deum esse unicam realitatem, extra quam nihil est, qui

[9] SUÁREZ, DM 30,13,10.

est error pantheismi. Ignorantes enim analogiam entis, non viderunt ens posse verificari plene in Deo, et in reliquis per participationem modo imperfectissimo et cum totali dependentia a Deo, et hoc modo sustulerunt infinitam transcendentiam Dei, confundentes mundum cum Deo. Hic error potest refutari positive, ostendendo Deum esse distinctum a mundo, et esse personalem, quod iam fecimus cum probaremus Dei exsistentiam; vel etiam potest refutari indirecte exponendo eorum systema et signando errores et contradictiones in quas incurrunt; et hoc faciemus nunc.

302. Notiones. PANTHEISMUS est quaedam species monismi. MONISMUS est systema statuens unicam esse in mundo realitatem, sive cum unitate specifica, sicut qui admittit exsistere multas res, sed omnes constare sola materia et est materialismus; sive cum unitate numerica et est pantheismus. Nunc solum loquemur de monismo pantheistico seu de pantheismo.

PANTHEISMUS est systema statuens Deum esse unicam realitatem mundi, vel saltem illum esse partem mundi sive ut materiam, sive ut formam, sive ut exsistentiam, sive ut subsistentiam omnium. Unde pantheismus potest esse *perfectus,* si dicit unicam realitatem mundi esse Deum, *imperfectus,* si dicat Deum esse partem mundi.

303. PANTHEISMUS PERFECTUS potest esse *emanatisticus seu transitivus* et *immanentista.*

Pantheismus emanatisticus docet extra Deum esse plurimas realitates, sed omnes originem habere ex Dei substantia, sicut tela araneae est ex substantia araneae. Hunc errorem tenuerunt libri Vedae in India; in Graecia carmina orphica, gnostici plurimi, PLOTINUS, de cuius tamen sententia multum dubitatur; in Occidente SCOTUS ERIUGENA, COUSIN, qui postea errorem retractavit, PAUL JANET, BERGSON et theosophi, quorum secta fundata est a HELENA DE BLAVATSKY (nata 1831), et ANNIE DE BESANT (1847-1933) [1].

304. Pantheismus perfectus *immanens* docet extra Deum nullam esse realitatem; et hic pantheismus potest esse *staticus* et *dynamicus seu evolutionista.*

Pantheismus perfectus immanens et staticus docet Deum esse unicam realitatem, et quidem immobilem et sine ullis accidentibus aut modificationibus intrinsecis et reliqua praeter

[1] HENRY, *Bulletin critique des études plotiniennes:* NouvRevTh (1932) 707. 783.906; DE CORTE, *Aristote et Plotin* (Paris 1935); VERNET, *Eriugène:* DTC 424; GRANDMAISON ET DE TONQUEDEC, *La theosophie et l'anthroposophie* (Paris 1939).

ipsum esse illusiones. Hunc errorem tenuerunt in India Brahmanismus, qui excolitur in libris Upanishadis, qui sunt commentaria philosophica in libros Vedarum; et philosophus ZANKARA (†820 p.C.) in opere metaphysico Vedanta, quod ex Upanishadis derivatur; et Civaismus, quae est secta Hinduismi [2]; et apud Hellenicos eleatici XENOPHANES, PARMENIDES, MELISSUS, ZENO; in occidente JORDANUS BRUNUS et JACOBUS BÖHME.

Pantheismus perfectus *immanens et dynamicus* dicit Deum esse unicam realitatem, quae sui evolutione fit omnia. Hic autem pantheismus potest esse *idealista* et *realista*.

305. Evolutionismus *idealista* tenet unicam realitatem primigeniam esse spiritum, qui vocatur a FICHTE († 1814) ego purum, a SCHELLING († 1854) to Absolutum, a HEGEL († 1831) idea entis [3]. Haec realitas primigenia cognoscendo se, ponit se, et est thesis; sed non potest cognoscere se nisi opponendo sibi to non ego, et ita habetur antithesis; sed iterum thesis et antithesis coniunguntur in synthesim, per quam obtinetur gradus superior evolutionis et entis. Et iterum haec synthesis est thesis quae congonscendo se ponit se; sed non potest cognoscere se nisi opponendo sibi to non ego, et ita habetur antithesis; thesis vero et antithesis iunguntur in synthesim, et oritur novus gradus entis, et ita sine fine et ordinatissime. Omnis tamen evolutio fit per meras repraesentationes, non per creationes reales in mundo. Simile quid tenuit SCHOPENHAUER († 1860). Sed pro illo entitas primigenia est voluntas. Doctrinam Schopenhauer secutus est etiam E. HARTMANN († 1906), WUNDT († 1920) et PAULSEN († 1908). Tamen Schopenhauer nullatenus vult admittere nomen Dei, et ideo suam theoriam vocare non vult pantheismum, sed systema voluntatis vivendi, "Wille zum Leben".

306. Pantheismus evolutionista *realista* dicit Deum paulatim fieri omnia per sui evolutionem realem et internam, per quam adquirit et amittit innumeras modificationes, notitias, volitiones. Hunc tenuerunt SPINOZA [4] et TAINE. Quidam vero terminos invertunt, et dicunt, non Deum sui evolutione fieri

[2] FOLLET, *Quelques sommets de la Pensée indienne:* ArchPh vol.9 cah.1 p.190; LAMBERMONT, *L'Absolu selon Çankara:* RevPhilLouv (1949) 248-258; DE LA VALLÉE-POUSSIN, in *Christus,* de hinduismo, p.220-296.

[3] De Fichte, BALMES, *Filosofía fundamental* l.9 c.18; De Schelling X. MOISANT, *Dieu:* DTC 1266-1269; De Hegel RONDET, *Recherches de sc. rel* (1936) 217.419.

[4] DUNIN BORKOWSKY, *Spinoza et le pantheisme religieux* (Paris 1934).

omnia, sed mundum sui evolutione fieri paulatim Deum; nam Deus non est aliquid quod est, sed aliquid quod continuo fit, progrediens in melius indefinite. Sic RENÁN, VACHEROT, E. LE ROY, et ipse MAX SCHELER [5].

307. Veniamus nunc ad pantheismum imperfectum, qui tenet Deum non esse totam realitatem mundi, sed partem mundi. In his pantheistis est magna varietas.

Prima varietas docet Deum esse partem materialem mundi seu substratum eius: sic DAVID DE DINANTO.

Secunda varietas tenet Deum esse partem mundi formalem et animam mundi: sic HERACLITUS et stoici, et similiter sensit AMALRICUS DE BENE, cum docuit Deum esse formam constitutivam mundi, et recentius KÜLPE, docens iuxta metaphysicam inductivam Deum esse animam mundi.

Tertia varietas docet Deum esse exsistentiam mundi: sic ECKHARDT [6] (s. XIV), et NICOLAUS CUSANUS († 1464).

Quarta varietas tenet Deum esse suppositum in quo subsistunt omnia, ad eum modum quo catholici docent humanitatem Christi subsistere in Verbo per unionem hypostaticam. Haec varietas vocatur panentheismus, quia omnia sunt in Deo subsistentia. Sic in India VISHNUISMUS, qui est secta hinduismi, et recentius KRAUSE († 1832) et eius discipuli, ut TIBERGHIEN (1901) et JULIÁN SANZ DEL RÍO, quamquam hic est modernista potius quam pantheista.

308. Refutatur pantheismus [7]. Illud systema est falsum quod evertit totam philosophiam veram, et omnes theses fundamentales eius, et quod nascitur ex pessimis tendentiis, et quod damnatum est ab Ecclesia; *atqui* tale est systema pantheisticum; *ergo* systema pantheisticum est falsum.

Maior patet et *Minor* probatur per partes.

A) PANTHEISMUS EVERTIT OMNES THESES FUNDAMENTALES PHILOSOPHIAE VERAE.

In *Critica* negat valorem cognitionis humanae, et praesertim negat principium contradictionis et causalitatis, ut patet in pantheismo idealista.

In *Ontologia* negat analogiam entis, et ideo nescit explicare quomodo omnia in ente conveniant et in ente differant

---

[5] MAX SCHELER, *El saber y la cultura* (Madrid 1939) 40-43.90-93; IDEM, *El puesto del hombre en el Cosmos* (Madrid 1942) 177-179.205-207.

[6] CHOLLET, *Amaury de Bène:* DTC 937; OSWALD KÜLPE, *Introducción a la Filosofía*, trad. españ. de Jesinhaus (Madrid, Buenos Aires 1931) 324-325; VERNET, *Eckhardt:* DTC 2065-2069.

[7] Vide REMER-GENY, TheolN (Romae 1926 6 ed.) 82-84.

(Parmenides); negat pariter pluralitatem substantiarum contra manifestam experientiam et rationem: nam saltem sunt duae substantiae, alia increata et alia creata, quia secus creatum esset accidens entis Increati.

In *Cosmologia* negat pluralitatem corporum. Nescit etiam distinguere inter pluralitatem in actu et in potentia, et ideo nescit solvere argumenta Zenonis eleatensis contra continuum temporis et extensionis; negat corpora et statuit esse unum ens solum, quod non sit corpus nec motus.

In *Psychologia* identificat spiritum et corpus, cogitationem et extensionem (Spinoza), et negat pluralitatem animarum rationalium (Averroes) [8].

In *Theodicea* negat Deum esse personalem, scilicet substantiam completam rationalem et liberam, cum facit illum substratum omnium modificationum necessariarum quae accidunt in mundo, vel partem mundi materialem. Item negat Deum esse Actum purum, immutabilem, simplicissimum, essentialiter conscium; negat libertatem, providentiam, dominium Dei.

In *Ethica* destruuntur omnes obligationes, praesertim molestae. Si enim unusquisque est Deus vel aliquid divinum, omnia quae facit erunt sancta et irreprehensibilia, finis ultimus non erit glorificare et servire personae determinatae diversae a se, sed solum evolvi usque ad manifestationem maximi vigoris, ut est superhomo NIETZSCHE.

N. B. Panentheismus non tam refutatur ex absurditate unionis hypostaticae cum rebus, quam ex modo quo illa quasi incarnatio Dei fit, quae est modo necessario et sine libertate; et ex falsis consequentiis: si enim omnia subsistunt in Deo, Deus est unica persona mundi et illi sunt imputabilia omnia facta libera hominum, etiam peccata, quod est absurdissimum.

309. B. *Pantheismus nascitur ex pessimis tendentiis.* Consonat cum *subiectivismo* et immanentismo moderno, qui religionem non vult extrinsecus accipere, sed ex solo homine vult haurire sentimentum religiosum et obiectum religionis.

Congruit etiam cum nimia *dignitatis* humanae opinione, et cum independentiae desiderio..

Congruit cum *naturalismo* illo, qui omnia supermundana, scilicet creationem, miracula, supernaturalem religionem recusat.

Satisfacit etiam aliquatenus *desiderio religioso,* quod mentibus humanis inest; imo pantheismus habetur theismo nobilior, quia hominem magis unit cum Deo, nempe cum unitate identitatis.

---

[8] MANUEL ALONSO, *Teología de Averroes* (Madrid 1947): Estudios y Documentos, ubi Averroes purgatur ab hoc errore monopsychismi et a multis aliis.

Congruit etiam cum studio *pseudomysticismi*, cum irrationalismo et cum immanentismo qui viget nunc in religione et in philosophica mundi conceptione.

Congruit denique cum consuetudine exaltandi naturam in litteris et artibus, cum inclinatione ad quamdam identificationem sui cum natura, cum apotheosi humanitatis et humanae culturae.

C. *Pantheismus damnatus est ab Ecclesia catholica non semel*, prasertim in Concilio Lateranensi IV et Vaticano[9]. (*Obiectiones, in quibus exponuntur fundamenta pantheismi et dissolvuntur, in OM n.427.*)

[9] *"Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, A. S. Si quis dixerit res finitas tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod se determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam. A.S"* (Conc. Vat., DB 1803.1804; et cf. 1701.1782; item Conc. Later. IV, ibid. 433).

LIBER III

De attributis Dei

CAPUT I

De attributis negativis

ARTICULUS I

De mutua distinctione et inclusione formali attributorum et essentiae divinae

Thesis 25. Attributa divina distinguuntur inter se et ab essentia divina distinctione rationis ratiocinatae cum fundamento in re, imperfecta tamen sicut explicitum et implicitum, ita ut alia sint de aliorum essentia.

310. S. Th., 1 q.13 a.4; 1 CG c.35; *De Pot.* q.7 a.6; Suárez, DM d.30, s.6; Idem, *De Deo Uno* 1.1 c.3-14; *Ibid.* 1.2 introd.; Urráb., 1,301-337; Idem, *Ontol.* p.316-322, de distinctionibus; De Woestyne, *Cursus* 2,754-757; J. Hellín, *La analogía del ser* p.128-138; OM n.478-494.

Nexus. Hucusque vidimus iam quomodo Dei exsistentia demonstretur, et quaenam sit eius essentia metaphysica. Nunc oportet videre ea quae nostro modo concipiendi sunt veluti eius proprietates et quae ad essentiam iam constitutam advenire conicipiuntur, et haec sunt attributa.

311. Notiones. Attributum divinum est perfectio conveniens Deo formaliter, et necessario ad modum proprietatis post essentiam iam constitutam nostro modo concipiendi.

Est *perfectio* aliqua formaliter conveniens Deo, i. e. secundum proprium conceptum talis perfectionis et non metaphorice; ideo leo, lux, lapis, dicta de Deo non sunt eius attributa; sapientia contra est eius attributum. Dicitur *necessario conveniens,* quia debet convenire ad modum proprietatis, et proprietates necessario conveniunt rei. Per hoc distinguuntur

attributa ab iis praedicatis quae conveniunt Deo contingenter et non necessario, ideoque ad modum accidentis: talia sunt praedicata Creator, Dominus, quae conveniunt per denominationem extrinsecam et temporaliter; et praescientia futurorum, quae convenit intrinsece, sed potuit abesse, si Deus nihil decrevisset creare. *Post essentiam iam constitutam*: nam essentia divina est Ipsum esse per se subsistens, vel ens per essentiam; et hac praesupposita, concipiuntur advenire attributa.

312. DIVISIONES. Attributa dividuntur: *Primo in positiva et negativa. Positiva* dicunt perfectionem quae sine ulla negatione exprimitur, ut est intellectus, voluntas, potentia activa. *Negativa* de formali dicunt negationem imperfectionis quae reperitur in creaturis, sed de materiali et ut subiectum dicunt essentiam divinam, in quantum fundat illas negationes: ut est simplex, infinitus, aeternus.

Secundo dividuntur attributa in *quiescentia sive entitativa, et operativa. Quiescentia* dicunt de materiali ipsam essentiam divinam, et sunt ea quae antea vocavimus negativa; *operativa* sunt ea quae dicunt vel potentiam operativam vel operationem immanentem; ut sapiens, iustus, volens.

Tertio, dividuntur in *absoluta et relativa. Absoluta* sunt quae conveniunt Deo independenter a qualibet hypothesi, ut sunt infinitas, scientia, omnipotentia. *Relativa* sunt quae conveniunt Deo consequenter ad aliquam hypothesin liberam, ut sunt Creator, Gubernator, praesciens futura.

Quarto, dividuntur in attributa *incommunicabilia et communicabilia. Communicabilia* sunt ea quae possunt habere aliquam imitationem ad extra, ut sunt sapientia, voluntas, potentia activa, libertas; *incommunicabilia,* quae non possunt habere ullam imitationem ad extra, ut est infinitas simpliciter, aeternitas essentialis, immensitas.

313. DISTINCTIONES EXPLICANDAE. *Distinctio* est negabilitas unius de alio, vel consistit in eo quod unum non sit aliud. Potest esse *realis et rationis.*

Realis est, si distinctio est independens ab omni mentis operatione, ut duo lapides, aut substantia et accidens.

Distinctio rationis dependet ab operatione mentis concipientis rem eamdem bis sub respectu aliquatenus diverso.

Et distinctio rationis potest esse *rationis ratiocinantis* et *rationis ratiocinatae.*

Distinctio rationis *ratiocinantis* non habet fundamentum in re, sed solum in operatione mentali aliqua, quia distinctio non est in conceptu obiectivo, sed vel in nomine, vel in officio conceptus in oratione grammaticali, vel in officio conceptus in termino concreto, ubi potest considerari ut subiectum habens formam, vel ut forma habita a subiecto. Sic gladius et ensis distinguuntur quoad nomina; A est A distinguuntur quia semel est subiectum orationis et iterum est praedicatum; color et coloreitas distinguuntur quia semel idem omnino conceptus obiectivus concipitur ut subiectum et iterum ut forma; et ad hanc tertiam classem pertinet distinctio inter animam et animitatem, inter humanitatem et naturam humanam, inter Deum et deitatem, inter essentiam entis necessarii et actualitatem puram, seu inter essentiam et exsistentiam Dei.

Distinctio rationis *ratiocinatae* est quae habet fundamentum in re. Hoc fundamentum semper est eminentia rei quae aequivalet multis perfectionibus realiter distinctis extra se, et debilitas intellectus qui rem non potest concipere ut est in se, sed per illas perfectiones extraneas quibus res aequivalet.

Distinctio rationis ratiocinatae potest esse *perfecta* et *imperfecta. Perfecta,* si nullum membrum distinctionis definitur in recto per aliud, sicut se habet animalitas et rationalitas in homine. *Imperfecta,* si unum definitur in recto per aliud, ut cum homo definitur ut vivens.

Distinctio rationis imperfecta potest esse *non mutua* et *mutua. Non mutua,* si unum definitur per aliud, et non vicissim, ut in exemplo posito patet. Mutua, si unum membrum definitur per aliud et vicissim; prior vocatur non mutuae inclusionis, secunda vero mutuae inclusionis.

314. SICUT EXPLICITUM ET IMPLICITUM. *Explicitum* vocatur quod actu concipitur cum nominatur res: sic cogitamus explicite de homine, cum illum nominamus. *Implicitum* vocatur illud quod non actu et formaliter cogitatur cum nominatur res, sed si velimus magis reflexe intelligere rem per eius definitionem aut descriptionem, necessario debemus actu et formaliter cogitare. Sic cum nominamus hominem, illum explicite cogitamus, non autem substantiam aut viventem. Implicite autem cogitatur substantia aut vivens, quia si vis illum describere aut magis reflexe cogitare, necessario debes cogitare ut substantiam et ut viventem.

315. Ita ut alia sint de aliorum essentia. Unum est de essentia alius, cum non solum identificatur cum illo, sed etiam ad definitionem illius pertinet in recto; sic individuatio non est de essentia hominis, licet cum essentia hominis realiter identificatur; et contra vivens identificatur cum homine et praeterea ad eius essentiam et constitutivum pertinet. Et nota in nostro casu *omnia attributa esse de aliorum essentia,* quoad id quod significatur implicite; sed quoad explicitum sunt per modum attributorum aut proprietatum.

316. Status quaestionis. Nunc ergo quaerimus quomodo inter se distinguantur vel identificentur attributa et essentia Dei. Et cum loquimur de attributis, loquimur de attributis positivis, non de negativis; nam negativa dicunt de formali negationem, sed de materiali dicunt ipsam essentiam divinam; et patet unam négationem non esse de essentia alius negationis, quia non sunt entia; et essentiam divinam nullo pacto a se distingui. Et agimus de absolutis et relativis necessariis, ut sunt intellectus aut omnipotens, aut sciens possibilia, non de relativis contingentibus, nam relativa contingentia aut conveniunt Deo extrinsece, ut sunt Creator et Dominus, et sic nihil intrinsecum ponunt in Deo; aut sunt intrinseca, ut praescientia futurorum, et haec non sunt de essentia seu de constitutivo Dei, nam potuerunt deficere, si Deus decrevisset nihil creare.

317. Sententiae. *Prima* tenet attributa ab essentia realiter distingui; eam sequuntur Gualterus, Gilbertus Porretanus pictaviensis episcopus; sed haec sententia aperte est contra Dei simplicitatem, quam postea probabimus independenter ab hac thesi [1].

Secunda tenet attributa distingui ab essentia tantum distinctione rationis ratiocinantis: eam sequuntur nominales et agnostici dogmatici; hi dicunt omnia nomina Deo attributa significare idem, et esse penitus synonyma. Sed hinc siquitur omnia nomina convenire Deo improprie, nam in propria sig-

[1] Gregorius Palamas Archiepiscopus Thessalonicensis saec. XIV, dixit essentiam et attributa distingui distinctione reali minore, de quo cf. Jugie, *Palamas:* DTC c.1750-1764; Guichardon, *Le problème de la simplicité divine en Orient et en Occident aux XIV et XV s.: Gregoire Palamas, Duns Scot, George Scholarius* (Lyon 1934).

De Woestyne, *Cursus* 2 p.756, dicit non sufficere distinctionem rationis inter attributa, etiam si dicatur esse cum fundamento in re, sed admittendam esse distinctionem realem secundum quid, quae tamen nullam inferat compositionem, sed solum distinctionem realitatis et realitatis. Minges, *Compendium Theologiae Dogmaticae* (1921) 1 p.48, vult concordare sententiam thomisticam et scotisticam, et ideo reprehenditur a De Woestyne.

nificatione significant non idem, sed diversum; et consequenter de Deo nihil proprie cognosceremus, quod sit in ipso formaliter et intrinsece et proprie [2].

Tertia sententia tenet attributa et essentiam distingui cum distinctione rationis perfecta et mutua; sic P. VÁZQUEZ.

Nostra sententia, quae est communis scholasticorum [3], affirmat attributa inter se et ab essentia divina distingui distinctione rationis ratiocinatae cum fundamento et in re et in nostra mente. Illa vero distinctio rationis est imperfecta, sicut implicitum et explicitum, cum mutua inclusione formali implicita; atque ita ut haec omnia, secundum id quod significatur implicite, sint alia de aliorum essentia et constitutivo, licet quoad id quod significatur explicite, attributa sint ad modum proprietatum, quia non concipiuntur explicite ut constitutiva essentiae et ut magis universalia et ut priora et ut partes essentiae, sed potius ut quaedam perfectiones quae ab essentia derivantur nostro modo concipiendi. Hanc sententiam posita nostra explicatione terminorum, tenemus ut certam.

318. Probatur thesis. I P. ATTRIBUTA DIVINA INTER SE ET AB ESSENTIA DISTINGUUNTUR RATIONE RATIOCINATA CUM FUNDAMENTO IN RE.

In Deo debent distingui ratione cum fundamento in re multae perfectiones, non solum relativae et connotativae ad res externas, sed etiam positivae et absolutae, si Deus continet formaliter omnes perfectiones quae sunt in creaturis, quae sine imperfectione concipi possunt, et si nos non possumus concipere Deum per se ipsum, sed per conceptus desumptos ex creaturis; *atqui* utraque condicio verificatur; *ergo* in Deo distinguuntur distinctione rationis ratiocinatae cum fundamento in re multae perfectiones, non solum connotativae et negativae, sed etiam positivae et absolutae.

Maior: continet condiciones necessarias et sufficientes ut habeatur distinctio rationis ratiocinatae cum fundamento in re.

Minor: quod Deus contineat formaliter omnes perfectiones positivas et absolutas creaturarum, quae sine imperfectione possunt concipi, probatum est in thesi de omniperfectione (n.237,244). Quod nos non possimus cognoscere Deum per se ipsum, sed per conceptus desumptos ex creaturis, pro-

---

[2] Eckhardt damnatus est ab Ecclesia, quia negat omnem distinctionem in Deo etiam rationis: Dr 523.524.
[3] Ap. URRÁB., 1,323.

batur postea cum docetur nos non posse cognoscere Deum comprehensive, neque intuitive, neque quidditative (n.400-408).

319. II P. Haec distinctio attributorum inter se et ab essentia divina est solum imperfecta penes explicitum, non secundum implicitum.

Nullum praedicatum positivum et absolutum est attributum divinum nisi addatur determinatio vel differentia divinitatis, aseitatis, imparticipationis; *atqui* haec differentia implicite est ipsum esse subsistens, et esse subsistens continet implicite omnes perfectiones et omnia attributa; *ergo* quodlibet attributum continet implicite alia attributa et essentiam divinam, sicut etiam essentia divina continet implicite omnia attributa.

320. III P. Ita ut haec omnia sint alia de aliorum essentia.

Nam illud est de essentia alicuius notionis, quod non solum cum illa identificatur realiter, sed etiam invenitur in eius definitione, et est de constitutivis eius in recto, sive proxime, sive saltem remote: sicuti de essentia hominis est et animal et vivens et corpus et substantia et ens; *atqui* singula attributa divina definiuntur, vel potius, explicantur in recto per essentiam divinam et per omnia alia attributa, et essentia divina pariter explicatur et definitur per omnia alia attributa; *ergo* haec omnia sunt alia de aliorum essentia.

Maior: individuatio identificatur realiter cum essentia humana et tamen non est de eius essentia, quia haec non definitur neque constituitur per individuationem, v. c. Petri; secus ubi esset natura humana, necessario esset Petrus. Et in divinis Paternitas v. c. identificatur cum essentia divina, et tamen non est de essentia divina, secus quod esset essentia divina, v. c. Filius, esset etiam Pater, quod est falsum; *ergo* ut aliquid sit de essentia alius, non sufficit ut identificetur cum illo realiter, sed requiritur etiam ut in illius definitione inveniatur in recto.

Minor: Nam *primo,* essentia divina definitur per singula attributa in recto. Essentia enim divina est omnis actualitas seu perfectio sine imperfectione; *atqui* attributa sunt aliqua actualitas seu perfectio sine imperfectione; *ergo* essentia divina definitur, vel potius describitur essentialiter per singula attributa: attributa ergo sunt de essentia Dei.

Secundo attributa singula definiuntur per essentiam divi-

nam in recto: nam attributa divina sunt a se; *atqui* ens a se est essentialiter ipsum esse; *ergo* attributa divina definiuntur per essentiam divinam: essentia ergo divina est de essentia attributorum.

Demum attributa divina definiuntur in recto per alia attributa: nam unumquodque attributum est essentia divina; *atqui* essentia divina constituitur per omnia attributa; *ergo* quodlibet attributum constituitur in recto per alia attributa; alia igitur attributa sunt de essentia aliorum attributorum.

321. Obiectiones. 1. Ea distinguuntur realiter, quibus conveniunt praedicata contradictoria; *atqui* intellectui et voluntati divinae conveniunt praedicata contradictoria (nam intellectus non vult et voluntas vult); *ergo* illa attributa distinguuntur perfecte saltem secundum rationem.

Dist. mai.: si illa praedicata contradictoria conveniunt ante mentis operationem distinguentis intellectum et voluntatem, *conc.;* si solum post mentis operationem distinguentis et intellectum et voluntatem, *nego*. Et *contradist. min.:* conveniunt praedicata contradictoria ante mentis operationem, *nego;* post mentis operationem, *conc.*.

2. Si essentia et quodlibet attributum continet in suo conceptu quidlibet aliud quod est in Deo, omnia praedicata idem significant, et nomina erunt synonyma; *atqui* hoc est systema nominalium et agnosticorum dogmaticorum; *ergo* non est verum essentiam et quodlibet attributum continere in suo conceptu quidlibet aliud quod est in Deo.

Dist. mai.: si contineret explicite, *conc.;* si contineret solum modo implicite, *nego; et contradist. min.*

3. Quod expresse non relucet in cogitatione nostra, cum rem aliquam concipimus, non illud concipimus neque cogitamus; *atqui* cum concipimus iustitiam Dei, nihil cogitamus de omnipotentia aut de sapientia; *ergo* cum concipimus iustitiam Dei non concipimus neque cogitamus alia attributa, praeter iustitiam.

Dist. mai.: non illud concipimus neque cogitamus expresse, *conc.;* neque implicite, *nego; et contradist. min.*

4. Falsa est haec propositio: iustitia divina intelligit, et intellectus punit; *atqui* si idem essent implicite et formaliter, verae essent; *ergo* non sunt idem formaliter.

Dist. mai.: secundum explicitum falsae sunt, *conc.;* secundum implicitum, *nego; et contradist. min.*: verae essent quoad implicitum, *conc.;* quoad explicitum, *nego*. (Plura in OM, 489-494.)

ARTICULUS II

De unicitate Dei

Thesis 26. Deus est essentialiter unicus.

322. S. Th., 1 q.11 a.3.4; Suárez, DM d.29 s.2; *Ibid.* s. 3; d.30, s.10; Urráb., 1,338; Hontheim, p.362; OM n.496-510.

323. Nexus. In articulo priore locuti sumus de attributis Dei generatim, et de habitudine eorum inter se et cum essentia. Nunc incipimus tractare de attributis singillatim. Primo quidem debueramus tractare de attributis transcendentalibus, quae conveniunt enti in quantum ens est, et sunt unum, verum, bonum [4], pulchrum, sed tempus non vacat. Solum tractabimus ex transcendentalibus unicitatem, quae cum unitate maxime connectitur. Unitas enim transcendentalis potest esse formalis et individualis, et proprium unitatis individualis est unicitas.

324. Notiones. Unum est quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio.

Unicum differt ab uno, quia unum potest compati secum alia individua in quibus verificetur eadem ratio specifica vel essentialis, et unicum est illud ultra quod non sit invenire plura individua in quibus verificetur eadem ratio essentialis.

325. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum possint esse plura entia sive individua sive species, quae sint similia in ratione entis necessarii, an essentia entis necessarii sit talis ut repugnet metaphysice esse plura convenientia in ratione entis necessarii.

326. Sententiae. *Prima sententia* tenet plurimos esse deos, et est polytheistarum; polytheismus vel adorat astra (sabaeismus) vel spiritus (daemonolatria) vel homines (anthropolatria) vel obiecta quaelibet irrationalia, ut animalia, plantas, lapides (fetichismus) vel idola manufacta (idololatria) [5].

---

[4] De attributis transcendentalibus divinis cf. S. Th. 1 q.5.6.11.16; Urráb., 1,338-399; OM n.532-546.

[5] De polytheismo: A. Le Roy, *Fetichisme:* DAFC 1903-1906; Balam, *Quid colunt Hindi?:* Gregor (1935) 251-259; Briault, *Polytheisme et Fetichisme* (Paris 1929). Quid adorat polytheismus? *a)* Fetichismus videtur non adorasse cultu absoluto res naturae, ut lapides, animalcula etc, sed haec considerasse ut sedes alicuius spiritus aut divinitatis. *b)* Si agatur de idolis sculptis, cultiores ea adorabant ut sedem specialem alicuius dei, rudiores vero credebant ipsas statuas esse deos: tales adoratores describit Baruch, c.6. *c)* Sat frequenter polytheistae admittunt esse unum quendam Deum supremum: sed ei providentiam non tribuunt, et ideo per ritus volebant sibi conciliare potestates quasdam inferiores. *d)* S. Paulus ait polytheistarum deos esse daemonia, 1 Cor.10,20.21; et Ps.95,5: *Omnes dii gentium daemonia.*

Secunda sententia tenet esse tres deos, sicut sunt tres personae in Trinitate; sic tritheismus, quem induxit ABBAS IOACHIMUS (DB 431).

Tertia sententia tenet duos esse deos, unum bonum, qui sit causa bonorum, et alium malum, qui sit causa malorum mundi: haec est sententia dualistarum, seu manichaeorum, gnosticorum, persarum, de qua lentius in sequenti thesi.

Quarta sententia tenet unicum dari Deum, hanc vero doctrinam non posse probari lumine naturali, sed sola fide teneri: sic HALENSIS, BASSOLIS, MAIOR, OCKAM, GABRIEL.

Nostra sententia est Deum esse essentialiter unicum, et hoc lumine naturali sufficienter probari. Haec est communis scholasticorum, et est certissima in philosophia, in theologia vero est de fide (DB 1782,1801,1806).

327. Probatur thesis.

Prob. 1 (Ex conceptu entis necessarii). Natura cui essentialis est individuatio aut singularitas, est essentialiter immultiplicabilis in plura talia qualia ipsum est; *atqui* naturae divinae essentialis est individuatio seu singularitas; *ergo* natura divina, in ratione naturae divinae, est essentialiter immultiplicabilis.

Maior, patet: nam individuum est absolute immultiplicabile; *ergo* si natura ut natura est individua et singularis, natura ut natura erit immultiplicabilis.

Minor: nam essentia divina identificatur re et ratione cum exsistentia actuali et exercitata; *atqui* omne quod exsistit vel potest exsistere proxime ut concipitur, est seipso singulare; *ergo* natura divina ut talis est singularis et individua seipsa (n.129.130).

Dices contra argumentum. 1. Natura divina fortasse non poterit multiplicari in multis individuis, sed non est cur non possit multiplicari in multis speciebus aut generibus, sicut thomistae dicunt de angelis; ergo non probata est unicitas Dei in ratione Dei, sed in ratione alicuius speciei aut individui divini.

Nego antec. Ratio Deitatis est ratio entis necessarii; ens vero necessarium est tale ut eius essentia sit actualitas exercitata et actualis (n.206,217); *ergo* est singularis; *ergo* non est ratio ulla generica, sed ratio individua, quae ulterius nequit multiplicari neque in individua neque in species.

328. *Prob. 2 (Ex omniperfectione).* Si plures essent dii, nullus ex illis esset omniperfectus; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non sunt plures dii.

Minor patet ex demonstratis.

Maior declaratur: si enim essent plures dii, unusquisque haberet valorem et esse cum plena independentia ab aliis; *atqui* ubi sunt plures valores penitus independentes, summa eorum plus valet quam unus; *ergo* summa illorum deorum plus valeret quam unus, ideoque unus solus non haberet totam perfectionem possibilem et realem, nempe valorem summae. Et *haec minor* declaratur, quia si sunt plures nummi penitus aequales, summa eorum plus valet quam unus nummus.

Dices: Summa nummorum, si unusquisque esset valoris infiniti, non valeret plus quam unus; *ergo* similiter summa deorum, si unusquisque est infinitus, non valet plus quam unus, et ideo nullus esset imperfectus.

Nego suppositum antecedentis, nempe nummos posse esse infiniti valoris, si adhuc sunt alii nummi valoris independentis: quia primus careret toto valore secundi.

329. *Prob. 3* (*Ex independentia Dei ab alio ente*). Si plures essent dii, omnes haberent dependentiam in exercitio suae potentiae ab alio; *ergo* non essent dii.

Antecedens: nam vel operantur sine pacto vel cum pacto; *si operantur sine pacto,* unus posset velle ut exsistant quae alius non vult ut exsistant; atque ita unus dependet ab alio et videt coarctatam suam potentiam. *Si operantur ex pacto,* magna dependentia ab alio est non posse efficere aliquid sine permissione pacti; et insuper in pacto unusquisque debet cedere de multis quae posset facere, quod iterum magna dependentia ab alio est et coarctatio proprii dominii.

330. *Prob. 4* (*Ex independentia Dei ab omni condicione ad exsistendum*). Nam ens necessarium est independens ab omni condicione vel requisito necessario ad exsistendum, quod sit distinctum a seipso; *atqui* si essent plures dii, ens necessarium esset dependens in exsistendo ab aliqua condicione; *ergo* est impossibile esse plures deos.

Maior: nam si ens necessarium dependeret ab ulla condicione etiam ratione distincta ab essentia sua, posset concipi ens necessarium, praecisive ab illa condicione; *tunc vero* ens necessarium non conciperetur ut actu exsistens, quia adhuc non concepisti illam condicionem, et sic ens necessarium non conciperetur ut ens necessarium.

Minor: nam si essent plures dii, possemus facere conceptum universalem entis necessarii, praecisive ab individuatione; ratio autem universalis dependet ab individuatione superaddita ut possit concipi ut actu exsistens; ergo et ens necessarium dependeret ab individuatione superaddita ut posset concipi ut exsistens.

331. Scholium. Solus Deus est unicus: i. e. extra Deum omnes essentiae sunt tales ut possint habere plura individua in eadem specie. Nam, ut probatum est in Ontologia, principium multiplicabilitatis intra eandem speciem est contingentia et finitudo entium; *atqui* omnia extra Deum sunt contingentia et finita; *ergo* omnia extra Deum possunt multiplicari sub eadem specie in plura individua [6].

---

[6] Quid senserit S. Thomas circa radicem multiplicabilitatis individuorum intra speciem cf. OM n.504.505.

332. Obiectiones. 1. Cum aliquod ens est perfectum, producit simile sibi; *atqui* Deus est perfectissimus; *ergo* producit simile sibi, atque ita erunt plures dii.

Dist. mai.: si agitur de natura, quae ex sua essentia sit unica, *nego;* secus, *conc.;* et *concessa min., contradist. cons.*

2. Si Deus non posset producere simile sibi, non esset omnipotens aut bonus; *atqui* utrumque repugnat; *ergo* producit simile sibi.

Dist. mai.: si non posset ob defectum potentiae, *conc.;* si non posset ob intrinsecam contradictionem termini producendi, *nego;* et *concessa min., contradist. cons.*: si terminus est intrinsece possibilis, *conc.;* secus, *nego.*

3. Solitudo malum est; *atqui* si Deus est unicus est solus; *ergo* si Deus est unicus, habet malum, quod repugnat.

Dist. mai.: si solitarius est bonum infinitum, *nego;* si non est bonum infinitum, *conc.;* et *concessa min., contradist. cons.*

4. Ratio pluralitatis nequit esse unicitas; *atqui* si Deus esset unicus, ratio pluralitatis mundanae esset unicitas; *ergo* Deus non est unicus. *Minor*: nulla enim res potest esse ratio sui oppositi; *atqui* unicitas est opposita pluralitati; *ergo* nequit esse eius ratio.

Dist. mai.: nequit esse ratio formalis, *conc.;* efficiens, *subdist.* si non contineat eminenter pluralitatem, *conc.;* secus, *nego; ad prob. dist. mai.*: nequit esse ratio formalis sui oppositi, *conc.;* efficiens *subdist.*: si illud non continet eminenter, *conc.;* secus, *nego.*

Deus, licet unicus, tamen est infinitus, et continet eminentissime omnem perfectionem, et ideo est imitabilis ad extra. Et quoniam per unam imitationem finitam non exhauritur, ideo adhuc potest imitari infinitis modis.

5. Consensus generis humani circa exsistentiam Dei probat eam; *ergo* pariter consensus generis humani circa pluralitatem deorum probat pluralitatem.

Dist. antec.: consensus probat exsistentiam Dei in quantum consensus manat a puro fonte rationis, aut a legitima traditione, *conc.;* si haec duo non adsunt, *nego. Et nego cons.*, quia pro pluralitate haec duo desunt.

6. Essentiae divinae convenit personalitas haec; *atqui* tamen non est unica persona; *ergo* similiter, licet essentiae divinae conveniat individuatio haec, non tamen essentia est essentialiter unica.

Dist. mai.: ut constitutivum essentiae, *nego;* ut quasi proprietas essentiae, *conc.* Et *concessa min., contradist. cons.:* si individuatio conveniret essentiae ut constitutivum, *nego;* si ut mera proprietas, *conc.*

7. Quod convenit pluribus realiter distinctis, non est unum; *atqui* essentia divina convenit tribus realiter distinctis; *ergo* essentia divina non est unica. *Minor:* nam convenit et Patri et Filio et Spiritui Sancto, qui realiter distinguuntur.

Dist. mai.: si convenit per unitatem logicam, *conc.;* si per unitatem physicam et realem, *nego; et contradist. min.* Essentia non multiplicatur in personis, sed eadem numerice est in tribus.

8. Ex eo quod sint plures personae, non desinit unaquaeque esse omniperfecta; *ergo* pariter licet essent plures dii, non desineret unusquisque esse omniperfectus, ideoque argumentum pro unicitate Dei desumptum ex omniperfectione nihil concludit.

Conc. antec. et nego cons. ob disparitatem. Nam cum sunt plu-

res personae in una essentia, unaquaeque est omniperfecta per eandem omnino omniperfectionem; sed si sunt plures dii, unusquisque esset perfectus perfectione sua, qua caret alius, qui non haberet hanc perfectionem, quae est in summa duorum.

9. Personae divinae identificantur cum essentia divina realiter et formaliter; *atqui* personae sunt tres; *ergo* et essentiae sunt tres.

Conc. mai.; dist. min.: personae sunt tres essentialiter, *nego;* personae sunt tres mere relative per relationes immanentes et oppositas, *conc.;* et *contradist. cons.*: si personae sint tres essentialiter, *conc.;* si personae sunt tres solummodo relative per relationes immanentes et oppositas, *nego.*

ARTICULUS III

DE DUALISMO ET DE ORIGINE MALI

Thesis 27. Dualismus est absurdus in se, et ad originem mali explicandam est inutilis et innecesarius.

333. URRÁB., 1,369-392; HONTHEIM, p.372; MOISANT, X, *L'expérience en metaphysique* (Paris 1907), p.153ss; BARDY, *Manichéisme:* DTC 1858-1894; DE LUBAC, *Etudes* 29 iun. (123) 641-664; OM n.511-531.

Velle per se est velle aliquid sub aspectu suae propriae appetibilitatis, ut sunt ea quibus mundus constat; *velle per accidens* est aliquid velle, non ratione suae appetibilitatis, sed ratione coniunctionis et ordinationis ad bonum quod est appetibile per se. *Permittere* vero est non cohibere physice ea quae quis prohibet, et quae alius facit ex propria determinatione et electione.

334. Notiones. DUALISMUS theologicus est systema quod affirmat duo esse suprema principia, unum malum summum, et aliud bonum summum. Ratio huius opinionis est exsistentia mali: cum enim malum non possit provenire a principio bono neque remote, dicendum est dari aliud principium independens quod non sit bonum sed malum summum.

Est ABSURDUS quia includit aliquam contradictionem.

Est INUTILIS ad malum explicandum: quia licet concederentur haec duo principia suprema et increata, adhuc tamen exsistentia mali admixti bono non explicaretur in hac theoria.

Est INNECESSARIUS ad malum explicandum, quia explicatur sufficienter etiam exsistente unico Deo bono.

Ratio autem est quia licet Deus bonus non possit velle mala ulla *per se,* tamen mala physica et poenalia potest velle *per accidens;* mala autem culpae non potest velle nec per se

nec per accidens, potest tamen sine ulla reprehensione *permittere* seu non cohibere efficaciter ut fiant a creatura rationali, et sic explicabitur peccatum per exsistentiam unici Dei boni.

335. Status quaestionis. His positis quaeritur utrum dualismus sub ullo praetextu, saltem ad explicandum malum, sit admittendus.

336. Sententiae. *Prima* est dualistarum. Zoroaster docuit in Persia esse duo principia suprema et a se: unum est bonum et vocatur Ormuz; aliud est malum et vocatur Ahriman. Haec duo suprema principia non libere agunt, sed necessario, et impediunt opus contrarii dei quantum possunt, licet tandem vincet principium bonum. Ex dualismo persista sumpserunt suam doctrinam gnostici christiani, Manes seu Manichaeus, priscillianistae in Hispania, albigenses in Gallia. Bayle dixit hunc errorem non posse sola ratione refutari, sed solum iuvamine fidei.

Nostra sententia, quae est catholicorum omnium, affirmat dualismum certo demonstrari falsum, et originem mali per Deum bonum sufficienter explicari, eo quod Deus bonus possit velle per accidens malum physicum et poenale, et possit permittere malum morale in creaturis suis rationalibus [7].

Haec sententia est certa in philosophia, in theologia autem thesis est de fide.

337. Probatur thesis. I P. DUALISMUS EST ABSURDUS IN SE.

Prob. 1. Quia iam probatum est ens a se esse solum unum et cetera omnia ab ipso pendere.

Prob. 2. Impossibile est summum principium malum. Nam aut illud principium est summe malum in ordine physico aut in ordine morali. Neutrum autem dici potest.

Non est summum malum in ordine physico, quia si sumatur malum formaliter; hoc consistit in sola privatione, et est impossibile exsistere puram privationem, quia haec est non-ens. Et si sumatur malum concretive, i.e. ut subiectum habens privationem, non potest esse increatum, quia ens increatum est omniperfectum, nec potest habere ullam privationem ordinis physici.

Neque est supremum malum in ordine morali. Nam non

[7] Nos reicimus dualismum theologicum, qui admittat duos deos; admittimus et defendimus autem dualismum rectum, v.c. dualismum materiae et spiritus contra materialistas; dualismum Creatoris et creaturae contra pantheistas; dualismum actus et potentiae contra Parmenidem et atomistas et Heraclitum.

potest peccare nec facere ut alius peccet. *Non potest peccare* quia norma moralitatis est ipsa essentia entis increati, secus penderet in moralitate ab alio ente; *atqui* ens a se essentiam suam infinite amat; *ergo* non potest discedere ab illa norma nec proinde peccare. *Nec potest facere ut alius peccet,* quia peccatum consistit in separatione a norma moralitatis, quae est natura rationalis et remote ipsa essentia Dei; *atqui* Deus non potest velle ut alius discedat a sua essentia divina, quia eam infinite amat; *ergo* non potest velle ut alius peccet.

338. II P. DUALISMUS EST INUTILIS AD MALUM EXPLICANDUM.

Nam vel illa principia suprema sunt aequalia vel inaequalia: *si aequalia* nullum erit malum nec bonum, quia quantum facit unum, destruit aliud necessario, non libere; et *si sunt inaequalia,* tunc exsistet solum bonum aut solum malum: maior enim Deus vincet necessario minorem et omnia opera eius. *Praeterea* principium quod esset minus non esset Deus, quia ens a se necessario est summum et infinitum.

Dices: Operentur libere: et in hoc casu unum permitteret aliud principium agere sua opera, et consequenter explicaretur quomodo daretur bonum et malum.

Resp. 1. Si deberent agere libere et ex pacto, unus dependeret ab alio, quod nequit concedi in principio supremo. *Resp. 2.* Praeterea hinc sequeretur ad explicandum malum culpae sufficere ut principium bonum libere permittat causam liberam male agere, sive sit creata sive increata: unde non necessario requiritur principium malum ad explicandum malum.

339. III P. DUALISMUS EST INNECESSARIUS AD EXPLICANDUM MALUM, CUM PER UNICUM DEUM BONUM EXPLICARI POSSIT.

Mala enim vel sunt metaphysica, quae consistunt in limitatione rerum, vel physica naturalia vel physica poenalia, vel mala culpae.

A. Iam vero, *mala metaphysica* potest Deus velle indirecte, volendo creaturas, quia hoc malum est indoles omnis boni creati.

Mala physica naturalia potest ipse Deus causare et velle per accidens, id est, non sistendo in eis, sed ordinando ea ad bonum, sive universi physici, sive ad exercitium virtutum hominis: in hoc enim nulla est inordinatio.

B. *Mala physica poenalia,* quae imponuntur in poenam delictorum, ut est infernus, Deus potest iustissime velle etiam *per accidens,* ut vindicetur ordo, et *secundario,* scilicet, sup-

posito delicto, quod Deus non volebat, sed mere permisit.

C. Mala autem *culpae* Deus non potest *velle per* se, quia hoc esset velle directe peccatum; nec *per accidens,* quia hoc esset eligere mala moralia ut evenirent aliqua bona, quod omnino illicitum est et impossibile ei qui est essentialiter sanctus.

340. D. Potest tamen sine ulla reprehensione Deus bonus *permittere* peccata fieri a creatura rationali, seu ea non cohibere efficaciter.

Nam permittere peccata ex parte Dei, est offerre concursum indifferentem ad omnia quae creatura facere potest, eo fine ut illa libere operetur bene, cum praevisione tamen illam ex sua libertate et ex propria determinatione facturam esse malum.

Iam vero hanc permissionem Deus potest facere si et I potest creare creaturas rationales liberas, defectibiles tamen, quia sunt finitae; II et si eas faciat eo fine ut operentur recte secundum rationem; III et si ad hunc finem eas ornat mediis copiosissimis, ut sunt gratia, doctrina, sacramenta; IV et si illa media sunt per se efficacia, ut lex, praemia et poena aeterna; V et si peccatum creatura faciat ex sua propria determinatione abutendo concursu generali; VI et si Deus ea peccata compenset magnis bonis; VII et si tandem nullo ex suis attributis teneatur ad ea peccata efficaciter impedienda; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus potest sine sui reprehensione permittere peccata, et non ea impedire efficaciter.

Maior est clarissima. Et *minor* probatur per partes.

I. Deus potest creare naturas rationales et liberas, licet sint deficientes ob suam limitationem, quia tales creaturae sunt imitatio excellentissima suae essentiae et bonitatis.

II. Deus facit creaturas rationales ut operentur bene et secundum rectam rationem: Deus enim est sapiens et sanctus, et ideo non est ei res indifferens ut servetur ordo essentialis suae creaturae et ut violetur.

III. Deus creaturae dat media sufficientissima ut bene operetur: secus insipienter egisset, volendo finem, qui est recta operatio, et non dando media ut finis ille posset impleri.

IV. Et per se efficacia: praemia enim aeterna et poena aeterna sunt talis naturae ut hominem rationalem efficaciter movere possint, si ille nolit esse pervicax.

V. Et peccatum fit ex propria determinatione creaturae: nam Deus quidem offert concursum ad omnia, eo fine

ut faciat bene: illa autem ex sua libertate determinat ut ille concursus generalis et indifferens sibi oblatus applicetur ad malum, cum posset aeque illum applicare ad bonum.

VI. Deus mala culpae compensat magnis bonis: et sic obtinet a peccatore paenitentiam et humilitatem, vel si est obstinatus, ostendit contra illum suam iustitiam vindicativam.

VII. Deus non tenetur illa mala efficaciter ullo ex suis attributis impedire.

a) Non enim tenetur *ex sanctitate*: haec enim postulat ut Deus Legem statuat, sanciat poenis et praemiis per se efficacibus, et ut det media ad hoc ut homo legem implere possit, et sic salvetur: hoc autem abunde facit Deus etsi peccata non cohibeat de facto: ergo ex sanctitate non tenetur cohibere de facto peccata.

b) Non ex *bonitate seu largitate et misericordia:* haec enim solum postulat ut Deus det plurima et sufficientissima media ad legem observandam et salutem consequendam, et quidem non proprii lucri gratia, sed solum ob utilitatem creaturae et gloriam suam externam (quia ipse essentialiter est ultimus finis): hoc autem abunde facit iam Deus, licet non cohibeat de facto peccata; *ergo* ex bonitate et largitate et misericordia non tenetur cohibere de facto peccata. Nec enim misericordia et bonitas postulant ut si aliquis velit *voluntarie perdi et non uti remediis* quae ei subministrentur, cogant tamen illum ut non voluntarie perdatur et ut mediis rite utatur.

c) Non *ex iustitia*: Deus enim nulli debet quippiam sive titulo oneroso sive titulo gratuito; solum debet suae providentiae et gubernationi ut omnibus provideat media sufficientia ad legem servandam et salutem consequendam si velint, et hoc iam facit Deus, licet non cohibeat physice peccata.

d) Nec titulo potentiae: potentiae enim solum debetur ut possit Deus removere peccata omnia si velit, non vero ut de facto removeat.

e) Non titulo sapientiae: sapientia enim infinita postulat ut rebus finis conveniens imponatur, et ut media convenientia subministrentur ad illos fines obtinendos si creatura velit; atqui hoc Deus facit copiose, licet non cohibeat physice culpam; ergo ex sapientia non tenetur cohibere physice culpam.

f) Denique, si Deo non liceret creare aliquam creaturam, propterea quod solum ex malitia peccatura esset et perdenda, coarctaretur dominium Dei per malam voluntatem

cuiuslibet, quod est absurdum. Deus quidem bonus et optimus est, non tamen ad modum senis impotentis.

341. Scholia. 1. *De permissione peccati.* Permissio peccati ex parte Dei est oblatio concursus generalis et indifferentis ad omnia quae potest facere creatura ut illa bene operetur, cum praevisione certa creaturam abusuram esse illo concursu ad malum: hoc decretum generale et indifferens est aequivalenter et virtualiter decretum positivum et particulare concurrendi ad actionem physicam malam ex determinatione creaturae.

Haec permissio divina potest considerari *entitative* et *terminative. Entitative* considerata est decretum Dei, ideoque illa est tam bona quam ipse Deus. Neque sic considerata habet causam finalem aut ordinationem finalem, sed solum rationem sufficientem, quae est ipsa bonitas divina.

Terminative considerata est actio emanans a Deo ex determinatione creaturae: hanc actionem emanantem a Deo ex determinatione creaturae contra voluntatem Dei antecedentem, Deus *non ordinat* in ullum finem: *primo,* quia Deus non vult eam fieri, ideoque non ordinat ad ullum finem; *secundo,* quia si ordinaret ad aliquem finem bonum, v. c. ad paenitentiam peccatoris et, ad ostensionem divinae iustitiae, tunc indirecte Deus vellet peccatum, quod est necessaria condicio ad paenitentiam aut ostensionem iustitiae divinae[8].

Sed tamen voluntate secundaria, et supposito peccato, quod ipse non vult, Deus bona vult elicere eius occasione, ut est paenitentia peccatoris aut ostensio iustitiae vindicativae.

2. Sed licet permissio peccati non potest ordinari ad ullum finem, etiam bonum, voluntate primaria, possunt tamen esse quaedam *condiciones,* sub quibus permissio potest fieri a Deo sine ulla sui reprehensione. Hae condiciones sunt: *primo* ut Deus per oblationem sui concursus solum intendat bonum, quod est constituere causam secundam completam in suo ordine eo fine ut faciat bonum; et *secundo,* ut velit compensare malum per bona aliqua: quae bona sunt paenitentia, patientia iustorum, vel saltem ostensio iustitiae vindicativae[9].

342. 3. Nunc si quaeritur *cur Deus elegerit* talem ordinem, in quo tot sunt mala physica et moralia et condemnationes multorum, distinguendus est duplex sensus quaestionis: unus est, cur potuerit eligere hunc ordinem sine sui reprehensione; secundus est, cur de

---

[8] Sic PESCH, *De Deo Uno* n.334; LESSIUS, *De perfect. div.* l.11 c.6; SCHELL, *Dogmat.* 2.161; Io. STUFLER, *Die heiligkeit Gottes* (Innsbruck 1903) 333; GISQUIÈRE, 2,83.

[9] *"Neque enim Deus omnipotens... cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bona faceret de malo"* (*Enchiridion,* c.11). Et iterum: *"Tanta quippe est Dei omnipotentia voluntatis, ut etiam de malis possit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitatem piorum coaptando atque vertendo, sive etiam iustissime vindicando* (*De continentia* c.6 n.15). De mali permissione conferas auctores: R. JOLIVET, *Le problème du mal d'après S. Augustin* (Paris 1936): PHILIPS, *La raison d'être du mal d'après S. Augustin* (Louv. 1927); GILSON, *Introduction a l'étude de S. Augustin* (1943) 185-191; PARVILLEZ: Etudes 20 févr. (1929) p.46, ubi dicit: "problema de malo est le point le plus douloureux des rapports entre Dieu et nous"; GISQUIÈRE, 2,76-84; SERTILLANGES, *Dieu guberne* p.49-54; ZIGON: EphemTheolLov (1931) 19-24.

facto hunc ordinem elegerit cum potuerit eligere alium in quo tot mala non essent.

343. Et *primo:* cur Deus potuit eligere hunc ordinem sine reprehensione? Si agatur de malis *physicis,* ea potuit velle et ordinare ad maiora bona, v. c. ad probationem iustorum et augmentum meritorum. Si agatur de malis *moralibus,* potuit eligere ordinem hunc, ob hás quatuor circumstantias: *a)* quia ipse solum intendebat bonum, quod est constituere causam secundam completam in suo ordine, eo fine ut operaretur bene; *b)* Deus contulit omnia media necessaria et sufficientia ut omnes operarentur bene; *c)* mala autem quae fiunt soli debentur abusui libertatis contra voluntatem seriam Dei; *d)* et Deus haec mala compensare potuit magnis bonis, ut sunt paenitentia, patientia, aut saltem ostensio iustitiae.

344. *Secundo:* cur in re elegit hunc ordinem cum potuisset eligere alium in quo haec mala non essent? Hoc pendet ex altissimis iudiciis suae voluntatis, nempe quia ipse voluit. Nam cum plura possunt eligi libere a Deo sine ulla reprehensione, ratio ultima eligendi unum prae alio, semper pendet ex voluntate sola, et non ex indole obiecti, secus tolleretur libertas; quia daretur quaedam praedeterminatio obiectiva, quae iuxta omnes tollit libertatem.

345. 4. Querela autem cur Deus hunc ordinem elegerit potius quam alium in quo non essent tot miseriae temporales, et tot peccata et tanta perditio aeterna hominum, est insolentissima.

Nam si agatur de miseriis temporalibus, haec sunt media ad augenda merita aeterna, quod multi obliviscuntur: haec vita est solum via brevis ad imperium aeternum capessendum, et non est magni faciendum quam iucunda vel iniucunda sit; via brevis, dummodo secure ducat ad tale imperium et tales thesauros, facile toleratur, licet dura sit

Sed si agatur de miseriis spiritualibus, ut sunt peccata et perditio aeterna, tota culpa nostra est solummodo et non Dei. Ille enim immensis nos cumulavit beneficiis ut possemus vel non peccare vel statim a peccato resurgere: et hoc fecit cum immenso amore: nam ad hunc finem misit Filium Unigenitum, eumque tradidit passioni et morti, et ad hunc finem Christus mansit in Eucharistia, et ad hunc finem nobis reliquit monitorem efficacissimum, qui est conscientia et gratia sufficientissima: si igitur in perditionem incidimus, culpa est nostra, non Dei. Si agnoscimus Deum potuisse unicuique facere maiora beneficia, tum intensive, quoad eorum nobilitatem et intensitatem, tum extensive, quia plures potuerunt participare ex his, hoc est agnoscere omnipotentiam inexhauribilem illius, non vero debet esse accusatio bonitatis illius, quod hoc exemplo illustratur.

346. Supponamus benefactorem ditissimum donare homini misero quingentos milliones denariorum ut vivat iucunde et honeste, et ei adiungere insuper et monitorem assiduum ne per imprudentiam amittat illam pecuniam, et filium suum carissimum ut ei merito et exemplo et intercessione iuvet ad bene vivendum et ad recuperandam illam pecuniam si forte amisisset. Supponamus tamen illum hominem ob sua vitia pecuniam illam amisisse in luxuria et ludo, et noluisse illam pecuniam recuperare et sic perseverasse us-

que ad mortem. Possetne ille homo conqueri de benefactore, eo quod in perditionem incidisset et quod a perditione noluisset resurgere dum esset in vita? Minime. Et si conquereretur, insolentissimus esset, siquidem tota culpa fuit illius et non benefactoris.

Potuit quidem ille benefactor ita componere res ut numquam pecuniam amisisset, vel ut amissam recuperare voluisset de facto, sine ulla laesione libertatis: sed hoc est agnoscere potentiam illius benefactoris, non vero potest esse accusatio contra bonitatem aut liberalitatem eius.

Ceterum Deus est Dominus absolutus nostri et nos servi eius, qui humiliter audire debemus: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se fecit: quid me fecisti sic?* (Rom. 9,20).

347. Obiectiones. 1. Ex bono non potest procedere malum. *Ergo* si est malum in mundo, procedit ultimo ex principio malo. *Antec.:* quia causa debet continere effectum; bonum autem non potest continere malum; *ergo* nequit esse causa illius.

Dist. antec.: per se, *conc.;* per accidens aut permissive, *nego;* et *contradist. cons.:* si malum non potest procedere a bono per se sed potest procedere aut per accidens aut permissive, *nego;* si non potest ab illo procedere nec per se, nec per accidens, nec permissive, *conc.*

2. Contrariorum eadem, seu proportionalis est ratio; *atqui* bonum non procedit nisi ex bono; *ergo* malum non nisi ex malo.

Dist. antec.: eadem est scientia quae versatur circa illa, *conc.;* eaedem proportionaliter affirmationes seu praedicationes illis conveniunt, *subdist.:* si sunt vere contraria, *conc.;* si sunt contradictoria vel privative se habentia, *nego;* et *concessa min., contradist. cons.:* si malum esset contrarium bono, *conc.;* si autem se habent ut res et privatio, *nego.* Bonum producitur ab ente bono, malum autem *formaliter* tale, seu quoad malitiam, a nullo fit per se, quia non est ens; et *materialiter* tale, qui est actus sustentans malitiam, a creatura fit per se ut delectabilis; et a Deo mere permittitur.

3. Si unicus esset Deus, ille esset crudelis. Nam si praevidet mala suarum creaturarum et non ea removet, est crudelis; *atqui* si Deus est unicus, praevideret mala suarum creaturarum et de facto non removeret, ut de facto constat; *ergo* ille Deus unicus esset crudelis.

Nego assert. Ad probat. *dist. mai.:* si agitur de malis physicis, *nego* (quia haec ordinantur ad bonum suarum creaturarum rationalium); si agitur de malis moralibus et de damnatione aeterna, *subdist.:* si non dat media sufficientia, *conc.;* si dat, *nego. Et contradist. cons.:* et non dat media sufficientia ut removeantur, *nego;* et dat, *conc.* Bonitas et misericordia Dei non postulat ut de facto vitet perditionem illius qui voluntarie vult perdi (n.340,VII,b).

4. Pater bonus non potest permittere filium suum perdi, si potest illum salvum facere; *atqui* Deus dicitur pater noster, et potest omnes salvos facere sine ulla difficultate; *ergo* si perdimur, perdimur a deo malo, et non a deo bono.

Dist. mai.: pater qui est univoce pater et est totus quantus factus ad curam filiorum gerendam, *conc.;* pater qui est analogice pater, et qui etiam est dominus absolutus et ultimus finis cui subicimur, *nego,* ex probationibus; et *concessa min., dist. pariter cons.*

Pater creatus subicitur ei qui dedit ei curam filiorum, et sanctificari debet actibus suis; Deus autem non subicitur alicui in cura gerenda hominum, sed solum suae sapientiae, et non sanctificatur ex operibus suis externis: unde si res est honesta, potest eam facere, licet etiam possit facere aliud quod nobis videretur esse nobis eligibilius.

5. Saltem contra bonitatem est creare hominem quem praevidit esse perdendum, cum posset facile illum non creare; *atqui* Deus creat homines quos praevidit esse perdendos; *ergo* operatur contra suam bonitatem, si ille est unicus Deus.

Dist. mai.: si dat media copiosa ut non perdatur, et tota perditio pendet ex pervicacia hominis, *nego;* si perditio dependeret ex carentia mediorum ad salutem, *conc.;* et *concessa min., dist. pariter cons.*

Si Dei bonitas impediret illum ne crearet hominem, quem praevidit sua culpa esse perdendum, non iam bonus esset, verum senex impotens et cum dominio restricto.

6. Indignum est Deum quaerere gloriam suam cum ingenti damno suarum creaturarum; *atqui,* si unicus est Deus, hoc facit; *ergo* non est unicus Deus. *Minor:* nam glorificat sua attributa, praesertim iustitiam vindicativam, cum cruciatibus aeternis damnatorum.

Dist. maiorem: si damnationem et cruciatus intendit per se et primario, *conc.;* si autem solum vult secundario, et consequenter ad perversam voluntatis creaturae, *nego;* et *contradist. min.* Et eodem modo respondeo ad probationem.

7. Si unicus est Deus, ille debet concurrere ad actus peccaminosos; *atqui* hoc est contra sanctitatem; *ergo* si unicus est Deus, ille non est sanctus.

Dist. mai.: ad formale peccati, *nego;* ad materiale peccati, *subdist.;* ex sola determinatione creaturae, *conc.;* ex determinatione ipsius Dei, *nego;* et *contradist. cons.* (OM, n.530-531.)

ARTICULUS IV

De simplicitate Dei

Thesis 28. Deus est absolute simplex re et ratione, nec venire in compositionem cum aliis potest.

348. S. Th., 1 q.3 a.1-8; Suárez, *De Deo* 1.1 c.4.5; Idem, DM 30,3,4; Urráb., 1,451-459; Hontheim, p.326-342.

349. Notiones. Simplex est quod caret partibus, seu ex partibus non componitur. *Pars* autem est realitas distincta realiter vel cum perfecta distinctione rationis ab alia realitate, cum qua constituit compositum maioris perfectionis quam sunt singulae partes. Unde de ratione partis stricte dictae est ut careat perfectione alius compartis, et ut addita alteri comparti constituat compositum maioris perfectionis quam partes seorsim.

ABSOLUTE SIMPLEX significat Deum carere partibus non solum substantialibus, sed etiam accidentalibus.

SIMPLEX REALITER, quia non habet ullas partes realiter distinctas, ut sunt essentia et exsistentia iuxta aliquos, natura et suppositalitas, substantia et accidens, materia et forma, partes integrantes.

SIMPLEX RATIONE: quia non habet ullas partes stricte dictas, distinctas cum distinctione perfecta rationis, sive ex genere et differentia, sive ex essentia et attributis.

NEC VENIRE POTEST IN COMPOSITIONEM CUM ALIIS. Nam compositum est distinctorum unio, et potest esse *ex his* et cum *his*. *Compositum ex his* est quod resultat ex partibus stricte dictis; *compositum cum his* est quaelibet pars, quae, licet sit simplex, constituit cum alia comparte compositum maioris perfectionis quam est ipsa pars.

350. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum Deus sit absolute simplex modo explicato.

Sententiae. *Prima* sententia docet in Deo posse dari compositionem realem ex essentia et ex accidentibus vel modis, quibus successive intrinsece afficitur: sic pantheistae evolutionistae; inter caholicos GILBERTUS PORRETANUS docuit relationes divinas realiter distingui a natura divina.

Secunda sententia tenet dari in Deo compositionem rationis ex genere et ex differentia: sic RUBIONENSIS s. XIV, nominalistae et ARRIAGA.

Tertia defendit compositionem rationis, non tamen ex genere et differentia, sed ex substantia et attributis: sic VÁZQUEZ.

Nostra sententia negat omnem compositionem veram sive realem sive rationis, sive ex his, sive cum his. Hanc tenemus ut certam in philosophia. In theologia autem est de fide simplicitas realis absoluta. Non tamen excludimus distinctionem rationis imperfectam attributorum et essentiae, quia in hac distinctione non datur vera compositio; nec excludimus Verbum posse assumere humanitatem, quia in tali assumptione resultat compositum theandricum, Christus, qui non est compositus ex partibus strictis, sed solum ex componentibus, quia una ex partibus iam est tam perfecta quam totum.

351. Probatur thesis. I P. IN DEO NULLA EST COMPOSITIO REALIS EX HIS.

Prob. 1. (*Ex aseitate*). Si Deus esset compositus realiter,

vel omnes partes essent a se, vel omnes essent ab alio, vel una esset a se, reliquae ab alio; *atqui* hae hypotheses sunt impossibiles; *ergo* Deus non est compositus realiter ex his.

Maior constat et minor probatur. a) *Non omnes partes sunt a se*: nam ens necessarium est unicum, ex probatis. b) *Non omnes partes sunt ab alio*: si enim singulae partes sunt ab alio, ideoque insufficientes ad exsistendum per se, ergo tota collectio est insufficiens ad exsistendum per se, unde et compositum esset ab alio et non a se. c) *Si una pars est a se et aliae ab alio,* illa quae est a se esset actus purus, ideoque non haberet potentialitatem, nec posset recipere aliam partem.

352. *Prob. 2. Paulo aliter.* Si Deus esset compositus, singulae partes perficerentur et complerentur per alias, et haberent potentialitatem; *atqui* ens a se nullam habet potentialitatem; *ergo* nulla ex illis partibus esset a se, ideoque neque compositum esset a se.

Prob. 3. Nominatim probatur thesis, excludendo aliquas compositiones reales. A) *Non componitur ex materia et forma,* aut ex partibus integrantibus, ut patet ex argumentis generalibus. B) *Non componitur ex essentia et exsistentia:* quia si componeretur ex essentia et exsistentia realiter distinctis, tunc essentia dependeret in esse ab aliquo realiter distincto, quod est exsistentia, et sic iam non esset essentia entis necesarii, sed contingentis. C) *Non componitur ex substantia et accidentibus:* quia Deus est actualitas pura, ideoque habet omnem actualitatem sibi possibilem intra essentiam; *ergo* non potest eam recipere ab accidentibus realiter distinctis: et *idem dicas de compositione ex natura et subsistentia.*

353. II P. IN DEO NULLA EST COMPOSITIO RATIONIS EX HIS.

Prob. 1. Nam si esset aliqua compositio rationis, vel singulae partes conciperentur ut a se, vel ut ab alio, vel una ut a se et reliquae ut ab alio; *atqui* hae hypotheses sunt absurdae; ergo nulla est in Deo compositio rationis. *Maior constat,* et minor declaratur; nam ens a se non potest concipi nisi ut unicum; *ergo* non omnes partes possunt concipi ut a se; neque omnes partes possunt concipi ut ab alio, secus et totum deberet concipi ut ab alio; neque potest concipi una ut a se et reliquae ut ab alio, quia illa pars, quae concipitur ut a se, conciperetur ut actus purus, et non posset concipi ut recipiens aliam.

Prob. 2. Paulo aliter. Si Deus conciperetur ut compositus, unaquaeque pars conciperetur ut potentialis, quia potest perfici per aliam; et ut finita, quia caret perfectione alius partis; *atqui* ens a se nequit concipi ut potentiale neque ut finitum; *ergo* nulla ex his partibus posset concipi ut ens a se et infinitum, ideoque neque totum posset concipi ut ens a se.

Prob. 3. Nominatim Deus non componitur ratione ex genere et differentia. a) quia si constaret ex genere et differentia, pars generica esset univoca cum creaturis; *atqui* in Deo non possunt concipi perfectiones univocae cum creaturis; *ergo* Deus non constat ex genere et ex differentia. *Item* tam genus quam differentia deberent concipi ut finita, quia sunt partes, et partes carent perfectione alius partis; *atqui* infinitum non potest resultare ex duplici elemento finito; *ergo* Deus deberet concipi ut finitus.

354. III P. DEUS NEQUIT VENIRE IN COMPOSITIONEM CUM ALIIS.

Prob. 1. Si enim Deus posset venire in compositionem cum aliis non esset infinitus, quia careret perfectione aliarum partium; secus non esset vere pars, sed merum componens seu assumens aliam naturam, quod ex fide scimus non repugnare.

Prob. 2. Si Deus posset venire in compositionem cum aliis, saltem supernaturaliter aut esset forma, aut materia, aut pars integrans. *Non potest esse forma*: haec enim est substantia incompleta et debet compleri ab alia comparte quoad operationes quas ipsa radicat, sicut anima completur et perficitur per materiam quoad operationes sensitivas et vegetativas, imo et quoad intellectiones abstractivas quas ipsa radicat. *Non potest esse materia,* quia haec implicat potentialitatem. *Non potest esse pars integrans,* quia haec est eiusdem naturae quam reliquae partes integrantes, et Deus non potest esse eiusdem naturae cum illa alia extra se, quia est unicus in ratione entis necessarii.

355. Corollaria. 1. *Mysterium Trinitatis non adversatur simplicitati omnimodae Dei.* Nam tres personalitates, in quantum distinguuntur, non componunt inter se; et in quantum uniuntur cum essentia, non distinguuntur, nec faciunt cum ea compositionem; nam licet essentia praescindat a relationibus, tamen unaquaeque relatio divina non praescindit ab essentia, sed constituitur per illam, et ideo non est pars distincta, ne ratione quidem ab illa.

2. *Deus est spiritus purissimus.* Nam de ratione spiritus est ut sit simplex et non dependeat ab ulla re corporali; iam vero Deus est simplicissimus, et praeterea non dependet ab ulla re corporali, nam ab omni alia re est independens; *ergo* est spiritus purissimus.

3. *Ergo Deus non est in praedicamento.* Nam praedicamentum est genus, conveniens univoce multis, ita ut inferiora non differant per illam rationem communem, sed per differentiam distinctam cum distinctione rationis perfecta; *iam vero* Deus non convenit univoce cum creaturis in ulla ratione communi, sed solum in ratione ana-

loga, quae in inferioribus diversificatur ratione sui; *ergo* non est in praedicamento.

4. Deus potest constituere compositum cum alio componente, v. c. Verbum cum humanitate: illud autem compositum non est ex *partibus* sed ex *componentibus:* quia de ratione partis est ut careat perfectione alius partis, et ut unaquaeque conferat ad compositum maioris perfectionis quam sunt singulae partes, quod in composito theandrico non evenit. Unum ex illis componentibus vocatur assumens et aliud assumptum.

356. Obiectiones. 1. Deus habet multas perfectiones; *atqui* multitudo opponitur simplicitati; *ergo* Deus non est absolute simplex.

Dist. mai.: multas secundum rem, *nego;* multas secundum rationem *subdist.:* cum distinctione imperfecta et secundum explicitum et implicitum, *conc.;* cum distinctione perfecta, *nego. Et contradist. min.*

2. In Deo est aliquid commune multis et aliquid proprium sibi; *atqui* ubi datur aliquid commune et aliquid proprium sibi, habetur compositio rationis ex genere et differentia; *ergo* in Deo datur compositio ex genere et differentia.

Dist. mai.: aliquid commune multis analogice, *conc.;* univoce, *nego;* et *contradist. min.;* si illud commune conveniat univoce cum multis, *conc.;* si analoge, *nego.*

3. Sapientia et largitas et sanctitas sunt qualitates; *atqui* de Deo haec dicuntur proprie; *ergo* sunt in Deo qualitates seu accidentia.

Dist. mai.: In eo qui habeat has res per essentiam, *nego;* in eo qui has res non habeat per essentiam sed per adquisitionem, *conc.;* et *concessa min.; dist. pariter cons.*: si essent in Deo per adquisitionem, *conc.;* si sunt per essentiam, *nego.*

4. Id sine quo potest aliquid cogitari, est accidens eius; *atqui* Deus potest cogitari non concepta sapientia aut sanctitate; *ergo* haec sunt Dei accidentia.

Dist. mai.: si illud omittatur praecisione perfecta, *conc.;* si solum imperfecta, eo quod utrumque extremum se mutuo includat formaliter implicite, *nego;* et *contradist. min.*

5. Deus est substantia; *atqui* substantia est praedicamentum; *ergo* Deus est in praedicamento (ideoque componitur ex genere praedicamentali et ex differentia).

Dist. mai.; est substantia praedicamentalis, *nego;* est substantia transcendaliter dicta, *conc.;* et *contradist. min.*

6. Deus definitur ipsum esse subsistens; *atqui* omnis definitio constat ex genere et ex differentia; *ergo* in Deo est genus, ideoque est in praedicamento.

Dist. mai.: definitione proprie dicta, quae constat ex genere et ex differentia, *nego;* improprie dicta, quae constat ex aliquo praedicato communi et analogo seu transcendentali, et ex differentia quae est solum maior expressio rationis communis et analogae, *conc.;* et *contradist. min.* (Plura in OM, n.572-580.)

ARTICULUS V

DE INFINITATE DEI

Thesis 29. Deus est simpliciter infinitus, tum in ratione carentiae limitum, tum in ratione inexhauribilitatis.

357. S. TH., q.7 a.1; SUÁREZ, *DM* d.30, s. 2; IDEM, *De Deo* 1.2 c.1; URRÁB., 1,450-470; DESCOQS, 2,579-715; PALMIERI, *Instit. Phil.* t.3 p.110; H. FASSOLUS, in 1 q.7 a.1 dub.12; MÜLLER, J., *De Deo* p.272; *OM* n.582-607.

358. Notiones. INFINITUM *etymologice* est non finitum, ut domus nondum perfecta. Sed *in sensu reali* est quod caret limite; et quoniam limes est carentia ulterioris realitatis possibilis, ideo infinitum est quod non caret ulla realitate possibili in linea sua.

Infinitum autem potest esse SIMPLICITER INFINITUM et SECUNDUM QUID INFINITUM. *Infinitum simpliciter* caret limite in omni linea; *infinitum secundum quid* caret limite in aliqua linea. Et infinitum secundum quid potest esse *categorematicum,* si actu caret limite, et *syncategorematicum,* quod habet limitem nunc, sed potest ei addi aliquid sine fine: sicuti partes quae possunt fieri in continuo, actu sunt limitatae, sed possunt fieri plures sine fine: vocatur etiam infinitum in potentia. Nos affirmamus Deum esse infinitum simpliciter, quia caret limite in omni linea. Sed haec notio paulo amplius est explicanda. Explicationes vero non sunt concordes.

Prima explicatio est P. Vázquez, et dicit infinitum simpliciter esse idem atque ens a se, seu increatum, quia ens a se non clauditur sub ulla causa.

Secunda dicit consistere in infinito numero perfectionum Dei.

Tertia explicatio tenet infinitum simpliciter esse illud quod caret elementis limitantibus: quia non habet materiam, sicut forma; neque habet determinationem ad unam formam, sicut materia iam actuata; neque habet ullum limitans extrinsecum, sicuti essentia limitatur per exsistentiam aut exsistentia per formam.

Quarta explicatio tenet infinitum esse illud ens quod actu continet omnes perfectiones possibiles et meliori modo possibili quoad intensitatem et extensionem; et differt ab omniperfecto quia omniperfectum solum continet actu omnes perfectiones creatas quoad extensionem et intensitatem. Quod admitti non potest, quia omniperfectum iam dicit ens continere omnes perfectiones possibiles et actuales et quidem meliori modo possibili.

Sed omissis his sententiis, quae continent aliquid falsi, veniamus ad sententiam magis fundatam.

359. INFINITUM SIMPLICITER est illud quod et caret limite in omni linea et est in omni linea inexhauribile. *Inexhauribile* autem est illud quod cum sit omniperfectum, non potest aequari ab ullo ente naturae distinctae, licet indefinite augeatur; potest tamen aequari ab alio eiusdem naturae, et sic unaquaeque persona divina aequatur ab alia, quia est eiusdem numero naturae, et ideo non desinit esse infinita.

Inexhauribile autem nihil addit nobilitatis ad illimitatum, sed tamen solvit difficultatem obviam. Nam si probas Deum esse illimitatum, quia caret limite, ideoque habet omnem realitatem actualem et possibilem, poterat obici; sed fortasse tota realitas possibilis, sit ut mille: et tunc quidem Deus esset infinitus quoad illimitationem, quia careret limite; sed non esset magni aestimanda illa perfectio, quae perveniret usque ad mille et nihil amplius. Debemus igitur praeter illimitationem demonstrare inexhauribilitatem in omni linea, solvendo potius difficultatem, quam addendo aliquid ad illimitationem.

360. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum Deus sit simpliciter infinitus, non solum quia caret omni limite, sed quia est inexhauribilis.

Sententiae. *Prima sententia* negat infinitatem Dei; sic calvinista VORSTIUS, HOBBES; pantheistae evolutionistae, qui dicunt Deum semper se superare et semper augescere; pantheistae transcendentales, ut FICHTE, SCHELLING, HEGEL. Item negat infinitatem STUART MILL, et neocriticistae ut RENOUVIER; et finitistae angli et americani, ut SCHILLER, W. JAMES, WELLS[10]; et modernistae, ut GUYOT et BROCHARD.

Secunda sententia admittit infinitatem, sed negat eam demonstrari posse ratione naturali: sic nominalistae, ut OCKAM, et traditionalistae; BAUTAIN sensit cum traditionalistis, sed hanc sententiam retractavit (DB 1622).

Nostra sententia quae est communis scholasticorum, tenet et Deum esse infinitum, et hoc ratione naturali demonstrari posse. Hanc et nos sequemur, et quidem ut certam. Thesis in theologia est de fide catholica (DB 1622.1782).

361. Probatur thesis. I P. DEUS EST SIMPLICITER INFINITUS SUB RATIONE CARENTIAE LIMITUM.

Prob. 1. Nam illud est infinitum sub ratione illimitationis quod caret limite in omni linea; *atqui* Deus caret limite in

[10] De theodicea americana, cf. MARITAIN, *Reflexion sur l'intelligence* c.8; DESC., 2,617-620.

omni linea; *ergo* Deus est infinitus in ratione carentiae limitum.

Maior constat, et minor declaratur: nam limes est carentia ulterioris realitatis possibilis; *atqui* Deus non habet carentiam ulterioris realitatis possibilis, quia est omniperfectus; *ergo* Deus non habet limitem in ulla linea.

362. *Prob. 2.* Multis aliis modis similibus potest efficaciter probari infinitas Dei sub ratione illimitationis. Nam

A) Si Deus esset finitus, posset excogitari aliud melius ipso; *atqui* est impossibile excogitari aliud ens maius Deo; *ergo* Deus est infinitus. *Maior* constat, ex notione finiti seu limitati, de cuius ratione est carere aliqua re possibili. *Minor* probatur ex omniperfectione: Deus enim habet omnem perfectionem possibilem; ergo non potest aliud maius ipso cogitari.

B) Deus est actualitas pura; *atqui* actualitas pura nequit carere ulla actualitate aut perfectione; *ergo* Deus nequit carere ulla actualitate aut perfectione, quod est carere limite. *Maior,* n.125.204-206.217. *Minor,* n.126.131.237.

C) Omne quod limitatur aut limitatur a causa efficiente, aut a potentia receptiva actus (iuxta aliquos) aut ex indole actus, quae sit talis gradus cum exclusione alius; *atqui* Deus non potest limitari ab ulla *causa* efficiente, quam non habet; neque ab ulla *potentia* recipiente, quia non recipitur in ullo subiecto, secus ab illo subiecto aliquo modo penderet; neque limitatur ex *indole* formae; nam forma eius est ut sit actualitas pura, et haec non solum non postulat limitem, sed illum excludit, ut modo probatum est: *ergo* essentia divina nullo modo limitatur[11].

Dices: Deus quidem habet omnem perfectionem possibilem; *atqui* fortasse tota haec perfectio possibilis sit gradus determinati, v.c. mille graduum; *ergo* Deus habebit mille gradus, sed non inexhauribilem perfectionem.

Conc. mai., et *nego min. Primo,* quia nulla apparet ratio cur non sit possibilis gradus mille et unus, et ita deinceps. *Secundo,* quia in parte sequenti probabo gradum perfectionis possibilis non esse ut mille, sed infinite posse realiter augeri; et quoniam in Deo est actu, quidquid est possibile, in Deo erit perfectio, non in gradu millesimo, sed in gradu maiori et maiori sine fine.

---

[11] Alia argumenta solida possunt afferi ad eandem conclusionem probandam. a) (*Ex conceptu actualitatis purae*). Quia si Deus esset finitus, posset augeri; atqui non potest augeri; *ergo* non est finitus. *Maior:* caret enim ulteriore realitate possibili; *ergo* illa realitas potest esse maior: non quidem in ratione entis necessarii, sed certe in linea perfectionis transcendentalis, v.c.entis, veri, boni, intelligendi, volendi. *Minor:* Tunc enim Deus non esset sibi ratio formalis perfectionis, quod est absurdum: si enim ipse est absolute independens, ipse est ratio perfectionis suae et non res ulla externa sibi (DESCOQS, 2,652).

b) (*Ex aseitate*). Nam aseitas in sensu *negativo* (i.e. non ab alio) nequit fundari in finito; ergo fundatur in infinito. *Antec.:* nam finitum esset a se vel quia ens, vel quia finitum, vel quia finitum talis speciei; non duo prima, secus omnia entia essent infinita, quod patet esse falsum; non tertium, nam secus, finita etiam gradus superioris essent a se, et tunc plura essent entia a se, quod patet esse falsum (Ibid).

363. II P. Deus est infinitus sub ratione inexhauribilitatis.

Deus est infinitus in ratione inexhauribilitatis, si et sit omniperfectus, et non possit aequari ab ulla perfectione determinatae mensurae, licet indefinite augeatur, et haec possit re vera indefinite augeri; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est infinitus in ratione inexhauribilitatis.

Maior patet: nam si non est omniperfectus, habebit limites; si potest aequari ab ulla mensura determinati gradus, exhauritur; et si non possit perfectio extra Deum augeri indefinite realiter et sine contradictione, sed solum pervenit usque ad gradum millesimum, tunc Deus habet illam perfectionem in gradu fortasse millesimo primo, et paulo maiori, sed non erit inexhauribilis.

364. *Minor* per partes. A) Deus est *omniperfectus,* ut iam supra est probatum.

B) Non potest aequari ab ulla mensura determinata perfectionis, licet infinite augeatur. Nam dato extra Deum quolibet gradu possibili perfectionis, ille est in Deo firmius et nobilius: ergo nunquam potest aequari ab ulla mensura perfectionis licet infinite augeatur. *Antec.*: quia Deus est causa sufficientissima cuiuslibet perfectionis possibilis; *atqui* causa sufficientissima non potest producere perfectionem sub eadem ratione sub qua est in ipsa, secus posset producere se ipsam; *ergo* producit sub ratione incomparabiliter inferiori: et consequenter non potest aequari ab ulla perfectione determinatae mensurae quae sit extra Deum.

365. C) Et vere perfectiones extra Deum possunt augeri indefinite sine contradictione. Nam dato quolibet gradu perfectionis extra Deum, ille est in Deo modo incomparabiliter firmiori et nobiliori, ut modo probatum est in B. *Atqui* ille gradus firmior et nobilior qui est in Deo potest imitari ad extra; *ergo* ille gradus qui erat extra Deum, non erat ultimus, sed dato quolibet gradu perfectionis extra Deum, est possibilis alius nobilior. *Et minor constat*: quia ut aliquis gradus perfectionis possit imitari ad extra, solum requiritur ut non sit contradictorius, et ut non includat formaliter explicite aseitatem, quae est incommunicabilis; ideo enim possibilis fuit imitatio vitae in tam multis gradibus, quia vita erat in Deo, et vita in Deo non includebat formaliter explicite aseitatem Iam vero ille gradus superior qui est in Deo, non includit

contradictionem, ut patet; nec continet formaliter explicite aseitatem, secus non conveniret cum gradu creato neque analogice, quod est absurdum, quia ut diximus, ille gradus superior qui est in Deo, conveniebat analogice cum creato.

366. Scholium. *Utrum aliquod ens extra Deum possit esse simpliciter infinitum.* Respondetur negative. Nam Deus seu ens necessarium est unicum; *ergo* cetera praeter ipsum sunt creata de nihilo ab ipso; *ergo* carent perfectione independentiae, et habent infinitam miseriam ut possint sine contradictione in nihilum reduci; *iam vero* quod habet similes miserias et imperfectiones non potest esse infinitum; quia caret realitate possibili maiore; *ergo* cetera praeter Deum sunt finita. Ex radice ergo dependentiae essentialis, probatur apodictice creaturas esse finitas, neque posse aliquid extra Deum esse simpliciter infinitum. Utrum autem possit Deus creare aliquid categorematice infinitum in aliqua linea, v. c. extensione aut multitudine, definietur cum agemus de omnipotentia Dei[12].

367. Difficultates contra argumentum. 1. Perfectio quae est in creatura, est in Deo perfectiori modo in ratione aseitatis, non vero in ratione ipsa communi, v.c. sapientiae; *ergo* sapientia non est in Deo superiori modo in ratione sapientiae sed in ratione aseitatis; quare in ratione sapientiae Deus aequatur a creatura, nec potest dari imitatio superior quam quidam gradus determinatus possibilis extra Deum.

Nego antec., ob analogiam: nam in analogia demonstratum est perfectiones creatas reperiri in Deo analoge et cum diversitate essentiali in ipsa ratione communi, ideoque in Deo reperiuntur modo incomparabiliter superiori.

2. Sed fortasse detur talis gradus perfectionis tam magnus in Deo, qui iam non sit imitabilis ad extra neque modo analogo, propter suam excellentiam; *ergo* Deus habet gradum perfectionis paulo maiorem quam est extra, sed non inexhauribiliter maiorem.

Nego antec.: quia ut aliquis gradus perfectionis possit imitari ad extra sufficit ut non includat contradictionem, neque includat formaliter explicite aseitatem; et tales sunt gradus perfectionis qui iam sunt extra Deum, et qui in Deo reperiuntur modo incomparabiliter superiori et analogo.

3. Etiam homo est tam nobilis ut non possit aequari a brutis, etiam si indefinite eorum perfectio augeatur; *atqui* tamen homo est aliquid finitum, licet generis superioris quam brutum; *ergo* similiter, licet Deus non possit aequari a creaturis etiamsi indefinite augeantur, non sequitur illum esse infinitum, sed solum illum esse alius generis quam est creatura.

Dist. mai.: Si comparentur bestiae cum homine in ea ratione in quibus sunt zero et nihil, v. c. in ratione intellectus, *concedo* sequi solam differentiam genericam, et non infinitatem; sed si comparentur in ratione communi, in quibus bestiae non sunt zero, v. c. in ratione cognitionis, vel vitae, tunc *nego* vitam indefinite auctam non aequare vitam hominis, immo et eam superat. In argumento autem nostro non comparavimus Deum cum creatura in ratione aseitatis, in qua creatura est nihilum, sed in ratione vitae, entis.

12 SUAREZ, DM 30,10,7-13; s.17 n.18; d.35,5.3 n. 23.

sapientiae; et sic dicimus Deum non posse aequari ab ulla perfectione gradus finiti, licet indefinite augeatur.

368. Obiectiones contra thesim. 1. Si Deus esset infinitus, v. c. in bonitate, excluderet omne malum; *atqui* non excludit omne malum, ut apparet in mundo; *ergo* Deus non est infinitus v. c. in bonitate.

Dist. mai.: a se ipso, *conc.;* a rebus a se creatis, *nego;* et *contradist. cons.*

2. Si Deus esset infinitus in entitate, nulla alia entitas esset extra ipsum; *atqui* sunt multae aliae entitates extra ipsum; *ergo* non est infinitus.

Dist. mai.: nulla alia esset entitas non dependens totaliter a Deo, *conc.;* dependens, *nego;* et *contradist. min.*

Sic Princeps supremus in regno habet totam potestatem, et tamen non excluduntur aliae potestates, ab illo totaliter dependentes.

3. Deus et creatura est aliquid maius quam solus Deus, sicut schedula mille pesetarum et denarius maius aliquid est quam sola schedula mille pesetarum; *atqui* si Deus esset infinitus summa ex Deo et creaturis non esset aliquid maius, quia nihil est maius infinito; *ergo* Deus non est infinitus.

Nego maiorem; et ad probationem, nego paritatem; valor denarii non pendet totaliter ab schedula mille pesetarum, et ideo schedula et denarius faciunt summam maiorem; at vero valor rerum pendet totaliter a Deo, ideoque summa earum cum Deo non est maius ens, licet sint plura entia. Sicut summa ex potestate principis supremi et magistratuum inferiorum non est maior quam sola potestas principis, quia potestas magistratuum a sola potestate principis dependet, licet sint plures habentes potestatem.

4. Quod est hoc et non est aliud individualiter, est minus quam summa ex hoc et alio; *atqui* Deus ita est hoc ut non sit aliud; *ergo* Deus est aliquid minus quam summa ex Deo et reliquis; (inde non est infinitus).

Dist. mai.: si non est aliud individualiter: neque formaliter neque eminenter, *conc.;* si non est aliud solum individualiter sed est aliud eminenter, *nego.* Et *contradist. min.*

5. Deus est suum esse et ideo, iuxta te, est infinitus; *atqui* creatura etiam est realiter suum esse et tamen non est infinita; *ergo* ex eo quod Deus sit suum esse, non sequitur illum esse infinitum.

Dist. mai.: Deus est suum esse re et ratione, quia nullum est fundamentum ad distinguendam essentiam et exsistentiam et subsistentiam, et ideo est infinitus, *conc.;* solum quia realiter est suum esse, est infinitus, *nego;* et *contradist. cons.;* si esset suum esse solummodo realiter, *transeat;* si etiam realiter et ratione, quia nullum est fundamentum distinguendi essentiam et exsistentiam et subsistentiam, *nego;* nam in hoc casu est actualitas pura, et actualitas pura est infinita in entitate. (Plura in OM, n.601-607.)

ARTICULUS VI

DE IMMENSITATE DEI

Thesis 30. Deus est immensus et ubique

369. S. TH., 1 q.8 a.1-4; SUÁREZ, DM d.30, s.7; IDEM, *De Deo* l.2 c.2; URRÁB., 1,471-487; PETAVIUS, *De Deo* l.1 c.7-9; J. HELLÍN: EstEcles. 22 (1948) 226-263.

370. Notiones. IMMENSITAS est dispositio, indoles, vel perfectio interna divinae essentiae per quam Deus necessario est praesens ubicumque res aliqua extra ipsum exsistat. Hoc attributum, ut patet, est intrinsecum Deo, et ideo aeternum, absolutum et infinitum, ita ut Deus actu esset immensus licet nulla creatura exsisteret cui esset praesens, quia ille haberet semper illam indolem et perfectionem per quam exigit esse praesens si res aliqua exsisteret extra se ipsum.

UBIQUITAS autem est actualis et immediata praesentia seu indistantia divinae praesentiae a rebus extra ipsum exsistentibus. Hoc attributum est temporale, finitum, contingens, mutabile, dependens ab actione Dei, siquidem dependet ab exsistentia et permanentia rerum creatarum, quae exsistentia et permanentia est temporalis, finita, contingens, mutabilis et dependens a divina actione. Posita autem exsistentia rerum extra Deum, hoc attributum est hypotetice necessarium.

371. Praesentia Dei in rebus potest esse per essentiam, potentiam et meram praesentiam. *Per essentiam,* si eius substantia sit indistans a singulis rebus. *Per praesentiam,* si ipsius oculis omnia sunt aperta. *Per potentiam,* si a Deo dependent omnia quoad esse et operari. Nunc loquimur de praesentia per essentiam.

Praesentia quaelibet per essentiam potest esse circumscriptiva seu quantitativa et non circumscriptiva, sed spiritualis. Praesentia *circumscriptiva* est ea in qua res tota est in toto loco et pars in parte. Praesentia autem *non circumscriptiva* seu spiritualis est ea qua res est tota in toto, et tota in singulis partibus. Non est Deus in rebus circumscriptive sed spiritualiter, totus in toto et totus in singulis partibus.

Praesentia potest esse etiam definitiva et non definitiva. *Definitiva* est, si res restringatur ad unum locum et non ad alia extendatur. *Non definitiva* si ita est in hoc loco ut etiam sit connaturaliter in aliis; et potest esse repletiva si est con-

naturaliter et necessario in reliquis omnibus locis; et sacramentalis, si ita est in una hostia, ut haec praesentia non impediat quominus sit etiam in reliquis locis, ubi hostiae consecratae sint. Dicimus Deum esse ubique cum praesentia non definitiva, et quidem repletiva.

372. Status quaestionis. Circa hanc materiam tria possunt tractari: *primum* est utrum Deus sit immensus et ubique; *secundum* est quaenam sit ratio formalis ex parte Dei ut sit praesens et indistans a rebus exsistentibus. *Tertium* denique utrum Deus sit in spatiis imaginariis, praesentia non relativa sed absoluta. In hac thesi solum agimus de realitate immensitatis et ubiquitatis, relictis ad articulum sequentem duabus reliquis quaestionibus.

373. Sententiae. *Prima* negat ubiquitatem et immensitatem Dei. Sic ARISTOTELES posuit Deum in loco valde segregato a mundo, fortasse in peripheria ultimi caeli, ne contaminaretur. VORSTIUS calvinista et STEUCHUS EUGUBINUS catholicus, concesserunt Deum esse ubique per potentiam et per scientiam, non vero per substantiam. Erasmus dixit saltem Deum non esse in locis sordidis.

Nostra vero sententia est catholicorum omnium, et dicit Deum quidem esse immensum et ubique, et hoc ratione naturali sat bene demonstrari posse. Thesis est de fide in theologia et sat rationabiliter fundata in philosophia.

374. Probatur thesis. Deus est immensus et ubique, si habet ubicationem intrinsecam et haec est infinita; *atqui* ita est; *ergo* Deus est immensus et ubique.

Maior: nam si Deus habet ubicationem intrinsecam, et haec est infinita, necessario est actualiter ubi datur aliquod corpus, et necessario hypothetice est ubicumque erit aliqua res creata, etiam si creaturae in infinitum augeantur; *atqui* hoc est esse ubique et esse immensum; *ergo* si Deus habet ubicationem intrinsecam et infinitam, est actu ubique et immensus.

Minor (*probatur ex theoria de ubicatione intrinseca in creaturis*). Nam ubicatio in creaturis est aliquid positivum, absolutum, intrinsecum, et in suo conceptu absoluto, qui praescindatur a creato et increato, nullam dicit imperfectionem; *atqui* Deus habet formaliter omnes perfectiones positivas absolutas et intrinsecas quae nullam includant imperfectionem; *ergo* Deus habet formaliter ubicationem intrinsecam: et qui-

dem infinitam quia in Deo omnia quae sunt intra ipsum sunt infinitae actu.

375. *Minor* constat et *maior* explicatur. *a*) Ubicatio in creaturis est aliquid *positivum,* quia est terminus actionis positivae qua res transfertur et collocatur hic vel alibi; terminus autem alicuius actionis est necessario aliquid positivum, non mera negatio.

b) Est etiam aliquid *absolutum* et non mera denominatio relativa desumpta ex eo quod aliquod corpus circumdet primum. Nam si duo corpora distent nunc, et Deus annihilet omnia quae circumsistunt illa corpora nulla mutatione in illis facta, adhuc distarent sine ullo corpore circumstante; *ergo* essent alicubi quia secus nec distarent; *ergo* esse alicubi non est relatio desumpta ex corpore circumstante.

c) Est etiam aliquid *intrinsècum;* nam si non est denominatio desumpta ex aliquo circumstante, est aliquid intrinsecum.

d) *Nullam includit imperfectionem*: nam imperfectiones, quae fingi possent in ubicatione intrinseca, essent aut quod sit accidens modale, aut quod in suo conceptu includat extensionem propriam quantitatis. Ast tales imperfectiones non sunt propriae ubicationis absolute spectatae, sed prout invenitur in corporibus. Ubicatio est certe *accidens* modale distinctum a substantia, quando substantia est mobilis quoad ubicationes, eo quod illam non habet modo infinito, et indiget amittere unam cum adquirit aliam: sed si substantia sit immobilis eo quod habeat ubicationem infinitam, non necessario est accidens. Similiter ubicatio habet *partes,* cum subiectum habet partes, aut cum est mutabile quoad ubicationem, et potest eam habere maiorem vel minorem; sed si subiectum non habet partes, nec possibile est ut illud sit mutabile quoad habendam maiorem vel minorem ubicationem, tunc ubicatio non habet partes [1].

376. Scholia. 1. Potest Deus creare spiritum cui conveniat connaturaliter esse praesentem *toti* mundo creato, non vero potest creare spiritum, qui exigat vi essentiae suae, ut sit ubicumque res esse possit extra ipsum: haec enim indoles vel exigentia in infinitate fundatur.

2. Ubicatio, ut patet, valde differt in Deo et in creatura. Nam in

[1] Sunt plurimi qui negant valorem huius argumenti, eo quod non admittant *ubi* intrinsecum; et sic GISQUIÈRE dicit non probari immensitatem ex omniperfectione Dei (2 p.370); CHIANALE impugnavit hanc ubicationem intrinsecam: Gregor (1926) 44-72; et eam defendit J. HELLÍN EstEcles 5 (1926) 272-283 et 390-405; IDEM, *Sobre la inmensidad de Dios en Suárez:* ibid. 22 (1948) 227-267.

Deo est identificata cum essentia, sicut cetera attributa; et ei convenit infinite et imparticipate et ut in fonte; contra, in creatura est ut accidens, distinctum a substantia, modo finito et participato, et consequenter ubicatio est praedicatum conveniens Deo et creaturis analogice per analogiam attributionis intrinsecae. (OM n.626.)

3. Immensitas aut ubiquitas Dei non possunt imaginatione apprehendi neque conceptu aliquo repraesentativo (qui est ille qui abstrahitur a rebus quas immediate per experientiam percipimus); quia revera per experientiam numquam capimus aliquid quod sit vel exigat esse totum in toto et totum in singulis partibus. Non concipienda igitur est immensitas ad modum diffusionis substantiae, neque ad modum multarum ubicationum unius substantiae, quae sint inter se valde proximae, sed est una simplicissima entitas, qua Deus est sine ulla diffusione aut divisione sui ubique, et exigit esse actu ubi res aliqua esse possit.

377. Obiectiones. 1. Si Deus vel divina praesentia est praesens ubique, est veluti diffusus aut habens partes; *atqui* Deus non est diffusus aut habens partes; *ergo* non est immensus.

Dist. Mai.: si est praesens circumscriptive aut mutabiliter, *conc.* si autem est praesens non circumscriptive sed modo spirituali et immutabiliter, *nego;* et *concessa min., contradist. cons.:* si deberet esse praesens circumscriptive, *conc.;* si autem non circumscriptive et modo spirituali, *nego.*

2. Si divina immensitas est simplex, tunc quaecumque res praesens est toti immensitati; *atqui* hoc est absurdum, quia essent tam immensae sicut Deus; *ergo* divina immensitas non est aliquid simplicissimum.

Dist. mai.: toti immensitati et totaliter, *nego;* toti sed non totaliter, *concedo;* et *contradist. min.* Divina immensitas simplicissima est, ideoque ubicumque est aliquid eius, est tota. Non tamen est totaliter, quia singulae res non sunt praesentes tot rebus quot est praesens divina immensitas.

3. Valde indecorum est Deum esse in locis impuris et in animabus peccantium; *ergo* Deus non est immensus et ubique.

Dist. mai.: si macularetur per ea loca, *conc.;* si autem non macularetur, sed est sicut lux in illis locis, *nego;* et *nego cons.*

4. Deus est in caelo; *ergo* non est ubique.

Dist. antec.: exclusive, *nego;* cum maiore splendore suae praesentiae, ob excellentissimum opus sensibile, *conc.; et nego cons.*

5. Quae sunt in loco, sunt corporalia; *atqui* Deus non est corporalis; *ergo* Deus non est in ullo loco.

Dist. mai.: quae sunt in loco circumscriptive, *conc.;* non circumscriptive, sed repletive, *nego; et concessa min., contradist. cons.*: non est in ullo loco circumscriptive, *conc.;* non circumscriptive, sed repletive, *nego.*

6. Quod est totum alicubi, nil eius est extra; *atqui* Deus est praesens v. c. hic; *ergo* nil eius est extra (ideoque non est ubique)

Dist. mai.: si agatur de corporibus, *conc.;* si de spiritibus, *subdist.*: nihil est extra quod non sit intra, *conc.;* nihil extra absolute, *nego.* Et *concessa min.; dist. par. cons.;* si esset corpus, *conc.;* si est spiritus, *subdist.*: nihil est extra absolute, *nego;* nihil est extra quod non sit hic, *conc.*

7. Si Deus esset ubique, mutaretur; *atqui* Deus nequit mutari;

ergo non potest esse ubique. *Maior*: quia aliquando est praesens rei, v.c.: cani, dum exsistit, et postea iam non est ei praesens, dum corrumpitur.

Dist. mai.: per denominationem extrinsecam, quia mutatur res quae erat praesens, *conc.;* per denominationem intrinsecam,, quia aliquid intrinsecum ei deest, *nego;* et contradist. *cons.*: non mutatur intrinsece, *conc.;* extrinsece per mutationem aliorum, *nego*. Deus semper servat suam immensitatem et ubicationem intrinsecam; et quando exsistunt res extra ipsum, Deus est praesens illis, et exsurgit in eo nova relatio rationis praesentiae ad creaturas. Et similiter, quando res desinunt esse, illa relatio rationis praesentiae ad res cessat, et hoc per mutationem rerum, non per ullam mutationem Dei aut eius immensitatis, quae semper eadem manet.

ARTICULUS VII

QUAESTIONES ALIQUOT DE IMMENSITATE

§ 1. **De probatione immensitatis ex repugnantia actionis in distans**

378. Passim adhibetur argumentum petitum **ex impossibilitate actionis in distans,** hoc modo: Repugnat actio in distans; *atqui* Deus agit in omnes res, eas creando, conservando, et cum eis cooperando, et praeterea potest creare plura sine fine; *ergo* de facto est praesens in rebus creatis, et potest esse in pluribus aliis sine fine, qod est habere immensitatem et ubiquitatem.

Circa valorem huius argumenti sunt tres **sententiae:** *prima* sententia sat communis, habet argumentum ut validum: sic frequenter thomistae [2].

Secunda sententia docet satis validum esse; sed principium repugnantiae actionis in distans, licet satis fundatum sit, non tamen esse apodictice demonstratum; sic Suárez.

Tertia sententia docet argumentum nihil valere [3] ob multas rationes:

a) *Prima,* quia repugnantia actionis in distans, ad summum probatur in agente finito, quod debeat producere aliquid per eductionem, et quod sit corporeum.

---

[2] S. Th., 1 q.8 a.1; 3CG c.67; Suárez, DM d.30 s.7; Idem, *De Deo* 1.2 c.2; Hontheim, p.562-574. Gisquière ait non valere argumentum ex repugnantia actionis in distans, sed certe ex vi alius principii, quod ita enuntiatur: *omne agens immediate coniungitur ei in quod immediate agit,* quod ait esse principium analyticum (t.2 p.371) et evidentius praecedente!

[3] Docent etiam hoc argumentun nihil valere: Valentia, Vázquez, De San, Mercier, Palmieri.

b) *Secunda* quia rationes a priori ad probandam hanc repugnantiam actionis in distans, sunt pura petitio principii. Ecce quomodo aliqui arguant: quod non est aliquid, non potest operari; *atqui* quod non est in loco effectus, ibi non est aliquid; *ergo* ibi non potest operari. *Sed distinguo mai.*: quod non est aliquid absolute, *concedo;* quod non est aliquid in loco ubi debet esse effectus, *nego;* quia hoc est praesupponere thesin. Et *concessa minore, distinguo pariter consequens*: si agens non esset aliquid absolute, *concedo;* si non est aliquid in loco ubi debet esse effectus, *nego;* quia hoc est praesupponere thesim.

c) *Tertia,* quia multi utentes hoc principio non sibi sunt cohaerentes; nam hoc principium de repugnantia actionis in distans, solum probatur verum in hoc sensu, quod agens debeat esse praesens in loco effectus prius natura quam operetur, et tamen CAIETANUS dicit Deum debere esse praesentem in loco effectus solum consequenter ad actionem, quod ex hoc principio non deducitur. Inter has sententias lector eligat.

§ 2. De ratione formali praesentiae divinae ex parte Dei

379. *Praesentia* Dei ad creaturas est relatio rationis ex parte Dei, et realis ex parte creaturarum. *Fundamentum* unde oritur haec relatio in creaturis est earum ubicatio. Sed quaeritur etiam quodnam sit fundamentum ex parte Dei, ex quo oritur illa relatio rationis praesentiae Dei ad creaturas.

Duplex est *sententia*. *Prima* est thomistarum, qui dicunt illud fundamentum esse operationem Dei ad extra. *Hinc sequitur*: *primo,* quod si per impossibile essent creaturae et Deus nihil operaretur in illis post creationem, Deus non esset praesens in illis. *Secundo* sequitur extra mundum Deum non esse, quia ibi nulla est operatio Dei ad extra. Sed si ibi crearetur mundus, *inciperet* Deus ibi esse substantialiter et quidem formaliter per actionem Dei extrinsecam quae esset ibi, non per *mutationem* ullam Dei: quod est idem ac dicere esse ibi per solam denominationem extrinsecam desumptam ex rebus quae sunt ibi, non per ullam denominationem intrinsecam suae substantiae. *Ratio* huius theoriae est quia omnis praesentia est per contactum aliquem realem; *atqui* Deus non potest habere contactum quantitativum cum corporibus neque cum spiritibus sed solum virtutis per actionem; *ergo* Deus est praesens in rebus formaliter per actionem ad extra.

Secunda sententia est Suarezii[4]: dicit rationem formalem et fundamentum, unde oritur illa relatio praesentiae ex parte Dei supposita

[4] Ratio formalis praesentiae est actio ad extra: GISQUIÈRE, 2,379; S. TH., in 1 d.37 q.1 a.2; q.2 a.1; GARRIGOU-LAGRANGE, *De Deo* (1938) p.210; FERRARIENSIS, 4 CG c.63; CAIETANUS, in 3 q.75.76; contra sentiunt SUÁREZ, DM 30,7,52; *De Deo,* 1.2, c.2 n.4; URRÁB., 1,486-506; HELLÍN, *La inmensidad de Dios en Suárez:* EstEcles 22 (1948) 238-253.

exsistentia creaturarum esse immensitatem seu ubicationem infinitam actualem, quam semper et essentialiter actu habet. *Hinc sequitur quod,* a) si essent res, et per impossibile Deus *nihil operaretur* in eis, adhuc Deus esset praesens in illis per suam immensitatem seu ubicationem; quia, cum illa sit actu infinita, non potest non coincidere cum ubicationibus creatis quibuslibet. b) Item si Deus crearet *novum mundum,* hic novus mundus reperiret Deum ibi praesentem, non praecise et formaliter per operationem, sed per immensitatem. Operatio ad extra esset necessaria ut essent res, cum quibus haberet relationem praesentiae, sed non esset ratio formalis praesentiae.

§ 3. De praesentia Dei in spatiis imaginariis

380. *Dubitatur etiam utrum Deus sit extra mundum seu in spatiis sine fine.*

Duplex est *sententia,* consequenter ad theoriam de ratione formali praesentiae in rebus. *Prima* sententia est thomistarum, qui dicunt Deum non esse actu extra mundum[5]; quia praesentia semper fit per contactum; cum vero Deus non possit habere contactum quantitativum et commensurativum cum corporibus, non potest habere illam praesentiam nisi per contactum virtutis, qui est actio actualis ad extra. Et quia extra mundum nulla est actio Dei, non potest esse ibi ullus contactus, ideoque neque praesentia; *ergo* Deus non est in spatiis imaginariis extra mundum.

Secunda sententia est Suarezii[6]; qui dicit Deum esse extra mundum in spatiis imaginariis, non per relationem ullam aut contactum cum spatio, sed per suam immensitatem quae est talis perfectio divinae essentiae, ut, si ibi poneretur quaelibet res, Deum inveniret praesentem, etiam si Deus nihil operaretur in illa. *Ratio* est quia immensitas est ubicatio absoluta et intrinseca Dei, et consequenter actu infinita; iam vero ubicatio absoluta et intrinseca et actu infinita non continetur actu intra mundum, *ergo* est etiam extra mundum sine fine.

Ad difficultates solvendas, Suárez duplicem distinguit praesentiam, aliam relativam, et aliam absolutam. Praesentia relativa est relatio indistantiae ad res extra Deum; et illa non potest haberi extra mundum, quia ibi nihil est extra Deum. Alia est absoluta seu intransitiva, et consistit in tali indole et perfectione divinae essentiae, ut si res quaelibet creetur, inveniat Deum praesentem, etiam si per impossibile Deus in illam rem nihil penitus operaretur.

---

[5] S. Th., 1 q.8 a.4; Io. a S. Th., in 1 d.8 a.4.

[6] S. Thomas, *Quold.* 11 a.1 ait: Deus non solum est in illis quae sunt, fuerunt et erunt, sed etiam in illis quae possunt imaginari esse; Suárez, DM 30,7,28-40; Urráb., 1,506-518; J. Hellín: EstEcles 22 (1948) 253-258.

ARTICULUS VIII

DE IMMUTABILITATE DEI

Thesis 31. Deus est absolute immutabilis physice, moraliter et intellectualiter.

381. S. TH., 1 q.9 a.1.2; SUÁREZ, DM d.30, s.8; IDEM, *De Deo* 1.2 c.3; URRÁB., 1,519-536; PETAVIUS, *De Deo* 1.3 c.3; *OM* n.641-649.

382. Notiones. IMMUTABILITAS est impotentia subeundi mutationem.

Mutatio autem alia est *extrinseca* et alia *intrinseca*. *Extrinseca* est recipere denominationes extrinsecas quibus antea res carebat, vel non habere quas antea habebat, ut est esse amatum, odio haberi. Has mutationes non negamus Deo, quia talis mutatio non tam est mutatio illius qui amatur et odio habetur, quam illius qui amat et odio habet. Mutatio *intrinseca* est transitus de uno statu intrinseco ad alium statum intrinsecum.

Et mutatio intrinseca potest esse *physica, moralis* et *intelectualis*. *Physica* est, si quis acquirit vel amittit aliquam realitatem intrinsecam; *moralis* si quis incipit velle quod antea non volebat, vel incipit velle contrarium, quam antea volebat; *intellectualis,* si quis incipit intelligere aut cognoscere quod antea non cognoscebat, vel si nunc cognoscit et iudicat contra ac antea iudicarat de eadem re.

Status quaestionis: quaerimus ergo utrum Deus sit mutabilis aliquo ex his modis.

Sententiae. *Prima* concedit mutationes in Deo: sic gentiles, qui putabant deos esse corporeos et subiectos omnibus mutationibus corporum; et pantheistae evolutionistae, qui dicunt Deum evolutione fieri omnia.

Nostra sententia quae est catholicorum omnium, dicit Deum esse absolute immutabilem. Hanc et nos sequemur: et thesis est de fide in Theologia (DB 1782) et certissima in Philosophia [7].

383. Probatur thesis. I P. DEUS EST IMMUTABILIS PHYSICE.

Prob. 1. Ens physice mutabile est potentiale, capax amit-

[7] Immutabilitas Dei non est concipienda ut immobilitas inertiae et defensio a fatigatione; nam in sua immutabilitate, ratione nobis incognita habet eminenter sine ulla mutatione, perfectionem omnem correspondentem, nostrae vitae activae.

tendi et acquirendi aliquam perfectionem; *atqui* Deus est actus purus sine ulla potentialitate (n.224); *ergo* Deus est immutabilis physice.

Prob. 2. Ens physice mutabile est compositum ex potentia, quae est subiectum transiens de uno statu in alium, et ex actu, qui est forma illa nova acquisita; *atqui* Deus non est compositus ex potentia et actu, sed est simplicissimus (n.351-354); *ergo* Deus non est mutabilis physice.

Prob. 3. Ens physice mutabile non est infinitum actu, siquidem caret ea perfectione quam potest acquirere, vel potest carere ea perfectione quam potest amittere; *atqui* Deus est infinitus simpliciter (n.361-363); *ergo* est immutabilis physice.

II P. DEUS EST IMMUTABILIS MORALITER [8].

Si enim Deus esset mutabilis moraliter, id accideret quia ab aeterno suspenderat velle et nunc vult aliquid, vel quia nunc incipit velle oppositum ei quod antea voluerat; *atqui* haec omnia sunt impossibilia; *ergo* Deus est immutabilis moraliter.

Maior constat, et minor declaratur. A. *Non potuit Deus suspendere voluntatem ab aeterno circa aliquid*: nam ab aeterno Deus sciebat omnes rationes volendi et nolendi aliquid, et quid tandem ipse esset voliturus, secus ab aeterno ignoraret aliquid; *atqui* in his circumstantiis suspensio voluntatis non habet rationem boni nec appetibilitatem ullam; *ergo* Deus ab aeterno non potuit habere suspensam voluntatem circa ullam rem.

B. *Similiter non potuit mutare propositum voluntatis iam factum.* Nam haec mutatio contingeret solummodo ex triplice capite: vel ex parte sui esse, quia physice mutatur Deus, ita ut ei inciperet esse bonum quod antea erat malum; vel ex parte intellectus, quia incipit cognoscere aliquid quod prius ignorabat; aut ex parte voluntatis, quia ex mera inconstantia incipit contrarium velle; *atqui* haec omnia repugnant; *ergo* est impossibilis mutatio voluntatis divinae, qua nunc velit contrarium quam antea voluit. Et *Minor* constat.

III P. DEUS EST IMMUTABILIS INTELLECTUALITER [9].

Nam si posset mutari intellectualiter, id esset aut quia Deus inciperet intelligere aliquid quod antea non intelligebat,

---

[8] SUÁREZ, DM 30,9,55-60.
[9] S. TH., 1 q.14 a.15; 1 CG c.55 et 57.

aut quia iudicaret nunc contrario modo ac antea; *atqui* utrumque est impossibile[10]; *ergo* Deus non potest mutari intellectualiter.

Minor. A. *Non potest incipere intelligere in tempore aliquid quod ante non intelligebat.* Hoc enim solummodo potest contingere ex triplice capite: vel quia res non haberent veritatem ab aeterno, vel quia eius lumen non esset infinitum, vel quia ipse Deus ex se non esset determinatus ad cognoscendam omnem veritatem et indigeret moveri a rebus; haec vero sunt impossibilia. *Primo,* quia res ab aeterno habent veritatem; et si mutantur, ab aeterno erat verum illas mutandas esse. *Secundo,* lux intellectualis divina est certo infinita. *Tertio,* Deus ex se determinatus est ad cognoscendam veritatem, neque indiget determinari ad hoc a rebus ipsis.

B. *Nec Deus potest nunc iudicare contrarium quam antea iudicavit,* ob easdem omnino rationes.

Scholia. 1. *Solus Deus est immutabilis.* Profecto essentia creaturae, eo ipso quod sit dependens a Deo, est contingens, ideoque non est actualitas pura neque infinita; ergo eius essentia habet potentialitatem et consequenter capacitatem actuationis nondum expletam; *atqui* habere potentialitatem est habere mutabilitatem; *ergo* creatura est essentialiter mutabilis.

2. Aliqui probant immutabilitatem moralem Dei, eo quod, si Deus vellet nunc aliquid de novo, vel oppositum ei quod antea volebat, *mutaretur physice.* Sed hoc argumentum non probat; posset enim aliquis respondere voluntatem Dei solum mutari terminative, non vero entitative, et mutationem mere terminativam sine ulla mutatione physica non repugnare. Ideo immutabilitas moralis et intellectualis debet probari argumentis supra expositis.

384. 3. De conciliatione immutabilitatis cum libertate[11]. Contra immutabilitatem solet afferri difficultas petita ex libertate divina, quae difficultas sic se habet: actus liber est contingens et defectibilis, ita ut possit esse et non esse; *atqui* quod est contingens et defectibile est mutabile, ut patet; *ergo* libertas secum fert mutabilitatem.

Dist. mai.: actus liber est contingens in creatis, *conc.;* in Increato, *subdist.*: est contingens entitative, *nego;* terminative, *iterum dist.*: quoad id quod importatur in recto in

[10] S. Augustinus, *De Trinitate* 1.15 c.14 n.23.

[11] De conciliatione hac: Caietanus, in 1 q.19 a.2.3; Idem, in 3 q.1 a.1; Io. a S. Th., *Cursus theol.* t.3 q.19 d.4 a.4; Suárez, DM 30,9; Urráb., 1,510-603; Vázquez, in 1 d.80 n.6, et d.120 n.9; Ruiz de Montoya, *De divina voluntate* d.2ss; OM n.650-668.

volitione creandi mundum, quod est ipsa volitio, *nego;* quoad id quod importatur in obliquo, quod est ipse mundus, *iterum dist.*: dependenter a voluntate divina, quae aliud velle potuisset, *conc.*; sine dependentia a voluntate divina, quae aliud velle potuisset, *nego.*

Et contradist. min.: quod est contingens est mutabile in creatis, *conc.*; in Increato, *subdist.*: si est contingens entitative, *conc.*; si est contingens solum terminative, *iterum dist.*: si est contingens quoad id quod importatur in recto, quod est ipsa volitio, *conc.*; si est contingens solum quoad id quod importatur in obliquo ex voluntate divina, *nego.*

Explico. Libertas enim divina non est libertas ad ponendum vel non ponendum actum, quia hoc faceret Deum mutabilem; sed est solum libertas ut actus necessarius quo se amat, terminetur ad diversa obiecta volenda sine ulla sui mutatione. *Quid autem est illa terminatio?* Non est nisi actus voluntatis divinae quo se necessario amat, qui ob eminentiam suam sine ulla sui mutatione potest velle aut nolle, velle hoc aut illud. Per hoc solum mutatur obiectum, ex voluntate Dei, quae aliud velle potuisset, *non* autem mutatur voluntas divina. Et hoc possibile est, ut diximus, *ob eminentiam* actus divini quo se amat. Ille enim est ipsa essentia divina, quae est simpliciter infinita, et continet in se omnem perfectionem quae posset ei advenire ex actibus successivis, et praeterea habet in manu sua ut illam ineffabilem eminentiam applicet ad quodcumque obiectum sine ulla sui mutatione.

Sic salvatur immutabilitas, quia exercitium libertatis consistit in actu ipso necessario quo se amat; et salvatur libertas, quia ille idem actus ob suam eminentiam potest terminari ad volendum quidlibet.

Nos non possumus concipere hanc terminationem sine aliqua nova relatione rationis per quam Deus novo modo respiciat obiecta; illa tamen relatio rationis non est concipienda ut resultans ex obiecto futuro, quia libertas est ante futuritionem obiecti, sed ad modum relationis antecedentis illam futuritionem; neque constituit libertatem in exercitio, sed fabricatur a mente ut iuvemur ad concipiendam libertatem, quae est solus actus necessarius quo Deus se amat.

Haec est sententia communissima scholasticorum, eamque tenet S. Thomas, Suárez, thomistae generatim, estque omnino vera. Per eam tamen non disparet mysterium ingens quod hic latet, sed dantur formulae verae sub quibus contradictio vitatur.

Sententiae reiciendae circa conciliationem immutabilitatis Dei cum libertate. Non tamen omnes auctores semper consenserunt in hanc tam simplicem theoriam nostram.

AUREOLUS dicebat libertatem in actu seu in exercitio constitui per effectum externum Dei; salvatur ergo libertas et immutabilitas, quia unice mutatur aliquid extrinsecum, nempe effectus, qui potest esse et non esse, non vero aliquid intrinsecum Deo. *Sed haec responsio* admitti nequit: *primo,* quia actus liber est aliquid intrinsecum Deo; et *secundo,* quia debet esse prior effectibus, utpote qui est causa effectus extrinseci.

VÁZQUEZ dicebat libertatem consistere essentialiter in duabus re-

bus: in actu necessario quo Deus se amat, et in relatione rationis orta in Deo ex futuritione effectus extrinseci. Salvatur ergo immutabilitas Dei, quia unice mutatur relatio rationis in Deo, quae non est aliqua realitas ei interna. *Sed neque haec solutio* admitti potest; quia libertas est aliquid reale et prius effectu externo, utpote quae est causa illius effectus; illa autem relatio rationis neque est aliquid reale, neque est prior effectu futuro, sed contra est aliquid posterius illo et nascens ex illo.

CAIETANUS dixit liberum in actu consistere in modo physico et intrinseco, qui potest deesse, sine ulla tamen mutatione Dei[12], quia ille modus habet solum entitatem tenuem, et solum extensivam, qua Dei voluntas se extendit ad plura, non vero intensivam. *Haec sententia reicitur,* quia modus physicus et realis habet suam propriam entitatem, licet tenuem; et consequenter eius absentia vel praesentia mutat realiter subiectum; item Deus in suis actibus vitae intimae, qualis est libertas, dependeret ab aliqua re contingente, qualis est modus ille, quod est absurdum.

Sentencia tamen communis est ea quam dedimus solventes directe obiectionem[13].

385. Obiectiones. 1. *(Contra immutabilitatem physicam.)* Deus ascendit, descendit, irascitur, clamat; *atqui* haec omnia includunt mutationes physicas; *ergo* Deus est mutabilis physice.

Dist. mai.: metaphorice, *conc.;* proprie, *nego;* et *contradist. min.*

2. Deus de non creante fit creans, de praesente ad arborem fit ei non praesens cum perit arbor; *atqui* hae sunt mutationes physicae; *ergo* Deus est mutabilis physice.

Dist. mai. Per denominationem extrinsecam, *conc.;* per denominationem intrinsecam, *nego; et contradist. cons.* Deus incipit esse creans actu per actionem creativam, quae in ipso non recipitur, sed est in termino; et fit praesens vel cessat esse praesens cani, solum per mutationem canis, sed non per mutationem immensitatis Dei, quae semper permanet eadem.

3. Deus vivit proprie et vere; *atqui* vita consistit in motu, *ergo* Deus vere se movet, seu vere est mutabilis.

Conc. mai. Dist. min.: quatenus motus significat habere perfectionem ab intrinseco, *conc.;* quatenus motus significat transitum de uno modo se habendi ad alium modum se habendi, *subdist.*: in creatis, *conc.;* in Increato, *nego.* Et *contradist. cons.:* si motus significat solum habere perfectionem ab intrinseco, *nego;* si significaret necessario transitum de uno modo se habendi ad alium, *conc.* Et propter hanc solutionem, dicendum est Deum et creaturas vivere modo analogo et non univoco.

4. (*Contra immutabilitatem moralem*). Deus eundem hominem modo amat modo odio habet; *atqui* hoc est mutari; *ergo* Deus est mutabilis.

Nego mai. Deus ab aeterno et unico actu unum eundemque hominem amat et odio habet pro diversitate motivorum, et pro diversitate temporum, et successio est in homine qui mutatur, non in Deo qui ab aeterno permanet idem.

---

[12] Caietanus videtur non recte accusari ut defensor talis sententiae, et illum ab ea purgat GISQUIÈRE, 2,92.

[13] LENNERZ, *Zur Lösung von Schwerigkeiten in der Gotteslehre:* Scholastik (1926) 352-367.

5. Deus plura praedixit, quae non sunt completa; aliquando habet decretum puniendi, nempe dum homo est in peccato, et postea habet decretum parcendi, cum paenitet; aliquando alia praecepta imposuit hominibus (v. c. in Vetere Testamento), et aliquando alia diversa praecepta iubet servari (v. c. in Novo Testamento); *atqui* haec omnia indicant mutationem voluntatis; *ergo* Deus est mutabilis quoad voluntatem.

Conc. mai.; nego min. Nam praedictiones, quae non sunt impletae, erant conditionales, unde non mutata est voluntas, sed conditio non est impleta. Deus ab aeterno uno et simplicissimo actu imposuit illa diversa praecepta pro diversitate temporum, et voluit punire et parcere pro diversitate motivorum et temporum, cum tamen decreta non sint data diversis temporibus.

6. Deus libere voluit mundum creare, et potuit velle mundum non creare; *atqui* hoc significat Deum aliter potuisse se habere; *ergo* Deus est mutabilis. *Minor*: quia tunc habuisset decretum diversum ab eo quod nunc habet.

Conc. mai.; nego min. Ad probationem; habuisset decretum diversum entitative, *nego;* terminative, *subdistinguo:* quoad id quod in volitione importatur in recto, quod est volitio, *nego;* quoad id quod in volitione importatur in obliquo, quod est exsistentia mundi, et quidem per determinationem divinae voluntatis, *conc.*

7. (*Contra immutabilitatem intellectualem*). Deus aliquando intelligit Incarnationem esse futuram, et aliquando intelligit Incarnationem esse iam praesentem, et aliquando esse iam praeteritam; *atqui* hoc significat intellectum divinum mutari; *ergo* Deus est mutabilis intellectualiter.

Nego mai. Sed unico et eodem simplicissimo actu ab aeterno cognoscit Incarnationem per comparationem ad tale tempus esse futuram, et per comparationem ad aliud esse praesentem, et per comparationem ad aliud esse eventum iam praeteritum.

8. *(Quod libertas non consistat in actu necessario quo Deus amat se).* Actus necessario terminatur ad suum obiectum; *atqui* libertas non necessario terminatur ad obiectum suum; *ergo* libertas divina non est actus et multo minus erit actus necessarius.

Dist. mai.: ad obiectum quasi formale, *conc.;* ad obiectum materiale, *subdist.:* in creatis *conc.;* in Increato, cuius actus continet eminenter omnem perfectionem actuum contingentium, et potest terminari secundum quamlibet continentiam horum actuum, *nego; et concessa min.; contradist. cons.*: libertas creata non est actus, *conc.;* libertas increata non est actus, *nego.*

9. Impossibile est unam formam producere effectus formales oppositos (et sic albedo non constituit nigrum, sed solum album); *atqui* actus Dei, quo se amat, est necessarius; *ergo* est impossibile illum actum constituere Deum libere et necessario amantem.

Dist. mai.: forma finita et creata, *conc.;* forma infinita, continens in se perfectionem omnium actuum contingentium qui possunt concipi, *nego. Et concessa min., dist. pariter cons.*: si esset forma finita et creata, *conc.;* si autem est forma infinita et increata, *nego.*

10. *Ad reliquas obiectiones. Non significant in Deo mutationem ullam*: a) *generatio* et *spiratio* in Trinitate, quia illa generatio non datur per causationem ullius entitatis, sed solum per communicationem identicae naturae b) Neque *Incarnatio*: haec enim locum habuit solummodo per mutationem humanitatis, non Dei: et omnes

mutationes quae in Christo acciderunt, acciderunt in humanitate, non in essentia Verbi. c) Nec *Creatio:* Nam creatio est actio transiens formaliter, quae non in Deo recipitur, sed solum in rebus. d) Neque *amor* et odium quo Deus successive prosequitur aliquem: nam ab aeterno habuit simplicissimo actu amorem et odium pro diversis aspectibus et motivis, nec successio est in actu divino, sed in motivis amoris et odii positis a creatura.

ARTICULUS IX

DE AETERNITATE DEI

Thesis 32. Deus est essentialiter aeternus.

386. S. TH., 1 q.10 1-6; SUÁREZ, DM d.30 s.8; et d.50 s.3.4; IDEM, *De Deo* 1.2 c.4; URRÁB., 1,603-616; *OM* n.670-682.

387. Notiones. AETERNITAS est duratio rei essentialiter carens initio et fine et omni mutatione interna.

Duratio autem est permanentia rei in esse; et ab exsistentia non distinguitur realiter, sed solum ratione. Nam exsistentia solum dicit extranihilitatem, non connotando utrum incipiat nunc an non incipiat nunc exsistere; et contra duratio aut permanentia in esse connotat rem nunc non incipere esse, sed antea etiam fuisse, saltem sumendo illud "antea" per comparationem ad tempus extrinsecum, non ad durationem intrinsecam.

Essentialiter carens initio et fine: quia ex vi essentiae implicat contradictionem aeternitatem posse habere initium aut finem.

Caret etiam omni mutatione aut successione intrinseca: nam aeternitas potest quidem coexsistere cum rebus successivis, sed ipsa in se successionem non habet.

Quare aeternitas est duratio *indivisibilis,* quia in sua entitate aut affectionibus nihil acquirit vel amittit. Est etiam duratio *permanens* et *simultanea:* quia nihil in ea praeterivit et nihil acquiretur, sed quidquid habet, semper immutabiliter habet. Ideo non est *antiquior* hodie quam abhinc saeculo; quia licet coexsistit cum multis rebus, quae sunt antiquae, hoc accidit per mutationem earum, non per mutationem suimetipsius. Ipsa enim est *tota in tota duratione successiva, et tota in singulis partibus,* sine ullo sui augmento aut decremento.

Posita hac notione aeternitatis, haec sequuntur:

Primo, aeternitas divina differt ab *aeternitate creata;* haec enim, licet careret initio et fine, tamen non esset ex exigentia essentiali suae naturae, sed solum de facto et ex dono Dei.

Secundo, omnis duratio creata, licet sit ab aeterno, tamen in singulis instantibus est *finita* a parte posteriori, quia in singulis instantibus potest destrui. *Tertio,* differt ab aevo, quia licet aevum sit duratio permanens propria entis incorruptibilis, ut sunt spiritus et materia prima, tamen habet initium, et potest habere finem.

Quarto, differt ab instante *temporis discreti,* quae est duratio alicuius rei corruptibilis, quae de facto non corrumpitur, ut est duratio substantiarum corporalium, et duratio actuum immanentium spirituum; quia licet in ipsa entitate illae res realiter non habeant mutationem, tamen naturaliter possunt cessare per interventum causarum naturalium, aut per voluntatem spiritus, qui de uno actu transit in alium.

Quinto, differt *a tempore,* quae est duratio motus, praesertim localis: nam eius partes successive transeunt, ita ut apparitio unius partis sit destructio praecedentis.

SECUNDA DEFINITIO AETERNITATIS. Praesupposita hac definitione aeternitatis, facile intelligitur alia vulgaris definitio data a Boetio dicente: aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. Dicitur *perfecta possessio vitae,* ut significetur indoles rei durantis, quae est vita perfectissima, et possessio perfectissima et beatissima talis vitae, non vero ens aliquod iners et mortuum. Dicitur *interminabilis,* ut significetur essentialis carentia initii et finis. Dicitur *tota simul,* ut excludatur ulla successio aut mutabilitas in illa possessione vitae, et ut exprimatur stabilitas immutabilis illius [14].

Licet aeternitas vix ab immutabilitate *differt,* tamen potest haec aliqua differentia notari, quod immutabilitas considerat esse Dei, et excludit ab eo omnem mutationem; aeternitas vero considerat durationem Dei et excludit ab ea omnem limitem et successionem.

388. Quaeritur ergo utrum Deus sit essentialiter aeternus, maxime iuxta primam definitionem.

Sententiae. Omissis fabulis gentilium, qui suorum deo-

[14] Aeternitas, licet videatur esse aliquod attributum negativum, sine initio et sine fine, tamen realiter est attributum positivum, nam est duratio sufficientiae infinitae ad durandum cum infinitis durationibus successivis (SUÁREZ, DM 50,4,15).

rum initia enarrant, *prima* sententia est pantheistarum evolutionistarum, qui quidem asserunt essentialem carentiam initii et finis in Deo, sed negant absolutam immutabilitatem.

Secunda sententia est catholicorum omnium, qui dicunt et Deum esse aeternum et hoc ratione demonstrari. Hanc et nos sequemur ut certam in philosophia. In theologia thesis est de fide [15].

389. Probatur thesis. De essentia aeternitatis sunt haec tria: Essentialis carentia initii et finis et omnis mutations: *atqui* haec tria conveniunt essentialiter Deo; *ergo* Deus est essentialiter aeternus.

Maior patet ex notionibus; *minor* vero declaratur: Deus enim caret essentialiter initio et fine, quia est ens necessarium, de cuius essentia est ut non exsistentia eius includat contradictionem (n.102). Caret similiter omni mutatione, quia ex probatis superius, Deus est essentialiter immutabilis [16].

390. Scholia. Quaestiones aliquot de aeternitate Dei. 1. *a) Solus Deus est aeternus:* quod facile probatur ex iam demonstratis. Omnis enim creatura, utpote dependens essentialiter a Deo et contingens, potest habere initium et finem, iuxta voluntatem Creatoris, et multiplicem mutationem; *atqui* haec sunt opposita aeternitati essentiali; *ergo* nulla creatura potest esse essentialiter aeterna. *b)* Imo *Deus est ipsa aeternitas.* Nam Deus est aeternus a seipso, et seipso, non per formam ullam superadditam re aut ratione cum distinctione perfecta rationis, et ut tota eius essentia: duratio enim Dei non est pars essentiae divinae, secus Deus esset ratione saltem compositus, sed est tota eius essentia.

2. Deo conveniunt multa *praedicata temporalia,* v. c. Deus creavit mundum, Deus iudicaturus est mundum, Deus puniet etc. Haec vero praedicata non conveniunt ei per mutationem et transitionem ipsius, sed solum per mutationem creaturarum, quae sunt vel praeteritae vel futurae. Non Deus aut actus eius immanens est transactus aut futurus, sed res ipsae sunt transactae vel futurae: et quoniam illae res, quandocumque sint, coexsistunt cum Deo, ideo per denominationem desumptam ab earum coexsistentia cum Deo, Deus dicitur in futuro iudicaturus aut in praeterito creavisse.

3. *De coexsistentia physica rerum ab aeternitate simul cum ipsa aeternitate.* Planum est creaturas, cum exsistunt, coexsistere cum tota aeternitate, quia haec est indivisibilis; sed non coexsistunt cum tota aeternitate totaliter, quia non coexsistunt cum omnibus temporibus cum quibus coexsistere potest aeternitas divina. Sed nunc ulterius *quaeritur utrum* creaturae physice coexistant cum aeternitate divina ab aeterno.

---

[15] DB 1782.

[16] Legas de hac re: S. TH., 1 q.10 a.1.4.5; BOETIUS, *De consolatione philosophiae* l.5 par.6; S. ANSELMUS, *Monologium* c.25; S. AUGUSTINUS, *Confess.* l.1 c.6 n.10; et l.11 c.13 n.15.16; c.30 n.40; LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis* l.4 c.4.

Duplex est sententia. Prima est CAIETANI cum aliis plurimis, qui respondent affirmative[17]. Nam aeternitas divina, aiunt, est duratio simultanea et infinita, quae complectitur omnia tempora; ergo ab aeterno se extendit usque ad omnia tempora et ad omnes res, quae in aliqua temporis differentia exstiturae sunt, et ideo ab aeterno coexsistit cum illis, et consequenter illae coexsistunt cum Dei aeternitate. Sed addunt res non coexsistere cum Deo physice ab aeterno in propria mensura seu duratione, sed solummodo in duratione aliena seu divina, quae se extendit usque ad omnia futura. Haec praesentia rerum in aeternitate est medium pro Deo ut cognoscat futura.

Secunda sententia est Suárez et plurium aliorum[18]. Docent futura esse praesentia Deo ab aeterno *intentionaliter,* tam in actu primo, quam in actu secundo: in actu primo, quia ab aeterno res habent veritatem determinatam, ideoque sunt cognoscibiles pro Deo; in actu secundo, quia ab aeterno Deus eas cognoscit ut sunt in praesentialitate quam habebunt in sua temporis differentia. Addunt autem res futuras non coexsistere *physice* ab aeterno cum aeternitate Dei. Ratio est quia non datur coexsistentia physica, nisi exsistente actu in sua propria mensura et duratione utroque extremo; *atqui* ab aeterno exsistit Deus, non exsistente adhuc creatura; *ergo* creatura non coexsistit physice cum Deo ab aeterno. *(Discussio harum opinionum:* OM n.681-682.)

ARTICULUS X

DE ABSOLUTO, EXCLUDENTE RELATIONES DEI AD EXTRA

Thesis 33. In Deo nullae sunt relationes reales ad creaturas, sive transcendentales, sive praedicamentales.

391. SUÁREZ, DM 47,15,15-28; URRÁB., 1,259, ubi etiam de doctrina S. Thomae; IDEM, *Ontol.* p.997; CHOLLET, *Absolu*: *DTC*; DESC., *Instit. Met. Gen.* 1,57 nota; L. STURZO, *Meditatión sur l'Absolu*: RevScPhTh (1934) 241-257; *OM* n.689-700.

392. Nexus. Constat Deum esse rem absolutissimam, imo esse to Absolutum: quia ipse est solutus ab omni dependentia causali, ab ullo subiecto in quo recipiatur et ab omni limite. Sed aliunde constat vere tribui Deo praedicata relativa, ut sunt v. c. Omnipotens, sciens possibilia, decernens creare mundum et ei providere; item Deum esse similem creaturis in multis et dissimilem in aliis. Et per revelationem scimus dari in Deo relationes immanentes Paternitatis, Filiationis et Spirationis activae et passivae, quae non debent concipi ut aliquid adveniens essentiae, sed ut relationes subsistentes.

Quomodo igitur componuntur haec duo, nempe quod Deus sit

[17] S. TH., 1 q.14 a.13, eiusque commentatores, praesertim CAIETANUS, FERRARIENSIS; 1 CG c.66.

[18] SUÁREZ, *Opusc.: De scientia futur.conting.* 1.1 c.7; URRÁB., 2,304-345; OM n.683-689; et lege CORNELISSE, *Tractatus de Deo Uno et Trino* (Quaracchi 1913).

to Absolutum, et tamen quod relationes habeat sive ad intra, sive ad extra? Responsio est Deum esse absolutum essentialiter etiam ad intra, quia eius essentia nullam relationem immanentem dicit, sed solae personae; ad extra Deus est etiam res absolutissima, quia non dicit relationes reales neque praedicamentales ad res extra se; si autem dicit connotationes ad res, hoc nulla est imperfectio ut videbimus, sed excessus perfectionis.

393. Notiones. RELATIO est habitudo unius ad aliud.

Potest esse TRANSCENDENTALIS ET PRAEDICAMENTALIS. *Transcendentalis* identificatur cum essentia subiecti, et non solum habet pro officio respicere terminum, sed ab eo dependere ut a causa efficiente, aut finali aut materiali, aut formali. Hinc sequitur eam inseparabilem esse a subiecto, quia est ei essentialis; et ideo si subiectum est reale, relatio erit realis, licet terminus non exsistat, sicuti est relatio cognitionis ad obiectum cognitum.

Praedicamentalis autem est accidens subiecti, et potest ei advenire et ab eo separari sine subiecti corruptione. Elementa huius relationis sunt: subiectum reale, terminus realis, fundamentum reale et distinctio realis subiecti et termini: fundamentum autem reale debet esse dependentia a termino ut a causa efficiente aut finali, vel commensuratio et convenientia univoca cum termino in aliqua ratione communi.

Relatio praedicamentalis erit *rationis* si non sit reale aut subiectum, aut terminus, aut fundamentum, aut distinctio subiecti et termini. *Realis* autem erit, si haec omnia sint realia.

394. Status quaestionis. His positis quaerimus utrum in Deo sint relationes reales in aliquo sensu ad creaturas. Et non quaeritur utrum sint relationes immanentes intra essentiam divinam: nam de harum realitate ex doctrina fidei constat, siquidem personae divinae non distinguuntur inter se nisi relationibus realibus, quae non sunt accidentia, neque adveniunt essentiae, sed relationes subsistentes. Quaerimus ergo solummodo de relationibus Dei ad creaturas.

395. Sententiae. Relationes transcendentales sat communiter negantur Deo, sed si agamus de praedicamentalibus:

Prima sententia affirmat dari relationes praedicamentales Dei ad creaturas, ut est relatio Creatoris, Domini, similis creaturis. Sic nominales, ARRIAGA, LOSSADA, quibus videtur favere S. ANSELMUS.

Nostra sententia negat dari in Deo relationes reales ad

creaturas, sive transcendentales, sive praedicamentales: sic communiter scholastici, cum S. THOMA ET SUÁREZ. Hanc sententiam tenemus ut certam, si relationes reales intelligantur modo a nobis explicato. (Si autem ad relationem realem sufficiat quaelibet connotatio ad creaturas, sine ulla dependentia et sine ulla convenientia univoca, tunc nulla est difficultas in concedendis relationibus realibus in Deo: et sine dubio in hoc secundo sensu admittunt relationes reales illi qui nobis videbantur contradicere in prima sententia.)

396. Probatur thesis. I P. IN DEO NON SUNT RELATIONES REALES TRANSCENDENTALES AD EXTRA.

Nam relatio realis transcentalis dicit dependentiam subiecti a termino, vel saltem ordinationem subiecti ad terminum; *atqui* in Deo nulla potest esse dependentia neque ordinatio ad aliud ut ad finem; *ergo* in Deo nulla est relatio realis transcendentalis.

Maior patet ex notione ipsa et ex exemplis relationum transcendentalium: sic actio dicit relationem transcendentalem ad agens et ab eo dependet efficienter; et ad terminum, et ab eo dependet ut a fine. Et cognitio dicit relationem transcendentalem ad obiectum, et ab illo dependet vel saltem ad illud ordinatur.

II P. IN DEO NON SUNT ULLAE RELATIONES REALES PRAEDICAMENTALES AD EXTRA.

Nam omnis relatio realis praedicamentalis vel consistit in aliquo modo realiter distincto a subiecto, vel requirit tamquam fundamentum aliquid quod dependeat a termino ut a causa efficiente, aut ut a causa finali, aut ut a causa materiali, vel saltem fundamentum debet esse univocum et commensuratum in utroque extremo; *atqui* in Deo non potest esse ullus modus realis realiter distinctus a substantia divina ob eius simplicitatem et puritatem; neque ulla dependentia, neque ulla univocatio cum creaturis aut ulla commensuratio; *ergo* in Deo nullae sunt relationes reales praedicamentales.

397. Scholia. 1. Dantur tamen in Deo multae *relationes rationis* cum fundamento in re. Nam nos concipimus divina ad modum rerum creatarum; et sic in agente actuali concipimus relationem realem ad effectum, quia agens ordinatur ad effectum ut ad finem; et in scientia concipimus relationem realem ad scitum; et inter ea quae conveniunt in forma concipimus relationes similitudinis; *atqui* Deus est vere agens et producens effectus, et habet scientiam circa plurima obiecta, et convenit in forma cum creatu-

ris, licet analogice; *ergo* pariter in Deo concipimus relationem agentis ad effectum, et scientis ad scitum, et similis ad similia. Aliunde autem scimus has relationes non esse reales; *ergo* sunt rationis et quidem fundatae in fundamentis actionis, scientiae et similitudinis analogicae.

2. Etiam dantur in Deo multae *connotationes reales,* sine relatione ad extra. Dantur enim in Deo tales denominationes connotativae reales, si Deo conveniunt praedicata realia, quae non possint esse neque intelligi sine alio, a quo tamen nullam habent dependentiam, et cum quo non habent ullam commensurationem univocam, et si tales denominationes connotativae non resultent ex termino posito tamquam aliquid tertium distinctum a subiecto et termino, sed sint ipsum subiectum consignificans terminum; *atqui* talia praedicata conveniunt realiter Deo; *ergo* dantur in Deo multae connotationes reales sine ulla relatione.

Maior est manifesta, quia solum hoc volumus significare per connotationes reales. *Minor* declaratur. Tales sunt hae denominationes: Deus est Omnipotens, quod connotat possibilia; Deus est Creator, quod connotat effectus quibus Deus dat esse; Deus est sciens possibilia; Deus est decernens mundum creare.

398. Obiectiones. 1. Dantur relationes reales immanentes in Deo; *ergo* et dari possunt relationes ad extra.

Conc. antec. et nego cons. ob disparitatem. Nam relationes *immanentes* aut sunt originantis et originis, ut Pater et Filius et Spiritus Sanctus, aut sunt similitudinis, aequalitatis et identitatis in essentia, aut sunt similitudinis, aequalitatis et identitatis in ratione personalitatis. *a*) Relationes immanentes *originis* sunt in Deo sine ulla dependentia, sed cum ordine originis et cum summa identitate in essentia; si autem haberet relationes huiusmodi cum creaturis dependeret ab eis sub aliquo genere causalitatis, et non essent per summam identitatem in essentia. *b)* Relationes immanentes *similitudinis* et *aequalitatis* et *identitatis* in essentia, sunt rationis, quia hae relationes, ut sint reales, postulant distinctionem realem in essentia, quod in Deo non verificatur. *c)* Relationes immanentes similitudinis, aequalitatis in ipsa ratione personalitatis, possunt esse et sunt in Deo, quia adest inter illas univocatio (similitudo sine dependentia); et non possunt esse Dei ad creaturas, quia nequit esse univocatio Dei cum creaturis.

2. Dantur in Deo denominationes relativae necessariae essentialiter, ut cognoscens possibilia, potens facere possibilia; *atqui* hae denominationes relativae sunt transcendentales et reales; *ergo* dantur in Deo relationes reales transcendentales. Item dantur aliae denominationes contingentes, ut Creator, Dominus, sine quibus Deus nequit esse et concipi, posita creatione; *atqui* hae sunt relationes reales praedicamentales; *ergo* dantur in Deo relationes reales praedicamentales ad creaturas.

Conc. antec. in utraque difficultate, *et nego cons.:* non sunt relationes sed sunt denominationes connotativae et etiam relationes rationis. Possumus non fingere relationes, et tunc solum adsunt termini connotativi et non relationes, quia Deus non dependet a rebus in ullo genere causalitatis, et nulla est univocatio cum illis; et praeterea non est denominatio quae resultat ex posito termino, sed contra, quatenus in Deo sunt aliquid reale, sunt causa aut funda-

mentum termini. Possumus tamen etiam fingere relationes rationis, ut diximus in scholio.

3. Deus connectitur essentialiter cum possibilibus, ita ut si possibilia perirent, etiam Deus cessaret esse Deus; *atqui* haec connexio dicit relationem realem, quia dicit aliquam dependentiam ab illis; *ergo* dantur in Deo relationes reales transcendentales.

Dist. mai.: connectitur cum possibilibus ex redundantia et supereffluentia, *conc.;* ex dependentia ab illis, *nego;* et *contradist. min.:* si haec connexio esset ex dependentia, *conc.;* si ex redundantia et supereffluentia, *nego.*

Deus est tantae perfectionis, ut possit illam communicare aliis, et ita possibilia resultant necessario et essentialiter ex infinita redundantia et supereffluentia et eminentia communicativa Dei; non vero dependet ab illis, quasi illa essent prius, et ab illis Deus dependeret.

ARTICULUS XI

DE TRANSCENDENTIA DEI COGNOSCITIVA

399. Nexus. Hucusque vidimus transcendentiam entitativam Dei: dum enim probavimus Deum esse simplicissimum, immutabilem, infinitum, aeternum, demonstravimus eum esse supra omne quod extra illum possit esse aut concipi. Nunc autem volumus aliam excellentiam Dei statuere per comparationem ad omnem intellectum creatum aut creabilem, docentes eum a nullo intellectu creato aut creabili posse cognosci sicuti est in seipso, et suis quasi coloribus, et consequenter nec posse exprimi sermone nostro sicuti est in seipso. Hanc autem excellentiam statuemus percurrentes et nostras facultates cognoscitivas, et diversos modos cognoscendi nostros.

400. 1. DEUS NEQUIT VIDERI OCULO CORPOREO NEQUE NATURALITER NEQUE SUPERNATURALITER [19].

Nam obiectum adaequatum visus est coloratum: ad hunc enim finem est totaliter ordinatus, et ideo tota essentia eius est conformari coloribus; *atqui* Deus non est ullus color; *ergo* Deus non cadit sub obiectum adaequatum oculi, ideoque neque ab eo potest videri ullo pacto: si enim oculus aliquo pacto, saltem supernaturaliter, posset videre Deum, se extenderet ultra suum obiectum adaequatum, quod est contradictorium.

401. 2. INTELLECTUS HUMANUS DUM EST CORPORI UNITUS, NON POTEST DEUM NATURALITER VIDERE INTUITIVE [20].

Nam dum intellectus humanus est corpori unitus, non ha-

---

[19] S. TH., q.12 a.3; SUÁREZ, DM 30,11,2, et *De Deo Uno* 1.2 c.6; URRÁB., 1,616-631; OM n.702-705.

[20] S. TH., 1 q.12 a.4; SUÁREZ, DM 30,11,1.3-30, et *De Deo Uno* 1.2 c.9 n.7-16; URRÁB, 1,631-650; OM n.706-712.

bet alium modum intelligendi nisi per experientiam aut per conceptus abstractos ab experientia, et rite ordinatos per affirmationem, negationem, relationes et eminentias; *atqui* Deum non percipimus ut obiectum experientiae externae vel internae, quia neque est res sensibilis neque factum conscientiae nostrae; *ergo* solum restat ut cognoscamus eum per conceptus abstractos a sensibilibus, et rite ordinatos per negationes, relationes et eminentias, quod non est videre eum sicuti est in seipso, sed cognoscere eum conceptu proprio ex communibus, seu modo analogico.

402. 3. IMMO NEQUE ABSOLUTE POTEST NATURALITER ULLUS INTELLECTUS CREATUS AUT CREABILIS VIDERE INTUITIVE DEUM, I.E. UT PRAESENTEM ET UT EST IN SEIPSO.

Fides catholica docet intellectum humanum supernaturaliter posse videre Deum, seu cognoscere eum ut praesentem et sicuti est in seipso [21]. Sed quaeritur praeterea utrum intellectus humanus separatus, et generatim utrum aliquis intellectus creatus aut creabilis possit Deum videre naturaliter modo intuitivo. *Et responsio communis* et catholica est nullum intellectum hucusque creatum posse naturaliter videre Deum modo intuitivo; et praeterea communiter docent contra Ripalda nullum intellectum creatum aut creabilem posse videre Deum naturaliter modo intuitivo.

403. Demonstratio huius asserti est difficilis, et sic potest formari: obiectum proprium et proportionatum facultatis cognoscitivae non potest esse superioris ordinis entitativi quam ipsa facultas cognoscitiva; *atqui* Deus est ordinis entitativi superioris quam omnis facultas creata aut creabilis; *ergo* nulla facultas cognoscitiva creata aut creabilis potest Deum cognoscere naturaliter ut obiectum proprium, i.e. modo intuitivo.

Maior probatur ex quadam inductione, nam *sensus* solum potest percipere materialia et singularia, *quia* ipsa facultas est materialis seu dependens a materia. *Intellectus,* dum est unitus corpori, potest intelligere ut obiectum proportionatum solum materialia et obiecta experientiae, tum in singulari tum in universali: solum potest intelligere materialia, *quia* est facultas unita corpori; et potest ea intelligere in universali, quia tandem est facultas spiritualis superans sensus. *Formae separatae* nobis cognitae ex fide, scilicet angeli, habent ut ob-

[21] DB 475.1001.1002.1005.

iectum proportionatum se ipsas et alias formas separatas creatas. Ex quibus exemplis apparet obiectum proportionatum non superare ordinem entitativum facultatis cognoscitivae; et ratio debet esse *quia* generatim obiectum proportionatum non potest superare entitative ordinem facultatis cognoscitivae et statum eius v.c. unionis cum corpore.

Minor abunde constat: Deus enim in se est actus purus et ens infinitum; unde est ordinis entitativi superioris quam omnis facultas creata aut creabilis.

404. Et fortasse etiam tentari potest demonstratio a priori, hoc modo: Diversi gradus entium cognoscitivorum debent habere obiecta propria et proportionata sibi peculiaria et distinctiva; *atqui* obiectum proprium et proportionatum intellectus divini, sibi peculiare et characteristicum, est essentia divina; *ergo* essentia divina non potest esse obiectum proprium et proportionatum ulli alii intellectui.

Maior: Nam tota ratio sufficiens facultatis intellectivae est obiectum intelligendum; ergo diversi gradus intellectuales, debent habere obiecta intelligibilia sibi propria et proportionata quae sint eis pecualiaria et characteristica.

Minor: Nam obiectum proprium et proportionatum unicuique intellectui est ratio sufficiens illius gradus peculiaris intellectivi; *atqui* ratio sufficiens intellectus divini non potest esse aliquid extra Deum; *ergo* est solum aliquid intra Deum, nempe eius essentia.

Si *ergo* essentia divina est obiectum proprium et proportionatum, characteristicum intellectus divini, non potest esse obiectum proprium et proportionatum alius intellectus, ideoque nequit ab ullo alio intellectu intuitive cognosci.

405. 4. DEUS NEQUIT NATURALITER COGNOSCI CONCEPTU QUIDDITATIVO AB ULLO INTELLECTU CREATO AUT CREABILI [22].

Certe cognoscimus Dei quidditatem, et de ea loquimur et eam statuimus in superioribus. Sed nunc affirmamus non eam posse naturaliter cognosci conceptu quidditativo.

Nam CONCEPTUS QUIDDITATIVUS est ille qui repraesentat rem modo positivo, distincto, absoluto et proprio. *Positivo,* i.e. non per negationes. *Distincto,* cognoscendo notas omnes communes et differentialem. Modo *absoluto,* non per relationes aut connotationes ad alias res v.c. ad suos effectus. Modo *proprio,* ita ut non sit nota communis aliis. Iam vero nos quidem cognoscimus notas communes Deo et creaturis, ut sunt ens, substantia, intelligens, conceptibus positivis, distinctis et absolutis; sed notam propriam et characteristicam

[22] SUÁREZ, DM 30,12,4-12; Pens (1945) 166-170; DE WOESTYNE, *Cursus* 2 p.749: hic docet nos posse habere de Deo conceptus proprios et positivos et distinctos, quod est dicere nos posse habere conceptus quidditativos de Deo; et hoc confirmat multis locis ex Scoto, praesertim 1 d.3 q.2 n.1; OM n.713-715.

Dei non ita possumus cognoscere; quia intellectus creatus aut creabilis non potest cognoscere Deum nisi per creaturas; *atqui* in creaturis nulla est imitatio notae characteristicae divinae, quia haec est incommunicabilis, ut est aseitas, infinitas; *ergo* non possumus per creaturas modo positivo cognoscere notam Dei characteristicam, sed per negationes, relationes et eminentias. Conceptus ergo quidditativus Dei solum habetur in visione supernaturali Dei.

406. 5. DEUS EST ABSOLUTE INCOMPREHENSIBILIS[23].

Iam scimus supernaturaliter Deum posse cognosci intuitive, licet hoc naturaliter sit impossibile. Et nunc quaerimus utrum, licet naturaliter Dei cognitio comprehensiva sit impossibilis pro creatura, sit tamen supernaturaliter possibilis, sicut visio intuitiva. Et fides catholica docet Deum esse absolute incomprehensibilem[24], licet fides catholica non determinet ad quos intellectus se extendat haec incomprehensibilitas, utrum ad viatores an etiam ad comprehensores, utrum ad intellectus iam creatos an etiam ad omnes creabiles, utrum sit absolute incomprehensibilis, etiam supernaturaliter, an solum naturaliter; nec denique fides determinat quid nomine incomprehensibilitatis debeat intelligi.

Quaeritur ergo quid sit comprehensio, et utrum Deus sit absolute incomprehensibilis, etiam supernaturaliter, pro omni intellectu creato et creabili.

407. *Ad primum, thomistae et Suárez ita determinant notionem comprehensionis quae creaturis negatur respectu Dei.*

COMPREHENSIO GENERATIM est cognitio intuitiva perfectissima earum rerum quae sunt formaliter in obiecto cognito, et tam penetrativa, ut in virtute huius penetrationis cognoscantur etiam ea, quae in obiecto continentur eminenter, virtualiter et (si agatur de obiecto creato) potentialiter: sive cum potentialitate naturali, sive oboedientiali, et sive cum potentia oboedientiali activa sive passiva. Non sufficit cognoscere quocumque modo omnia quae in obiecto continentur eminenter, virtualiter aut potentialiter, v.c. per revelationem, sed necesse est ea cognoscere ex vi penetrativa qua cognoscuntur ea quae sunt formaliter in Deo. Haec autem cognitio negatur omni intellectui creato et creabili.

Ad secundum, iidem thomistae omnes et Suárez negant hanc comprehensionem Dei omni intellectui creato et creabili.

[23] SUÁREZ, DM 30,12,1-3; IDEM, *De Deo* l.2 c.5; et *de Verbo Incarnato* d.26; URRÁB., 1,650-684; OM n.716-722.
[24] *Later. IV:* DB 428; *Vatic.:* DB 1782.

408. Probatio incomprehensibilitatis Dei non est facilis, sed tentabimus hanc thesim probare sequenti argumento:

Cognitio comprehensiva Dei debet esse infinita in ratione cognitionis scl. quoad claritatem, certitudinem, distinctionem, penetrationem; *atqui* nulla creatura potest habere cognitionem infinitam; *ergo* nulla creatura potest Deum comprehendere.

Maior: nam Deus cognoscit se cognitione comprehensiva, quae est infinita in linea cognitionis, i.e. in certitudine, claritate, evidentia, distinctione, penetratione; *atqui* illa cognitio non superat cognoscibilitatem obiecti (secus maior esset Dei cognitio quam esse divinum cognitum); *ergo* signum est ad cognoscendam essentiam divinam comprehensive, requiri cognitionem infinitam in linea cognitionis.

Minor: secus creatura in ratione cognitionis aequaret cognitionem divinam, quod repugnat propter analogiam entis.

Certe etiam visio intuitiva Dei est infinita in Deo; sed non exigit esse infinita ratione visionis, secus non posset communicari homini, sed ratione comprehensionis; et sub ratione comprehensionis visio nequit ne supernaturaliter quidem communicari creaturae.

409. 6. DE INEFFABILITATE DEI [25].

DEUS EST NATURALITER INEFFABILIS SERMONE SENSIBILI ET QUIDDITATIVO. Agimus de sermone *sensibili,* non de sermone spirituali, quo utuntur angeli. Et sermo sensibilis duplex excogitari posset, abstractivus et quidditativus. Sermo sensibilis *abstractivus* est ille qui suscitat in audiente conceptum abstractivum Dei. Et hoc modo de facto loquimur de Deo, et audientes intelligunt. Sermo sensibilis *quidditativus* est ille qui suscitat in audiente conceptum quidditativum rei: et negamus hominem posse naturaliter hoc sermone Deum exprimere, sive ipse loquatur sive ille sit audiens.

Duo sunt principia, in quibus innititur tota haec thesis. Primum principium est de vi significativa sermonis, et est tale: vis significativa sermonis pendet et ex cognitione utentis vocabulo et simul ex cognitione quam vocabulum vi suae significationis generare potest in audiente; non autem ex solo loquente aut ex solo audiente. *Secundum principium* est: sermo numquam potest generare ullam ideam intuitivam, quia sermo non repraesentat rem, sed solum seipsum, ut audiens ex vi significativa conventionali veniat in cognitionem rei alius; et quoniam ad cognitionem intuitivam requiritur praesentia rei, sequitur sermonem sensibilem non posse gignere ullam ideam intuitivam.

[25] S. TH., 1 q.13 a.1; SUÁREZ, DM 30,13; IDEM, *De Deo Uno* l.2 c.31.32; URRÁB., 1,684-687; OM 723-731.

410. His positis facile **probatur ineffabilitas Dei,** si audiens vel loquens sit intellectus creatus aut creabilis, et utatur solum viribus naturalibus.

Probatur ex primo principio supra posito: quia vis significativa sermonis dependet et ex cognitione utentis vocabulo, et simul ex cognitione quam vocabulum possit suscitare in audiente; *atqui* intellectus creatus aut creabilis non potest habere conceptum quidditativum Dei ut supra probatum est; *ergo* neque ille potest uti sermone sensibili significante quidditative Deum, neque talem sermonem potest intelligere.

Probatur etiam ex secundo principio: nam sermo sensibilis numquam praesentat rem ideoque nec potest generare conceptum intuitivum; *atqui* conceptus quidditativus Dei est necessario intuitivus; *ergo* sermo sensibilis non potest generare conceptum quidditativum. Et minor supra probata est cum diximus conceptum quidditativum non posse esse abstractivum, sed intuitivum (n.405).

411. Scholium. Unde homo *viator* non potest loqui sermone quidditativo ad Deum aut beatos aut ad alios homines viatores; et similiter homo viator non intelliget talem sermonem sive loquatur Deus, sive beatus, sive alius viator.

Utrum autem possit dari sermo quidditativus de Deo inter *comprehensores* mutuo loquentes, multum disceptatur: sed frequens est sententia neque inter illos posse dari sermonem sensibilem quidditativum; quia si loquens vel audiens habeat conceptum quidditativum Dei, hic conceptus non suscitabitur in virtute significativa vocabuli, sed independenter ab illo. *Primo* propter primum principium, quia nulla creatura potest habere naturaliter conceptum quidditativum Dei; *ergo* neque poterit illum conceptum naturaliter generare in audiente. *Secundo* propter secundum principium, quia sermo numquam praesentat rem, quod requiritur ad conceptum quidditativum habendum in virtute sermonis.

CAPUT II

De attributis positivis seu operativis Dei. De scientia Dei.

412. Nexus. Postquam iam explicuimus in capite praecedenti attributa Dei entitativa seu quiescentia, seu negativa, per remotionem imperfectionum quae sunt in creaturis, oportet iam explicare eius attributa positiva seu operativa, quae ei attribuimus per similitudinem cum iis quae sunt in creaturis, et sunt: vita, intellectus, voluntas, potentia activa et providentia.

In hoc capite solum agemus de scientia, et de ea quaeruntur septem: *primum* est utrum Deus sit vivens, quod est praesuppositum ut Deus sit sciens; *secundum,* utrum Deus habeat scientiam; *tertium,* quaenam sint perfectiones scientiae divinae; *quartum,* de

scientia pure-possibilium; *quintum,* de scientia futuribilium, seu contingentium sub conditione futurorum; *sextum,* de scientia contingentium absolute futurorum; *septimum,* de scientia practica et de ideis.

ARTICULUS I

De vita Dei

Thesis 34. Deus habet vitam, imo est vita ipsa, intellectiva et volitiva, et quidem beatissima.

413. S. Th., 1 q.18 a.1-4; Suárez, DM d.30 s.15; Urráb., 2,1-8; Donat, *Theod.* n.231-237; Gisquière, *Deus Dominus* 2,9-13; S. Augustinus, *Soliloquia* l.1 c.1 n.3; Ps. Dionysius, *De divinis nominibus* c.6 1; *OM* n.733-735.

414. Notiones. Vivens creatum est quod natum est se movere ultra statum connaturalem. In hac descriptione quatuor inveniuntur: *subiectum* quod recipit formam quam ipsum producit; *forma* seu perfectio recepta, quae est perfectio simpliciter, non autem perfectio recuperativa status sui connaturalis contra violentiam, sicut se movet corpus elasticum cum comprimitur; *actio* orta ab intrinseco, productiva talis formae, et *passio* seu receptio illius formae.

Et eodem modo explicanda est illa definitio aequivalens: vivens est quod natum est immanenter operari, seu quod operatur immanenter: operatio enim immanens semper includit et subiectum producens formam, et formam receptam, et actionem per quam fit illa forma, et denique illiusmet formae receptionem in agente.

Vita sic descripta *non convenit Deo,* ut patet; sed si bene penetremus hanc definitionem, inveniemus hic aliqua quae pertinent ad imperfectionem et alia quae pertinent ad perfectionem. Ad imperfectionem pertinet quod detur subiectum recipiens, et forma seu perfectio producta et passio seu receptio eiusdem in subiecto. Ad perfectionem autem pertinet quod sit perfectio ab intrinseco et non unice ex motu alius. Omissis ergo imperfectionibus et retentis perfectionibus, habebimus definitionem viventis quae sit analoga et communis Deo et creaturae, et erit sequens:

415. Vivens in communi definitur: quod habet perfectionem ab intrinseco et non unice ex motu alius moventis. *Perfectio* intelligitur id quo res perfecta est, et non praecise id quo restauratur status connaturalis violenter perturbatus. *Ab*

intrinseco: non significat generatim efficientiam illius perfectionis a principio efficiente intrinseco, sed quod non est unice ex motu alius moventis. Haec definitio convenit omni et soli definito, ut patet. Vivens enim creatum natum est habere perfectionem ab intrinseco et non unice ab alio extrinsece movente, et Deus similiter habet perfectionem ab intrinseco et non ab alio.

416. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum iuxta hanc notionem Deus habeat vitam, et quidem summe perfectam.

Sententiae. Nullus est qui admittat Deum, et neget Deum esse viventem. Et iuxta S. AUGUSTINUM, ii etiam qui ut deos habebant res inertes, ut statuas aut lapides, putabant aliquem spiritum intus latere qui posset audire preces et acceptare adorationem. Thesis est certissima in philosophia et de fide in theologia.

417. Probatur thesis. I P. DEUS EST FORMALITER VIVENS.

Vivens est illud ens, quod habet perfectionem ab intrinseco et non unice ex motu alius moventis; *atqui* Deus habet perfectionem ab intrinseco et non ab alio; *ergo* Deus habet vitam. Iuxta notiones datas omnia sunt clara.

Dices: Lapides v. c. etiam habent perfectionem ab intrinseco, et non unice ex motu alius moventis; *atqui* iuxta te in hoc consistit vita: *ergo* lapides vivunt. *Resp.: nego mai.* Totum quod habet intrinsece lapis est ex creatione vel ex transmutationibus productis ab alio movente extrinseco.

418. II P. DEUS EST VITA IPSA, SEU VITA SUBSISTENS.

Nam Deus est vita ipsa subsistens, si habet vitam in actu a se, et seipso, et ut totam eius essentiam; *atqui* ita se res habet; *ergo* est vita ipsa subsistens, seu actus purissimus vitae.

Maior constat ex notione vitae per essentiam, vel vitae subsistentis. *Minor* declaratur: *a)* nam quod Deus sit vivens a se, patet, quia est omnino improductum. *b)* Est vivens seipso, et non per formam seu per actum distinctum, quia ipse est actus purus, ideoque actum vitae habet intra essentiam, et non per aliquid additum essentiae. *c)* Et vita est tota essentia Dei: secus Deus non esset omnino simplex, sed constaret ex vita et ex alio constitutivo, quo constitueretur Deus.

419. III P. DEUS HABET VITAM INTELLECTIVAM ET VOLITIVAM.

Nam Deus est purissimus spiritus, ut probatum fuit in simplicitate divina (n.361); *ergo* nequit habere vitam vegetativam aut sensitivam, quae est propria corporum; *ergo* si tamen habet vitam, haec non potest esse nisi intellectiva et consequenter volitiva, quia vita volitiva necessario sequitur intellectivam.

420. IV P. HABET VITAM BEATISSIMAM [1].

Deus habet vitam felicissimam, si possidet bonum infinitum et quidem meliori modo possibili; atqui ita se res habet; *ergo* Deus habet vitam beatissimam.

Maior constat, et *minor* probatur. *a*) Possidet bonum infinitum, quia cognoscit et amat se, qui est bonum infinitum. *b*) Et quidem meliore modo possibili: possidet enim se per actus intelligendi et amandi, qui et sunt infinite perfecti, et necessario in aeternum duraturi, quia sunt ipsa essentia Dei et ipsum bonum infinitum quod possidetur.

421. Corollarium. Unde vides vitam Dei non importare motum ullum stricte dictum, neque operationem, neque actionem immanentem in *sensu* proprio; haec enim important effectionem, et formam effectam, et receptionem in aliquo subiecto; non est nisi perfectio ab intrinseco, quae non est per motum alius, et est actus purissimus vitae.

Si bene retineatur haec notio vitae, omnes difficultates contra eam evanescunt.

ARTICULUS II

DE REALITATE SCIENTIAE DEI

Thesis 35. Deus habet scientiam formaliter

422. S. TH., 1 q.14; SUÁREZ, DM d.30 s.15; et d.35 s.5-18; IDEM, *De Deo* l.3 c.1; URRÁB., 2,10-28; HONTHEIM, p.571-612; FRANZELIN, *De Deo Uno* th.36-46; Io a S. TH., *De Deo* d.16; *OM* n.736-739.

423. Notiones. SCIENTIA in sensu praedicamentali et prout reperitur in creaturis est cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita. In hoc sensu habet plures imperfectiones, ut sunt quod sit aliquid productum per facultatem et obiectum, et per demonstrationem. In sensu *transcendentali* est

[1] S. TH., 1 q.26; 1 CG c.100.

notitia clara et certa rerum. In hoc sensu non apparet in ea ulla imperfectio, et in hoc sensu volumus probare exsistentiam scientiae in Deo.

424. Sententiae. Nullus ex his qui admittunt exsistentiam Dei, negat ei scientiam; sed tamen plures philosophi posuerunt multas imperfectiones in hac scientia. Ethnici putabant deos suos plura ignorare, de quibus deberent certiores fieri per alios deos, et plura discere de novo, vel eos de aliquibus solum habere scientiam coniecturalem. ARISTOTELES concessit Deo plenissimam scientiam sui, sed videtur negasse scientiam de rebus extra se. AVERROES videtur dixisse Deum res possibiles cognoscere solummodo in universali, in singulari autem cognoscere solum ea, quae ab ipso Deo fiunt, non alia.

Catholici autem omnes affirmant realitatem scientiae quam probaturi sumus nunc; et quidem habere perfectissimam scientiam, de quo in articulo sequenti. Thesis est certissima in philosophia et de fide in theologia.

425. Probatur thesis.

Prob. 1. (*Ex omniperfectione.*) Scientia est perfectio excellentissima, cuius carentia magna est imperfectio; *atqui* in Deo nulla potest esse imperfectio; ergo in Deo est scientia. *Maior* a) quoad primum patet: quia scientia est actualitas aliqua, et quidem valde praeclara. Si autem in scientia humana continentur plures imperfectiones, ut esse accidens, etc. hoc non pertinet ad rationem scientiae ut sic, sed ad rationem scientiae creatae. *Eadem maior* b) quoad secundum etiam patet: nam qui caret intelligentia, est veluti truncus; non est dignus cultu et adoratione quia haec signa deferuntur intelligenti quid sibi offeratur; neque est persona seu finis in se, sed adhibetur ut obiectum aliquod contemplationis et curiositatis, cuius notitia ego ditesco; neque est dominus aut possessor rerum aliarum, quia res aliae pro non intelligente sunt quasi non essent. Ceterum qui non videt perfectius esse intelligere quam intellectu carere, fortasse ipse intellectu caret, ait Suárez (DM 30,14,11).

Minor: quod in Deo sint omnes perfectiones et nulla imperfectio, iam probatum est cum statueretur eius omniperfectio et infinitas.

426. *Dices:* Deus habet intellectum et scientiam eminenter, non formaliter; sicut habet eminenter et non formaliter quantitatem.

Nego assert. Argumentum enim demonstrat eum, qui non habet intellectum et scientiam formaliter, habere imperfectionem. *Ad probat. nego paritatem*: nulla est imperfectio carere quantitate formali, sed certe carere scientia formali.

427. *Prob. 2. (Aliae probationes similes.)* Deus est vivens et quidem vita perfectissima; *atqui* vita perfectissima est vita intellectualis; *ergo* Deus vivit vita intellectuali, ideoque et habet intellectum et scientiam.

Maior: Vita enim est perfectio excellens, cuius carentia magna est imperfectio, et ob eam causam lapides sunt minus perfecti quam animalia; *atqui* in Deo nulla potest esse imperfectio, *ergo* Deus est vivens. Quod autem vivat vita perfectissima patet, quia in Deo omnis eius perfectio est simpliciter infinita.

Minor: quod vita perfectissima sit intellectualis, patet: nam vita vegetativa est propria corporum quae in comparatione spiritus, sunt valde imperfecta. Et vita sensitiva solum se extendit ad singularia et materialia et contingentia, et ideo habet hanc imperfectionem in ratione scientiae, quod non habeat pro obiecto omne ens, sed solummodo res sensibiles. Denique vita volitiva sequitur vitam rationalem et in ea radicatur; unde non potest esse vita perfectissima. Vita igitur perfectissima sola est intellectualis. Ipsa enim se extendit ad omne ens, et est ratio cur adsit voluntas, quae se extendat ad omne bonum.

428. *Prob. 3. (Ex creatione.)* Deus producit sua actione entia intelligentia; *atqui* causa debet continere perfectiones effectuum; *ergo* et Deus est ens intellectivum.

Dices: Causa debet continere perfectiones effectuum eminenter et virtualiter, sed non semper formaliter; *ergo* fortasse Deus contineat intelligentiam eminenter et virtualiter, sed non formaliter.

Resp.: Deus habet intelligentiam formaliter, quia debet continere effectus meliori modo possibili et sine ulla imperfectione; *atqui* continere intelligentiam solummodo eminenter et non formaliter importat imperfectionem ex demonstratis in primo argumento; *ergo* non potest continere intelligentiam eminenter et virtualiter solummodo, sed etiam formaliter.

429. *Prob. 4. (Ex ordine mundano.)* Deus ordinavit mundum; *atqui* causa ordinationis est intelligens; *ergo* Deus est intelligens.

Maior, constat ex demostratione exsistentiae Dei ex ordine mundano, et ex finalitate organismorum; et *minor* ibidem demonstrata est (n.114-117).

Dices: Fortasse mundum ordinavit causa distincta a Deo et producta a Deo; *ergo* illa causa proxima erit intelligens formaliter, sed Deus erit intelligens solum eminenter et non formaliter.

Transmisso antec., nego cons. Illa enim causa ultima et infinita non poterit habere intellectum solum eminenter et non formaliter, quia carere intellectu formaliter tali, est imperfectio.

430. *Prob. 5. (A priori.)* Forma spiritualis est intelligens; *atqui* Deus est forma spiritualis; *ergo* est intelligens.

Minor patet, ex eo quod sit simplicissimus et actus purus, quod nequit convenire materiae vel rei materiali.

Maior: nam principium radicale specificativum operationum est forma, non materia; *ergo* quo forma fuerit magis forma, i.e. magis recedens a materia et ab eius dependentia, habebit operationem magis perfectam; ergo forma spiritualis, quae omnino est independens a materia, habebit operationem immanentem quae est multo magis perfecta quam solum transiens; et non habebit operationem immanentem vegetativam aut sensitivam, quia hae sunt operationes organicae, quae non sunt propriae spiritus, sed operationem immanentem spiritualem, quae est intellectio [2].

Dices: Forte illa forma separata habet operationem transeuntem specialem, non immanentem; *ergo* nihil probatum est.

Nego antec. Operatio illius formae spiritualis debet esse immanens quia actio transiens ex genere suo communis est cum formis materialibus.

N. B. In articulo sequenti dicemus de perfectione et indole scientiae, v.c. quod sit infinita, quod non sit potentia sed actus subsistens sciendi, quod eius obiectum quasi formale sit ipsa essentia divina; sed tamen contra haec omnia iam nunc exponentur difficultates et solventur.

431. Obiectiones. 1. Scientia est assimilatio scientis ad scitum; *atqui* in Deo non potest esse assimilatio scientis ad scitum; *ergo* non est in eo scientia. *Min.*: nam non potest habere assimilationem ad seipsum, quia a se non distinguitur; nec assimilationem ad res extra se, quia secus ab eis penderet.

Dist. mai.: scientia praedicamentalis, *conc.;* trascendentalis et absolute spectata, *nego; et concessa min.; dist. pariter cons.*: non potest habere scientiam creatam, *conc.;* trascendentalem et absolutam et increatam, *nego.* Scientia absolute spectata est notitia clara et certa rerum, et hoc non dicit productionem aut effectionem assimilationis, sed solum dicit meram terminationem ad res quomodocumque illa terminatio verificetur.

2. Scientia importat relationem realem ad scitum; *atqui* in Deo non sunt relationes reales ad res scitas; *ergo* non est in eo scientia. *Minor*: nam ad se non dicit relationem, quia ab ipso non distinguitur; neque ad alia, quia secus ab eis penderet.

Dist. mai.: scientia praedicamentalis et creata, *conc.;* transcendentalis et absolute spectata, *nego;* et *concessa min.; dist. pariter cons.*

3. Scientia importat pluralitatem scientis et scientiae et sciti; *atqui* intra Deum nulla est pluralitas; *ergo* non est in Deo scientia.

Dist. mai.: scientia praedicamentalis et creata, *conc.;* transcendentalis, absolute spectata et increata, *subdist.;* importat pluralitatem scientis, scientiae et sciti per respectum ad obiectum quasi formale *nego;* per respectum ad obiectum materiale, *conc.;* (in hoc casu habe-

[2] Sic SUÁREZ, l c.; probationem fundatam in principio individuationis per materiam signatam quantitate, videas: S. TH., 1 q.54-58; MARITAIN, *Les degrés du savoir* p.215-230; SIMON, *Introduction à l'étude du connaitre* (Paris 1934) 1-55.

tur pluralitas non scientis et scientiae, sed scientiae et sciti). *Et concessa min.; dist. pariter cons.;* non est in Deo scientia praedicamentalis, *conc.;* trascendentalis, absolute spectata et increata, *nego.*

4. Scientia est operatio immanens; *atqui* operatio immanens semper supponit potentiam, ex qua procedat et in qua recipiatur; *ergo* si est in Deo scientia, est etiam potentia, ex qua procedat et in qua recipiatur, ideoque Deus non est actus purus.

Dist. mai.: in hoc sensu, quod sit perfectio ab intrinseco, et non ex solo motu extrinseci motoris, *conc.*: in hoc sensu quod sit aliqua actio, aut productio formae et receptio eius, *subdist.;* in creatis, *conc.;* in increato, *nego*: operatio enim analoge dicitur de vivente creato et increato.

5. Si scientia Dei est actus subsistens sciendi, et non est in eo distinctio scientis et scientiae et sciti, tunc obiectum scientiae divinae est ipsa scientia; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* scientia in Deo non est actus subsistens sciendi, sed accidens, vel aliquid imperfectum (ideoque neganda est scientia in Deo). *Maior,* patet, quia non distingueretur obiectum scitum ab ipsa scientia. *Minor*: obiectum enim scientiae praesupponitur ad scientiam: *atqui* scientia non praesupponitur ad scientiam; *ergo* scientia non potest esse obiectum scientiae.

Dist. mai.: realiter et etiam formaliter secundum implicitum, *conc.;* formaliter secundum explicitum, *nego;* et *contradist. min.*

In Deo realiter omnia sunt idem, imo et formaliter secundum implicitum; consequenter in Deo sciens et scientia et obiectum scientiae est idem, unde realiter obiectum formale scientiae est ipsa scientia. Formaliter tamen secundum explicitum distinguitur scientia et essentia, quae est eius obiectum quasi formale, et ita secundum signa rationis obiectum praesupponitur ad scientiam, et obiectum scientiae non est ipsa scientia. (Plura in OM n.742-743,770-773.)

ARTICULUS III

QUAESTIONES ALIQUOT CIRCA PERFECTIONEM ET INDOLEM SCIENTIAE DIVINAE

432. 1. SCIENTIA DIVINA EST INFINITE PERFECTA IN RATIONE ENTITATIS [3]. Nam scientia divina, est formaliter implicite ipsa essentia divina; *atqui* essentia divina est infinite perfecta in ratione entis; *ergo* et scientia divina est infinite perfecta in ratione entis.

IMO ET IN RATIONE SCIENTIAE EST INFINITE PERFECTA: quia scientia divina in quantum est scientia, reduplicative ut est scientia divina, definitur formaliter implicite per essentiam; *atqui* essentia divina est infinite perfecta; *ergo* et scientia divina, in quantum est scientia, est infinite perfecta. Nam

[3] S. TH., 1 q.14 a.3.4; SUÁREZ, DM 30,15,1-21; URRÁB., 1,156-64; OM 740-741.

sicut homo, in quantum est homo, est vivens, quia definitur per vivens, similiter scientia divina in quantum est scientia divina, est infinita, quia definitur per infinitatem. Est igitur infinite clara, certa, infallibilis, penetrativa.

433. 2. Per hanc scientiam Deus se et alia comprehensive cognoscit. Nam cognitio comprehensiva est talis penetratio rei, ut virtute huius penetrationis cognoscantur, non solum ea quae sunt formaliter in re, sed etiam quae in ea continentur eminenter, virtualiter et (si agatur de creaturis) potentialiter secundum potentiam passivam vel activam, sive naturalem sive oboedientialem (n.407); *atqui* Deus se cognoscit hoc modo et similiter alia, quia secus deesset ipsi aliquis modus penetrationis intellectualis rerum, quod est impossibile in scientia simpliciter infinita; *ergo* se et alia cognoscit comprehensive.

434. 3. Scientia Dei est actus purissimus.

Nam scientia Dei non potest esse actus primus seu potentia capax producendi actus cognoscendi et eos recipiendi, secus Deus non esset actus purus nec simplicissimus. Item non potest esse actus secundus cognoscendi, quia hoc supponeret esse in eo actum primum seu potentiam productivam et receptivam actuum, quod iam visum est esse impossibile. Tamen scientia Dei potest dici *potentia intellectiva,* non in sensu physico, et ut opponitur actui, quia hoc supponeret capacitatem producendi et recipiendi actus, sed certe in sensu logico et in sensu metaphysico. Nam in sensu *logico* potentia intellectiva est non repugnantia intelligendi; et in sensu *metaphysico* potentia intellectiva significat virtutem penetrativam omnis veri; *atqui* in Deo est tum non repugnantia intelligendi, tum virtus penetrandi omnem veritatem (non prout hae potentiae opponuntur actui sciendi, sed prout imperfecte praescindunt ab actu); *ergo* potest concedi in Deo potentia intellectus in sensu logico et in sensu metaphysico.

435. 4. Similiter scientia Dei est actus unicus re et ratione. Quia secus Deus non esset aut non conciperetur ut simplicissimus. Sed tamen imperfecte possunt distingui in Deo tot actus, quot sunt obiecta quae ab ipso cognoscuntur.

436. 5. Scientia Dei habet omnes virtutes intellectuales, quae non implicant imperfectionem. Et sic illa scientia est *intellectus* principiorum, quia intime et facillime

ea principia penetrat sine ullo discursu. Est *prudentia,* quia optime iudicat de agendis. Est *ars,* quia habet ideas exemplares omnium rerum faciendarum. Est *scientia a priori,* quia novit omnia possibilia, cognita causa eorum. Scientia tamen futurorum et futuribilium non est a priori, sed immediata sine ulla imperfectione.

437. 6. UTRUM DEUS COGNOSCAT ACTU ET SIMUL INFINITA. Circa hanc materiam duplex est sententia. *Prima* est a Deo cognosci infinita syncategorematice. Sed haec sententia admitti non potest: significaret enim scientiam divinam cognoscere solum finita, sed posse indefinite cognoscere plura et plura: hoc vero est ponere potentialitatem in scientia divina.

Secunda est Deum cognoscere infinita categorematice simul et actu. Non videt Deus in aliquo instanti posse esse infinita actu verificata in re: de hoc enim disputari potest. Sed certe Deus habet in mente sua infinita, licet ea non possint fieri nisi successive. Haec est sententia communis et vera[4]. Ipse Suárez et Urráburu[5], qui dicunt res cognitas esse infinitas syncategorematice, nolunt asserere, nisi infinitatem categorematicam sensu explicando. Ut haec sententia melius intelligatur, praemittendae sunt notiones.

Infinitum categorematicum, loquendo de multitudine aut magnitudine, non est illud quo maius excogitari non possit; neque est illud, quod caret limite in multitudine aut magnitudine. Iuxta hanc notionem multitudo aut magnitudo infinita est contradictoria: nam si in illa magnitudine vel multitudine consideremus mente seorsim tres unitates, et comparemus eas cum reliquis, hae reliquae non essent finitae neque infinitae: non infinitae, quia maius aliquid cogitari potest, nempe multitudo aucta tribus illis unitatibus; neque finitae, quia secus per additionem duorum finitorum, resultaret unum infinitum.

Sed infinitum categorematicum in multitudine et magnitudine est illud, quod exhauriri non potest, sumendo illud per partes aliquotas successive; v. c. anni erunt inexhauribiles, si sumendo successive eam multitudinem per annos singulos, non possit umquam perveniri ad finem; et sic de multitudine hominum, capillorum, etc.

438. Hoc modo Deus cognoscit simul et actu infinita categorematice, *tum scientia simplicis intelligentiae, tum scientia visionis.* Nam per scientiam *simplicis intelligentiae* videt infinitos homines possibiles, et infinitos capillos, et infinita brachia, etc.; divina enim imitabilitas non exhauritur ullo numero finito possibilium. Et *per scientiam visionis* videt Deus infinitos actus cuiusque spiritus creati, quos faciet per totam aeternitatem. Licet enim in singulis instantibus designabilibus actus facti sint finiti et possint augeri, ta-

[4] Sic S. TH., 1 q.14 a.12, et 3 q.10 a.3; *De Verit,* q.2 a.9 ad 10.; 1 CG c.69; VÁZQUEZ, in 1. d.63 et d.26; TOLETUS, RUBIUS, H. FASSOLUS, ARRIAGA, DE BENEDICTIS; S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* XII, 18; HONTHEIM; DONAT, denique FRANZELIN, *De Deo* th.41, p.409-415, qui ait hanc esse sententiam omnium veterum theologorum; ipse Suárez idem dicit aequivalenter: Cf. URRÁB., *Cosmol.* p.803-807; et GISQUIÈRE, 12,53.

[5] Sic SUÁREZ, *De Incarnatione* d.26 s.4 n.11.12; LUDOVICUS LOSSADA, *Physica* d.10 q.6; et VALENTIA, TANNER, SYLVESTER MAURI, FRASSEN, LIBERATORE, TONGIORGI, PALMIERI, OM n.744-754; URRÁB., *Cosmol.* p.802-814.

men actus quos faciet per totam aeternitatem non sunt finiti, sed infiniti actu in mente Dei, sine ullo fine.

Si intelligamus infinitum hoc modo, obiectiones facile solvuntur. Sic nulla erit difficultas in eo quod detur unum infinitum maius alio, v. c. multitudo capillorum possibilium est maior quam multitudo hominum; sed tamen utraque multitudo est simpliciter inexhauribilis; et binaria sunt plura quam quaternaria, sed tamen utraque multitudo est inexhauribilis. Et infinitum potest augeri et minui: quia si a multitudine infinita auferas tres unitates, eam minuis, et si postea addas tres unitates, eam auges; sed tamen manet tam inexhauribilis substractis illis unitatibus quam illis additis.

Neque hoc infinitum confunditur cum *infinito syncategorematico;* nam in infinito syncategorematico partes numquam possunt esse separatae actu vel in possibilitate. Sic partes continui sunt infinitae syncategorematice, quia omnes illae, licet possint crescere snie fine, tamen numquam sunt divisae actu vel potentia; et contra in multitudine actu infinita, partes aliquotae sunt divisae in re vel in possibilitate: v. c. multitudo hominum infinita habet unitates distinctas; et similiter anni infiniti, metra infinita.

Dices. Si multitudo infinita actu non repugnat ut cognita in mente divina, videtur non repugnare neque in re, et ita Deus poterit facere multitudinem actu infinitam. *Resp.* Fortasse nulla detur repugnantia in multitudine infinita simultanea et actuali, et ita sentit S. Thomas[6]. Sed tamen in multitudine successiva generationum aut revolutionem astralium, videtur esse repugnantia, non ratione multitudinis, sed ratione initii: semper enim signari potest membrum primum, quod a Deo originem habuit, ante quod nullum, et post quod cetera sunt, et ita series successiva non erit infinita.

439. *7.* Divisio scientiae divinae[7]. Scientia Dei, licet sit actus simplicissimus et unicus, nostro tamen modo concipiendi multipliciter dividitur secundum obiecta et secundum modum tendendi ad illa.

Primo dividitur in *necessariam et liberam:* necessaria versatur circa ea quarum realitas a Dei voluntate non dependet ut sunt possibilia. Libera versatur circa res, quarum realitas pendet a Dei voluntate, ut sunt futura.

Secundo, scientia dividitur in scientiam *simplicis intelligentiae, visionis et mediam.* Scientia *simplicis intelligentiae* versatur circa res mere possibiles; scientia *visionis* versatur circa res, quae aliquando exsistent; scientia *media* versatur circa actus liberos, qui fierent a creatura rationali si poneretur in determinatis circumstantiis: hoc liberum condicionatum est solummodo unum in determinatis adiunctis, possibilia autem sunt plurima in iisdem circumstantiis.

---

[6] S. Thomas, *S. Th., De aeternitate mundi,* versus finem; Idem, *In 3 Physicorum* lec.8; et alia loca in OM p.75.735 nota.

[7] De la Taille, *De quelques classifications de la science divine:* RecherchSc-Rel (1928) 101ss; Suárez, DM 30,15, et *De Deo Uno* l.3 c.3.4; OM n.755.

Tertio, scientia divina dividitur in *intuitivam et abstractivam. Intuitiva* versatur circa ea omnia quae exsistunt in aliqua temporis differentia vel in aeternitate; *abstractiva* versatur circa res, quae possunt exsistere, non tamen exsistunt pro eo signo rationis in quo considerantur: v.c., ante decretum creandi aliquid, omnia creabilia sunt pure possibilia.

Quarto, scientia divina dividitur in *speculativam et practicam. Speculativa* versatur circa res non factibiles aut circa res factibiles, non tamen cum intentione faciendi; talis est cognitio deitatis, aut pure possibilium, quae sunt res factibiles, non tamen habetur intentio ea faciendi. *Practica* est quae versatur circa res factibiles et cum intentione ea faciendi.

Quinto, dividitur scientia divina in scientiam *simplicis notitiae et* scientiam *approbationis.* Scientia *simplicis notitiae* versatur circa res mere possibiles vel quae aliquando exsistunt, et tamen Deus non approbat, ut sunt peccata. Scientia *approbationis* versatur circa res bonas quae iam exsistunt vel quae exsistent ex concursu divino.

440. 8. De obiecto quasi formali et primario scientiae Dei.

Thesis 36. Obiectum quasi formale divini intellectus est essentia divina; obiectum autem materiale sunt omnia extra Deum [8].

Obiectum formale et primarium facultatis vel actus est illud quod in ratione obiecti est ratio sufficiens cur exsistat talis facultas et actus, et sine quo non daretur talis facultas et actus. Talis notio est sat communis et ampla ut conveniat Deo et creaturis, ut patet.

Sed ratio illa sufficiens obiectiva, potest esse *vera causa obiectiva aut finalis*: et tale est obiectum formale et primarium in creatura, quia ad illud obiectum facultas et actus configurantur et ad illud obiectum destinantur ut ad finem. Etiam illa ratio suprema obiectiva potest esse solum ratio formalis et constitutiva ipsius facultatis et actus: et hoc modo essentia est obiectum formale et primarium scientiae divinae. Unde in re ipsum obiectum, quod est essentia divina, est et sciens et scientia, et obiectum scitum. Si vero distinguamus secundum rationem imperfecte, et solum ut explicitum et implicitum, essentiam et scientiam, debemus nostro modo concipiendi, habere essentiam ut obiectum, quasi formale et primarium, et scientiam ut id, quod tendens ad tale obiectum, constituitur in tali ordine, scilicet divino.

[8] Suárez, *Prolegomenon 2 de Gratia* c.9; Urráb., 2,103-139; OM 761-769.

Obiectum materiale est illud quod cognoscitur ob connexionem cum obiecto quasi formali, vel ob praestantiam actus qui iam est specificatus ex obiecto formali, et non quia tale obiectum sit ratio suprema talis facultatis et actus. Sic Deus cognoscit futura libera et futuribilia, non quia connectuntur necessario cum essentia divina, sed ob perfectionem actus qui cognoscit suam essentiam; hic enim actus adeo est infinite cognoscitivus, ut cognoscat omnia cognoscibilia sine ulla dependentia a rebus.

441. His positis probatur thesis. A. *Obiectum quasi formale divinae scientiae est essentia divina.* Quia obiectum formale est obiectum quod est ratio sufficiens in ratione obiecti cur sit talis facultas et actus et cur in tali vel tali specie vel ordine constituatur; *atqui* nulla res extra Deum potest esse ratio sufficiens cur sit talis facultas et actus aut cur in tali specie vel ordine collocetur, sed sola eius essentia, quia secus ab alio dependeret ut a fine, vel ut a configurante indolem suam: *ergo* sola divina essentia potest esse obiectum quasi formale divini intellectus et divini actus intelligendi.

B. *Obiectum materiale sunt omnia extra Deum.* Deus enim cognoscit omnes omnino res extra ipsum; *atqui* non ea cognoscit ex determinatione talium obiectorum, quia secus ab illis penderet; *ergo* ea cognoscit vel ob connexionem cum obiecto formali, vel si non habent ullam connexionem cum tali obiecto cognoscit ea ob eminentiam actus infiniti, qui iam est specificatus a divina essentia ut ab obiecto.

442. 9. DE QUIBUSDAM OBIECTIS SECUNDARIIS ET MATERIALIBUS IN SPECIALI.

Deus cognoscit *singularia* secundum propriam et individuam naturam, et non in universali et confuse[10]: nam Deus cognoscit suam essentiam et potentiam: ergo cognoscit omnes terminos extrinsecos qui fundantur in essentia divina et qui fieri possunt a potentia divina.

Deus cognoscit *negationes et privationes et chimaeras et mala*[11] *omnia, indirecte sine ulla fabricatione entis rationis.* Explico haec.

Cognoscit haec omnia; nam et nos ea cognoscimus; *ergo* a fortiori Deus. Cognoscit ea *indirecte;* nam videndo subiectum in quo deest aliqua perfectio et perfectionem ipsam, iudicat verissime illam perfectionem non esse. Chimaeras autem cognoscit, in quantum videndo rationes oppositas, videt ea non posse inter se componi. *Nec fingit entia rationis* in his casibus, quia tunc conciperet ad modum entis quod non

---

[9] ARISTOTELES negat Deum cognoscere alia a se distincta, 12 *Metaph.* c.9; alii autem eum defendunt ab hoc errore, ut S. TH., *In 12 Metaph.* lec. 11.

[10] Sic S. TH., 1 q.14 a.6 et 11, et omnes scholastici. Negarunt tamen Avicenna et Averroes, et saec. XIII Siger de Brabant, propter falsa fundamenta quae adducit S. TH., 1 q.14 a.6 et 11; et cf. GILSON, *L'esprit de la philos. médiévale* (Paris 1932) 1 p.166.

[11] S. TH., 1 q.14 a.10; 1 CG c.71 fine; PINARD DE LA BOULLAYE, *Creation:* DTC c.2145.

est ens; sed ea cognoscit simpliciter iudicando non esse perfectionem in aliquo subiecto, vel non esse compossibilia quae sunt opposita. Tamen *videt omnia entia rationis* quae finguntur ab homine, non ut ipse per ea cognoscat negationes, privationes et chimaeras et mala, sed quia non potest ignorare quae homo facit.

443. 10. DE MEDIIS COGNOSCENDI IN DEO[12]. **Assertum. Deus habet medium obiectivum ad cognoscenda aliqua extra se, quod est essentia divina. Si de mediis subiectivis agitur, essentia divina est medium sub quo, ut est lumen divinum; et medium quo, ut est formalis cognitio; et medium quo ut est principium formale cognitionis seu ut est species impressa respectu sui tantum, non vero respectu aliorum extra se.**

Notiones. MEDIUM COGNOSCENDI est aliquid additum facultati cognoscitivae per modum obiecti aut formae, quod ducit in cognitionem alius.

Consequenter medium potest esse OBIECTIVUM ET SUBIECTIVUM; obiectivum est obiectum cognitum quod ducit in cognitionem alius; et *subiectivum* seu *formale* est forma addita quae facit cognoscere obiectum.

Medium obiectivum potest esse IN QUO ET EX QUO. Medium *ex quo* est illud quod cognitum uno actu, ducit ad cognitionem alius obiecti diverso actu, ob connexionem secundi cum primo: tale medium sunt praemissae in ratiocinio. Medium autem in quo est illud quod cognitum uno actu ducit ad cognitionem alius eodem actu, ob connexionem necessariam secundi cum primo, et sic cognoscuntur a Deo possibilia.

Medium obiectivum facit cognitionem *mediatam,* non quia res cognoscantur confuse aut improprie, sed quia, licet res cognosci possit secundum quod est in se, tamen intercedit medium cognitum.

Cognitio autem sine medio obiectivo est illa qua cognoscitur res non intercedente ullo medio cognito, quod ducat in cognitionem secundi. Haec cognitio rei sine ullo medio vocatur cognitio rei immediata vel cognitio rei in se ipsa.

Et potest esse duplex: *immediata causaliter, et immediata pure terminative.* Immediata *causaliter* dicitur si res cognita est causa vel ratio obiectiva cognitionis: et sic sensus

[12] S. TH., 1 CG c.46; 2 CG c.98; 1 q.14 a.2.6; SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.2 n.11 19; URRÁB., 2,91-103

cognoscit sensibilia. Cognitio immedita pure *terminative* est illa in qua res cognita non est ratio obiectiva neque causa cognitionis, sed solum terminus, quia cognoscitur ob perfectionem actus quo cognoscitur primum obiectum, qui actus iam est specificatus ex cognitione primi obiecti; et sic Deus dicitur cognoscere in seipsis futura et futuribilia.

MEDIUM SUBIECTIVUM est aliquid additum facultati ut forma, ducens in cognitionem alius. Et potest esse medium *sub quo,* si dat capacitatem cognoscendi quaelibet, non aliquid determinatum; tale est lumen pro oculo et intellectus agens pro intellectu possibili. Potest esse etiam medium subiectivum *quo, ut determinativum et principium* cognoscendi, et hoc est species impressa; et medium subiectivum *quo, ut formalis notitia,* est ipse actus cognitionis. Media subiectiva non faciunt cognitionem mediatam.

444. His positis, facile **probatur assertum.**

I P. DE MEDIIS OBIECTIVIS. *a)* Deus nullum medium obiectivum *ex quo* habet. Nam tale medium multiplicem importat imperfectionem, v.c. multiplicem actum, et quidem productum cum dependentia alius ab alio; et transire de cognitis ad incognita. *b)* Habet tamen medium obiectivum *in quo* ad cognoscenda aliqua obiecta, v. c. possibilia: nam Deus comprehendens suam propriam essentiam, necessario cognoscet ea quae sunt connexa cum illa, ut sunt possibilia. *c)* Non tamen habet medium obiectivum *in quo* ad cognoscenda futura et futuribilia, quia haec non connectuntur cum divina essentia, sed, posita divina essentia, possunt esse et non esse. *d*) Unde futura et futuribilia cognoscit *in seipsis,* quia ea non potest cognoscere in ullo medio. *e*) Sed ea cognoscit in *seipsis,* non *causaliter,* sed solum *terminative,* quia non ea cognoscit ex influxu obiectorum in Deum, sed solum ex determinatione actus infiniti quo cognoscit suam essentiam; nam cum ille actus sit infinite cognoscitivus, iam ex se determinatus est ad cognoscenda omnia cognoscibilia.

445. II P. DE MEDIIS SUBIECTIVIS SEU FORMALIBUS.

a) Media formalia seu subiectiva *proprie loquendo* Deus nulla habet, quia non recipit ullam formam distinctam ab intellectu. Sed *b*) per quandam analogiam possumus dicere essentiam divinam esse et medium formale *sub quo*: quia ipsa dat capacitatem intelligendi generatim omnia; *c*) et medium formale *quo, ut speciem impressam,* ad cognoscendam suam es-

sentiam quia essentia se sola est determinativum sufficiens ad cognoscendam seipsam. *d*) Ad intelligendas autem res distinctas a Deo, essentia *non est species impressa*[13]: nam species impressa facit cognoscere directe et immediate res quas repraesentat, non praesupposita cognitione alius, v.c. non praesupposita cognitione suae essentiae; hoc vero est impossibile in Deo, quia secus cognoscere posset res extra se non praesupposita cognitione suae essentiae, sed aeque directe et immediate sicut essentiam suam, unde ab eis specificaretur. *e*) Similiter essentia est medium formale quo, *ut formalis notitia,* quia ipsa essentia est actus cognoscendi se et omnia.

ARTICULUS IV

DE SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIAE SEU DE COGNITIONE POSSIBILIUM

Thesis 37. Deus cognoscit pure possibilia, et quidem in sua essentia et in seipsis.

446. S. TH., 1 q.14 a.5; 1 CG c.48.49ss; SUÁREZ, DM 30,15,22-27; IDEM, *De Deo* l.3 c.2; IDEM, *De Trin.* l.9 c.6 n.1-17; URRÁB., 2,140-181; VÁZQUEZ, *In 1* d.60 c.3 n.10.

447. Nexus. Iam vidimus hucusque realitatem scientiae divinae eiusque perfectionem infinitam et ordinem quo respicit obiecta. Nunc loquemur de singulis membris illius divisionis secundum quam scientia divina dividitur in scientiam simplicis intelligentiae, scientiam mediam et scientiam visionis. Et primo de scientia simplicis intelligentiae, quae versatur circa res non exsistentes et necessarias, quae sunt pure possibilia.

448. Notiones. Possibile praecisive est illud quod potest exsistere: est idem atque ens ut sic. Sed pure possibile est illud quod potest exsistere et non exsistit saltem pro illo signo rationis in quo decretum creationis nondum est prolatum.

Et loquimur tum de pure possibili *intrinseco,* cuius notae non dicunt ullam contradictionem, tum de possibili *extrinseco,* quod potest fieri per aliquam potentiam.

[13] Sic SUÁREZ, *De Deo Uno* l.3 c.2 n.16; PESCH vero, *De Deo Uno* n.220-221 tenet essentiam divinam esse quasi speciem impressam pro omnibus obiectis, et citat pro se plurimos auctores.

Medium cognitionis iam supra (n.443) est explicatum nunc revocemus in memoriam quae hic sunt necessaria. *Medium in quo* est medium obiectivum, quod cognitum ducit in cognitionem alius ob necessariam connexionem secundi cum primo, et quidem eodem actu. Cognitio *immediata* rerum seu cognitio rerum *in seipsis*, terminatur immediate ad res: et hoc potest accidere vel *causaliter* vel pure *terminative*. *Causaliter*, si obiectum determinat cognitionem; mere *terminative*, si obiectum non determinat cognitionem, sed cognoscitur ob excellentiam actus divini, qui iam est specificatus ab essentia divina ut ab obiecto, et hic actus ob suam infinitatem capax est cognoscere omnia cognoscibilia, praesupposita cognitione essentiae divinae.

449. Status quaestionis: Quaerimus ergo utrum Deus cognoscat pure possibilia et utrum ea cognoscat tum in essentia divina ut in medio in quo, tum in seipsis mere terminative non causaliter, praesupposita cognitione essentiae divinae.

450. Sententiae. *Prima* sententia est Aureoli, qui tenet Deum non cognoscere possibilia secundum quod possunt esse in seipsis, sed solum secundum eminentiam quam habent intrinsece in Deo ipso. Sec hoc est negare cognitionem possibilium et concedere solam cognitionem essentiae divinae.

Secunda sententia est nominalium: qui docent Deum cognoscere possibilia solummodo in seipsis et non in essentia divina; quia secus Deus cognosceret ea iuxta similitudinem cum divina essentia: et quia haec est infinite dissimilis cum possibilibus, cognosceret ea confusissime et non secundum realitatem, quam in seipsis possunt habere.

Tertia sententia est S. Thomae et P. Suárez et fuit olim nostra. Hi docent possibilia cognosci in essentia divina, secundum realitatem quam in seipsis possunt habere, et *solum* in essentia divina, putantes aliquam dari imperfectionem in cognitione possibilium in seipsis [14].

Nostra sententia docet Deum cognoscere possibilia bis, semel in essentia sua et iterum in seipsis. *In essentia* cognoscit ea ut terminos extrinsecos imitabilitatis divinae essentiae et ut effectus possibiles divinae potentiae, non vero ut aliquid intrinsecum in ipso Deo quod esset valde absurdum; sed secundum quod sunt in seipsis et non secundum ullam confusionem aut per solam similitudinem cum essentia divina. Item cognoscit ea *in seipsis*, non causaliter, sed mere terminative, quia illa cognitio non determinatur ab obiectis sed solum ob

[14] S. Th., q.14 a.5; Idem, 1 CG c.48-49; Suárez, DM 30,15,22-27; Idem, *De Deo Uno* l.3 c.2; Idem, *De Trinitate* l.9 c.6 n.1-17; OM n.774-782.

eminentiam actus divini iam specificati ex cognitione divinae essentiae. Et licet realiter in Deo non est nisi *unicus actus* excellentissimus cognitionis, sed tamen secundum modum nostrum concipiendi sunt duo actus: unus, quo cognoscit suam essentiam et in essentia possibilia, et alius quo cognoscit essentiam, et deinde ob excellentiam actus, hic terminatur ad ipsa possibilia directe; neque in hoc est contradictio, quasi possibilia cognosceret in essentia et non cognosceret in essentia; nam cognoscit bis: semel in essentia et iterum in seipsis. Haec sententia est TOLETI, LUGO, MENDIVE, URRÁBURU [15] et fuit communissima in saeculo XVIII.

Hanc sententiam et nos, melius considerata re, sequemur.

451. Probatur thesis. I P. DEUS COGNOSCIT POSSIBILIA; Nam scientia Dei cognoscit omnia, quae habent determinatam veritatem; *atqui* possibilia habent determinatam veritatem; *ergo* Deus ea cognoscit.

Maior constat ob infinitatem scientiae divinae; et *minor* explicatur: nam possibilia habent determinatas notas non sibi mutuo contradicentes, et hoc est ea habere veritatem determinatam.

452. II P. DEUS POSSIBILIA COGNOSCIT IN SUA ESSENTIA DIVINA UT IN MEDIO IN QUO.

Nam Deus cognoscit comprehensive essentiam suam et omnipotentiam suam; *atqui* non potest cognoscere comprehensive essentiam divinam et potentiam divinam, nisi per eamdem illam cognitionem cognoscat terminos extrinsecos qui fundantur in essentia et qui possunt produci a potentia divina, propter necessariam connexionem possibilium cum essentia et cum potentia; *ergo* Deus cognoscendo comprehensive suam essentiam et potentiam, cognoscit eodem actu possibilia ob eorum connexionem cum essentia et potentia: et hoc est cognoscere possibilia in essentia et in potentia sua ut in medio in quo.

453. III P. DEUS POSSIBILIA COGNOSCIT ETIAM IN SEIPSIS, TERMINATIVE NON CAUSALITER.

Deus cognoscit possibilia in seipsis, si et possibilia habent veritatem et determinatam in seipsis et non in essentia divina solum, et si haec cognitio possibilium in seipsis non importat ullam imperfectionem; *atqui* revera possibilia ha-

[15] URRÁB., 2,140-181.

bent veritatem determinatam in seipsis, et eorum cognitio in seipsis nullam importat imperfectionem; *ergo* Deus possibilia cognoscit in seipsis.

Maior patet: nam Deus debet cognoscere omnia vera, et omni modo qui imperfectionem non includat.

Minor: *a*) Quod possibilia habeant veritatem determinatam patet; nam veritas determinata possibilium consistit in eo quod determinatae notae non dicant ullam contradictionem inter se, et hoc habent possibilia, secus possibilia non essent. *b)* Quod habeant illam veritatem determinatam formaliter intra se, licet possibiliter, et non intra essentiam divinam, constat: quia si veritas possibilium formaliter reperiretur intra essentiam divinam, deberemus dicere divinam essentiam esse formaliter leonem possibilem, canem possibilem et quod posset produci, comedere herbas, perire, quae sunt absurda. *c)* Quod ex cognitione rerum in seipsis non sequatur ulla imperfectio, patet: quia imperfectio proveniret solummodo ex eo quod cognosceret possibilia non prius cognita essentia divina, et sic ab illis specificaretur; aut quia quomodolibet possibilia determinarent cognitionem divinam; iam vero hae imperfectiones non habent locum, licet Deus cognoscat possibilia in seipsis; quia non cognoscit possibilia nisi praesupposita cognitione essentiae divinae: et ille actus est adeo excellens et infinitus in linea cognoscitiva, ut possit cognoscere omnia alia, quae sint vera, ex determinatione intrinseca actus et non ex determinatione obiectorum.

454. *NB.* Haec cognitio rerum in seipsis praesupposita cognitione divinae essentiae vocatur ab aliquibus cognitio rerum in essentia divina, et proinde sub diversis vocabulis coincidunt cum nostra sententia. Sed tamen minus congrue ita vocatur: quia cognitio rerum in medio ab omnibus intelligitur cognitio rei eodem actu quo cognoscitur medium, et quidem ob necessariam connexionem rei cum medio.

455. Obiectiones. 1. Deus non cognoscit possibilia: nam quod non est, non cognoscitur; *atqui* possibilia non sunt; *ergo* non cognoscuntur.

Dist. mai., quod non est ullo modo, *conc.;* quod non est actu, est tamen possibiliter, *nego;* et *contradist. min.: non sunt actu,* conc.; possibiliter, *nego.*

2. Possibilia non sunt in essentia divina; *ergo* in essentia divina nequeunt cognosci.

Dist. antec.: Non sunt formaliter neque alio modo, *nego;* non sunt formaliter, sed sunt eminenter, (in hoc sensu, quod supposita omniperfectione Dei, sequitur illum esse communicativum modis determinatis ad extra), *conc.* Et *contradist., cons.*: si non essent

ullo modo, *conc.;* si non sunt formaliter, sunt tamen eminenter, *nego.* Esse eminenter in Deo non significat illa esse in Deo veluti depicta, neque Deum esse veluti materiam, et veluti perfectiones formales possibilium, ex quarum combinatione resultent possibilia; sed significat, posita eminentia perfectionis divinae, illam esse communicativam ad extra modis determinatis, qui sunt termini extrinseci imitabilitatis divinae.

3. Obiectum quod cognoscitur directe e immediate, specificat et determinat cognitionem; *atqui* iuxta te possibilia cognoscuntur directe et immediate a Deo; *ergo* specificant et determinant cognitionem divinam.

Dist. mai.: si ita directe et immediate cognoscitur, ut eius cognitio non praesupponat essentialiter cognitam essentiam divinam, *conc.;* si autem praesupponat essentialiter cognitam essentiam divinam, *nego,* quia iam actus est specificatus per essentiam divinam ut per obiectum primarium et quasi formale. (Plura in OM, n.780-782.)

ARTICULUS V

De scientia media

Thesis 38. Deus ab aeterno cognoscit infallibiter libera sub conditione futura, independenter ab omni decreto absoluto, sed immediate in seipsis, unde admittenda est scientia media.

456. Suárez, *Opusc. 2, De scientia Dei futurorum conting.* l.2 c.1-7; *De gratia,* Prolegomeno 2; Ruiz de Montoya, *De scientia Dei* d.68-70; Le Bachelet, *Dieu*: DTC 1051; Molina, *Concordia* (ed. Paris 1876) p.337.339.341.345.359.365; Urráb., 2,346-416; *OM* n.783-811.

457. Notiones. Scientia media est cognitio certa et infallibilis actuum liberorum seu contingentium, sub conditione futurorum, independenter ab omni decreto absoluto.

Dicitur certa, ut significetur firmitas assensus divini et ita excludatur omnis cognitio coniecturalis eorum. Et infallibilis, ut indicetur hanc scientiam non posse esse falsam. Dicitur actuum liberorum seu contingentium sub conditione futurorum ut significetur obiectum huius scientiae: sunt enim actus liberi, qui ponerentur in quibusdam adiunctis a creatura libera, ita tamen ut creatura verissime tunc potuisset facere oppositum vel diversum. Haec contingentia futura sub conditione vocantur *futuribilia,* et valde distinguuntur a possibilibus: quia possibilia in illis adiunctis sunt plura, et tamen id quod de facto futurum esset, est unum solum, ex determinatione creaturae. Differt etiam futuribile a condi-

tionatis necessariis, quae pertinent ad scientiam simplicis intelligentiae, ut esset hoc: Si ignis applicetur stuppae siccae, cremabit eam.

458. Scientia media solet exprimi per *conditionales propositiones*, v.c. "Si Petrus poneretur in talibus adiunctis, et offerretur ei concursus ad omnia, quae tunc potest operari, ille faceret de facto talem actum v. c. converteretur". In iis propositionibus distinguimus *conditionem, conditionatum et nexum.*

Conditiones sunt circumstantiae, in quibus voluntas faceret talem actum. Hae sunt triplicis generis: aliae sunt extrinsecae subiecto, ut tempus, locus, status oeconomicus, socialis, religiosus, moralis. Aliae circumstantiae consistunt in auxiliis interioribus supernaturalibus vel naturalibus, ut sunt speciales cogitationes et affectiones voluntatis. Denique aliud adiunctum praecipuum est oblatio concursus divini per decretum generale et indifferens ad omnia quae creatura potest facere in illis adiunctis. Quare conditionalis non enuntiat quid creatura faceret sola, sed quid creatura ageret cum concursu Dei, si Deus decerneret concurrere cum ea ad omnia quae secundum suam indolem tunc potest facere.

Conditionatum est actus contingens seu liber voluntatis, quem sub illis conditionibus creatura poneret, ita tamen ut pariter potuisset facere oppositum vel diversum.

Nexus est vinculum inter conditionem et conditionatum. Ratione huius vinculi propositiones conditionales possunt esse triplicis generis: *stricte conditionales, late conditionales et apparenter conditionales. Stricte* conditionales sunt illae propositiones in quibus nexus est necessarius metaphysice vel physice: ut "si currit movetur" vel "si ignis applicatur stuppae siccae, cremabit eam". *Late* conditionales sunt illae in quibus conditio continet incitationes ad actum vel saltem principium aliquod actus, et nexus est solum de facto, ita ut actus potuerit esse alius ex libertate operantis. *Apparenter* conditionales sunt illae in quibus conditio nullum influxum invitationis aut cooperationis habet in conditionatum, v.c.: "si tu cantas hic, Truman dormit" Hae propositiones, ut conditionales, semper sunt falsae, quia indicant aliquem nexum vel influxum conditionis in conditionatum, qui tamen hic non adest. Sed sumptae copulative, sunt verae: nam verum potest esse et te cantare hic et Truman dormire.

Nos semper loquimur de propositionibus *late conditionalibus,* in quibus conditio potest habere influxum in conditionatum, ita tamen ut hoc conditionatum potuerit esse diversum sub iisdem conditionibus.

459. Independenter ab omni decreto absoluto, id est ab omni decreto quod vi sua determinet voluntatem ad unum. Tamen praesupponimus dari decretum indifferens sed hypoteticum, concurrendi ad omnia quae potest facere creatura v.c., *si Deus daret decretum indifferens concurrendi ad omnia quae potest facere creatura,* haec faceret talem actionem [1].

---

[1] Sensus scientiae mediae non est quid creatura ageret sola, sed quid creatura ageret sub hypothesi quod crearetur et poneretur in talibus circumstan-

Sed IMMEDIATE IN SEIPSIS, quia cognoscuntur, non ob connexionem necessariam cum alio obiecto prius cognito, sed solum ob excellentiam actus divini, qui iam est specificatus per essentiam divinam ut ab obiecto quasi formali. Cognitio autem immediata rerum in seipsis potest esse causalis et pure terminativa. *Causalis* si obiectum est causa actus, eo quod non praesupponatur aliquod obiectum prius cognitum. *Pure terminativa,* si obiectum non est causa actus, quia iam praesupponitur cognita essentia divina, sed est purus terminus. Affirmamus futuribilia cognosci a Deo in seipsis pure terminative, non causaliter.

Scientia media adhuc salvaretur, licet diceretur futuribilia cognosci, non in decretis absolutis, sed *in essentia,* modo posset explicari et servari libertas creata et certitudo scientiae divinae; sed quia nos non videmus haec duo posse salvari si futuribilia cognoscantur in aliquo medio, ideo dicimus ea cognosci in seipsis.

460. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum admittenda sit in Deo cognitio certa et infallibilis futuribilium, et hoc independenter ab omni decreto absoluto et ab omni medio, et consequenter utrum sit admittenda scientia media.

461. Sententiae. *Prima* sententia negat omnino scientiam mediam. Et ex his qui negant illam, alii dicunt Deum non cognoscere futura libera conditionata certo, sed solum coniecturaliter: sic H. VIVES, O. P., LEDESMA, O. P., IANSSENS, loquens de illis futuribilibus quae numquam venient in exsistentiam; BANDERA, O. P. [2] Alii autem dicunt Deum cognoscere certissime futura libera conditionata, sed solum in decretis subiective absolutis et obiective conditionatis. Nempe circa omnia futuribilia Deus habet decreta absoluta et praedeterminantia, per quae ipse determinaturus esset creaturam ad talem actionem si eam poneret in illis aut illis cir-

tiis et offerretur ei concursus generalis et indifferens ad omnia. Et per hanc scientiam non videt Deus quid creatura sola ageret, ut postea ipse adiuvet suo concursu, quod est absurdissimum, sed quid ipse Deus et creatura agerent: ipse ut offerens concursum ad omnia, et creatura ut agens per concursum Dei. Creatura determinat illum concursum: non quia ipsa sola aliquid agat, aut prius Deo agat, sed quia agens simul cum Deo, sola ipsa est libera in signo priori ad illam actionem, nam Deus est determinatus ad concurrendum cum creatura secundum indolem creaturae, et hoc ex libera Dei determinatione .

[2] HIERONYMUS VIVES, *Contra scientiam mediam* d.1 n.2; PETRUS LEDESMA, *Tractatus de divinae gratiae auxiliis* a.18, difficultas ultima ubi tribuit hanc sententiam omnibus discipulis Sancti Thomae illius temporis, circa a.1611; GONZÁLEZ ALBELDA, in 1 q.14 a.13 d.44 s.2 n.2, etiam tribuit hanc sententiam aliquibus iunioribus thomistis a.1621; JANSSENS, *De Deo Uno* t.2 51s: MARÍN SOLA: CiencTom 32 (1925) 52; BANDERA, *Ciencia de Dios y objetos futuribles:* ibid. 75 (1948), 273-290; similiter sentiunt recenter MAZZONE. VAN NOORT, GREGOIRE, RAEYMAECKER, VAN STEENBERGHEN ap. GISQUIÈRE, 2,43.44.

cumstantiis; sed tamen per hoc decretum nondum statuit absolute ponere eam in talibus circumstantiis [3].

Secunda sententia defendit scientiam mediam, seu cognitionem certam futurorum liberorum conditionalium, et quidem independenter ab omni decreto absoluto: sed tamen ait futura libera conditionalia cognosci *in essentia divina.*

In explicando autem quomodo essentia divina sit medium obiectivum in quo infallibiliter Deus cognoscat haec futuribilia, mira est dissensio et diversitas explicationum [4]. *Prima enim explicatio* docet essentiam divinam esse medium absolute spectatam. *Secunda* ait illam esse medium, supposita veritate futuribilis. *Tertia* dicit esse essentiam divinam prout est imitabilis ad extra. *Quarta* dicit esse essentiam divinam prout est concursus active collatus, ut volunt PESCH et HONTHEIM [5]. *Quinta* dicit esse essentiam divinam in quantum in illa Deus comprehendit voluntatem creatam et omnes eius circumstantias. *Sexta* dicit esse essentiam divinam in quantum in illa Deus supercomprehendit voluntatem creatam et omnes eius circumstantias. Videns enim Deus suam essentiam, cognoscit in ea voluntatem creatam et omnes circumstantias, et omne illud quod libere creatura factura esset in illis circumstantiis, non ob connexionem actuum liberorum cum voluntate et circumstantiis, sed ob eminentiam actus cognoscitivi divini, qui seipso est determinatus ad cognoscendum omne cognoscibile, semel atque specificatus est ab essentia divina cognita, ut ab obiecto primario. Sic Molina [6]. *Septima* explicatio dicit haec futuribilia cognosci in essentia divina sola; quomodo autem essentia divina sit medium ea cognoscendi, est nobis impervium et occultum [7].

462. *Nostra sententia* defendit scientiam mediam, i.e. cognitionem certam et infallibilem futurorum conditionalium liberorum, et quidem independenter ab ullo decreto absoluto et ab omni medio obiectivo cognito, sed solum *in seipsis*. Cognoscit tamen ea in seipsis, *non causaliter,* quia obiecta non sunt causa cognitionis divinae, sed solum *terminative,* quia obiecta sunt merus terminus actus divini: hic enim, iam est specificatus ab essentia cognita, at ob suam eminentiam iam est determinatus seipso ad cognoscenda omnia cognoscibilia,

---

[3] Sic DIDACUS ALVAREZ, FRANCISCUS ZUMEL, et fere omnes dominicani.

[4] Ponunt medium in essentia ut in exemplari, BILLOT, *De Deo* (1920) 211-214; SATOLLI, PECSI, PAQUET, DE MARIA, MATTIUSI, VAN DER MEERSCH, D'ALES, CURIOSUS TIRO (=DANEL), ap. GISQ. 2.349. Ponunt essentiam esse medium, in quantum in ea Deus comprehendit voluntatem et omnes circumstantias, BELLARMINO, *De gratia et libero arbitrio* 1.4 c.15; et cf. SERVIÈRE, *La theologie de Bellarmino* (Paris 1908) 629.662; quam sententiam refutat SUÁREZ, *Opusc.* 2, 1.2 c.7 n.4.

[5] HONTHEIM, *Theod.* n.861.865.876.879.880; PESCH, *De Deo Uno* n.238. 239.282.

[6] *In I* q.14 a.13 d.14.50, in ed. Paris 1876, p.301-303.

[7] Sic PERRONE, *De gratia* n.329; KLEUTGEN, DE REGNON, DE BACKER, ABAD SAIZ, MARAWSKI, LENNERZ, ARNOU, ZIGON apud GISQUIÈRE, 2,354.

ut sunt futuribilia. Haec est sententia Suárez et aliorum plurimorum [8].

463. Probatur thesis. I P. DEUS COGNOSCIT CERTO ET INFALLIBILITER ET AB AETERNO LIBERA SUB CONDITIONE FUTURA.

Prob. 1. (Ex perfectione scientiae divinae.) Deus nequit habere ignorantiam, dubium aut meram probabilitatem de re ulla, de qua interrogari possit; *atqui* si non cognosceret libera sub conditione futura et quidem certo, haberet ignorantiam aut meram probabilitatem de aliqua re de qua interrogari posset; *ergo* cognoscit certo et infallibiliter libera sub conditione futura; v.c. si quis interrogaret Deum quid facerent tyrii et sidonii si inter eos fierent miracula quae facta sunt in Capharnaum ille scit certo, quid vere accideret.

Dices: illa cognoscit Deus, sed in decretis praedeterminantibus. *Resp.:* Nunc *transeat* quia non agimus de medio, in quo cognoscuntur, sed de facto cognitionis in quocumque medio vel sine medio.

Inst: Deus cognoscit omnia cognoscibilia; atqui futuribilia non sunt cognoscibilia. *Resp. Nego minorem* ob rationem sequentem.

464. *Prob. 2. (Ex veritate futuribilium)* [9]. Deus cognoscit certo quidquid habet veritatem determinatam; *atqui* propositiones de futuribili habent veritatem determinatam; *ergo* Deus cognoscit certo et infallibiliter has propositiones ideoque et ipsa futuribilia.

Maior: si enim Deus non cognosceret certo et infallibiliter omnem veritatem determinatam, non esset infinitus in cognitione.

Minor: a) Nam de quolibet futuribili determinato, v.c. de Petro si poneretur in talibus circumstantiis, possunt enuntiari duae propositiones contradictoriae, quod nempe convertere-

[8] Sic SUÁREZ, *Opusc.* 2, l.2 c.5; c.7 n.15; IDEM, *Prolegomenon 2 de gratia* c.8: RUIZ DE MONTOYA, *De scientia Dei* d.75; LESSIUS, *Apologia de gratia efficaci et scientia media* c.20; S. FRANCISCUS SALESIUS, *Praxis amoris Dei* l.3 c.5; FERDINANDUS BASTIDA, ap. LIVINUM MEYER, *Historia congregationum de auxiliis* l.5 c.5 n.47.

[9] Defendunt futuribilia habere veritatem determinatam ab aeterno, et quidem non in causis, sed prout ex causis procedunt hypothetice: CAPREOLUS, CAIETANUS, FERRARIENSIS, S. THOMAS, SUÁREZ, MOLINA, VÁZQUEZ, WIRCEBURGENSES, FRANZELIN, MAZZELLA, PICCIRELLI, DE SAN, PESCH, et ipse GISQUIÈRE: vide has citationes ap. ipsum, 2 p.353-4. Multi ex his qui dicunt futuribilia et futura non habere veritatem determinatam ab aeterno, volunt dicere non habere veritatem determinatam in causis, et ideo negant simpliciter ea habere veritatem determinatam ab aeterno: tales sunt: S. THOMAS, in *Perihermenias,* l.1 lect. 13; ARISTOTELES, *Perihermenias,* l.1 c.9; MOLINA, *Concord.* d.52 (ed. Paris 1876) p.322-323.

tur et quod non converteretur; et impossibile est utramque propositionem esse veram et utramque esse falsam, sed necessario una est vera et alia est falsa; *atqui* hoc est unam propositionem habere veritatem determinatam, nempe esse necessario veram; *ergo* propositiones de actu libero sub conditione futuro habent veritatem determinatam.

b) Eadem *minor* sic etiam probatur. Nunc verum est Petrum positum in talibus circumstantiis negasse Christum liberrime; *ergo* si ab aeterno fuisset enuntiata propositio quod "si Petrus poneretur in talibus circumstantiis, negaturus esset Christum", vera fuisset; *atqui* hoc est propositionem habere veritatem determinatam; *ergo* propositiones de futuribilibus habent veritatem determinatam.

465. II P. DEUS COGNOSCIT FUTURIBILIA INDEPENDENTER AB OMNI DECRETO ABSOLUTO.

Prob. 1. (Quia talia decreta destruerent libertatem.) Nam decreta divina, quae sint natura sua efficacia, sunt aliquod antecedens independens ab exercitio libertatis et inferens inevitabiliter actum voluntatis; *atqui* antecedens independens ab exercitio libertatis et inferens inevitabiliter actum destruit libertatem; *ergo* illa decreta efficacia ex natura sua destruunt libertatem.

Maior constat et *minor* declaratur: quia voluntas non habet dominium neque circa ipsum antecedens, quia est independens ab exercitio libertatis; neque circa actum, quia, posito illo antecedente, actus impediri non potest a voluntate (n.594).

Prob. 2. (Quia talia decreta facerent Deum auctorem peccati.) Ut probatur in materia de praedeterminatione physica (n.597).

466. III P. DEUS COGNOSCIT FUTURIBILIA IN SEIPSIS.

Prob. 1. (Generatim.) Deus cognoscit futuribilia; *atqui* non in ulla medio obiectivo; *ergo* in seipsis.

Maior constat ex prima parte.

Minor: Si enim illa cognosceret in aliquo medio, aut tale medium haberet connexionem ex se et infallibilem cum actu ponendo, vel non; si non habet connexionem inevitabilem, tunc non est medium aptum, siquidem eo cognito, actus potest evenire vel non evenire. Si autem habet connexionem necessariam, tunc perimitur libertas in actu primo proximo; quia medium erit antecedens independens a voluntate et in-

ferens necessario actum, et tale antecedens tollit libertatem in actu primo.

467. *Prob. 2. (Ab exclusione singulorum mediorum, quae sunt excogitata.)* Media enim hucusque excogitata, sunt: ipsa essentia divina absolute spectata, vel supposita veritate futuribilium, vel ut est imitabilis ad extra, vel ut est concursus conditionate collatus; vel comprehensio voluntatis et circumstantiarum, vel supercomprehensio harum rerum; *atqui* nullum ex iis est medium aptum; *ergo* futuribilia non cognoscuntur a Deo in ullo medio.

Maior constat, et *minor* declaratur.

Medium non est essentia *absolute spectata*: quia illa non connectitur potius cum hoc actu quam cum alio: et si connectitur, tunc perimitur libertas.

Neque medium est essentia, *supposita veritate futuribilis*: nam illa hypothesis quod scilicet futuribilia sint vera, nihil ponit intra essentiam divinam, cuius cognitio ducat in cognitionem futuribilis: secus mutaretur.

Neque medium est essentia divina prout est *imitabilis ad extra*: nam indifferenter divina essentia est imitabilis per hoc futuribile et per aliud; ergo eius cognitio non determinate fert in cognitionem huius futuribilis potius quam alius.

468. *Dices*: sola divina essentia est fundamentum omnis realitatis; *atqui* quod tale factum liberum esset futurum sub conditione prae omni alio est aliqua realitas; *ergo* quod hoc futurum esset sub conditione potius quam aliud, fundatur in divina essentia. *Resp.*: *Dist. mai.:* est fundamentum omnis realitatis, ut possibilis, *conc.;* ut futurae vel futuribilis, *nego*. Fundamentum enim exsistentiae est sola voluntas libera Dei in illis quae ille solus facit; fundamentum autem earum exsistentiarum, quae a causis secundis dependent, est et Deus et creatura libere agens, non vero solus Deus.

Neque medium in quo est concursus conditionate collatus; nam concursus condicionate collatus (et non mere oblatus) est ipsa actio creaturae; *ergo* dicere Deum cognoscere futuribilia in concursu conditionate collato est dicere Deum cognoscere ipsam actionem creaturae in seipsa et non in aliquo medio.

Neque medium *in quo* est *comprehensio voluntatis creatae et circumstantiarum:* nam voluntas creata, *etiam* positis his circumstantiis, est penitus indifferens ut sequatur talis actus vel oppositus vel mere diversus; *ergo* consideratio harum rerum non potest esse medium ducens in cognitionem unius futuribilis determinati potius quam alius.

Neque medium potest esse *supercomprehensio voluntatis et circumstantiarum*. Nam per hanc supercomprehensionem Deus cognoscit futuribile, non ob connexionem huius futuribilis cum essentia divina aut cum essentia creata aut cum circumstantiis, iuxta explicationem P. Molina, auctoris huius sententiae, sed solum ob eminentiam actus infiniti, qui de se est determinatus ad cognoscendum omne verum; *atqui* hoc non est cognoscere in ullo medio, sed in seipsis; *ergo* dicere Deum cognoscere in supercomprehensione est dicere ea non cognosci in ullo medio, sed in seipsis.

469. IV P. UNDE ADMITTENDA EST SCIENTIA MEDIA [10].

Prob. 1. (Est merum corollarium ex praecedentibus.) Nam evidenter datur scientia media, si datur cognitio certa et infallibilis liberorum conditionate futurorum, independenter ab omni decreto absoluto et independenter ab omni medio in quo; *atqui* Deus cognoscit libera conditionate futura independenter ab omni decreto absoluto et ab omni alio medio in quo; *ergo* Deus habet scientiam mediam.

470. *Prob. 2: (Ex certitudine providentiae)* [11]. Si non admittitur scientia media seu notitia futuribilium independenter ab omni decreto absoluto, tunc Deus non sciet certo quid sequetur ex suis decretis, vel tollet libertatem; *atqui* utrumque est absurdum; *ergo* admittenda est scientia media.

Maior: nam unum de duobus, vel dabit decreta indifferentia ita ut, illis positis, adhuc creatura possit omittere actum, vel dabit decreta absoluta seu efficacia ex natura sua; si primum, tunc non sciet certo quid sequetur ex suis decretis,nam illa decreta sunt indifferentia ad utrumque. Si secundum, tunc tolletur libertas in actu primo, nam talia decreta sunt aliquod antecedens independens a voluntate et inferens inevitabiliter actum.

471. Scholia. 1. Haec scientia media *non est libera Deo*, sed est necessaria, non simpliciter et absolute, sed solummodo posita veritate futuribilis, quae veritas dependet ex determinatione voluntatis liberae, cooperante etiam Deo, ut explicabitur postea.

2. Creatura non supponitur facere aliquid *sine ullo decreto* divino, nam in antecedente ponitur decretum Dei generale et indifferens et hypoteticum concurrendi ad omnia quae potest facere creatura: solum excluditur decretum absolutum.

472. 3. *Cur vocetur media* haec scientia. *Prima ratio* est quia sapientes de facto hoc nomine vocant, sive sint adversarii sive defensores. *Secunda* ratio est, quia sunt multae divisiones bimembres scientiae divinae, et inter eas medium locum quodammodo occupat.

Sic cum dividitur scientia divina in scientiam *simplicis intelligentiae et visionis,* scientia media non est scientia simplicis intelligentiae, quia non versatur circa res absolute necessarias, sicut illa; neque est scientia visionis, quia non versatur circa res exsistentes in aliqua temporis differentia: est igitur media inter illas.

Scientia etiam divina dividitur in *necessariam et liberam:* et scientia media non est absolute necessaria, quia contingenter determinatur a libertate creata; neque est scientia libera quia non

---

[10] Admittunt scientiam mediam S. FRANCISCUS SALESIUS, S. ALPHONUS Mª A LIGORIO, et S. ROBERTUS BELLARMINO, *Doctores Ecclesiae*.

[11] GISQUIÈRE ait 2 p.47, hoc argumento se maxime moveri ut scientiam mediam admittat, adhaerens in hoc CARDINALI BILLOT, *De Deo Uno* (1920) p.203.

dependet a decreto ullo actuali Dei, sicut illa: est igitur media inter eas.

Tandem scientia divina dividitur in *scientiam rerum exsistentium et non exsistentium;* et scientia media non est exsistentium in aliqua temporis differentia, neque est scientia non exsistentium simpliciter, quia versatur circa res, quae de facto exsisterent in quibusdam circumstantiis.

473. 4. *De scientia media reflexa.* Scientia media reflexa est ea, per quam Deus independenter a decretis absolutis et praesentibus cognoscit quid ipse facturus esset in determinatis circumstantiis, dependentibus a se solo, vel etiam a creata libertate; v. c.: si crearet alium mundum, utrum ibi creaturus esset homines et missurus esset Christum; vel quid ipse facturus fuisset si Iudas conversus fuisset, utrum nempe daturus fuisset ei gratias efficaces usque ad mortem, an non. Et quaeritur utrum Deus habeat hanc scientiam, an non. Responsio est affirmativa. Patet enim Deum non solum habere scientiam mediam directam de actibus liberis creaturarum, sed etiam de decretis suis liberis; nam et propositiones de futuro conditionato suae voluntatis habent evidenter veritatem determinatam [12].

474. Obiectiones. 1. (*Contra veritatem determinatam futuri et futuribilis*). Futura et futuribilia nunc sunt solum in causis suis, et non in se; *atqui* in causis suis non habent ullam determinationem; *ergo* futura et futuribilia non habent veritatem determinatam.

Nego mai. Habent veritatem determinatam prout sunt in se, non prout sunt in causis. Actus enim liberi futuri et futuribiles considerantur ut emanantes libere a causis, non ut determinati in causis.

2. Si futura et futuribilia habent veritatem determinatam ab aeterno, iam non possunt esse aliter; *atqui* quod aliter esse non potest, liberum non est; *ergo* si futura et futuribilia haberent veritatem determinatam iam non essent libera.

Dist. mai.: iam non possunt esse aliter, impotentia antecedente, fundata in causa aut praerequisitis, *nego;* impotentia consequente, fundata in hypothesi actus positi, et in principio contradictionis, iuxta quod id, quod est libere, dum est, est impossibile libere non esse, *conc.* Et *contradist. min.*

475. 3. Natura contradictoriorum non determinat utrum propositio affirmativa an negativa futura sit vera; *ergo* ex natura contradictoriorum non bene probatur veritas determinata propositionum de futuro absoluto vel conditionato.

Conc. antec. et *nego cons.* Natura contradictoriorum non determinat quaenam propositio futura sit vera; hoc enim sola determinat voluntas; sed natura contradictoriorum ostendit unam ex propositionibus determinatis esse veram, unde intellectus infinitus eam cognoscet, licet nos non cognoscamus.

4. (*Non sunt cognoscibilia*). Futuribilia non habent esse; *atqui* quod non habet esse, non potest cognosci; *ergo* futuribilia non possunt cognosci.

Dist. mai.: non habent esse actuale, *conc.*, futuribile, *nego;* et

12 Cf. OM n.812-817.

contradist. min.: si non haberent ullum esse neque futuribile, *conc.,* sed si habent aliquod esse saltem futuribile, *nego.*

5. *(Non cognoscuntur in seipsis).* Scientia specificatur ab obiecto immediato et directo; *atqui* futuribile, iuxta te, est obiectum immediatum et directum scientiae divinae; *ergo* scientia divina specificatur a futuribili, quod est aliquid extra Deum.

Dist. mai.: si est praeterea primarium et non supponitur cognosci aliquid ante illud obiectum immediatum, *conc.;* si non est primarium, sed supponit iam cognitam essentiam divinam, *nego.* Et *contradist. min.:* et est praeterea primarium, *nego;* est secundarium et praesupponit aliud obiectum cognitum, *conc.*

476. 6. *(Sed in essentia).* Futuribilia sunt imitationes essentiae divinae; *atqui* quod est imitatio essentiae divinae, in ea cognoscitur; *ergo* futuribilia cognoscuntur in essentia divina.

Dist. mai.: quoad possibilitatem, *conc.;* quoad exsistentiam futuribilem, *subdist.:* sunt imitationes contingentes *conc.;* necessariae, *nego,* nam loco huius futuribilis potuit esse futuribile oppositum. Et *contradist. min.:* quod est imitatio necessaria, *conc.;* quod est solum imitatio contingens, pendens etiam a voluntate divina et a voluntate libera creata, *nego.*

7. (*Non independenter a decreto absoluto.*) Futuribilia cognoscuntur, iuxta te, independenter a decretis divinis; *atqui* quod cognoscitur independenter a decretis divinis est independens ab illis; *ergo* futuribilia sunt independentia ab omni decreto divino.

Dist. mai.: a decretis absolutis, *conc.;* a decretis etiam indifferentibus, *nego.* Et *contradist. min.:* est independens a decretis absolutis, *conc.;* est independens a decretis indifferentibus et hypoteticis, *nego.*

Veritas futuribilis non cognoscitur in ullo decreto, neque absoluto neque hypothetico; sed tamen futurum non potest esse futurum nisi praesupposito decreto generali et indifferenti et hypothetico offerendi concursum ad omnia.

477. 8. *(Contra potentiam Dei.)* Per scientiam mediam minuitur divina potentia et libertas; *atqui* doctrina, quae minuit divinam potentiam et libertatem non est admittenda; *ergo* scientia media non est admittenda. *Maior:* posita enim veritate futuribili, v.c. quod Petrus negaturus est Christum in illis circumstantiis, iam Deus non potest evitare illam negationem, etiam si multum velit. Ergo minuitur potentia et dominium Dei.

Nego mai. Ad probat. conc. antec. et nego cons. Deus enim potest vitare illam negationem, vel non ponendo Petrum in illis circumstantiis, sed mutando eas nonnihil; vel poterat praedeterminare Petrum, ablata libertate. Si autem haec non velit facere, tunc est contradictorium ut Petrus, qui voliturus est talem rem et non oppositam, velit oppositam: et ad contradictoria nulla datur potentia; in hoc vero nulla est diminutio potentiae.

478. 9. In hypothesi scientiae mediae creatura facit aliquid sine Deo, et Deus pendet a creatura; *atqui* hoc est absurdum; ergo absurda est scientia media. *Maior:* nam hypothesis quae fit in scientia media est: offero meum concursum ad omnia quae creatura velit tunc; *ergo* prius est creatura aliquid velle, et postea Deum concurrere ad exigentiam creaturae.

Nego mai. Ad probat. nego hanc esse rectam formulam obiecti scientiae mediae, sed potius est haec: offero concurrere cum illa creatura ad omnia, quae tunc facere potest. Determinatio concursus fit a creatura sola, non quia aliquid facit sola, sed quia ab ipsa sola est denominatio vitalitatis et libertatis et non a Deo, qui in signo priori ante actionem creaturae, decreto suo iam est ligatus ad concurrendum secundum indolem creaturae (n.619).

479. 10. (*Obiectum scientiae mediae est absurdum.*) In obiecto scientiae mediae Deus concurrit inconscie. Nam scientia media praesupponit veritatem futuribilis; *atqui* in futuribili habetur actio creaturae et consequenter concursus divinus actu datus; *ergo* prius quam Deus cognoscat veritatem conditionalis, iam est datus concursus, ideoque inconscie dedit.

Nego assertum. Ad probat. concedo mai. et dist. min.: supponitur concursus actu datus *nego;* datus sub conditione, *subdist.:* et quidem conscienter datus, *conc;* inconscie, *nego; et dist. pariter cons.*

Hypothesis, quae fit, est: quod si Deus applicet conscienter suam omnipotentiam ad concurrendum secundum indolem creaturae, creatura et ipse Deus conscienter faceret talem actum, et quidem ex determinatione creaturae, modo explicato (n.619).

11. In obiecto scientiae mediae datur decretum concurrendi ad omnia sine praescientia quid creatura ageret; *atqui* hoc decretum est imprudens; *ergo* in obiecto scientiae mediae datur decretum imprudens. *Maior* patet, quia scientia media est post veritatem futuribilis, non ante; ergo veritas futuribilis est sine ulla praescientia. *Minor* est manifesta, quia dare decretum sine praescientia quid sequatur ex illo, est summa imprudentia.

Dist. mai: datur hypothetice, *conc.;* actu, *nego; et contradist. min.*: si hoc decretum esset actu datum, *conc.;* si autem est solum hypotheticum, *nego.*

Prudentia et imprudentia habetur solum in faciendis rebus sine regula rationis praevia; sed in mere possibilibus aut futuribilibus nulla adest prudentia vel imprudentia, quia non sunt res factae, sed quae possunt fieri vel quae fierent in talibus circumstantiis. Valde imprudens est quod aliquis decernat aliquid non praevidens sequelas sui decreti, sed nequaquam est imprudens *veritas,* quod si tu decerneres hoc, sequeretur hoc aliud, etiam si nihil umquam cogites de hac veritate vel de sequelis illius.

480. 12. Scientia media supponit veritatem futuribilis, ut patet; et praeterea veritas futuribilis praesupponit scientiam mediam; *atqui* hoc est mutua prioritas in explicanda scientia media et eius obiecto, et consequenter defectus rationis sufficientis utriusque; *ergo* scientia media caret ratione sufficiente. *Maior*: quod scientia media supponat veritatem futuribilis, patet: ideo enim cognoscitur futuribile, quia est verum. Quod veritas futuribilis praesupponat scientiam mediam, sic declaratur: quia in illo obiecto datur coincidentia in unam actionem inter Deum et creaturam; *atqui* illa coincidentia non debetur mutuae determinationi; *ergo* debetur vel casui, qui non potest admitti, vel praescientiae quid creatura faceret tunc, et ex hac praescientia Deus tam opportune concurrit ut coincidat cum creatura.

Nego mai. Ad probat., nego quod veritas futuribilis praesupponat

scientiam mediam ad explicandam illam coincidentiam. Illa coincidentia explicatur, quia Deus applicuit suam omnipotentiam cum creatura modo hypothetico per modum causae necessariae; et sic, operante creatura, operatur etiam Deus, non prius nec posterius quam creatura, sed simul cum illa, ex determinatione tamen creaturae solius iuxta explicata (n.619).

13. *Inst.* Decretum hypotheticum in obiecto futuribili, est idem quod postea in realitate ponetur; *atqui* decretum, quod ponetur in realitate, non potest poni nisi praecedente scientia media; *ergo* et decretum quod est in statu futuribili praeceditur ab scientia media. *Minor*: secus esset imprudentissimum.

Dist. mai.: substantialiter, *conc.;* quoad praerequisita, *nego;* et *concessa min., dist. pariter cons.*: si deberet esse idem substantialiter solum *nego;* si deberet esse idem secundum praerequisita, *conc. Ad probat., conc.* decretum datum in realitate sine praescientia esse imprudentissimum, sed decretum quod est in statu futuribili non potest esse prudens aut imprudens, et ideo non praerequirit scientiam mediam [13].

N. B. Simplicior esset tota haec solutio, si obiectum scientiae mediae conciperetur, non sub conditione voluntatis divinae applicatae, sed sub hypothesi conditionum necessariarum ut creatura posset facere secundum indolem suam, sic: si creatura haberet omnia necessaria ad operandum, faceret hoc aut illud; et est evidentissimum tale obiectum habere sensum et habere veritatem determinatam et nullam habere complicationem voluntatis divinae applicatae per modum causae necessariae aut cum praescientia vel sine praescientia; omitterentur ergo difficultates 7-11.

ARTICULUS VI

De scientia visionis. Utrum Deus cognoscat libera absolute futura

Thesis 39. Deus cognoscit ab aeterno libera absolute futura sine libertatis praeiudicio.

481. S. Th., 1 q.14 a.13; Suárez, DM 30,15,31.32; Idem, *De Deo Uno* 1.3 t.3; Idem, *Opus. 2, De scientia fut. cond.* 1.1 c.1.2.9; Urráb., 2,201-261; OM n.820-828.

482. Notiones. Scientia visionis est illa per quam Deus cognoscit ea, quae exsistunt in aeternitate vel in aliqua temporis differentia. Et potest esse de rebus increatis, ut est ipsa sua essentia et sua decreta realia; vel de rebus creatis, ut sunt omnes res quae erunt de facto sive libere sive necessario, vel quae iam acciderunt, et sunt praeterita.

Futura sunt ea quae nondum sunt, sed erunt de facto.

[13] Obiectiones solutae ap. Gisquière, 2,339-344.

LIBERA erunt si procedunt a causa libera, ita ut potuerint non procedere, et si loco eorum actuum potuerunt poni alii vel eorum omissio.

SINE LIBERTATIS PRAEIUDICIO: quia, licet illa facta habeant necessitatem consequentem, sed nullam habent necessitatem antecedentem seu in causis. *Necessitas enim antecedens* est impossibilitas omittendi actum quae sequitur ex aliquo antecedente quod non dependet ex voluntate, et infert inevitabiliter actum: haec necessitas antecedens vocatur etiam absoluta vel, in sensu diviso, seu procedens ex causa et praerequisitis, vel necessitas consequentis.

Necessitas consequens est impossibilitas omittendi actum ex suppositione quod actus ponitur. Sic impossibile est Antichristum non blasphematurum esse, consequenter ad positionem futuram actus, non autem antecedenter seu ex parte causae et praerequisitorum. Haec necessitas non tollit libertatem, sed firmat, siquidem facit ut actus qui libere ponetur, non possit non poni libere.

Concedimus quidem in futuris absolutis liberis necessitatem consequentem, sed non necessitatem antecedentem.

483. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum Deus sciat ab aeterno et infallibiliter contingentia absolute futura, et quidem sine praeiudicio libertatis.

Sententiae. Prima tenet vel Deum non cognoscere futura libera, ut servetur libertas, et sic opinatus est CICERO, vel Deum cognoscere illa sed non servari libertatem, et sic opinatus est WICLEFF[14].

Nostra sententia, quae est scholasticorum omnium[15], dicit et Deum ab aeterno cognoscere absolute futura, et hoc accidere sine ullo libertatis nocumento, quia posita illa scientia, daretur necessitas consequens, non vero necessitas antecedens. Hanc tenemus ut certam. In theologia vero res est de fide.

484. Probatur thesis. I P. DEUS AB AETERNO COGNOSCIT LIBERA ABSOLUTE FUTURA.

Prob. 1. (*Ex infinitate scientiae divinae.*) Nam Deus

[14] Negarunt scientiam futurorum liberorum: STOICI, CICERO, MARCION, HUSSITAE; et defensores philosophiae libertatis, ut sunt SECRÉTAN et LEQUIER; sociniani solam scientiam coniecturalem concedebant.

[15] Cf. S. TH., 1 q.14 a.13; IDEM, *De verit.* q.2 a.12; BOETIUS, *De consolatione philos.* l.5 pros.4, ubi ait: sicut scientia praesentium rerum, nihil his quae fiunt, ita praescientia futurorum nihil his quae ventura sunt necessitatis importat; S AUGUSTINUS, *De diversis quaest. ad Simplicium* 1.2 n.2; RAST, *Zu dem Beweisen für das gottliche Vorherwissen:* Scholastik (1936) 481-498.

nequit habere ignorantiam ullius rei in ulla differentia temporis; *atqui* si non cognosceret ab aeterno libera absolute futura, haberet ignorantiam alicuius rei in aliqua temporis differentia; *ergo* ea cognoscit ab aeterno.

485. *Prob. 2. (Ex veritate determinata futurorum.)* Deus ab aeterno cognoscit omnem veritatem determinatam; *atqui* propositiones de futuro contingente habent veritatem determinatam; *ergo* Deus ab aeterno cognovit veritatem propositionum de futuro contingente, et consequenter cognovit ab aeterno ipsa futura libera.

Maior patet ex infinitate scientiae divinae.

Minor: nam *a*) de qualibet re particulari designabili possunt fieri duae propositiones contradictoriae de futuro, non solum modo disiunctivo, sed categorico: Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit; *atqui* est impossibile illas duas contradictorias esse simul veras et simul falsas; *ergo* necessario una est determinate vera et alia necessario est determinate falsa, et hoc est habere determinatam veritatem.

Et b) *eadem minor sic probatur*: Nunc Petrus libere facit actionem A.; *ergo* si ab aeterno pronuntiata esset propositio, "Petrus in talibus circumstantiis faciet libere actionem A"., illa propositio evidenter fuisset vera et conformis cum realitate; *atqui* hoc est propositionem habere veritatem determinatam; *ergo* propositiones de contingente absolute futuro habent veritatem determinatam.

486. II P. DEUS AB AETERNO COGNOSCIT LIBERA ABSOLUTE FUTURA SINE LIBERTATIS NOCUMENTO.

In ente libero libertas non destruitur nisi per necessitatem antecedentem, non autem per necessitatem consequentem; *atqui* scientia divina de futuris non infert necessitatem antecedentem, sed solummodo consequentem; *ergo* scientia divina de futuris absolutis non aufert libertatem.

Maior supra declarata est: necessitas antecedens, proveniens ex aliquo praerequisito ad agendum, quod sit independens a voluntate et inferens inevitabiliter actum, impedit libertatem, quia voluntas non habet dominium neque in praerequisitum, neque in actum qui inevitabiliter sequitur ex eo.

Minor: nam scientia divina de futuris non enuntiat maiorem necessitatem quam habet in facto res futura; *atqui* res futura non habet aliam necessitatem nisi consequentem, in hoc sensu, quod impossibile est actum futurum liberum non

esse actum futurum liberum; *ergo* scientia divina non importat nisi necessitatem consequentem.

487. Scholium. De cognitione futurorum *necessariorum* non est sermo particularis. Nam si Deus est infinite sapiens, non potest ea ignorare, cum determinatam veritatem habeant; item ea cognoscit in essentia sua seu in decretis suis, quia non sequitur ullum incoveniens contra libertatem, siquidem ea carent. Etiam cognoscit ea in seipsis; nam supposito quod cognoscat suam essentiam hic actus scientiae divinae mere terminatur ad futura necessaria, ob excellentiam actus divini qui de se est determinatus ad cognoscenda omnia cognoscibilia, et non determinatur ab obiectis ipsis (cf. n.453-454).

Et quod dictum est de futuris necessariis, dicendum est de praeteritis.

488. Obiectiones. 1. *(Contra veritatem determinatam futurorum: cf. thesim praecedentem)*; n.474.

2. (*Praescientia est contra libertatem.*) Si ex antecedente sequitur necessario consequens, hoc non est liberum; *atqui* ex antecedente "Deus scivit Petrum peccaturum esse", sequitur necessario Petrum peccaturum esse (secus Dei scientia falleretur, quod est contradictorium); *ergo* si datur praescientia futurorum, perit libertas.

Dist. mai.: Si antecedens non praesupponat veritatem consequentis, *conc.;* si antecedens praesupponat veritatem consequentis, *nego. Contradist. min.:* et hoc antecedens praesupponit iam veritatem consequentis, *conc.;* non eam praesupponit, sed facit, *nego.*

Deus scivit Petrum peccaturum, sed hoc non scivit nisi quia praesupponitur veritas illius peccati, et non aliter.

489. 3. Quod a Deo scitur, necessario eveniet (secus scientia Dei fallitur, quod est contradictorium); *atqui* iuxta te, Deus praescit ab aeterno quid Petrus faciet cras; *ergo* Petrus faciet necessario cras talem actionem.

Dist. mai.: necessitate consequente veritatem futuri, *conc.;* necessitate antecedente, *nego.* Et *concessa min., contradist. cons.*

4. Scientia est causa necessaria rerum effectarum, et non libera; *atqui* causa necessaria aufert libertatem; *ergo* scientia Dei aufert libertatem.

Dist. mai.: scientia visionis, *nego;* scientia simplicis intelligentiae, *subdist.*: adiuncta voluntate Dei et creaturae, *conc.;* illis non adiunctis, *nego. Et concessa min., contradist. cons.*: si scientia visionis esset causa rerum, *conc.;* si scientia simplicis intelligentiae, *subdist.:* si illa sola esset causa, *conc.;* si autem est causa adiuncta voluntate Dei et creata, *nego.*

Scientia visionis praesupponit iam res futuras, ideoque non est causa earum; scientia simplicis intelligentiae, exhibet res factibiles; illa vero sola non est causa rerum, sed etiam voluntas Dei, quae se accommodat indoli creaturae, et voluntas creata, quae est libera (n.503).

5. Si scientia Dei est necessaria et ex ea sequitur actus futurus, tollit libertatem; *atqui* scientia Dei est necessaria, et ex ea sequitur necessario futurum; *ergo* scientia Dei tollit libertatem.

Dist. mai.: si est necessaria absolute et antecedenter et non praesupposita veritate futuri, *conc.;* si autem est necessaria hypothetice et consequenter ex praesupposita veritate futuri, *nego. Et contradist. min.*

ARTICULUS VII

IN QUO MEDIO COGNOSCAT DEUS LIBERA ABSOLUTE FUTURA.

Thesis 40. Deus cognoscit libera absolute futura in seipsis, praesupposito decreto de purificanda conditione, et in complexu scientiae mediae et decreti de purificanda conditione.

490. Notiones. Cognoscere RES IN ALIQUO UT IN MEDIO est cognoscere illud quod dicitur medium, et eodem actu, aliud quod est connexum infallibiliter cum primo. Et cognoscere res IN SEIPSIS, est cognoscere aliquid, non praesupposita cognitione alius cum quo res sit infallibiliter connexa.

Haec autem cognitio rerum in seipsis potest esse *causalis et pure terminativa. Causalis* est, si res cognita influit in exsistentiam et specificationem actus, eo quod non praesupponatur aliud obiectum cognitum per illum actum: sic sensus cognoscit sensibilia. Pure *terminativa* est, si res cognita non influit in exsistentiam aut specificationem actus, eo quod praesupponatur iam aliud obiectum cognitum per illum actum (n.443).

PRAESUPPOSITO DECRETO DE PURIFICANDA CONDITIONE. Hoc decretum est illud quo Deus decernit, post scientiam mediam, purificare seu verificare conditionem, nempe ponere creaturam in talibus circumstantiis et offerre illi concursum ad omnia. Hoc decretum non est medium cognoscendi futura, sed est solum causa quae facit possibile ut sit aliquid futurum: nam sine illo decreto nihil esset futurum, neque Deus cognosceret aliquid ut futurum[16].

ET IN COMPLEXU SCIENTIAE MEDIAE ET DECRETI DE PURIFICANDA CONDITIONE. Nam etsi Deus non cognosceret futura in seipsis, tamen adhuc posset cognoscere, modo praesupponatur decretum de purificanda conditione et scientia media.

491. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum Deus cognoscat libera absolute futura duplici quasi modo, semel in seipsis, praesupposito solo decreto de purificanda conditione,

[16] De signis rationis, SUÁREZ, *Opusc.* 2, de scientia futur.conting. l.2 c.8 n.9; IDEM, *De Incarnat.* d.5 s.1 n.1-44; URRÁB., 2,570; OM n.829.

etiamsi nulla esset scientia media, et iterum, praesupposito decreto de purificanda conditione et scientia media, licet praecedenti modo non cognosceret.

492. Sententiae. *Prima* sententia tenet Deum cognoscere libera absolute futura in sua essentia, in quantum habet decreta absoluta et praedeterminantia actus ponendi. Vocantur absoluta haec decreta, quia ex natura sua et ab intrinseco decernunt actum ponendum a creatura. Et vocantur praedeterminantia, quia per ea decreta Deus decernit applicare voluntatem creatam ad actum per praedeterminationem physicam. Haec est sententia *thomistarum* generatim. Et huic similis est sententia *scotistarum*[17], quae tenet Deum cognoscere futura libera in decretis condeterminantibus, seu quae decernunt absolute, non praedeterminare creaturam, sed concurrere ad determinatam actionem simul cum illa, independenter ab scientia media.

Secunda sententia est Deum cognoscere futura libera in essentia divina, ob connexionem infallibilem, non cum decretis absolutis, cum essentia. Quod multis modis explicatur.

Prima explicatio dicit futura cognosci in essentia *absolute spectata* vel in quantum est imitabilis ad extra. *Secunda* dicit ea cognosci in essentia, *consequenter ad veritatem* futuri absoluti. *Tertia* dicit et cognosci in essentia, prout est decretum absolutum concurrendi ad unum solum, nempe ad id quod per scientiam mediam praeviderat faciendum esse a creatura[18]. *Quarta* dicit ea cognosci in comprehensione voluntatis creatae in essentia divina, in quantum in essentia cognita divina comprehendit voluntatem creatam et omnes circumstantias[19]. *Quinta* dicit ea cognosci in essentia divina, in quantum in ea supercomprehendit voluntatem creatam et omnes eius circumstantias: supercomprehendit vero voluntatem creatam, quia non cognoscit futura ob connexionem horum cum essentia divina aut cum voluntate creata et circumstantiis eius, sed solum ob perfectionem actus quo comprehendit essentiam divinam: sic P. Molina[20]. *Sexta* dicit futuribilia cognoscit in essentia divina, modo mirabili et nobis penitus impervio[21]. *Septima,* dicit ea cognosci in praesentia physica futurorum in aeternitate[22]. (Cf. n.390,3).

---

[17] Hoc tenet VULPES, *Summa* t.2 p.1 d.30 a.8.9; et MASTRIUS, *Disputat. Theol. in 1* d.3 c.3 a.8.

[18] Refutatur a SUÁREZ, *Opusc.* 2 1.1 c.6.

[19] FRIDRICH STEGMÜLLER, *Zur Gnadenlehre des iunges Suárez* (Freib. b. Brisgau 1933); et eam tenet TOLETUS in 1 q.14 a.13 dub.3 prima concl.; et BELLARMINO, *De gratia et libero arbitr.* 1.4 c.5 in fine.

[20] Concord. d.52 ed. paris. p.322.323.

[21] KLEUTGEN, *De ipso Deo* n.544; et pariter GISQUIÈRE, 2,354-357, cum iis qui supra sunt recensiti.

[22] CAIETANUS, *In 1* q.14 a.13; eum sequuntur BAÑEZ, IO. A S. TH. et thomistae passim in hunc locum.

Nostra sententia tenet Deum cognoscere libera absolute futura duplici quasi modo: semel in seipsis, praesupposito decreto de purificanda conditione, licet nulla esset scientia media, et iterum in complexu scientiae mediae et decreto de purificanda conditione, qui tamen complexus non est medium in quo, ut postea explicabitur. Sic communiter molinistae [23].

493. Probatur thesis. I P. DEUS COGNOSCIT LIBERA ABSOLUTE FUTURA IN SEIPSIS, SINE MEDIO IN QUO, STRICTE DICTO, PRAESUPPOSITO DECRETO DE PURIFICANDA CONDITIONE.

Prob. 1. (*Ex absentia omnis medii*). Deus cognoscit omnem veritatem determinatam eo modo quo est vera; *atqui* libera absolute futura habent veritatem determinatam (n.485), et quidem sine ulla connexione intrinseca et inevitabili cum ullo antecedente (n.465); *ergo* Deus cognoscit libera absolute futura independenter ab omni connexione antecedente, i.e. in seipsis. Hic omnia sunt clara ex praecedentibus.

494. *Prob. 2.* (*Excludendo singillatim media hucusque excogitata*). Nam si Deus cognosceret futura in aliquo medio, hoc esset aliquod ex recensitis in expositione sententiarum; *atqui* nullum ex iis mediis est aptum; *ergo* Deus non cognoscit futura in ullo medio, sed solum in seipsis, praesupposito decreto de purificanda conditione.

Maior est clara, et *minor* probatur per partes.

a) Non ea cognoscit in decretis absolutis et praedeterminantibus, ut supra est demonstratum (n.465).

b) Neque est medium essentia divina absolute spectata, aut ut est imitabilis ad extra; neque est essentia divina consequenter ad veritatem futuri, ut supra explicatum est (n.461.467.468).

c)...Neque est medium aptum essentia divina prout est decretum absolutum concurrendi solum ad id quod per scientiam mediam praeviderat a creatura faciendum esse [24], quia tale decretum impedit libertatem. Nam ut voluntas sit libera, debet posse omittere illum actum quem de facto ponit, et debet posse ponere oppositum vel diversos; *atqui* in hypothesi, quam tractamus, id non accidit, quia voluntas solum habet concursum praeparatum ad unum; *ergo* ille actus non est liber, neque umquam fuit praevisus ut liber, sed contra semper praevisus fuit ut necessarius.

d)...Neque est medium aptum *praesentia physica rerum in aeternitate* [25]. Quia *in primis* non est possibilis illa coexsistentia physica rerum in aeternitate ab aeterno, ut supra explicatum est. *Secundo,* etiam si concedatur illa theoria, quaeram: vel illa praesentia physica rerum determinat cognitionem divinam, et tunc Deus dependet a creatura; vel non determinat, sed cognoscuntur futura a Deo quia

[23] Sic SUÁREZ, *Opus.* 2 l.1 c.8; TOLETUS, *In 1* q.14 a.13; q.3, concl.3; RUIZ DE MONTOYA; VALENTIA; et ex thomistis, CAIETANUS, *In 1* q.14 a.13; q.57 a.3; q.86 a.47; FERRARIENSIS 1 CG c.67 et c.66 in fine; et ipse S.THOMAS, 1 q.14 a.5 c; 1 CG c.49; et 1 q.86 a.4, et passim.

[24] SUÁREZ, *Opusc.* 2 l.1 c.6 n.12.

[25] Sic inter alios LENNERZ, *De Deo Uno* (Romae 1940) 211-240; DUMONT, *Liberté humaine et concours divin d'aprés Suárez* (Paris 1936) p.90.

Deus de se est determinatus ad cognoscendam omnem veritatem determinatam: et hoc est negare medium in quo, et admittere ea cognosci in seipsis praesupposita cognitione essentiae divinae, quod nos intendimus.

495. II P. DEUS ETIAM COGNOSCIT ABSOLUTE FUTURA IN COMPLEXU DECRETI DE PURIFICANDA CONDITIONE ET SCIENTIAE MEDIAE (NON UT IN MEDIO IN QUO PROPRIE DICTO).

Nam qui certo cognoscit conditionales veras et purificationem conditionis, cognoscit certo conditionatum; *atqui* Deus cognoscit conditionales veras de futuris conditionatis liberis per scientiam mediam (n.463-469) et purificationem conditionis (cognoscendo decretum a se datum de purificanda conditione); *ergo* cognoscit certo absolute futura in complexu decreti de purificanda conditione et scientiae mediae. Hic certe omnia sunt clara.

N. B. Sed tamen hic complexus *non est medium in quo Deus cognoscit futura libera.* Quia medium in quo aliquid cognoscitur debet habere connexionem antecedentem et intrinsecam et in actu primo cum re cognita; *atqui* neque decretum indifferens, neque scientia media, neque complexus habet cum futuro hanc connexionem; *ergo* haec omnia non possunt esse medium in quo Deus futura cognoscat.

Maior est clara ex notione ipsa medii in quo. *Minor*: *decretum* indifferens non habet illam connexionem, quia, illo posito, voluntas indifferens manet ut agat vel non agat, ut agat hoc aut aliud. *Scientia* media non habet hanc connexionem, quia versatur solum circa futuribilia non circa futura, et ea quidem cognoscit in seipsis, non in ullo *medio. Complexus* certe habet connexionem cum re futura, et quidem in actu primo, seu antecedenter ad futuritionem absolutam, sed mere ab extrinseco et solum ob veritatem conditionalis, quae a voluntate creata dependet, non ex intrinseca natura talis complexus (n.616, c). Unde hic complexus non est medium *in quo;* neque est medium *ex quo.* Talis enim cognitio *ex quo,* est impossibilis Deo, ob imperfectionem: nam procederet de cognito ad incognitum per actus distinctos, et praeterea cognosceret futura, non secundum quod sunt in seipsis, sed cognitione abstractica et analogica, ut cognoscuntur conclusiones. Potius deberet vocari cognitio futurorum *in seipsis,* in qua scientia media seu conditionalis, conversa est in absolutam, ob purificationem conditionis.

Praesuppositio scientiae mediae non requiritur ut Deus possit cognoscere libera absolute futura, sed ut decretum de purificanda conditione sit prudens, et ut Deus habeat in sua manu eventus omnes, purificando has vel illas conditiones, et sic obtinere possit determinatum cursum eventuum, prout maluerit vel permiserit.

496. Scholium. De signis rationis. Diximus Deum cognoscere futura praesupposito decreto de purificanda conditione, unde ponimus in Deo actus priores et posteriores. Hoc autem explicatur per signa rationis in actibus divinis.

Signa rationis sunt quaedam veluti instantia rationis, non ita ut in uno intelligantur non esse quod est in alio, quod esset ponere

successionem in Deo, saltem secundum conceptum; sed ita ut in uno instanti, non concipiatur explicite aliud, propterea quod unum sit praerequisitum ad aliud vel sit magis necessarium quam aliud. Sic intellectio divina est in signo priore ante volitionem, quia intellectio est praerequisitum ad volendum in creaturis; et contra volitio Dei est in signo posteriore ad intellectionem, quia volitio praesupponit intellectionem in creaturis, ad quarum analogiam concipimus haec signa; et cognitio possibilium est in signo priori ante cognitionem futuribilium; et cognitio futuribilium est in signo priori ante cognitionem futurorum; et decretum de creando mundo est in signo priori ad cognitionem mundi futuri.

In nostro casu ordo signorum rationis est hic: in *primo* est veritas possibilium et futuribilium; in *secundo* est decretum de purificanda conditione; in *tertio* est visio rei absolute futurae: quae visio rei absolute futurae habetur duplici titulo: *primus* est sine ullo medio in quo aut ex quo, ex sola praesuppositione decreti de purificanda conditione; *secundus* est quasi ex medio ex quo, in complexu decreti et scientiae mediae: *bis* igitur cognoscit futura, i.e. tali cognitione quae eminenter est duplex modus cognoscendi illa.

497. Obiectiones. 1. Si Deus cognosceret futura in seipsis tunc scientia divina specificaretur ab obiectis extra Deum, et penderet ab illis; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* Deus futura non cognoscit in seipsis. *Maior*: quia obiectum, quod cognoscitur in seipso, est obiectum immediatum et primum, et consequenter specificans.

Nego mai.: ad probat., dist. assertum; si obiectum immediatum non praesupponit cognitam essentiam divinam, *conc.;* secus, *nego.* Deus enim cognoscit futura in seipsis eodem illo actu quo in signo priora rationis cognovit suam essentiam, ideoque iam ille actus est specificatus ex essentia divina.

2. Si Deus non cognoscit futura in suis decretis, signum est decreta Dei non esse efficacia in actu primo, sed in actu secundo et ex actione creaturae; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* Deus cognoscit futura in decretis suis. *Minor*: Nam in hoc casu non Deus gubernaret infallibiliter mundum, sed creatura, ex qua penderet quod daretur actus vel non daretur actus.

Dist. mai.: non esse efficacia in actu primo ullo pacto, *nego;* non esse efficacia ex se et ab intrinseco, sed ab extrinseco, ex praescientia futuribilitatis, *conc.; et contradist. min.*: est absurdum decreta Dei non esse efficacia in actu primo, ullo modo, *conc.;* non esse efficacia ab intrinseco, sed solum ab extrinseco ex praescientia conditionalium, *nego.*

Deus praescit omnes propositiones conditionales de liberis sub conditione futuris; *ergo* in sua manu habet ut cursus eventuum sit talis vel talis, purificando has vel illas conditiones et concurrendo simultanee ad illas et illas actiones praevisas [26].

3. Reliquae difficultates solummodo desumuntur ex necessitate decreti absoluti, de quo agitur cum de praedeterminatione physica; et ex imperfectione quae sequitur si ponamus cognitionem rerum immediatam et in seipsis: quod solvitur dicendo hoc valere de cognitione immediata et de obiecto primario, non de eo obiecto, quod cognoscitur immediate, praesupposita cognitione alius, nempe essentiae divinae.

[26] SUÁREZ, *Opus.* 2 1.1 c.7 n.9-20.

ARTICULUS VIII

De scientia practica Dei

498. Nexus. Diximus scientiam Dei dividi in speculativam et practicam (n.439, 4.°). Iam plura vidimus de scientia Dei speculativa, quae est de possibilibus, de futuribilibus, et de absolute futuris. Nunc iam videbimus de scientia practica, per quam Deus producit res: nam omne ens intelligens facit effectus suos sub directione alicuius cognitionis seu scientiae. Responsionem dabimus sub diversis paragraphis sequentibus.

499. 1. Deus in suis operibus ad extra dirigitur ideis exemplaribus [27].

Exemplar (quod etiam dicitur idea, seu idea exemplaris) est forma mente concepta ad cuius imitationem seu similitudinem fit aliquid ex intentione operantis. Et hoc posito, thesis est evidens; nam Deus operatur voluntarie et libere; agens autem voluntarium et liberum non potest agere ut tale agens, nisi praelucente notitia rerum quas debet facere, et haec notitia vocatur idea exemplaris seu exemplar internum; externum enim non est necessarium, et si quando habetur, semper debet concipi etiam interne, ut sit vere exemplar.

500. 2. Exemplaria divina (seu ideae exemplares divinae) sunt verae causae efficientes, non ut elicientes actionem, sed reductive, ut complentes causam efficientem lineamentis determinatis, quae debet communicare effectui.

Nam causa efficiens completa debet continere perfectionem effectus per suam formam; *atqui* agens intellectuale per suam formam essentialem non continet formaliter perfectionam effectus, sed solum per ideas; *ergo* ideae sunt id quo completur causa efficiens intellectualis, ideoque reductive pertinent ad causam efficientem. *Minor* constat, quia agens intellectuale ob suam eminentiam potest agere quidlibet, et non habet determinate per suam formam essentialem quid faciat in singulis momentis, sed per ideas.

501. 3. Ideae exemplares seu exemplaria divina non sunt aliquid distinctum a Deo; nam exemplata debent esse distincta ab exemplari; *atqui* omnia quae fiunt et fieri possunt

[27] S.Thomas, 1 q.15.35.37.36; *De verit.* q.3; *De pot.* q.1 a.5 ad 11. Suárez, DM 25; Idem, *De Deo* 1.3 c.5; Urráb., *Theod.* 2,417-440; Palmieri, *De Deo Creante* 2 ed. p.95; Dubois, *De exemplarismo divino* 4 vol. (Romae 1895); Pinard, *Creation:* DTC c.2157-2159; OM n.845-856.

sunt exemplata; *ergo* exemplar non est aliquid creatum vel creabile, sed est ipse Deus. *Item* Deus eget exemplari ut agat; *ergo* si exemplar esset distinctum ab eo, indigeret re externa.

502. 4. Si autem quaeramus sub quo aspectu Deus debeat dici causa exemplaris, sunt multae opiniones; sed videntur haec dicenda probabiliter: *a)* exemplar non est conceptus obiectivus, seu ipsa *possibilia* cognita, ut vult Scotus, quia haec sunt res faciendae iuxta exemplar, et consequenter non sunt ipsum exemplar. *b)* Neque est essentia divina *ut imitabilis* ad extra, neque cognita ut imitabilis ad extra ut volunt aliqui thomistae; nam essentia divina est exemplar analogum, infinite dissimile rebus faciendis; exemplar autem formale debet formaliter convenire sub aliqua ratione praecisiva cum exemplato seu cum re facienda. *c)* Unde videtur exemplar consistere in *conceptu formali* quo Deus cognoscit possibilia. *d)* Et quia exemplar debet cognosci ut possit influere in rem faciendam, ideo, si exemplar est conceptus formalis repraesentans possibilia, hic debet cognosci *reflexe* a Deo ut possit fungi munere exemplaris. *e)* Demum exemplar non potest fungi munere exemplaris, nisi applicetur *libere a voluntate* ad opus aliquod faciendum. Unde breviter exemplar vel idea exemplaris, vel simpliciter idea, est conceptus formalis Dei, quo repraesentat possibilia, ut applicatus libere a voluntate ad dirigendam effectionem operis.

503. 5. Ulterius quaeritur quaenam sit scientia quae est causa rerum, utrum scientia visionis an scientia simplicis intelligentiae, adiuncta voluntate [28].

Et ratio difficultatis est quia conceptus Dei circa res externas, potest eas repraesentare sub multiplici signo et denominatione. *In primo* signo repraesentat res mere possibiles, sine ullo decreto aliquid faciendi: vocatur scientia simplicis intelligentiae. *In secundo* Deus ad hanc notitiam adiungit decretum faciendi aliqua ex factibilibus repraesentatis; et haec idea sub decreto Dei nondum est scientia visionis, sed fundat scientiam visionis quae veniet in tertio signo. *In tertio* signo Deus videt per scientiam visionis res iam exsistentes pro aliqua temporis differentia, ideoque est posterior illis. Denique in *quarto* signo scientia Dei actu in tempore dirigit actionem quae emanat extrinsece a Deo.

Quaeritur ergo quaenam sit illa scientia quae dirigat in tempore effectionem rerum, quae emanant a Deo, utrum scientia simplicis intelligentiae, an scientia visionis. Sunt

[28] S.Th., q.14 a.16; *De Deo Uno* l.3 c.4 n.10; Idem, *De gratia*, Prolegom.2, c.ult.; Idem, DM 41,13,19-54; Idem, *De praedestin.* l.1 c.16; Urráb., *Theod.* 2,64-91; OM n.857-866; Asín Palacios, *El averroísmo teológico de Santo Tomás de Aquino*, en *Huellas del Islam* (Madrid 1941); Michel, *Science de Dieu:* DTC 1607-1609.

plures *sententiae;* sed verior videtur, ea quae tenet scientiam, quae est causa rerum, esse scientiam simplicis intelligentiae, prout est applicata ad opus per decretum ab aeterno. Nam scientia, quae est causa rerum, ex una parte debet repraesentare res factibiles, et non praesupponere res iam factas; et ex alia parte debet esse applicata ad opus per decretum liberum; *atqui* talis scientia non est scientia visionis, neque scientia simplicis intelligentiae sine addito, sed scientia simplicis intelligentiae ut applicata ad opus per decretum; *ergo* scientia, quae est causa rerum, est scientia simplicis intelligentiae, prout applicata ad opus.

504. 6. QUOTNAM SUNT IDEAE EXEMPLARES DIVINAE? Proprie est unica, quia conceptus subiectivus divinus est unicus; sed tamen secundum nostrum concipiendi modum sunt plures, tot nempe quot sunt res factibiles et faciendae, et distinguuntur ratione solum imperfecte penes implicitum et explicitum.

505. 7. DE QUIBUS REBUS SUNT IDEAE DIVINAE? Respondemus: de omnibus rebus quas Deus faciet: et ideo, quoniam facit et materiam et formam, et modos, et accidentia, de omnibus iis habet ideas. Aliqui volunt Deum de partibus non habere ideas, sed solum indirecte in quantum habet ideam de toto. Sed planum est etiam de partibus habere ideas, nam et partes debet facere, et saepe sunt tales ut saltem miraculose possit eas facere separatim alias ab aliis.

CAPUT III

De attributis positivis seu operativis Dei. De voluntate divina

ARTICULUS I

DE REALITATE VOLUNTATIS ET LIBERTATIS DIVINAE

Thesis 41. In Deo est voluntas, qua se necessario amat, reliqua autem extra se libere.

506. Nexus. Post tractatum de intellectu divino, sequitur ut tractemus de eius voluntate quae ex intellectu necessario sequitur. Et de voluntate quaeremus tria; *primum* est de realitate divinae voluntatis; *secundum* de libertate divinae voluntatis; *tertium* de perfectione et indole divinae voluntatis. In praesenti articulo agemus de realitate voluntatis et libertatis divinae.

507. Notiones. VOLUNTAS est appetitus rationalis; seu quod idem est, est tendentia vitalis et conscia in bonum exhibitum per intellectum. Appetitus autem non indicat necessario inclinationem ad rem ullam qua Deus indigeat, sed solum tendentiam quamlibet ad res cognitas per intellectum.

LIBERTAS AUTEM INDIFFERENTIAE seu a necessitate, de qua unice hic agimus, est facultas quae, positis omnibus praerequisitis, potest agere et non agere, agere hoc aut oppositum, aut simpliciter diversum.

Voluntas aut libertas non est concipienda *ut facultas* ad faciendos actus et recipiendos, sed solum ut capacitas actus quo Deus se amat, ad diversas terminationes ad obiecta. Et similiter *libertas* non est essentialiter capacitas eligendi inter bonum et malum morale (quod pertinet ad libertatem creatam et defectibilem a bono absoluto), sed est capacitas eligendi hoc aut non eligendi, aut eligendi inter diversa.

508. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum Deus habeat voluntatem, et necessitatem circa amorem erga seipsum, et libertatem circa res extra se.

Sententiae. Circa exsistentiam *voluntatis* in Deo solum dissentiunt agnostici dogmatici, qui negant analogiam metaphysicam perfectionum simpliciter simplicium. Sed circa *libertatem* semper fuerunt aliqui qui eam negarent. Sic eam negant ARISTOTELES, PLATO, AVICENNA, WICLEFF, BUCERUS, CALVINUS, pantheistae[1].

Scholastici semper tenuerunt dari in Deo voluntatem et necessitatem circa amorem sui, et libertatem circa res extra se; quae sententia est certissima in philosophia et de fide in theologia[2].

509. Probatur thesis. I P. EST IN DEO VOLUNTAS[3].

Prob. 1. (*Ex omniperfectione a priori.*) Impossibile est Deum esse imperfectum in aliqua linea; *atqui* si non haberet voluntatem formaliter talem, esset imperfectus in aliqua linea; *ergo* Deus habet voluntatem formaliter, et non solum eminenter.

---

[1] Qui profitentur optimismum, etiam negant vel attenuant libertatem Dei, licet nomine tenus eam concedant, ut LEIBNIZ, WOLFF, MALEBRANCHE. Ex rationalistis eam negant COUSIN et SAISSET; item semirationalistae, ut GÜNTHER et ROSMINI.

[2] Ecclesia saepe libertatem divinam definivit; sic contra ECKHARDT, DB 501; contra ABAELARDUM, 374; contra WICLEFF, 607; contra GÜNTHER, n.1655; contra ROSMINI, 1908; *in Vaticano*, 1783.1805.

[3] S.TH., 1 q.19 a.1; SUÁREZ, DM 30,16,1-7, et *De Deo* 1.3 c.6; URRÁB., 2,440-451; OM n.866-874.

Maior est evidentissima quia est omniperfectus et infinitus.

Minor: si enim Deus non haberet voluntatem, non esset dominus rerum, siquidem non posset disponere de illis sicut vellet; nec posset quippiam praecipere aut prohibere; neque approbare bene facta aut improbare male facta; nec praemio afficere aut poena; unde neque esset dignus cultu et reverentia, quia neque acciperet nostra obsequia, neque offenderetur propter contemptum. Ad summum esset obiectum admirationis aut timoris, si fataliter ageret contra inordinationes hominum; vel obiectum egoismi, si fataliter ageret aliquid boni in eos qui rectum naturae ordinem servarent. Iam vero tale ens est imperfectum, quia esset inferius sub hoc respectu quolibet gubernatore humano, et quolibet patrefamilias.

510. *Prob. 2. (Ex effectibus, a posteriori.)* Causa debet continere perfectionem suorum effectuum; *atqui* Deus producit entia volitiva; *ergo* Deus est etiam ens volitivum.

Dices: Deus est ens volitivum eminenter, sed non formaliter, sicuti est discursivus eminenter, et non formaliter.

Nego assert.: debet esse ens volitivum formaliter, quia carere voluntate formali est imperfectio, ut ostensum est in probatione praecedente. (Hoc argumentum non differt a probatione praecedente.)

511. II P. DEUS SE NECESSARIO AMAT.

Prob. 1. (*Ex actualitate Dei.*) Deus necessario amat aliquid; *atqui* non potest amare aliquid nisi etiam amet se; *ergo* Deus necessario amat se.

Maior: quia Deus non habet potentiam amandi, sed ipse est actus amandi; *atqui* actus amandi necessario amat aliquid (quia repugnat metaphysice dari actum amoris qui nihil amet); *ergo* Deus necessario amat aliquid.

Minor: nam actus voluntatis habet rationem sufficientem suae exsistentiae et suae configurationis et quasi specificationis in obiecto, quia actus voluntatis est totaliter ad obiectum; *ergo* si supponamus Deum amare alia, non amato se prius, totam rationem sufficientem actus et configurationis et specificationis illius haberet ex obiecto externo, et consequenter ab illo penderet.

512. *Prob. 2 (Ex beatitudine Dei.)* Deus est essentialiter beatissimus, secus aliqua perfectione careret; *atqui* non potest esse beatus nisi possessione et amore summi boni, quod est ipse; *ergo* Deus se necessario amat.

513. *Prob.3 (Ex cognitione sui.)* Voluntas non potest non amare summum bonum, si rite ei proponitur; *atqui* ipse Deus est summum bonum, et rite sibi proponitur per cognitionem infinite perfectam; *ergo* se amat necessario.

Minor est manifesta, et *maior* probatur: quia facultas voluntatis tota est ad obiectum suum, quod est bonum; *ergo* cum adest obiectum plene illam satians et rite ei propositum, non potest non versari circa illud, secus facultas non esset totaliter ad obiectum.

514. III P. Deus libere amat reliqua extra se.

Prob. 1. (*Ex omniperfectione*). Si Deus non haberet libertatem ad res externas, esset imperfectus; *atqui* impossibile est Deum esse imperfectum; *ergo* Deus habet libertatem in rebus externis.

Minor patet, et *maior* declaratur: Deus enim non esset dominus rerum, siquidem non posset disponere de illis ut vellet; neque esset dignus reverentia et cultu et gratitudine, et amore benevolentiae; quia haec omnia non debentur nisi ei qui est persona, quod includit libertatem, et ei qui facit beneficia conscienter et cum dominio eius rei quam facit; *ergo* multo imperfectior esset quam multae creaturae quae sunt dignae reverentia et cultu et gratitudine.

515. *Prob. 2.* (*Ex natura mediorum*[4], *seu eorum quae ad aliud ordinantur.*) Media non amantur propter se, sed solum propter connexionem quam habent cum fine qui intenditur; *atqui* res creatae non sunt fines Dei, sed solum media ad suam bonitatem manifestandam, et non habent necessariam connexionem cum fine Dei; *ergo* res creatae non amantur necessario a Deo sed libere.

Maior: si enim media amarentur independenter a connexione quam habent cum fine, amarentur in se et propter se, et sine ordinatione ad aliud; *atqui* hoc est proprium finis; *ergo* si media amarentur independenter a connexione quam habent cum fine, essent fines et non media.

Minor: A. *Sunt pure media*[5], et non finis volitionis divinae. *a*) Quia finis est id cuius gratia aliquid fit; *atqui* in Deo non fit aliquid, scil., neque essentia neque actus volendi; *ergo* nullus actus Dei est ad res externas, seu res externae non sunt finis Dei neque actus eius. *b*) Item finis specificat actum, quia est illud propter quod est actus volendi et cui commensuratur actus volendi; *atqui* actus divinus non potest specificari a re externa (secus ab ea penderet in sua perfectione specifica); *ergo* res externae non possunt esse finis Dei. (Improprie Deus dicitur finis sui, quia eius divina bonitas est suprema eius felicitas, et quia ipsa eadem bonitas infinita est ratio cur velit alia a se. Proprie vero non est finis sui, quia finis proprie est id cuius gratia aliquid fit; *atqui* in Deo nihil fit; *ergo* Deus non est finis sui actus.)

B. *Et haec media non habent connexionem necessariam cum*

---

[4] Hoc argumento utitur S.Thomas, et passim auctores; cf. Van Steenberghen, *Ontologia* (Lovanii 1946) 185.

[5]. Suárez, *Opusc.* 4 d.1 s.2 n.21.

fine Dei. Nam illud quod est quasi finis Dei et eius suprema felicitas est sua bonitas; *atqui* haec non dependet ab ulla re externa; *ergo* res externae non sunt media connexa necessario cum fine Dei. (Certe res externae valde conferunt ad gloriam Dei extrinsecam et habent necessariam connexionem cum illa; sed quoniam illa eadem gloria est res externa, illa non est necessaria Deo, secus penderet ab aliqua re externa. Quare libere voluit gloriam externam et libere voluit creare res externas.)

N. B. Res creatae sunt media pro Deo et non fines: *non* quia ordinentur ad *utilitatem* internam Dei, *sed* quia sunt termini amati solum *propter aliud,* nempe propter Deum, tamquam propter rationem sufficientem amandi.

516. *Prob. 3.* (*Ex eo quod Deus non creavit ab aeterno omnia creabilia.*) Si Deus necessario creavisset, creavisset ab aeterno omnia quae possunt esse simultanee; *atqui* Deus ab aeterno non creavit omnia quae possunt esse simultanee; *ergo* non creavit neque decrevit creare necessario, sed libere.

Maior: quia causa necessario operans, facit omnia quae potest ex eo instanti in quo potest; *atqui* Deus ab aeterno habet omnipotentiam, et ab aeterno possibilia sunt possibilia; *ergo* ab aeterno creavisset omnia quae possunt esse simultanee.

Minor manifesta est: nam non creavit ab aeterno homines qui nunc sunt; neque creavit abundantiam rerum quae possent sufficere plene hominum necessitatibus et commoditatibus, cum tamen haec omnia sint possibilia, et possint simul esse.

517. Scholia. 1. *De constitutivo libertatis Dei in exercitio.* Actus liber Dei non consistit in effectu externo futuro, ut vult AUREOLUS, neque consistit in relatione ulla rationis et simul in actu necessario amandi se ut vult VÁZQUEZ; neque in modo physico intrinseco et defectibili ut vult CAIETANUS, sed adaequate consistit in intrinseco et necessario actu Dei, quo se amat, qui actus est entitative indefectibilis, et tamen terminative est contingens, non quoad entitatem actus, sed quoad rem quam involvit actus, quae res est talis vel talis ex *determinatione actus divini* (n.377-379).

2. Consequenter magna est differentia inter *libertatem creatam et increatam*[6]. *Nam libertas creata a)* dicit indifferentiam ad habendum vel non habendum actum; *b*) eius actus sunt plures pro diversitate obiectorum; *c*) actus est contingens, utpote factus et potens exsistere et non exsistere; *d*) actus semel positus necessario respicit suum obiectum, quia ad illud refertur transcendentaliter et ab eo speciem accipit. Et contra *libertas divina: a*) non consistit in indifferentia potentiae ad plures actus, sed solum in indifferentia unici actus ad respiciendum hoc vel illud obiectum per diversas suas terminationes; *b*) actus est unicus etiam pro diversitate obiectorum,

[6] SUÁREZ, DM 30,9,1.2.45-49; OM n.660.

imo et pro actu volendi vel nolendi idem obiectum; *c)* actus ipse non potest deficere in sua entitate, quia est actus necessarius quo se amat; *d)* denique actus divinus non necessario respicit determinatum obiectum externum; quia ob suam eminentiam et fecunditatem potest respicere ad quodlibet, pro lubitu.

518. Obiectiones. 1. Deus necessario vult optimum; *atqui* optimum est creare, et quidem creare mundum optimum ex omnibus; *ergo* et Deus necessario creat, et necessario creat optimum ex omnibus. *Maior:* quia ad eligendum unum prae alio requiritur ratio sufficiens; ad eligendum autem non creare, vel creare quod non est optimum nulla est ratio sufficiens: nam non creare vel creare quod est minus bonum est aliqua negatio, et negatio nunquam est ratio sufficiens eligendi [7].

Nego mai. Ad probationem, dist. mai.: requiritur ratio sufficiens praedeterminans voluntatem ad unum sive ex parte obiecti sive ex parte subiecti, *nego;* ratio non praedeterminans, *conc. Et contradist. min. Ad probationem huius minoris, conc. mai. et nego min.;* scilicet, quando eligitur non-creatio vel creatio-minoris, ratio eligendi non est absentia et negatio boni. Ratio eligendi non-creare esset quia et creatio Deo non est necessaria ob infinitam autosufficientiam Dei, et quia non vult creare; ratio autem eligendi minus, non esset formaliter quia esset minus, sed quia est aliquod bonum, quod non eliditur in comparatione maioris, et quia ipse vult. Ratio ultima volendi aliquid, aut non volendi numquam desumitur ex parte obiecti, sed ratio ultima, praesupposita bonitate rei, est quia agens vult.

2. Difficultas solita est haec: libertas in actu est defectibilis, quia loco huius volitionis, potuit aliam volitionem habere; *atqui* in Deo nihil est defectibile; *ergo* Deus non habet libertatem.

Dist. mai.: est defectibilis entitative, *nego;* terminative, *subdist.:* quoad id quod importatur in recto (quod est volitio mundi), *nego;* quoad id quod importatur in obliquo (quod est mundus futurus ex voluntate Dei), *conc. Et contradist. min.* (n.378).

3. Quod est aeternum, necessarium est; *atqui* actus divinus volendi, est aeternus; *ergo* actus divinus volendi est necessarius et non liber.

Dist. mai.: si est creatum, *nego;* si est increatum, *subdist.:* entitative, *conc.;* terminative, *subdist,* etc. (sicut in praecedente difficultate).

4. Deus vult alia a se in quantum vult suam bonitatem; *atqui* suam bonitatem amat necessario; *ergo* et cetera amat necessario.

Dist. mai.: hypothetice (quia si amat aliquid non potest non amare ex amore suae bonitatis), *conc.;* absolute (quasi posito amore sui, necessario velit alia a se), *nego; et concessa min, contradist. cons.;* si amaret alia a se ob amorem suae bonitatis absolute, *conc.;* sed si solum ea amat ob suam bonitatem hypothetice, *nego.*

5. Libertas importat deliberationem; *atqui* in Deo non est ulla deliberatio, quia haec importat ignorantiam, vacillationem et dubium; *ergo* in Deo non est libertas.

Dist. mai.: in ente creato, *conc.;* in ente increato, qui habet infinitam sapientiam, *nego; et concessa min., contradist. cons.;* si non esset infinite sapiens, *conc.;* secus, *nego.* (Plura in OM n.665-668.)

---

[7] Cf. S.Th., 1 q.19 a.3; Pinard de la Boullaye, *Creation:* DTC 2145; Carbone, *Circulus philosophicus* vol.5 (Taurini 1938) 449-466.

ARTICULUS II

Utrum Deus saltem moraliter teneatur ad optimum

Thesis 42. Deus ne moraliter quidem tenetur ad optimum.

519. Urráb., 2,486-488; Ruiz de Montoya, *De diviná vol.* d.10; Suárez, *De Incarnatione* d.4 s.3 fine; Idem, *Opusc. 4* d.1 s.1 n.8; Lugo, *De Incarnat.* d.2 s.1 n.9.

520. Sententiae. *Prima* tenet Deum teneri ad eligendum optimum ex omnibus possibilibus, non considerando possibilia singillatim, sed in complexu: teneretur ergo ad optimum complexum ex omnibus possibilibus. Hanc autem necessitatem affirmant moralem, non physicam: quia tanta est Dei propensio ad optimum, ut a priori possimus dicere certo eum electurum esse semper optimum, saltem inter contradictoria: v. c. inter creare et non creare necessario moraliter tenetur ad creandum. Hanc tenent Leibniz, Ruiz de Montoya, et antea Abaelardus et alii. Et ratio est quia tanta est eius propensio ad optimum, ut non possit non illud eligere; et quia eligere minus esset indecentissimum suae bonitati; et tandem quia nulla esset ratio sufficiens eligendi minus bonum: nam eligere minus bonum, est eligere malum.

Secunda sententia docet Deum non teneri ad optimum, ne moraliter quidem, sed cum plena indifferentia eligere posse etiam bonum minus. Hanc tenent scholastici communiter. Hanc et nos tenemus ut certam.

521. Probatur thesis. *Prob. 1.* Si Deus teneretur ad optimum, nullam haberet libertatem ad extra; atqui hoc est absurdum; ergo non tenetur ad optimum.

Minor constat, et *maior* probatur: nam teneretur ad optimum, quia non eligere optimum esset contra propensionem innatam ad optimum, et contra decentiam debitam suae bonitati, et contra rationem sufficientem in volendo; *atqui* Deus non est liber nec physice nec moraliter ut faciat contra propensionem innatam, aut contra decentiam suam, aut contra rationem sufficientem in volendo; *ergo* nullam libertatem habet, si tenetur ad optimum.

Prob. 2. Deus non tenetur ad impossibile; *atqui* impossibile est eligere optimum; *ergo* Deus non tenetur ad eligendum optimum.

Maior constat, et *minor* probatur: quia bonitas mundi est ex imitatione divinae essentiae, et divina essentia est imitabilis semper perfectiore modo sine fine.

522. Ad difficultates, seu ad argumenta opposita respondetur sic.

a) Deus non habet *propensionem* innatam aut difficile vincibilem ad optimum, quia nulla re extra se indiget sub ullo respectu. Habet quidem appetitum innatum ad beneficia largienda; sed ille appetitus est mera aptitudo, non inclinatio difficile vincibilis.

b) Neque eligere bonum minus est *indecens* contra suam boni-

tatem: nam indecentia culpabilis esset si ille teneretur lege perfectibilitatis aut perficeretur suis actibus externis; *atqui* ipse non tenetur lege perfectibilitatis neque perficitur suis actionibus externis, quia ipse ex se est infinite sanctus; *ergo* non est indecens contra suam bonitatem eligere minus.

c) Nec denique faceret sine ratione *sufficiente*. Nam duplex ratio sufficiens volendi inquirenda est; *prima* cur potuerit eligere minus bonum, et *secunda* cur de facto elegerit minus bonum.

Ratio cur possit eligere minus bonum, est ex parte *obiecti*, appetibilitas illius quia obiectum minus in comparatione maioris non amittit suam bonitatem; et ex parte *voluntatis* est indoles eius libera.

Ratio autem ultima cur elegit de facto aliquid, numquam desumenda est ex parte *obiecti*, quia secus perimitur libertas, siquidem ponitur quidam determinismus obiectivus, qui semper aufert libertatem; sed praesupposita bonitate obiecti, electio est ex ipsa activitate voluntatis, quae activitas est talis et non alia quia ipse vult (cf. n.342).

ARTICULUS III

Utrum hic mundus sit optimus omnium

Thesis 43. Hic mundus est valde bonus, et in quibusdam rebus est insuperabilis; sed tamen sunt possibiles alii mundi meliores substantialiter et accidentaliter: et suppositis his substantiis, dispositio huius mundi non est optima ex omnibus possibilibus, sed sunt possibiles aliae dispositiones meliores cum paucioribus peccatis imo et cum nullis.

523. Nexus. Haec quaestio est valde connexa cum praecedente. Nam si Deus tenetur ad optimum, sequitur revera hunc mundum esse optimum, siquidem est electus a Deo. Si autem non tenetur ad optimum, tunc adhuc non sequitur hunc non esse optimum, sed probandum est argumentis validis.

Quaeritur ergo qualis sit hic mundus respectu perfectionis, utrum scilicet sit pessimus, an optimus sub aliquo respectu et gradu.

524. Sententiae. *Prima* est A. Schopenhauer, qui imitatus brahmanes et budhistas dixit hunc mundum esse pessimum omnium [8], eo quod sentiamus dolorem. Sed hic mundus, cum factus sit a Deo, bono infinito, participat bonitatem Dei, sicut omnis effectus participat bonitatem suae causae, et

[8] Roure, *Pessimisme:* DAFC; A. d'Alès, *Providence:* DAFC.

praeterea homo participat bonitatem Dei modo speciali, eum cognoscendo et amando; *atqui* participare bonitatem Dei est valde bonum; *ergo* hic mundus non est pessimus ex omnibus possibilibus. Haec sententia negat Deum et creationem et similitudinem rerum cum Deo bono.

Secunda sententia tenet *optimismum absolutum,* quam defendit LEIBNIZ, et antea ABAELARDUS, CUSA, et quodam modo etiam P. RUIZ DE MONTOYA et MALEBRANCHE [9]. Dicit Leibniz [10] Deum necessario eligere optimum, quia non est ratio sufficiens ad eligendum quod est minus excellens. Peccata vero et tot mala quae cernimus, sunt conditio essentialis ad maximum bonum. Haec sententia est haeretica, quatenus neget libertatem Dei.

Tertia sententia tenet *optimismum relativum rigidum,* et tribuitur, iure an aniuria non disputamus, Sancto Thomae. Haec sententia docet esse possibiles alios mundos meliores nostro substantialiter et accidentaliter; sed suppositis his substantiis, quae sunt creatae in hoc mundo, asserit et hanc dispositionem esse optimam, et Deum aliquo vero modo teneri ad eligendam hanc dispositionem optimam ex omnibus possibilibus: posset Deus multa in particulari melius ordinare, sed in complexu, quaelibet alia ordinatio mundi, esset peior. Consequenter peccata in ea proportione tam ingenti quam nunc cernimus, sunt conditio essentialis ad maximum bonum [11]. Haec sententia non nihil extenuat libertatem Dei ad extra quoad specificationem. Potuit enim creare alias substantias; sed suppositis his, debuit eligere optimam ordinationem ex omnibus possibilibus.

525. *Quarta* sententia tenet optimismum *relativum mitigatum.* Concedit haec sententia et Deum esse plene liberum ad eligendum quod non est optimum, et praeterea concedit esse plures mundos possibiles meliores hoc, et suppositis his substantiis, hanc dispositionem actualem non esse optimam ex

---

[9] Tenuerunt optimismum absolutum ABAELARDUS, NICOLAUS CUSA, LEIBNIZ, WOLFF, KANT anno 1759, cui sententiae valedixit in fine vitae; recentius optimistae absoluti sunt ROSMINIUS, GÜNTHER, HERMES, SAISSET; cf. MALEBRANCHE, *Traité de la natura et de la grâce* I discours a.4. Hunc optimismum refutarunt inter alios ARNALDUS, FEUCH, et praesertim VOLTAIRE in fabula *Candide ou l'optimisme.*

[10] LEIBNIZ, *Essais de Theodicée* 1 p. n.8-10.23-25.30; 2 p. n.114.117.119. 194.198.201.228.

[11] S.TH., 1 q.25 a.6 ad 5; et 1 q.103 ad 1, ubi ait *Cum optimi sit optima producere;* ROZWADOWSKI, *De optimismo universali secundum S Thomam;* Gregor. 17 (1936) 254-264; GISQUIÈRE, *Deus Dominus* 2 p.430-432: SERTILLANGES, *Dieu* III,299; BERAZA, *De Deo creante* n.131, et 1318-1347; GARRIGOU-LAGR., *Dieu* (1928) p.664.

omnibus possibilibus; sed addit in omni hypothesi fore meliorem eam dispositionem in qua sint peccata, quam ea in qua non sint peccata. Quare haec sententia etiam dicit conditionem necessariam ad bonum maius esse peccata.

Nostra sententia tenet *optimismum simplicem*. Haec sententia dicit hunc mundum nostrum et hanc dispositionem mundi esse valde bonam, et in quibusdam bonis esse insuperabilem. Sed tamen sunt possibiles alii mundi meliores tum substantialiter tum accidentaliter; et praesupposita creatione harum substantiarum, ait hanc dispositionem actualem non esse optimam ex omnibus possibilibus, sed esse possibiles alias dispositiones meliores, sive cum paucioribus peccatis, sive sine ullo peccato saltem mortali [12].

526. Probatur thesis. I P. HIC MUNDUS ET EIUS DISPOSITIO EST VALDE BONA.

Hic mundus totus factus est ad participandam divinam bonitatem per similitudinem analogam, quia est effectus eius, et per cognitionem et amorem; *atqui* participatio divinae bonitatis semper est valde bona; *ergo* hic mundus et eius ordinatio actualis est valde bona.

II P. ET IN QUIBUSDAM BONIS EST INSUPERABILIS.

Nam in hac providentia est Incarnatio Verbi, Maternitas divina, gratia habitualis, visio beatifica; quae bona sunt adeo magna, ut ratione termini ad quem respiciunt, non possint esse meliora: respiciunt enim Deum secundum quod est in seipso. Non tamen negandum est haec eadem modo aliquo accidentali et secundum extrinsecos effectus potuisse meliora esse; v.c. humanitas Christi potuit ornari maiore gratia habituali, et maiore visione beatifica; beneficia redemptionis potuerunt esse maiora quoad intensitatem et quoad extensionem ad plures homines qui vel Deum non cognoscunt vel condemnantur.

527. III P. POSSUNT TAMEN ESSE ALII MUNDI MELIORES TUM SUBSTANTIALITER TUM ACCIDENTALITER.

Declaratur thesis: potuit enim Deus creare plures varietates substantiarum, v. c. in animalibus et plantis, et angelis, et mineralibus; et eas ornare maiore magnitudine, maioribus viribus, maiore fecunditate ut alerent sine tanta difficultate homines et hi possent se dare

[12] Optimismum simplicem defendit SUÁREZ, DM 30,17,19-23; IDEM, *De Deo* l.3 c.9 n.24-27; IDEM, *De incarn.* d.4 s.2 n.8.68.73.74; VÁZQUEZ, *In 1* d.107 c.3; TOLETUS, *In 1* q.25 a.6; OM n.881-892; Ipse S.THOMAS saepe alias hoc defendit, ut v. c. in 1 d.46 q.1 a.3 ad 6.

culturae intellectuali, etc. Potuit similiter facere ut pauciora essent peccata et pauciores damnarentur.

Probatur thesis: *a)* quia omne bonum possibile est per imitationem divinae essentiae; *atqui* divina essentia non exhauritur per ullum gradum determinatum perfectionis, sed dato quolibet gradu, datur alius maior sive in substantialibus sive in accidentalibus; *ergo* possunt esse mundi meliores quam hic noster in substantialibus et in accidentalibus.

b) Similiter, ille mundus est melior in quo datur maior gloria obiectiva Deo ob maiora beneficia collata mundo, et maior gloria formalis ob maiorem cognitionem et amorem Dei; *atqui* est evidentissimum Deum posse conferre maiora beneficia quam contulit quoad intensionem et quoad extensionem, et posse facere ut creaturae rationales cognoscant et ament Deum multo magis quam nunc; *ergo* est evidentissimum Deum posse facere mundos meliores quam est hic.

528. IV P. IMO, PRAESUPPOSITIS HIS SUBSTANTIIS, POSSIBILIS EST ALIUS MUNDUS MELIOR SINE TOT MALIS.

Primo, quia omne bonum est per imitationem divinae essentiae; et divina essentia non exhauritur per imitationem gradus limitati perfectionis, qualis est hic mundus et eius ordinatio actualis: unde haec dispositio non est optima ex omnibus possibilibus.

Secundo: ille mundus et illa eius dispositio est melior, in qua maior gloria obiectiva et formalis datur Deo et magis participat de eius bonitate; *atqui* est evidens posse dari in hoc mundo, servatis his substantiis, maiorem gloriam obiectivam et formalem Deo, ut supra visum est; *ergo* est evidens dispositionem hanc non esse optimam ex omnibus possibilibus, sed posse dari meliores.

Maior est evidens; et *minor* declaratur: quia Deus posset facere ut pauciores peccarent, plures salvarentur, maior esset cognitio et amor Dei in mundo, excellentior exercitatio virtutum religionis, caritatis, beneficentiae: quis dubitat de hac potentia Dei? Et quis dubitat illam dispositionem fore excellentiorem?

529. V P. ITEM EST POSSIBILIS ORDINATIO MUNDI IN QUA NULLUM ESSET PECCATUM SALTEM MORTALE, ET ILLA DISPOSITIO FORET MELIOR QUAM HAEC ACTUALIS.

a) *Quod sit possibilis ordinatio mundi sine ullo peccato,* patet. Nam multi sunt nunc qui peragunt totam vitam sine ullo peccato mortali, ob gratias efficaces gratis datas a Deo; et sicut dat pluribus has gratias, Deus posset dare omnibus: quis dubitet? Et hoc sine miraculo stricte dicto; quia gratiae efficaces sunt plene gratuitae, et lex distributionis earum est solummodo liberalitas donantis; *ergo* si statuisset eas dare omnibus, haec esset lex connaturalis distributionis earum. Si autem aliquis praevideretur tam pervicax, ut omnino peccaturus esset, potuit non creari a Deo, vel creari hebes.

b) *Quod ille mundus posset esse melior quam hic noster et quam haec dispositio actualis,* patet. Quia sine dubio

ille est melior mundus et illa est melior ordinatio eius, in qua datur Deo maior gloria obiectiva et formalis: iam vero in illa dispositione, in qua nullum esset peccatum, posset dari Deo maior gloria obiectiva (quia maiora possent esse beneficia Dei *intensive* ob maiorem gratiam, et *extensive,* quia ad plures haec beneficia pervenirent); item maior posset esse gloria formalis: *tunc enim vitarentur omnia quae a Deo prohibentur, et fierent omnia quae Deus praecipit singulis, et singuli obtinerent illum finem cognoscendi et amandi Deum, ob quem Deus singulos homines creavit, in quo consistit gloria formalis. Ergo* illa ordinatio sine ullis peccatis esset sine dubio melior quam haec, vel saltem posset esse.

Scholium. Summa brevis huius theseos est: in mundo sunt mala horribilia, tum temporalia tum aeterna; haec autem mala debentur malae voluntati creatae. Si autem consideretur mundus ex parte Dei, ille est valde bonus, tum ob finem assignatum, tum ob media adhibita, quae sunt Incarnatio, gratia, sacramenta, exempla sanctorum, tum ob facilitatem qua unusquisque potest ea bona si velit adipisci. Tamen non negandum est Deum potuisse eligere ordinem excellentiorem quoad multa, in quo pauciora essent mala moralia, vel nullum. POTUIT autem praesentem ordinem eligere sine reprehensione, quia Deus solum intendit bonum, et ad hoc dat media copiosa, nec ullo titulo tenetur ad eligendum ordinem meliorem: ET DE FACTO hunc ordinem elegit, quia voluit: ille Dominus est, et nos servi. *Oh homo tu qui es qui respondeas Deo?* (Rom. 9.5).

530. Obiectiones explicantur. 1. Sine peccatis de facto Christus non venturus fuisset, et ideo de facto mundus sine peccatis non esset tam bonus quam est hic noster, quia deesset Christus, qui dat maximam gloriam Deo obiectivam et formalem. Ob hanc causam canit Ecclesia: *Oh felix culpa!* Sed sine peccatis etiam potuisset venire Christus, et tunc mundus ille cum Christo et sine peccatis melior esset quam praesens.

2. Quando theologi dicunt communiter mundum cum peccatis esse meliorem quam sine peccatis, loquuntur de facto, quia de facto non venturus fuisset Christus; non autem loquuntur de possibili, quasi sine peccatis Christus non potuisset venire, aut quasi absolute mundus futurus fuisset peior, etiam si venisset Christus.

531. 3. Sine peccatis non ostenderetur iustitia vindicativa Dei, condemnando reprobos: sed ostensio iustitiae vindicativae non est melior quam eius non ostensio: ostensio enim praesupponit peccata quae Deus non vult, sed contra prohibet, et per illa offenditur et

aufertur ei gloria debita; et non ostensio iustitiae punitivae praesupponit oboedientiam, quam Deus praecipit et laudat.

4. Sine peccatis non haberetur patientia martyrum, fortitudo in oppresionibus iniustis, paenitentia de peccatis; sed tamen hae virtutes possent *suppleri* melioribus virtutibus. Nam virtutes non aestimantur ex obiecto materiali, praesertim si obiectum materiale sunt peccata propria vel aliena, sed aestimantur ex *obiecto formali*, et obiectum formale praeclarius posset influere in virtutes sine peccatis quam cum peccatis. Sic laus *paenitentiae* consistit in eo quod diligatur honestas resplendens in servando illaeso iure et reverentia divina, et haec honestas amari potest vehementer etiam si quis nullum peccatum fecerit. *Patientia* martyrum non laudatur praecise quia exercetur circa peccata iniusti persecutoris, sed laudatur quia vehementer quis conformatur cum voluntate divina et cum regula rationis sub quacumque hypothesi: et haec honesta amari possent vehementer etiam si nullum praesupponeretur peccatum.

532. 5. Dicunt: mundus debet esse sicut speculum in quo resplendeant et exerceantur omnia attributa divina, etiam iustitia punitiva, et patientia et clementia et passio et mors Dei in cruce; et sicut tabella picta, quae debet habere umbras; et sicut spectaculum variatum, in quo debent esse contrapositiones monstrosae; et sicut corpus naturale, in quo debent esse partes viles, ut haec omnia dicantur pulchra; iam vero in ordine morali umbrae et contrapositiones monstrosae et partes viles sunt peccata; *ergo* sine peccatis mundus non esset aliquid pulchrum, sed monstrosum.

Sed hae comparationes attribuunt Deo *malitiam* et *crudelitatem* insignem; nam sicuti et umbrae et contrapositiones monstrosae et partes viles intenduntur in exemplis adductis ut obtineatur pulchritudo, similiter Deus deberet intendere peccata ut haberetur pulchritudo mundi, quae sine peccatis obtineri non posset, et deberet intendere condemnationem multorum ut iustitia vindicativa exerceri posset: Deus non posset obtinere gloriam suam nisi per miserias horribiles et aeternas suarum creaturarum!

Item hae comparationes sunt *gratuitae:* si enim aliquis neget paritatem in his comparationibus, nemo posset eam probare. Secus deberemus dicere Deum esse *parvi ingenii,* qui non possit excogitare modos faciendi rem pulchram sine miseria horribili et aeterna suarum creaturarum, et sine offensionibus suae Maiestatis. Item hae comparationes sunt desumptae ex *ordine physico,* in quo nullum est peccatum, et transferuntur ad ordinem morum, in quibus illae contrapositiones et partes viles sunt *peccata contra Deum.*

Denique negata legitimitate harum comparationum, possemus dicere hunc mundum debere esse sicut *domus gubernata a Patrefamilias.* Et non est melior illa domus in qua pater familias debet constanter punire, et habere clementiam et patientiam erga uxorem et filios et famulos ob eorum malos mores, sed illa alia, in qua pater familias solum ostendit bonitatem et munificentiam et largitatem et pacem ob mores bonos membrorum familiae. Omnes in familia norunt rectitudinem incorruptibilem patris familias, et iustitiam, et severitatem, sed ille opus non habet eas virtutes exercere, quia bonus ordo servatur ab omnibus in domo.

6. Si autem quaeratur cur Deus elegerit hunc mundum in quo tot sunt mala et perditio tot hominum, responsio est data n.342-346.

ARTICULUS IV

QUAESTIONES ALIQUOT DE VOLUNTATE DIVINA

Nexus. Brevitatis causa attingemus obiter quasdam quaestiones quas non oportet ignorari circa perfectionem et indolem voluntatis divinae et circa ordinem quo respicit obiecta, aliud nempe ut formale et primarium, et alia ut obiecta secundaria [13].

533. 1. VOLUNTAS DIVINA EST INFINITA IN RATIONE VOLUNTATIS, quia voluntas divina, in quantum est voluntas, formaliter implicite est ipsa essentia divina; *atqui* haec est infinita; *ergo* et voluntas divina ut talis est infinita. Habet ergo omnem perfectionem possibilem in ratione voluntatis, ut est non agere caece sed ex illuminatione intellectus, omnia amare ob rationem excellentissimam, quae est ipsius bonitas, habere independentiam absolutam ab omni alio, ab aeterno velle quidquid vult, habere simplicitatem absolutam in actibus. Singillatim autem haec notentur.

2. VOLUNTAS DIVINA NON EST POTENTIA PHYSICA, SED ACTUS PURISSIMUS VOLENDI, IDENTIFICATUS FORMALITER IMPLICITE CUM IPSA ESSENTIA, UNDE EST VOLITIO SUBSISTENS, ut declaratum est agendo de intellectu (n.434).

534. 3. VOLUNTAS DIVINA EST SUMME SANCTA, quia nec peccare potest nec facere ut alius peccet (n.337), et aliunde vult et praecipit honesta fieri a creatura rationali.—Voluntas divina est etiam immutabilis moraliter; et est infinite beata, ut supra probatum est.

535. 4. DE VIRTUTIBUS DEI [14]. Deus habet formaliter et proprie unicam virtutem, quae est *caritas* erga se: nam actus amoris sui quasi specificatur ab honestate bonitatis suae. Haec tamen virtus analogice tantum convenit cum virtute caritatis creata. Reliquas autem virtutes non habet formaliter, quia hoc significaret esse in illo habitus et actus specificatos a multis honestatibus creatis, quod est absurdum. Terminative autem habet et exercet illas virtutes quae non implicant formaliter imperfectionem: sic habet benevolentiam et amicitiam cum creatura rationali, quia ei vult bona sine ullo lucro suo, licet non eam amat ut finem ultimum; habet benignitatem, mise-

---

[13] S. TH., 1 q.19 a.1.2; SUÁREZ, DM 30,16; URRÁB., 2,446-470; OM n.893-897.

[14] SUÁREZ, DM 30,16,60-70, et de *Deo Uno* 1.3 c.7; URRÁB., 2,527-646; VÁZQUEZ, *In 1* d.85-86; et *In 1-2* d.223; et *In 3* d.7; LA PUENTE, *Meditaciones* p.6 medit.6-13; HONTHEIM, *Theod.* p.668-673; OM n.898.

ricordiam, fidelitatem, iustitiam. Non tamen habet nisi eminenter eas virtutes quae implicant imperfectionem, ut sunt castitas, temperantia, obedientia, religio, fides, spes. Has autem virtutes vult exerceri a creatura rationali, quia amat ordinem in suis effectibus, et tales virtutes sunt necessariae ut debitus ordo servetur.

536. 5. DIVISIONES DIVINAE VOLUNTATIS [15]. Voluntas divina, licet sit actus simplicissimus, multipliciter dividitur secundum modum nostrum concipiendi iuxta diversa obiecta et modum tendendi.

Primo enim potest esse *libera et necessaria;* et haec potest esse necessaria absolute, ut cum se amat, vel hypothetice necessaria, ut cum vult ferre leges ex hypothesi creandi mundum.

Secundo, potest esse *actualis,* ut sunt decreta iam data, et *hypothetica,* ut sunt decreta quae enuntiantur sub conditione, ut: si *ponerem* Petrum in talibus conditionibus et *darem* ei gratiam, converteretur.

Tertio, potest esse voluntas *beneplaciti et signi;* beneplaciti est omnis voluntas realis, v.c. voluntas creandi mundum, puniendi, permittendi peccata. Voluntas signi est solum signum voluntatis divinae: ut sunt scriptura in qua significantur praecepta, consilia.

Quarto, potest esse *antecedens et consequens* [16]. *Antecedens* est voluntas quam Deus habet independenter ab omni creaturae actione et ab omni merito et demerito eius, ut est velle creare mundum, velle salutem omnium, velle ut omnes impleant praecepta. Voluntas *consequens* est illa quam Deus habet consequenter ad praevisionem absolutam nostrarum actionum et meritorum aut demeritorum, v.c. voluntas puniendi in inferno, dandi praemia in caelo; et etiam consequenter ad purificationem conditionis; v.c. si vult ponere Petrum in illis circumstantiis, in quibus praevidebat illum peccaturum, vult consequenter concurrere cum Petro ad peccatum [17].

---

[15] S.TH., 1 q.19 a.6.11.12; SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.8; URRÁB., 2,451-459; OM n.899-904.

[16] SUÁREZ, *De Deo* 1.3 c.8 n.6; RUIZ DE MONTOYA, *De voluntate Dei* d.19 s.2; URRÁB., 2,455; BILLUART, *De Deo* dissert.7 a.5.6; ALVAREZ, *De auxiliis* d.34 n.5.

[17] Cf. PESCH, *De Deo Uno* n.321. Frequenter thomistae dicunt voluntatem antecedentem esse eam quae terminatur ad res praecisis circumstantiis, et sic vult omnes homines salvos fieri. Voluntas autem consequens, pro ipsis, est ea quae terminatur ad res cum circumstantiis quae vel pendent vel non pendent ab homine. Ita Deus vult omnes homines salvos fieri praescindendo a pulchritudine mundi et ostensione divinae iustitiae; sed attendendo ad *pulchritudinem mundi et ad ostensionem iustitiae Dei,* ipse ex sua electione excludit aliquos a caelo, et praedeterminat ad actiones peccaminosas quoad entitatem physicam.

Quinto, voluntas Dei est *efficax et inefficax: efficax* est illa quae de facto coniungitur cum effectu, sive ex sola voluntate Dei sive ex cooperatione libera voluntatis creatae. *Inefficax* est illa quae non coniungitur cum effectu ex defectu cooperationis voluntatis creatae.

Sexto, voluntas divina dividitur in *absolutam* et *conditionatam. Absoluta* est ea quae non dependet ab ulla conditione ut est voluntas creandi mundum, et iuxta praedeterministas, voluntas qua Deus decernit actus bonos et actus malos hominis quoad materiale peccati, et voluntas dandi praedeterminationes. Voluntas *conditionata* est ea quae habet aliquam conditionem sive explicitam sive implicitam, et sive adimpleatur illa conditio sive non adimpleatur. Talis est voluntas ut omnes salventur, et adimpleant praecepta; et ipsa voluntas qua vult sanctos facere ea opera bona quae de facto faciunt: nam ita vult eos actus, ut paratus etiam sit non concurrere, si voluntas non operaretur, ut potest optime et expedite non operari.

Septimo, voluntas Dei potest esse *intentiva* et *permissiva.* Intentiva, si intendit effectum; permissiva, si non intendit effectum, vult tamen concurrere si alius determinet effectum.

537. 6. De obiecto quasi formali divinae voluntatis. Obiectum quasi formale divinae voluntatis est sola divina essentia, reliqua extra eam sunt obiectum materiale [18].

Et primo, sola essentia divina, ut est bonitas, est obiectum quasi formale et primarium divinae voluntatis: quia obiectum formale voluntatis est illud bonum quod est ratio sufficiens in ratione obiecti cur exsistat facultas aut actus, et quidem cum tali configuratione ad obiectum et cum tali specificatione; *atqui* nulla res extra Deum potest esse ratio sufficiens cur exsistat facultas aut actus volitivus divinus, et sit cum tali configuratione et specificatione; *ergo* nullum obiectum extra Deum potest esse obiectum quasi formale voluntatis et actus eius, sed sola essentia divina ut est bonitas (cf. n.441,A).

Secundo, reliqua autem extra Deum sunt obiectum pure materiale seu pure terminativum et secundarium voluntatis. Nam obiectum materiale et secundarium est quod non amatur propter se nec primo, sed propter aliud et secundario; *atqui* talia sunt reliqua obiecta extra essentiam divinam; *ergo* reliqua extra essentiam divinam sunt obiectum materiale et secundarium. *Minor:* supponunt enim iam amatam essentiam divinam, secus ab obiectis externis dependeret.

538. 7. De quibusdam obiectis materialibus. Deus amat per se omnia bona creata quae sunt veluti partes mundi et elementa; mala autem physica et poenalia Deus non amat per se, sed per accidens.

---

[18] S.Th., 1 q.44 a.4; 1 CG c.74; Suárez, *De Deo* l.3 c.6 n.3-5; Idem, DM 30,16,15-17; Urráb., 2,488-527; OM n.905-912; Garrigou-Lagr., *De Deo* p.396.

Mala autem culpae Deus non vult nec per se nec per accidens, sed solum permittit[19].

a) Deus vult per se omnia bona quibus mundus noster constat. Nam Deus vult mundum, illum intendendo; *ergo* evidenter vult *per se* omnia bona quibus mundus constat. (Non autem ea amat propter illa.)

b) Mala autem *physica* et *poenalia* Deus amat mere per accidens, si solum amat ut coniuncta cum ordine physico aut morali quem ipse per se intendit; iam vero ita accidit. Nam mala physica sunt coniuncta cum ordine causarum naturalium, et cum subordinatione aliarum virium ad alias, ut animalium ad hominem, et plantarum et bestiarum inferiorum ad bestias superiores; et mala poenalia necessaria sunt ad sarciendum et reparandum ordinem violatum libere ab sceleratis et obstinatis.

c) Deus mala culpae non vult nec per se nec per accidens, sed solum permittit, si Deus ea mala prohibet serio, non sublata potestate physica resistendi, eo quod non neget concursum male operanti; *atqui* haec omnia verificantur; *ergo* Deus mala culpae solum permittit.

Maior est clara, et *minor* constat; nam Deus per praecepta culpas prohibet; et non cohibet ea physice, quia obtulit concursum ad omnia, eo fine ut creatura libere faciat bene. *N. B.* Deus vult concurrere positive cum peccatore ad materiale, non ad formale peccati; sed solum ex determinatione peccatoris, quia Deus obtulit concursum generalem et indifferentem ad *omnia,* ut homo faceret bene cum libertate, et solus peccator determinavit hunc concursum ad peccatum.

539. 8. DIVINAE VOLUNTATIS NULLUM EST MOTIVUM AUT FINIS; SUNT TAMEN RATIONES OBIECTIVAE TUM SPECIFICATIVAE, TUM NON SPECIFICATIVAE ACTUS.

a) Divinae voluntatis nullum est *motivum,* secus moveretur ab aliquo. Neque habet finem: quia finis est vera causa; *ergo* si eius actus haberet finem, haberet causam ex qua dependeret. Ipse quidem Deus imponit rebus fines et proximos, et ultimum, qui est ipse; illae moventur ab ipso ad finem, sed actus Dei, quo fines vult, causam finalem non habet[20].

b) Sunt tamen rationes obiectivae quasi specificativae, et haec solummodo est eius essentia, ut iam probatum est.

c) Sunt etiam rationes obiectivae non specificativae[21]. Nam hae rationes obiectivae significant fines proximos ad quos rem aliquam ordinat, vel praesupposita, quibus positis, Deus aliquid vult. Sic Deus ordinat mineralia ad plantas, et plantae erunt ratio obiectiva cur velit mineralia. Sic etiam Deus, praesupposita corporis dispositione, vult infundere animam rationalem, et praesuppositis meritis, vult praemia, et praesuppositis peccatis, vult alicui infernum. Et ideo possumus dicere Deum creavisse mineralia propter plantas, et plantas propter animalia etc., et Deum dare praemia propter merita, et punitionem propter peccata; in quibus propositionibus verbum

[19] Volitio positiva alicuius obiecti est quae attingit ipsum obiectum prout est vere appetibile. Potest esse per se, si res est appetibilis ratione sui; per accidens, si res est appetibilis ratione alius boni cum quo coniungitur. Cf. OM n.912.

[20] SUÁREZ, *Opusc.* 4, Relectio de libertate divinae voluntatis, d.1 s.2 n.15. 21; IDEM, DM 23,9; URRÁB., 2, p.463-465.491; OM n.913-916.

[21] Cf. S.TH., 1 CG c.86.

"propter" non significat causam actus divini, sed finem proximum rei volitae, aut praesupposita proxima sub quibus res amatur [22].

540. 9. LICET DEUS OMNIA AMET PROPTER SE, TAMEN NON IMPEDITUR AMOR EIUS BENEVOLENTIAE: Nam amare cum amore benevolentiae est amare bonum alicui personae rationali, non quaerendo propriam utilitatem et lucrum, neque eam ordinando ad utilitatem alius, sed solum quaerendo lucrum et utilitatem rei amatae, non tamen sistendo in ea ut in fine ultimo; *atqui* Deus amat creaturas rationales volendo eis bonum, et non quaerendo sibi utilitatem aut lucrum, neque ordinando eas ad utilitatem alius, sed solum ad utilitatem et lucrum hominis, licet non sistat in eo ut in ultimo fine; *ergo* Deus habet amorem benevolentiae erga creaturas rationales. Immo erga eas habet amorem *amicitiae*. Nam amor amicitiae est amor benevolentiae erga personam rationalem, cum proposito ut illa persona cognoscat amorem liberalem, et velit rependere etiam amorem, non lucra aut utilitatem aliam; *atqui* Deus erga creaturas rationales habet talem amorem; *ergo* versus eas habet amorem amicitiae.

CAPUT IV

De potentia activa Dei

ARTICULUS I

DE REALITATE, PERFECTIONE ET INDOLE DIVINAE POTENTIAE

541. Nexus. Inter attributa positiva examinavimus hucusque ea quae habent operationem immanentem. Nunc examinaturi sumus illud attributum quod habet operationem vel effectum transeuntem extra se: et hoc attributum est potentia activa. Agemus ergo breviter in hoc capite de eius realitate, perfectione et quidditate [1].

542. 1. DEUS HABET POTENTIAM ACTIVAM. Hoc patet ex probatione exsistentiae Dei. Nam Deus habet potentiam activam, si fecit res mundi; *atqui* fecit res mundi; *ergo* habet

[22] Ex his propositionibus quae exprimunt res volitas a Deo: a) *Deus vult hoc propter illud;* b) *Deus vult hoc esse propter illud;* c) *Hoc est volitum a Deo propter illud volitum a Deo;* d) *Deus vult hoc quia vult illud,* sola quarta est neganda iuxta Caietanum in 1 q.19 a.5, sed fortasse etiam neganda est prima; verissima omnium est secunda.

[1] S.TH., 1 q.25 a.1-6; SUÁREZ, DM 30,17,1-37; IDEM, *De Deo* 1.3 c.9; URRÁB., 2,646-650: OM n.920.926.

potentiam activam. Et *minor* constat: res enim mundi sunt contingentes et productae, et res contingentes et productae postulant causam primam a qua productae sint per potentiam activam.

543. 2. POTENTIA DEI EST SIMPLICITER INFINITA, non solum in ratione entis, sed etiam in ratione potentiae. In ratione entis, quia realiter est ipsa essentia divina; et haec est infinita. In ratione potentiae productivae: quia potentia Dei, formaliter ut est potentia, formaliter implicite definitur in recto per essentiam Dei. Atqui essentia est infinita; ergo et potentia formaliter ut potentia productiva, est simpliciter infinita.

544. 3. HINC SEQUITUR DEUM ESSE OMNIPOTENTEM. Nam omnipotens est ille qui habet potentiam activam infinitam; *atqui* Deus habet potentiam activam infinitam; *ergo* Deus est omnipotens.

Vel aliter: ille est omnipotens qui potest producere omnia possibilia, quae intrinsece non dicant contradictionem; *atqui* hoc potest Deus; *ergo* Deus est omnipotens. *Minor:* si enim Deus non posset producere aliquid eorum, quae non dicant contradictionem, limitaretur ex se, et non ex parte rerum, siquidem res possunt esse in exsistentia sine ulla contradictione, ex hypothesi et ille non potest ea facere.

Obicies: Deus non habet potentiam infinitam, si possibilia non sunt infinita; *atqui* possibilia esse infinita nondum probatum est; *ergo* non probatum est Deum habere potentiam infinitam et esse omnipotentem.

Concedo mai. et nego min. Nam *primo,* si potentia Dei est simpliciter infinita, ut a priori constat, ea quae possunt fieri ab eo debent esse infinita saltem numero et specie, licet Deus non possit facere aliquid simpliciter infinitum, quod esset contradictorium: nam creatum, eo ipso quod est creatum, finitum est. *Secundo* possibilia sunt talia ex imitatione divinae essentiae; *atqui* divina essentia non potest exhauriri ullo numero determinato neque ullo gradu determinato perfectionis; *ergo* possibilia sunt infinita numero et specie. *Tertio* tandem in numero patet possibilitas infinitae multitudinis saltem in statu merae possibilitatis: nam videmus posito uno homine, posse dari alium hominem; *ergo* signum est posito quolibet homine, posse poni quemlibet alium, sine negatione prioris, et consequenter sine ulla contradictione.

545. 4. DE QUIDDITATE DIVINAE OMNIPOTENTIAE. Circa quidditatem divinae omnipotentiae penes explicitum, multae feruntur sententiae.

Prima sententia est thomistarum qui dicunt omnipotentiam con-

sistere formaliter explicite in intellectu, et in eius operatione speciali quae dicitur imperium intellectuale. Huius imperii intellectualis formula est: fac hoc, vel talis res exsistat, et non est ulla enuntiatio veritatis.

Secunda sententia tenet potentiam consistere in voluntate et in eius actu particulari, qui vocatur imperium volitivum in quantum iubet ut res sit. Sic URRÁBURU et alii.

Tertia sententia tenet consistere in complexu intellectus et voluntatis.

Quarta sententia distinguit intellectum, voluntatem et potentiam et ait in operibus ad extra intellectum divinum dirigere opera, voluntatem decernere eius exsistentiam, et potentiam activam exercere quod per voluntatem imperatum est. *Potentia* autem activa penes explicitum concipienda est ut distincta ab intellectu et voluntate, nempe, ut ipsa essentia divina, in quantum est ipsum esse per se subsistens, et in quantum continet actu omnem perfectionem possibilem, et in quantum est communicativa ad extra[2]. Ratio est quia principium agendi debet continere totam perfectionem effectus, non solum in repraesentatione, nec solum in amore, sed etiam in actu, saltem eminentiali; *atqui* neque intellectus neque voluntas sed sola essentia continet perfectionem omnium effectuum in actu; *ergo* sola essentia est principium agendi. Haec est sententia P. SUÁREZ, DURANDI et, ut videtur, etiam S. THOMAE, et est sat probabilis (OM n.936-946).

546. 5. DE ACTU SECUNDO SIVE DE ACTIONE POTENTIAE ACTIVAE DIVINAE. Actus secundus potentiae activae semper est actio formaliter productiva effectus. Et quaeritur in quo consistat illa actio productiva per quam omnipotentia producit res. De qua materia duplex est sententia.

Prima sententia est thomistarum, et dicunt illam actionem non esse modum distinctum a Deo et a termino, sed ex parte Dei esse intellectionem et volitionem creandi, quae est formaliter immanens et virtualiter transiens et ab aeterno. Et ratio est quia actio est perfectio agentis; *atqui* in Deo nulla est perfectio agentis, quae dici possit actio, nisi intellectio et volitio; *ergo* in his consistit formaliter actio ex parte Dei. Ex parte vero creaturae actio est relatio dependentiae resultans in creatura iam exsistente, quae relatio est prior natura creatura ut est actio, et posterior illa ut est relatio[3].

Secunda sententia est P. SUÁREZ, qui tenet actionem transeuntem divinam esse modum realiter distinctum a Deo et a creatura, sicuti est modus omnis actio productiva. Admittit haec sententia in Deo

[2] Affirmant potentiam divinam distingui penes explicitum ab intellectu et voluntate DURANDUS, SUÁREZ, DM 30,17,37-51; IDEM, *De Deo* 1.3 c.9 n.12; et DORLODOT, et DE BACKER, et ipse S. THOMAS, 1 q.25 a.1 ad 4. Negant vero distinctionem ab intellectu et voluntate, FERRARIENSIS, CAIETANUS, PALMIERI, VAN DER MEERSCH, *De Deo Uno et Trino* (Brugis 1917) n.620.622; et REMER et IO. A S.TH. et plerique ex schola thomista; cf. OM n.936-945.

[3] Sic S.THOMAS, 1 q.44 a.1 ad 1; et q.45 a.3 ad; et 1 CG c.45; et 2 CG c.8.9.10.18.23; et passim; ubi docet actionem active esse formaliter immanentem et virtualiter transeuntem; sed passive spectatam, esse relationem praedicamentalem resultantem in creatura iam producta; quae relatio tamen, spectata ut est actio, est prior quam creatura, sed spectata ut est relatio est posterior natura quam creatura: sic *De potentia* q.3 a.3 ad 6; URRÁB. distinguit, et ait actionem creativam esse formaliter immanentem et virtualiter transeuntem, *Cosmol.* p.215; actionem vero eductivam Dei esse modum realiter distinctum et a Deo et a creatura, ibid.

intellectionem et volitionem rei creandae et quidem ab aeterno; sed haec non sunt actiones creativae formaliter, sed actiones immanentes quae sunt principia actionis creativae transeuntis. Fundamentum autem doctrinae oppositae negatur quia non est verum actionem transeuntem esse perfectionem agentis[4].

ARTICULUS II

DE REALITATE CREATIONIS

Thesis 44. Mundus in prima sui molitione productus est per creationem a Deo.

547. S. TH., 1 q.44.45; SUÁREZ, DM 20.29,3,14; IDEM, *De opere sex dierum* l.1 c.1; URRÁB., *Cosmol.* 157-200; PINARD DE LA BOULLAYE, *Creation*: DTC; VAN DE WOESTYNE, *Cursus* 2,38-55; JOLIVET, *Aristote et la notion de creation*: RevScPhTh (1930) 5-50.209-233; IDEM, *Essai sur les rapports entre la pensée grecque et la pensée chrétienne* (Paris 1931); PREZIOSO, *De Aristotelis creationismo secundum S. Bonaventuram et S. Thomam* (Romae 1942); ROLFES, *Xenia thomist.* 1 (1925) 539-510; *OM* n.952-957.

548. Notiones. MUNDUS intelligitur totum id, quod est distinctum a Deo et ab unico ente necessario. Et cum loquimur de mundo materiali, affirmamus eum creari saltem quoad eius substratum seu materiam; nam formae materiales eductae sunt de potentia materiae, vel simul cum materia, si agatur de formis concreatis cum materia, vel postea per evolutionem et influxum causarum secundarum, si agitur de aliis formis materialibus post creationem.

PRODUCTUS EST: de hac re non disputatur, nam constat omnia contingentia producta esse; sed quaerimus de modo productionis, et dicimus esse per creationem ex nihilo.

549. PER CREATIONEM: Creationis possumus dare tres definitiones[5]. *Prima definitio est:* creatio est productio rei ex nihilo sui et ex nihilo subiecti. *Productio,* est actio causae efficientis. *Ex nihilo sui,* non significat rem creatam fieri ex nihilo tamquam ex materia ex qua constat, aut prius tempore praecessisse nihilum, et postea produci esse rei, neque significat exclusionem omnis omnino rei, etiam causae efficientis,

[4] Sic SUÁREZ, DM 20,4.5; 30,17,49; MOLINA, *In 1* q.45 a.3; ARRIAGA, *Physica* d.9 s.4 n.4; LOSSADA, *Phys.* tr.3 de.1 c.3 PINARD DE LA BOULLAYE. *Creation:* DTC c.2134, ponit actionem Dei in modo qui est in termino; OM n.946-951.

[5] De notione creationis, PINARD DE LA BOULLAYE, *Creation:* DTC 2135-2139; MASNOVO, *Da Guglielmo de Auvergne* (vel Guillelmus Parisiensis) *a S. Tommaso, II, L'origine delle cose* (Milano 1933) p.51-75; GISQUIÈRE, 2,170-189.

sed significat rem sine productione nihil esse, sive in tempore facta sit sive ab aeterno. *Et ex nihilo subiecti:* per hoc significatur non presupponi ullum subiectum circa quod versetur actio, sicut praesupponitur in actionibus eductivis, sed totam rei entitatem, quae est in re, produci.

Secunda definitio creationis: creatio est productio rei secundum totam eius substantiam et entitatem, ita ut nihil praesupponatur de eius entitate in eius productione, sicut praesupponitur aliquid de re producta in actionibus eductivis: in iis enim praesupponitur subiectum quod sit transmutandum per actionem.

Tertia definitio: creatio est productio rei vel entis in quantum est ens; non tamen in quantum est ens simpliciter, secus et ipse Deus posset creari, sed secundum quod est contingens, vel secundum quod est in creatura.

Ex his notionibus patet quomodo creatio *differat ab eductione:* nam in eductione praesupponitur aliquod subiectum, ex cuius potentia educatur forma; ideoque non producitur res tota secundum totam substantiam, et non producitur ens in quantum ens, sed solum secundum quod est tale vel tale ens.

550. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum mundus tam corporeus quam spirituum, qui sint distincti a Deo, sint producti per creationem ex nihilo, an alio modo.

Et adverte nos non quaerere hic utrum fuerit creatus in tempore an ab aeterno, et utrum status, quem nunc mundus habet, possit explicari per evolutionem; quidquid teneatur de his, solum quaerimus utrum mundus originem habuerit per creationem ex nihilo.

551. Sententiae. *Prima* sententia negat creationem ex nihilo. Sic PLATO et ARISTOTELES dicunt materiam esse increatam, et ex illa eductas esse omnes formas materiales, sive substantiales sive accidentales. Pantheistae evolutionistae dicunt mundum non esse nisi modos Dei, et originem habere per evolutionem substantiae divinae.

Secunda sententia est ROSMINII, qui docet productionem rerum factam esse a Deo per abstractionem, qua Deus concipit esse abstractum a Verbo divino; et per imaginationem, qua concipit multos terminos limitatos illius entis, et per synthesim, per quam concipit coniunctim illud esse abstractum, et terminos limitatos, qui ponuntur extra nihilum.

Nostra sententia est scholasticorum, qui docent mundum

factum esse per creationem ex nihilo. Haec doctrina est certissima in philosophia et de fide in theologia [6].

552. Probatur thesis.

Prob. 1. (Ex eo, quod omnia extra Deum facta sint.) Deus produxit per veram effectionem omnes res contingentes quae sunt in mundo; *atqui* eas non produxit ex praeiacente subiecto aliquo increato: *ergo* eas Deus produxit per effectionem sine ullo praesupposito subiecto (quae effectio est creatio ex nihilo).

Maior patet ex probatione exsistentiae Dei; nam res contingentes postulant ens necessarium et causam primam a qua producantur.

Minor: non fecit ea ex praeiacente subiecto increato. *Primo,* quia multae res non habent ullum substratum seu subiectum ex quo fiant aut constent, sicuti est anima rationalis. Et *secundo,* quia si daretur substratum increatum rerum, essent plura increata, nempe, Deus et illud substratum.

553. *Prob. 2. (Paulo aliter ex unicitate Dei.)* Ens increatum est absolute unicum; *ergo* reliqua praeter illud unicum ens increatum, sunt facta per creationem ex nihilo ab unico ente increato. Consequentia declaratur: si enim praesupponatur aliquod substratum non factum, essent plura entia increata, nempe Deus simplicissimus et distinctus ab hoc mundo, et illud substratum mundi.

Scholium. Et hoc argumentum valet sive dicantur omnia facta esse in tempore, sive dicantur facta esse ab aeterno; nam in omni hypothesi ens increatum est essentialiter unicum, ideoque omnia praeter illud unicum increatum facta sunt ab illo, secundum totam eorum entitatem.

554. Obiectiones. 1. Ex nihilo, nihil fit; *atqui* creatio est ex nihilo; *ergo* creatio repugnat.

Dist. mai.: ex nihilo non fit aliquid tamquam ex materia ex qua, *conc.;* tamquam ex termino a quo, *nego; et contradist. min.*

2. Ante mundi creationem fuit immensum chaos, ut apparet ex scriptoribus ecclesiasticis; *atqui* chaos non est nihilum; *ergo* mundus non factus est ex nihilo.

Dist. mai.: ante mundi distinctionem et ornatum, *conc.;* ante creationem, *nego; et concessa min., dist. pariter cons.:* si ante mundi

---

[6] Creationem ex nihilo saepe definivit Ecclesia: *Later. IV:* DB 428; *Florentino* n.706; *Vatic.* 1783.1805: in quo ultimo numero sic ait: *Si quis non confiteatur mundum resque omnes quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas, A. S.*

ornatum praecessit chaos, *nego;* si ante ipsam creationem praecessit chaos, *conc.*

3. Illud repugnare dicendum est, cuius nullam ideam possumus habere; *atqui* de creatione nullam ideam efformare possumus; *ergo* creatio repugnat. *Minor:* quia non concipimus nisi ea quae experimur; *atqui* solum experimur eductiones; *ergo* de creatione nullam ideam habere possumus.

Dist. mai.: si non possumus habere ideam ullam neque analogicam quia termini sunt incompossibiles, *conc.;* si nullam habemus ideam propriam ex propriis aut quidditativam, *nego. Et contradist. min.:* Habemus ideam actionis et totalitatis entis, et subiecti, et per has ideas efformamus hanc aliam: actio productiva totius entis sine ullo subiecto praesupposito. Et efformata hac idea, restabat probare eius realitatem: et haec efficaciter demonstrata est.

4. Fieri rei est ante factum esse termini; *atqui* si fieri est ante factum esse termini, praesupponit subiectum in quo recipiatur; *ergo* fieri seu actio omnis postulat subiectum, ideoque non est creatio. *Minor:* quia secus actio non esset neque in termino neque in subiecto distincto a termino formali, sed in se ipsa.

Dist. mai.: fieri rei successivae, *conc.;* instantaneae, *subdist.;* duratione, *nego;* natura, *conc.; et contradist. min.:* si praecedit terminum duratione, *conc.;* si solum natura *nego. Ad prob., nego suppositum:* "in illo priori" significare aliquod instans in quo actio non fuerit cum termino. Semper fuit cum termino, sed ei adhaerens, et eum impellens ad esse, ut quo, non ut quod. Etiam potest dici "in illo priori" actionem fuisse quasi in se, solummodo ad significandum non egere subiecto inhaesionis, quod praecedat necessario actionem, sed solum termino cui adhaereat.

5. Omnis actio est mutatio; *atqui* mutatio supponit subiectum; *ergo* omnis actio praesupponit subiectum ex quo res fiat. *Maior:* quia actio est formalis transitus de uno statu in alium; *atqui* transitus de uno statu in alium est mutatio; *ergo* omnis actio est mutatio.

Dist. mai.: actio eductiva, *conc.;* creativa, *subdist.;* improprie dicta mutatio, *conc.;* proprie dicta, *nego; et contradist. min. Ad prob. dist. mai.:* si est eductiva, *conc.;* si est creativa, *nego;* nam creatio est transitus, non de uno statu in alium, sed de non esse ad esse.

6. Omnis actio est transitus de potentia in actum; *atqui* potentia est aliquod subiectum reale; *ergo* omnis actio praesupponit subiectum reale.

Dist. mai.: saltem de potentia obiectiva ad actum, *conc.;* de potentia subiectiva, *subdist.;* si est actio eductiva, *conc.;* si est actio *creativa, nego; et contradist. min.:* potentia obiectiva est aliquid reale seu actuale, *nego;* subiectiva, *conc.*

7. Infinita distantia transiri non potest; *atqui* inter nihilum et ens datur infinita distantia; *ergo* non potest dari transitus de nihilo ad ens per ullam actionem.

Trans. mai.; et nego min.; inter nihilum et ens non datur alia distantia nisi realitas entis quod faciendum est, et hoc est finitum.

ARTICULUS III

De auctore connaturali creationis

Thesis 45. Solus Deus potest creare ut causa principalis.

555. Status quaestionis. Iam scimus Deum creasse omnia de nihilo, saltem mediate, quia ipse est causa omnium causarum. Etiam FIDE constat Deum immediate et solum creasse omnia, ita ut nulla creatura creaverit de facto rem vel minimam. Et quaeritur utrum etiam ratione constet solum Deum creasse omnia, quod constare non potest, nisi demonstrando nullam creaturam posse, ut causam principalem seu proportionatam suo effectui, creare quippiam.

Et patet nullam creaturam posse creare omnia quae exsistunt vel exsistere possunt per creationem; nam in hoc casu crearet et seipsam, quod est absurdum. Sed quaeritur utrum aliqua creatura possit creare rem vel minimam.

556. Sententia. *Prima* sententia est theoria intermediatorum: iuxta quam Deus creavit mentem, mens creavit animam mundi, anima mundi creavit materiam et omnes formas inferiores: sic PLOTINUS et AVICENNA: ut patet haec sententia est contra fidem.

Secunda sententia est aliquorum catholicorum, qui dicunt creaturam, ut causam principalem, posse creare aliquid, et eam causam ARRIAGA dicit posse esse naturalem; et DURANDUS dicit posse esse saltem supernaturalem, sicut habitus gratiae est habitus connaturaliter productivus actuum supernaturalium [7].

Tertia sententia est P. Suárez, qui dicit nullam creaturam posse creare aliquid: hoc vero constare solum argumento desumpto ex facto a fide subministrato, scilicet, quod nulla creatura creaverit aliquid.

Nostra sententia tenet nullam creaturam posse creare aliquid ut causam principalem, et hoc certo ex ratione constare. Haec est communis scholasticorum [8].

---

[7] Frohschammer putavit parentes posse esse causas connaturales ad creandas animas filiorum, ap. GISQUIÈRE, 2,196.

[8] S.TH., 1 q.45 a.5; 2 CG c.21; *De pot.* q.3 a 1; URRÁB., 2,689-703; SUÁREZ discutit argumenta classica, DM 20,2; OM n.958-969.

557. Probatur thesis.

Prob. 1. (Ex obiecto formali creationis.) Obiectum formale creationis cuiuslibet, licet minimae, est ens creabile seu contingens ut tale; *atqui* nulla creatura potest habere pro obiecto formali suae activitatis, ens creabile seu contingens ut tale; *ergo* nulla creatura potest creare.

Maior: nam obiectum formale alicuius activitatis est illud quod de novo fit, seu quod opponitur termino a quo; *atqui* terminus a quo in creatione est nihilum actuale entis creabilis seu contigentis ut talis, non vero nihilum actuale entis creabilis talis generis vel speciei; *ergo* obiectum formale virtutis creativae et creationis est ens creabile aut contingens ut tale, et non ens creabile vel contingens alicuius determinati gradus vel speciei. Et explicatur *haec minor:* si enim terminus a quo in creatione posset esse ens creabile aut contingens determinati generis aut speciei, v.c. nihilum columbae in creatione columbae, hoc nihilum actuale columbae posset esse lutum, aut leo, aut asinus; et tunc iam columba non crearetur, sed educeretur ex luto aut ex leone, contra hypothesim factam, nempe quod per creationem producitur.

Minor principalis: quia vis quae habet pro obiecto formali suae activitatis aliquam rationem communem, potest attingere omnia quae sub illa ratione communi clauduntur; *atqui* sub ratione communi entis creabilis seu exsistentis per creationem, clauditur ipsa causa creata creans et omnia superiora se; *ergo* illa causa creata creans posset creare se, et omnia superiora se.

558. *Dices.* Creatura creans attingeret ens contingens ut tale mere specificative, et solum determinatum genus reduplicative; sicut etiam equus generans equum attingit rationem viventis solum specificative, et rationem equi propagandi, reduplicative; et in hoc casu iam non sequeretur quod posset creare se aut superiora se, sed solum illam speciem rerum ad quam tendit reduplicative.

Resp. Nego antec. In creatione necessario semper attingitur reduplicative ratio contingentis in quantum tale; quia si est creatio, habet formaliter pro termino a quo nihilum, non unius aut alius speciei, sed totale; *ergo* terminus ad quem formaliter tenditur est ens contingens ut tale.

Ad probationem, nego paritatem cum generatione. Nam cum equus generat equum, illa actio non desinit esse generatio seu eductio, licet attingat rationem viventis solum specificative, et rationem equi propagandi reduplicative; sed in creatione v. c. columbae, actio creativa desinit esse creativa si attingit reduplicative solam rationem columbae; quia si attingit reduplicative solam columbam, tunc illa actio solum exigit ut terminus a quo sit non columba; non co-

lumba autem potest esse lutum aut leo, et sic illa productio iam non esset creatio ex nihilo, sed eductio ex praesupposito subiecto.

559. *Prob.* 2. (*Ex nullitate potentiae ex qua.*) Virtus creativa est simpliciter infinita, ideoque propria solius Dei. Et *probant antec.:* nam ad producendum aliquid de aliqua potentia requiritur virtus quaedam; et ad producendum de remotiore potentia, maior virtus, ergo ad producendum de nulla potentia, ut accidit in creatione, requiritur virtus infinita.

560. *Prob. 3.* (*Ex distantia infinita inter ens et non ens.*) In creatione debet vinci distantia infinita quae est inter ens et non ens; *atqui* nulla virtus finita potest vincere distantiam infinitam, *ergo* nulla virtus finita potest creare.

561. *Prob. 4. (Ex facto fidei quod nulla creatura creaverit aliquid).* De facto nulla creatura creavit aliquid vel minimum, ut docet fides, ergo nulla creatura facta potest creare: si enim posset creare, inverosimile esset impeditam esse a sua operatione naturali a Deo. Ratio autem cur non possit creare, non est gradus inferior entitatis illarum creaturarum: nam exsistunt factae a Deo substantiae omnis ordinis et gradus perfectionis: *ergo* ratio cur non possit creare est quia ad rationem creaturae pertinet ut creare non possit.

N. B. De argumentis 2 et 3, et 4 nonnulli dubitant. Cf. discussionem et obiectiones in OM, n.964-965.

ARTICULUS IV

QUAESTIONES RELIQUAE DE CREATIONE

562. Nexus. Post tractatas quaestiones fundamentales de creatione quaedam alia restant investiganda circa causam creativam, circa durationem termini creati et circa indolem rei creatae, quae omnia sequentibus paragraphis brevissime exponemus.

563. 1. UTRUM SIT POSSIBILE INSTRUMENTUM SUPERNATURALE CREATIONIS. Planum est non dari instrumentum connaturale creationis, quia tale instrumentum dicit proportionem cum aliquo aspectu effectus, quod hic accidere non potest, ut supra demonstratum est. Sed quaeritur utrum saltem supernaturaliter creatura aliqua possit esse instrumentum creationis.

Circa hanc materiam duplex est *sententia. Prima* est thomistarum[9], qui dicunt esse impossibile instrumentum supernaturale creationis: nam causa creans etiam instrumentaliter, tenderet ad ens contingens qua contingens; ergo posset esse instrumentum ad creandum quidlibet contingens, ideoque ad creandum seipsum, quod est absurdum.

[9] Sic S.TH., 1 q.45 a.5; *De pot.* q.3 a.4; 2 CG c.21; S.ALBERTUS M, SCOTUS, MOLINA, HONTHEIM, URRÁBURU, 2,705-707.

Secunda sententia est P. Suárez [10], qui dicit esse possibile instrumentum supernaturale creationis. Unica enim contradictio esset quod instrumentum tenderet ad ens contingens ut tale, ideoque posset creare omne contingens, ideoque et seipsum. Ad quod respondet P. Suárez dicens instrumentum creationis non tendere ad ens contingens ut tale reduplicative, sed solum specificative, quia instrumentum supernaturale non specificatur ab obiecto ullo formali, sed solum creat illud ad quod causa principalis applicat.

Et hoc argumentum roboratur ex doctrina quam docent thomistae, quando probant praedeterminationem physicam. Nam dicunt: omnis causa tendit ad exsistens ut exsistens; *atqui* nulla causa creata potest tendere ad exsistens ut tale, tanquam causa principalis, quia secus posset producere seipsam; *ergo* causa naturalis solum potest tendere ad esse ut causa instrumentalis, et sub ratione minus universali quam causa principalis. Ergo nos pariter possumus dicere quod licet causa principalis in creatione attingat effectum sub ratione contingentis ut talis, instrumentum supernaturale potest attingere eandem rationem contingentiae, non reduplicative ut obiectum a quo specificetur, sed sub ratione minus universali, prout libere applicatur a principali.

Haec doctrina thomistarum probat evidentissime ad hominem, nullam esse contradictionem in instrumento supernaturali creationis; et consequenter neganda non est Deo potentia creandi per instrumentum supernaturale.

564. 2. UTRUM CREATIO SIT NECESSARIO AB AETERNO. Circa hanc materiam sunt duae sententiae: *prima* sententia est AVICENNAE et PLOTINI, qui dicunt creationem esse necessario ab aeterno, eo quod Deus necessario creat. *Secunda* sententia est scholasticorum, qui dicunt non necessario esse ab aeterno [11]. Hanc et nos tenemus ut certissimam in philosophia et ut de fide in theologia [12], in qua docemur de facto creationem fuisse in tempore et non ab aeterno.

Et probatur: quia necessitas creationis ab aeterno, peteretur aut ex parte Dei, qui non haberet libertatem differendi illam in tempus, aut ex parte creaturae, quae necessario deberet esse ab aeterno; *atqui* necessitas ex neutro capite provenit; *ergo* nulla est necessitas creationis ab aeterno. Et *minor* patet: nam et Deus est liber ad extra et creatura est contingens, nullam necessitatem habens exsistendi neque ab aeterno neque in tempore.

---

[10] Sic PETRUS LOMBARDUS, *De Benedictis;* LOSSADA, *Phys.* tr.3 d.1 c.3 n.4ss; SUÁREZ, DM 20,3; ipse S.THOMAS, in 2 d.1 q.1 a.3 c et ad 2; in 4 d.5 q.1 a.3 sol.3 ad 4.5; OM n.966-971

[11] S.TH., 1 q.46 a.1; 2 CG c.31-38; IDEM, *De pot.* q.3 a.17; SUÁREZ, DM 20,5,6-10; IDEM, *De opere sex dierum* l.1 c.2 n.4-9; URRÁB., *Cosmol.* p.250-263; PALMIERI. *De Deo creante*, th.14 1 parte; et *Cosmol.* th.31; BENEDICTUS PERERIUS, *De communibus omnium rerum naturalium principiis* l.15 c.1-10; OM n.972-975.

[12] Hoc declaravit Ecclesia contra Albigenses, *Later. IV:* DB n.428; et *Vatic.* n.1783; et cf. PESCH, *De Deo* n.64-66.

565. 3. UTRUM CREATIO AB AETERNO SIT POSSIBILIS. Circa hoc problema triplex est sententia praecipua: *prima* est S. THOMAE, VÁZQUEZ aliorumque, qui tenent creationem esse possibilem ab aeterno sive agatur de rebus in motu, sive in quiete. Hoc enim non repugnat ex parte Dei quia ab aeterno habet potentiam; neque ex parte rei creatae, quia haec esset causata, licet esset ab aeterno; neque ex parte actionis, quia haec esset ex nihilo, etiamsi nihilum non precederet duratione, sed solum natura, in hoc sensu, quod si sibi relinqueretur, creatura nihil esset [13].

Secunda sententia docet esse possibilem creationem ab aeterno si agatur de rebus permanentibus, quae serventur immobiles, non vero si agatur de rebus sucessivis aut in motu: sic DURANDUS, SUÁREZ, IOANNES A S. THOMA, alii [14].

Tertia denique ait esse impossibilem omnem creationem ab aeterno. Sic S. BONAVENTURA, plurimi patres apud PETAVIUM, TOLETUS, VALENTIA, TANNER, PALMIERI, BILLOT, alii [15]. Haec sententia videtur multis certa (F. n.977-981).

566. 4. UTRUM DEUS POSSIT PRODUCERE ALIQUOD ENS QUOD SIT SIMPLICITER INFINITUM. Responsio unanimis scholasticorum est hoc esse impossibile (n.366).

5. UTRUM DEUS POSSIT PRODUCERE ALIQUID QUOD SIT INFINITUM IN UNA AUT ALIA PERFECTIONE SIMPLICITER SIMPLICI, v. c. in sapientia. Respondetur negative: quia in illa perfectione superaretur a Deo, siquidem solum analogice conveniret cum perfectione divina, ideoque non esset infinita.

567. 6. UTRUM DEUS POSSIT PRODUCERE ALIQUOD INFINITUM SECUNDUM QUID in linea quidditativa *specifica* aut *generica*, v.c. angelum, infinite perfectum solum in ratione angelitatis. Dupplex est sententia. *Thomistae* affirmant de facto angelos, unumquemque in sua specie, esse infinitos quidditative, quia cum sint unici in sua specie, continent omnem perfectionem illius speciei. SUÁREZ dicit hoc esse impossibile. *Primo* quia non est verum angelos esse immultiplicabiles in

---

[13] Sic S.TH., 1 q.46 a.2; *De pot.* q.3 a.14; *Opusc. De aeternitate mundi contra murmurantes,* et alibi passim; nominalistae GREGORIUS, OCKAM et GABRIEL, VÁZQUEZ, MOLINA, MENDIVE, et plerique ex schola thomistica.

[14] Sic DURANDUS, DOM. SOTUS, MOLINA, IOAN A S.TH., SUÁREZ, DM 20,6; IDEM, *De opere sex dierum* 1.1 c.2: URRÁB., *Cosmol.* p.277-291.

[15] Sic S.ALBERTUS MAGNUS, S.BONAVENTURA, GULIELMUS PARISIENSIS, Patres Ecclesiae communiter, ut videre est ap. P. PETAVIUM, *De Theologicis dogmatibus, De Deo* 1.3 c.6; PIUS A MONDREGANES, *De impossibilitate aeternae mundi creationis ad mentem S. Bonaventurae,* in Collectanea Franciscana (1935) 529-570; VAN HOONACKER, *De rerum creatione ex nihilo* (Lovanii 1886); DE SAN, PALMIERI, TOLETUS, CARBONELLE, *Les confins de la science et de la Foi* II p.292; PINARD DE LA BOULLAYE, *creation:* DTC 2175: OM n.977-981.

sua specie; *secundo,* quia angelus, sicut quaelibet creatura, est potentialis; *ergo* non habet essentiam plene actuatam, sed haec semper est ulterius actuabilis; *ergo* non habet in suo ordine totam realitatem possibilem, ideoque non est in suo ordine infinitus quidditative [16].

568. 7. UTRUM DEUS POSSIT FACERE ALIQUOD CATEGOREMATICE INFINITUM IN MULTITUDINE AUT EXTENSIONE: Duplex est sententia. Affirmant TOLETUS, VÁZQUEZ; negant SUÁREZ, MOLINA. S. THOMAS in fine "De Aeternitate mundi" affirmat non probari repugnantiam, licet saepe alias dicit repugnare (OM n.930).

569. 8. UTRUM DEUS POSSIT FACERE OPTIMUM POSSIBILE Responsio sat communis est negativa, contra LEIBNIZ, RUIZ DE MONTOYA et alios optimistas. Ratio negationis est quia omne possibile non est tale nisi per imitationem divinae essentiae; *atqui* divina essentia non potest exhauriri ullo gradu determinato perfectionis finito; *ergo* semper est ulterius imitabilis a terminis melioribus sine fine; ergo est impossibile aliquid optimum ultra quod non sit melius possibile.

570. 9. DE INDOLE REI CREABILIS ET ANNIHILABILIS. *Res subsistens,* ut angelus, materia prima et anima humana creantur de nihilo, quia illae producuntur ex nihilo sui et ex nihilo subiecti, siquidem a subiecto non dependent. Res vero *non subsistentes,* ut sunt *formae accidentales et substantiales materiales,* producuntur connaturaliter per eductionem ex praesupposito subiecto, ideoque non per creationem. Sed tamen hae formae et accidentia possunt creari miraculose, quia possunt produci separatae a subiecto et tunc fierent per actionem quae esset productio sui ex nihilo sui et ex nihilo subiecti ut patet; et de facto hoc videmus in quantitate eucharistica, quae prius producta est per eductionem ex materia, et post consecrationem conservatur per actionem creativam seu independentem a subiecto.

Simile quid dicendum est de rebus quae annihilari possunt. Est evidens Deum posse annihilare res, sicut potuit eas producere de nihilo, licet de facto non faciet. Et quidem possunt annihilari *res subsistentes,* ut sunt materia prima et puri spiritus, et anima rationalis. Illae enim interirent, non permanente ulla particula sui neque subiecto in cuius potentia passiva

[16] Refutatio hujus infinitatis, bene ap. SUÁREZ DM 35,3,23-32; S. CUESTA, *Ontología* (Santander 1948) 300.

continerentur. Res vero *non subsistentes,* ut formae accidentales et formae substantiales materiales non possunt connaturaliter annihilari directe: nam cum intereunt, manet subiectum ex cuius potentia educi possunt. Indirecte tamen annihilari possent, annihilato subiecto. Supernaturaliter vero annihilari possent: v.c. si quantitas eucharistica conservetur separata a substantia panis et vini, et postmodum Deus retrahat concursum conservativum: sicut enim antea supernaturaliter conservabatur, sic nunc supernaturaliter annihilatur.

ARTICULUS V

DE SECUNDA ACTIONE DEI AD EXTRA, QUAE EST CONSERVATIO

Thesis 46. Deus conservat omnes res extra ipsum positive, directe et immediate.

571. PINARD DE LA BOULLAY, *Conservation*: DTC 1195; S. TH., 1 q.104 a.1-4; SUÁREZ, DM 21,1; URRÁB., 2,707-717; *OM* n.985-991.

572. Notiones. CONSERVATIO passive spectata est permanentia rei in esse dependenter ab aliqua causa; et *active* spectata est illa actio per quam res permanet in esse.

Conservatio activa potest esse *negativa* et *positiva.* Negativa est non destruere rem quam quis poterat destruere. Positiva, est actio quae facit rem permanere in esse.

Positiva potest esse *directa* et *indirecta.* Directa est quae terminatur ad ipsum esse rei quae permanet in esse; indirecta est quae removet impedimenta ne res pereant, ut sal conservat carnes removendo vermes.

Directa potest esse *mediata* et *immediata.* Mediata terminatur ad esse causae quae conservet rem; immediata terminatur ad ipsam rem quae permanet in esse.

Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum Deus conservet omnia extra ipsum, et quidem positive, directe et immediate.

Sententiae. *Prima* sententia tenet conservari a Deo positive, directe et immediate omnes res subsistentes, quae per creationem productae sunt: formas autem accidentales et substantiales materiales, conservari a causis secundis vel ab ipsis subiectis: sic Iglesias [17].

[17] E. IGLESIAS, *De Deo in operatione naturae et voluntatis operante* (Mexici 1946).

Nostra sententia tenet Deum omnia conservare positive, directe et immediate[18], licet aliquando possint concurrere cum Deo causae secundae, v.c. in conservatione actuum immanentium intelligendi, volendi, sentiendi, qui, dum durant, conservantur et a Deo et a causa immanente. Haec thesis est certa in philosophia; de fide autem est saltem conservari a Deo immediate res subsistentes, quae per creationem productae sunt.

573. Probatur thesis.

Prob. 1. (*Generatim de omnibus rebus, ex notione contingentis*). Omne contingens indiget conservari ab alio positive, directe et immediate; *atqui* ille alius est Deus, saltem etiam; *ergo* omne contingens conservatur a Deo positive, directe et immediate.

Maior: quia contingens est contingens singulis instantibus, ideoque ex sua essentia est indifferens ut exsistat vel non exsistat; *ergo* non habet ex sua essentia exsistentiam, ideoque non est aliquid ex se, et sibi relictum nihil esset; *ergo* si tamen in singulis instantibus est aliquid, non est sibi relictum, sed in singulis instantibus impellitur ad esse ab alio, et hoc est conservari positive, directe et immediate ab alio.

Minor (*ex modo quo tendit ad effectum causa conservans*). Nam causa conservans debet tendere ad conservandum ens contingens in quantum contingens (quia hic est titulus cur res indigeat conservari); *atqui* nulla causa creata potest tendere ad conservandum ens contingens qua contingens; *ergo* nulla causa creata potest conservare rem contingentem qua contingentem: si *ergo* aliqua causa concurrit ad conservandam rem, erit sub titulo particulari, v.c. quia est actus vitalis proprius, vel quia est eius actio specifica etc.

Minor autem haec iam supra declarata est (n.557-558). a) *Primo* quia obiectum formale alicuius activitatis debet distingui ab illa activitate, secus haec se haberet pro obiecto, seque posset efficere: iam vero si obiectum formale activitatis creatae esset contingens ut tale, illud obiectum non distingueretur ab activitate creata quia et ipsa contingens est; *ergo* non potest habere pro obiecto formali contingens ut tale. b) *Secundo,* (paulo aliter), quia si aliqua activitas

[18] S. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram* 1.5 c.20 n.40: "*si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intercidant*". IDEM, *Enarratio 18 in Ps. 118* n.3; S. ANSELMUS, *Monologico* c.13; "*dubium nonnisi irrationale menti esse potest quod cuncta quae facta sunt, eodem ipso sustinente vigent et perseverent in esse, quamdiu sunt, quo faciente de nihilo, habent esse quod sunt*"; S.TH., 1 q.104 a.1-4; SUÁREZ, DM 21,1; URRÁB., 2,707-717.

tendit ad terminum sub aliqua ratione formali, et praecise quia ibi continetur talis ratio formalis, poterit tendere ad omne illud in quo sit eadem ratio formalis; *ergo* si creatura haberet pro obiecto formali ens contingens ut tale, posset facere omne ens contingens, ideoque et se et omnia superiora se[19].

574. *Prob. 2. (Nominatim circa res subsistentes, ut sunt materia prima et spiritus).* Nam Deus potest annihilare[20] res subsistentes; *atqui* non potest annihilare eas per ullam actionem positivam; *ergo* per meram remotionem actionis conservativae; *ergo* conservat res omnes, quae non annihilantur de facto.

Maior patet. *a*) Quia Deus potest omne illud quod non implicat contradictionem; *atqui* nulla contradictio est in eo quod res contingens desinat exsistere, siquidem est indifferens ad exsistendum; *ergo* Deus potest facere ut res non exsistat. *b*) Item res est essentialiter dependens a Deo; *ergo* sicut eam extraxit de nihilo liberrime, eodem modo potest liberrime facere ut in nihilum redeat.

Minor: Nam actio positiva habet pro termino rem positivam, siquidem actio est id quo formaliter aliquid emanat a sua causa; *atqui* annihilatio non est aliqua res; *ergo* non potest esse terminus alicuius actionis positivae[21].

N. B. Formae accidentales et substantiales materiales non possunt connaturaliter annihilari immediate, sed solum mediate, substracto subiecto; et ideo hoc argumentum ad illas non potest applicari.

575. Scholia. *De conservantibus et de conservationis natura*[22].

1. Solus Deus conservat res subsistentes. Illae enim conservantur per actionem creativam, (siquidem illa actio non est ex praesupposito subiecto); *atqui* creatio est solius Dei; *ergo* res subsistentes a solo Deo conservantur. Illa tamen actio conservativa distinguitur a creativa secundum aliquam connotationem ad durationem anteriorem: creatio enim non connotat durationem anteriorem, et conservatio eam connotationem dicit.

2. Etiam Deus solus conservat eas formas non subsistentes, quarum causae cessaverunt agere v. c. domus constructa. Indigent enim conservari; *atqui* causae naturales non conservant; *ergo* a solo Deo conservantur.

3. Formae quae non exsistunt nisi influente causa secunda, ut sunt actus immanentes volendi et intelligendi, conservantur et a Deo et a creatura.

4. Actio conservativa iuxta thomistas est formaliter immanens (intellectio nempe et volitio divina), et virtualiter transiens. In conservatione formarum eductarum concedunt dari actionem modalem distinctam a Deo et a creatura; sed aiunt illam actionem pro Deo esse effectum, non actionem. Iuxta Suárez conservatio, sicut generatim omnis actio, est modus realiter distinctus ab agente et a ter-

[19] Cf. S.Th., 1 q.45 a.5; 1 CG c.21 n.3; 2 CG c.63; *De pot.* q.3 a.1; 1 q.8 a.1; 1 q.104 a.1; Suárez, DM 21,1,9.10.15; *De gratia* l.3 c.40 n.4-8; Regnon, *La metaphysique des causes* (Paris 1906) p.505-513; De Maria, *Phil. Peripat.* III p.347.

[20] S.Th., 1 q.104 a.5; 1 q.9 a.2; Urráb., 2,736-743.

[21] Discussionem horum argumentorum vide in OM n.988.990.

[22] Suárez, DM 21,2.3; Urráb., 2,724-733; OM n.992-993.

mino; et illa actio intermedia est pro ipso Deo actio, seu via ad effectum, non vero effectus seu terminus.

5. Conservatio identificatur cum actione productiva, si eaedem causae conservant quae produxerunt rem: nam actio specificatur et distinguitur ex agente et termino; sed in hac hypothesi agens et terminus sunt iidem; ergo et actio est eadem.

6. Tamen, etiam cum productio et conservatio identificantur realiter inter se, distinguuntur connotationibus extrinsecis: nam productio connotat rem prius non fuisse, et conservatio dicit rem prius iam fuisse.

7. Thesis alio modo efferri potest, dicendo omne ens contingens pendere essentialiter, directe et immediate a Deo ut a causa efficiente, sive praeterea dependeat non essentialiter ab alio ente sive a solo Deo.

576. Obiectiones. 1. Quod non potest corrumpi, non potest cessare ab esse, ideoque neque indiget conservatione; *atqui* formae subsistentes et materia prima non possunt corrumpi; *ergo* nequeunt cessare ab esse, ideoque non indigent conservatione [23].

Dist. mai.: non potest cessare ab esse per corruptionem, *conc.;* per annihilationem, *nego. Et concessa min., dist. pariter cons.*

2. Deus est potentior agente creato; *atqui* agens creatum potest producere res quae permaneant, licet non ea conservet; *ergo* a fortiori Deus poterit facere res quae permaneant in esse, liceat eas non ipse conservet.

Conc. mai.; conc. etiam min.; et nego consqt. ob disparitatem: nam effectus pendent a Deo quoad esse ipsum contingens quod habent, et a creatura pendent solummodo in fieri, seu dum fiunt, et nihil amplius.

3. Si res creatae indigerent conservari ne pereant, tenderent ad non esse; *atqui* nulla res potest tendere ad non esse, quia hoc non est bonum eius; *ergo* res non indigent conservari ut in esse perseverent.

Dist. mai.: tenderent positive ad non esse, *nego;* tenderent negative, in hoc sensu quod, si non conservarentur ab alio, perirent, *conc. Et contradist. min.*.

4. Quaelibet res potest retinere id quod accepit, donec auferatur ab ea; *atqui* Deus dedit unicuique rei eius esse; *ergo* illud retinebit donec ab ea auferatur positive,

Dist. mai.: si sit sufficiens illud retinere, *conc.;* si sit insufficiens illud retinere, *nego. Et concessa min., dist. pariter cons.*

5. Si Deus conservaret constanter creaturam per actionem positivam, vel faceret de novo eandem rem, vel aliud divesum a re; *atqui* utrumque est absurdum; *ergo* non conservat res. *Minor:* non facit de novo eandem rem, quia iam est facta; nec facit rem diversam, quia tunc per illam actionem non conservaret rem priorem, sed faceret aliud diversum.

Nego mai.: conservare enim rem neque est facere de novo rem, neque est facere rem diversam, sed est non interrumpi durationem eiusdem effectus producti, neque interrumpi actionem per quam durat.

6. Materia conservatur per formam, et forma materialis con-

[23] Carbone, *Circulus Philos.* vol.5 p.638-655; De Maria, p.349-353; *et* praesertim Urráb., 2,713-717.

servatur per materiam, et substantiae conservantur per sua accidentia propria sine quibus non potest esse, et proprietates conservantur per substantias a quibus dependent efficienter; *ergo* necesse non est omnia conservari immediate et directe a Deo, sed aliae res conservantur per alias.

Dist. mai.: et per hoc affirmatur causas secundas concurrere posse ad conservationem rerum in ordine causae materialis, aut formalis aut aliquando etiam efficientis, *conc.;* significat Deum non concurrere ad conservationem efficientem rerum, *nego.*

ARTICULUS VI

DE TERTIA ACTIONE DEI AD EXTRA, QUAE EST COOPERATIO SEU CONCURSUS SIMULTANEUS CUM CAUSIS SECUNDIS

Thesis 47. Deus concurrit physice et immediate cum creaturis ad omnes actiones et effectus earum ut causa superior cum inferiore et subordinata.

577. S. TH., 1 q.105 a.5; et 1-2 q.109 a.1; SUÁREZ, DM 22,1.2.5; MOLINA, *Concordia* d.25 ed. Paris 1876 p.147-178; URRÁB. 2,743-781; LOSSADA, *Phys.* tr.2, d.6 c.1 n.2; CAROLUS URBAIN, *De concursu divino scholastici quid senserint* (Parisiis 1894).

578. Notiones. CONCURSUS vel cooperatio Dei cum causa secunda ad agendum est influxus Dei operantis eundem effectum et eandem actionem quae procedunt etiam a creatura.

Additur PHYSICE, quia non mere moraliter influit per mandatum aut hortationem, sed per influxum potentiae activae.

IMMEDIATE, quia influxus in actionem et effectum creaturae non procedit solum a causa facta a Deo, sed ab ipsa potentia Dei.

SIMUL CUM CREATURIS: per hoc asseritur concursus simultaneus, qui terminetur immediate ad actionem et effectum creaturae, non vero ad causam, movendo illam et complendo eius virtutem. Non negamus nunc hunc concursum praevium, qui terminetur ad virtutem creatam, eam movendo et complendo, neque etiam affirmamus, quia de hac re agemus postea; sed solum agimus de illo concursu simultaneo, qui ab omnibus admittitur ut certus.

UT CAUSA SUPERIOR CUM INFERIORE, et non ut causa coaequalis. Nam causae coaequales, ut duo equi trahentes currum, nequeunt attingere eundem effectum et eandem actionem, sed una ex causis producit unam actionem et unam partem effectus, et alia causa aliam partem, licet apparenter est unus ef-

fectus unaque actio, quia in summam convergunt. Quando autem causae sunt subordinatae, tunc utraque attingit totum effectum totamque actionem; sed superior attingit illa sub ratione formali superiore seu universaliore, quae in sua extensione comprehendit etiam rationem inferiorem. In nostro casu causa superior, Deus, attingit actionem et effectum creaturae, in quantum haec sunt res contingentes; causa vero inferior attingit eadem quia habent aliquam rationem particularem contingentiae, v.c. quia est vivens propagandum sub eadem specie, vel quia est actus vitalis meus etc.

579. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum Deus cooperetur ad omnes actiones et effectus creaturarum, et quidem ut causa superior cum inferiore.

Sententiae. *Prima* sententia est DURANDI[24], qui tenet Deum concurrere mediate quia et creat et conservat omnes causas et vires naturales, sed negat concursum immediatum, quia res sine ullo concursu per se solae efficiunt suas actiones et effectus. Cui adstipulatur IGLESIAS, imo et S. THOMAS, iuxta interpretationem P Iglesias et Stufler[25].

Nostra sententia est communis scholasticorum cuiuscumque scholae, et tenet Deum concurrere physice et immediate ad omnes actiones et effectus creaturarum, et tenemus eam ut certam in philosophia[26].

580. Probatur thesis. I P. DEUS CONCURRIT PHYSICE ET IMMEDIATE CUM CREATURIS AD OMNES ACTIONES ET EFFECTUS EARUM.

Prob. 1. (*Ex thesi priore de conservatione.*) Omnis actio et effectus creaturae pendet positive, directe et immediate a Deo ut a causa efficiente; *atqui* hoc est Deum concurrere cum omnibus causis secundis ad omnes actiones et effectus earum; *ergo* Deus concurrit positive, directe et immediate ad omnes actiones et effectus creaturarum.

Maior, demonstrata est in thesi de conservatione (n.573-574); nam ibi demonstratum est omne ens contingens depen-

---

[24] *In 2* d.1 q.5 n.11ss.

[25] S.TH., 105 a.5; *De pot.* q.3 a.7; J. STUFLER, *Divi Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante* (Oeniponte 1923); E. IGLESIAS, *De Deo in operatione naturae et voluntatis operante* (México 1946); consentiunt HENRICUS GANDAVENSIS († 1293); NICOLAUS TRIVET († 1314) O. P.; AUREOLUS († 1322); DURANDUS († 1334); et cf. URBAIN, o. c.

[26] P. PESCH, *De Deo* n.69, ait cooperationem immediatam esse theologice certam; P. STUFLER contendit nullam censuram ecclesiasticam mereri negationem concursus immediati, o. c. 417, coll. initio, in quo commendat hanc negationem concursus immediati ad componendas lites thelogicas.

dere positive, directe et immediate a Deo ut a causa efficiente; iam vero actio et effectus sunt aliquod ens contingens; *ergo* pendent positive, directe et immediate a Deo.

Minor: quia concurrere est producere eandem actionem et effectum quem faciunt creaturae; *atqui* Deus producit eandem actionem et effectum creaturae; *ergo* concurrit cum ea.

581. *Prob. 2.* (*Ex potestate Dei impediendi omnem actionem creaturae*). Deus potest impedire quamlibet actionem creaturae non destruendo alias res, v.c. non destruendo potentiam agendi vel obiectum circa quod agere potest etc.; *atqui* hoc est impossibile, nisi Deus cooperetur cum actionibus creaturae; *ergo* cooperatur cum creaturis ad suas actiones.

Maior patet ex dominio absoluto Dei. Deus enim potest facere quidquid non implicat contradictionem; *atqui* non implicat contradictionem ut potentia operandi, etiam cum omnibus praerequisitis, non operetur; *ergo* Deus potest facere ut creatura non operetur actionem suam, etiam stantibus omnibus praerequisitis.

Minor: si enim non cooperatur positive ad actiones creaturarum, tunc manentibus et potentia apta ad effectum, et obiecto circa quod, et reliquis praerequisitis, non poterit cohiberi opus.

Dices. Per solam suam voluntatem potest Deus impedire ne creatura operetur, etiamsi non omittat ullam actionem positivam conservandi.

Resp. Nego assert.; quia vel illa volitio faciet aliquid extra se vel nihil; si nihil facit extra se, manebit potentia creata expedita ut operetur secundum suam naturam; et si facit aliquid extra se, vel illud erit destruere potentiam aut obiectum, aut praerequisita, aut mere substrahere concursum; si mere substrahit concursum, concedis thesim: nam hoc est concedere dari concursum ad operandum, qui possit substrahi. Si autem destruit potentiam aut praerequisita, iam non servatur hypothesis, nempe quod Deus potest impedire actionem quamcumque, non destructa alia re.

582. II P. UT CAUSA SUPERIOR CUM INFERIORE.

Tunc una causa concurrit cum alia ut superior cum inferiore, quando superior attingit totam actionem et effectum inferioris, et quidem sub ratione formali superiore seu magis universali, sub cuius extensione clauditur actio et effectus inferioris; *atqui* Deus ita concurrit cum creatura; *ergo* concurrit ut causa superior cum inferiore. Et *minor* declaratur: nam Deus attingit actionem et effectum sub ratione contin-

gentis qua talis, et creatura solum attingit suam actionem et effectum sub ratione contingentis particularis.

Si autem addamus creaturam pendere essentialiter a Deo quoad esse et conservari, multo magis apparet quomodo Deus concurrat ut superior cum inferiore.

583. Obiectiones. 1. Virtutes naturales sunt proportionatae suis effectibus; *atqui* si sunt proportionatae suis effectibus, non indigent cooperatione alius; *ergo* virtutes naturales non indigent cooperatione Dei[27].

Dist. mai.: proportionatae et independentes, *nego;* proportionatae et dependentes essentialiter in operando, *conc. Et contradist. min.*

Sicut entia sunt vere et complete entia, et tamen indigent conservatione ut sint, eo quod sint essentialiter dependentia in esse a Deo, similiter omnia agentia, sunt vera agentia et completa et proportionata agentia, et tamen indigent cooperatione simultanea, quia sunt essentialiter dependentia a Deo in operando.

2. Actio causae secundae iam facit totam actionem et totum effectum; *atqui* si causa secunda iam facit totam actionem et totum effectum, inutile et impossibile est fieri per aliam causam; *ergo* inutile et impossibile est Deum cooperari cum creaturis ad totam actionem et effectum earum.

Dist. mai.: totalitate actionis et effectus, *conc.;* totalitate causae, *nego. Et contradist. min.:* Si creatura facit ea totaliter totalitate effectus et causae, *conc.;* si totalitate effectus, sed non totalitate causae, *nego.* (Cf. n.584,2).

3. Actiones specificantur et distinguuntur ex causis; *atqui* Deus et creatura sunt diversae causae; *ergo* et actio Dei et creaturae sunt diversae.

Dist. mai.: Ex causis subordinatis, *nego;* ex causis non subordinatis, *conc. Et contradist. min.:* et sunt subordinatae, *conc.;* non subordinatae, *nego.*

4. Una actio est ab una natura; *atqui* Deus et creatura non sunt una natura; *ergo* neque habent unam actionem communem.

Dist. mai.: una actio est ab una natura cum exclusione alius naturae non subordinatae, *conc.;* cum exclusione causae subordinatae et plene subiectae, *nego; et concessa min., dist. pariter cons.:* si non sunt subordinatae, *conc.;* si sunt subordinatae, *nego.*

5. Si Deus concurrit ad omnes actiones creaturarum, etiam concurret ad actiones peccaminosas; *atqui* hoc est contra sanctitatem Dei; *ergo* Deus non concurrit ad omnes actiones creaturarum.

Dist. mai.: ad formale peccati, *nego;* ad materiale peccati, quod est actio positiva contra legem, *subdist.:* ex determinatione Dei, *nego;* ex sola determinatione creaturae, *conc. Et contradist. min.*

Deus offert concursum ad omnia; sed quod ille concursus applicetur ad talem actionem potius quam ad aliam, hoc determinatur a sola creatura, cooperante etiam Deo; nam ita determinare actionem non est nisi a creatura pendere denominationem vitalitatis et libertatis illius actionis, et non a Deo; quia Deus pro signo priori ad actionem, iam erat determinatus ad agendum quidquid creatura actura sit (n.619).

[27] SUÁREZ, DM 22,1,16-31; s.2 n.54; s.3 tota; URRÁB., 2,757-776: OM n.1000-1003.

ARTICULUS VII

DE NATURA CONCURSUS SIMULTANEI

584. 1. Deus concurrit cum causis secundis immediate immediatione suppositi et virtutis. Immediatione *suppositi,* quia suppositum divinum est praesens creaturae cum qua concurrit. Immediatione *virtutis,* quia Deus non operatur solum per virtutes creatas, sed etiam per suam omnipotentiam immediate[28].

2. Tam Deus quam creatura faciunt eundem effectum totum, totalitate effectus, sed non totalitate causae. *Totalitate* effectus, quia totus effectus procedit ab unaquaque causa; sed *non totalitate* causae, quia unaquaque causa non est tota et unica causa illius effectus.

3. Actio creaturae identificatur *cum actione externa Dei* (non vero cum actu interno intelligendi et volendi illam actionem). Si enim actio creaturae non identificatur cum actione Dei, tunc vel actio creaturae penderet ab actione Dei, vel non; si non penderet, aliquid esset in mundo quod non fieret a Deo, nempe actio creaturae. Si penderet ab actione Dei, daretur processus infinitus et tolleretur libertas. Daretur *processus infinitus;* ideo enim actio creaturae requireret aliam actionem, quia est contingens; atqui illa secunda actio qua fit prima est etiam contingens; ergo et illa indigebit alia actione, et ita indefinite. *Tolleretur libertas,* quia illa actio Dei, qua fieret actio creaturae, esset aliquod antecedens prius natura quam actio creaturae, independens ab ea, et inferens eam inevitabiliter, et tale antecedens tollit libertatem.

4. Actio Dei *non est prior actione creaturae* duratione, causalitate et natura, quia est eadem actio. Tamen haec actio prout est actio Dei potest dici prior actione creaturae nobilitate, amplitudine, necessitate: nobilitate, quia est a Deo; amplitudine, quia tendit ad effectum in quantum contingens, et non solum ob particularem rationem contingentiae; necessitate, quia actio prout est a Deo est magis necessaria quam actio creaturae ad effectum.

5. Unde etiam est verum actionem creaturae *non pendere ab actione Dei,* sed solum ab omnipotentia immediate: si enim penderet ab actione Dei, haec esset realiter distincta ab actione creaturae, quod visum est esse impossibile.

6. *Subiectum in quo* recipitur actio concursus, quae semper est eductiva, non creativa, non est ipsa virtus causae secundae, sed est passum in quo recipitur effectus.

7. Aliqui vocant causas secundas *vera instrumenta* Dei; quia creaturae vere attingunt ens contingens ut tale, vel exsistentiam ut talem; *atqui* nulla creatura est proportionata ut attingat ens ut ens aut exsistentiam ut exsistentiam; *ergo* creaturae solum attingunt haec ut vera instrumenta Dei. Alii e contra dicunt causas naturales *non esse instrumenta vera Dei,* sed solum secundum quandam ampliationem, sicut dicitur instrumentum alicuius quidquid agit cum subordinatione ad illum. Ad rationem allatam, respondet: creatura attingit ipsam rationem contingentis et exsistentiae, non tamen attin-

[28] Concursus non est creatio, ut volunt SERTILLANGES, DE CONINCK, DE FINANCE et VAN HOVE, et bene eos confutat GISQUIÈRE, 2,252.

git effectum *sub* ratione contingentis aut exsistentis ut talis, sed sub ratione contingentis et exsistentis particularis: totam entitatem attingit utraque causa, sed non *sub* eadem ratione.

8. Deus concurrit cum causis *materiali* et *formali* ad earum causalitates exercendas, non tamen materialiter aut formaliter, sed solum efficienter, producendo materiam et formam et unionem.

CAPUT V

De applicatione omnipotentiae divinae ad concurrendum simultanee cum creatura

ARTICULUS I

De praedeterminatione physica

Thesis 48. Praedeterminatio physica ex natura sua infrustrabilis non est admittenda ut Deus coniungat omnipotentiam suam cum creatura ad concurrendum cum ea.

585. Raoul de Scorraille, *Francisco Suárez* (Barcelona 1917) t.1 p.331-438; Antonio Astrain, *Historia de la Compañía de Jesús en España* 4 (Madrid 1913); Lange, *De gratia* (Frib. Bris. 1929) p.445-454; Marín Sola, O. P.: CiencTom 32.33 (1925.1926); Schwamm, *Magistri Joannis de Ripa O. F. M. doctrina de praescientia divina* (Romae 1930); Idem, *Robert Cowton O. F. M. Das göttliche Vorherwissen* (Innsbruck 1931); Idem, *Das götliche Vorherwissen b. Duns Scotus u. seinem ersten Anhänger* (Innsbruck 1934): ubi docet doctrinam de praedeterminatione physica esse priorem Báñez et originis scotisticae; eam refutabant dominicani, donec Báñez coepit eam defendere contra S. Thomam et contra dominicanos et contra P Molina: sic Schwam.

586. Nexus. Iam est demonstratum dari concursum simultaneum Dei cum creaturis. Hunc concursum omnes scholae catholicae admittunt, quia sine illo daretur aliqua actio et effectus qui a Deo efficienter non emanaret. Sed nunc restat solvendum problema quomodo Deus coniungat suam omnipotentiam cum creatura ad hoc ut ex duabus causis una actio et effectus procedant in eodem ictu temporis, sine detrimento aut libertatis creaturae aut attributorum Dei. praesertim dominii et sanctitatis.

Et ratio difficultatis est quia si Deus et creatura concurrunt ut duae causae completae in suo genere ad eandem actionem, vel Deus determinat creaturam, vel creatura Deum, vel ambae causae a tertia coniunguntur ad eandem actionem, vel casu coincidunt, vel coincidunt ex pacto. Iam vero hae omnes hypotheses sunt absurdae, ut patet, *ergo* non datur talis concursus simultaneus.

Ad solvendum hunc nodum sunt orta *duo systemata praecipua. Primum* est systema bannezianum praedeterminationis physicae, dicens creaturam determinari praevie a Deo, modo irresistibili, ita

tamen ut Deus det et actum et modum actus qui est libertas. *Secundum* est systema molinisticum, dicens, Deum applicare suam omnipotentiam ad concurrendum cum creatura ad omnia quae illa potest facere, per decretum generale et indifferens, datum sub scientia media: sic manet omnipotentia applicata per modum causae necessariae, et salvatur libertas creaturae quia decretum est indifferens, et attributa Dei, quia nihil fit nisi per applicationem voluntariam omnipotentiae. Haec duo systemata exponenda sunt et iudicanda in his duobus articulis; in praesenti articulo agemus de preadeterminatione physica.

587. Notiones. PRAEDETERMINATIO PHYSICA est impulsus aliquis physicus, et non moralis, proveniens a solo Deo, titulo absoluti dominii Dei et dependentiae creaturae a Creatore, receptus mere passive in potentia activa, absolute necessarius ut creatura operetur, ita ut sine tali impulsu repugnet metaphysice creaturam aliquid agere aut posse agere; absolute independens a creatura, ita ut haec non possit facere aliquid ut sibi donetur, vel ut sibi donatum removeat; qui impulsus non datur per modum virtutis, neque ut sola conditio, sed ut actualis applicatio aut excitatio aut motio, pertinens ad actum primum, non autem ad actum secundum aut intermedium [1].

Hic est concursus praevius bannezianorum, qui multum differt *a simultaneo*. *Primo* quia hic concursus praevius recipitur in ipsa facultate activa, et non est ipsa actio causae secundae neque effectus eius; *secundo*, quia proprie loquendo est concursus mediatus: est enim complementum actus primi, aliquo saltem modo, et concursus simultaneus est ipsa actio creaturae emanans a Deo et a creatura, et non ullum ex praerequisitis ad agendum.

588. Status quaestionis. Quaerimus ergo utrum talis concursus praevius, qualis descriptus est, sit necessarius ex titulo aliquo essentiali sive ex parte Dei sive ex parte creaturae, sive ex utraque parte.

Sententiae. *Prima* tenet praedeterminationem physicam sic descriptam esse necessariam ad omnes actiones creaturae, sive bonas sive malas: sic banneziani passim [2].

Secunda sententia etiam defendit has praedeterminationes physicas irresistibiles natura sua, sed addit eas praedetermi-

---

[1] Haec descriptio desumitur ex auctoribus thomistis. Cf. DIDACUS ALVAREZ, *De auxil.* d.18 n.20, et d.105; IO. A S.TH., *Physica* q.25 a.2.3; GONET, *Clypeus thomisticus, De praedestinat.* d.6 n.206.207; BILLUART, *De gratia*, diss.4 a.2; diss.5 a.7; GOUDIN, *Philosophia iuxta inconcussa...* 4.ª p. q.4 a.2.6. Hanc definitionem subicit examini profundissimo et longissimo SUÁREZ, *De gratia* l.3 c.30ss; et plurimos fontes citat URRÁB., 2,783. Mirandum est praedeterminationem physicam pertinere ad actum primum, iuxta Lemos; ad actum secundum iuxta Graveson; ad actum medium iuxta DIDACUM ALVAREZ, *De auxil.* d.19 n.7; d.23 n.27; cf. PESCH, *De Deo* n.246.

[2] Videtur ei favere thesis 24 ex 24 thomistis.

nationes esse in manu et potentia nostra, quia Deus donat primo praedeterminationes physicas frustrabiles ad bonum, et iuxta bonum vel malum usum harum praedeterminationum frustrabilium, dantur postea aliae praedeterminationes infrustrabiles ad res difficiliores: sic Muñiz, O. P. et Marín Sola, O. P.[3]

Tertia sententia, reiecta omni praedeterminatione physica infrustrabili natura sua, admittit praemotiones physicas, penitus indifferentes et a creatura determinandas modo ineffabili sub scientia media[4].

Nostra sententia tenet praedeterminationem physicam natura sua infrustrabilem non esse admittendam, tum quia inutilis in causis necessariis et liberis; tum quia destruit omnem causalitatem naturalem; tum quia destruit libertatem; tum quia Deum facit auctorem peccati. Thesis videtur certa ex argumentis intrinsecis. Sed tamen ob reverentiam erga tot auctores contrarios, ab omni ulteriore qualificatione abstinemus . Ostendemus tamen ex ea pessima consectaria sequi, ut nobis videtur.

589. Probatur thesis.

Prob. 1. (*Ex eo quod praedeterminatio physica innecessaria sit in causis necessariis*). Nam praedeterminatio physica natura sua infrustrabilis esset necessaria aut titulo virtutis aut complementi virtutis, aut titulo conditionis ad operandum, aut titulo actionis causae secundae, aut titulo applicationis, excitationis aut motionis causae secundae, aut titulo indifferentiae seu indeterminationis causae secundae, aut titulo dominii Dei et dependentiae creaturae; *atqui* nullus ex his titulis concludit eius necessitatem; *ergo* praedeterminatio physica natura sua infrustrabilis est inutilis in causis necessariis.

590. *Maior,* hi enim sunt tituli qui adducuntur pro ea. *Minor* vero declaratur per partes.

a) Non est necessaria ut *virtus* vel complementum vir-

---

[3] P. MARÍN SOLA dicit admittendas esse has praemotiones frustrabiles, et ratio est "el parecernos evidente que sin eso no cabe una gracia *verdaderamente suficiente* (subraya él), ni cabe explicación alguna satisfactoria de *cómo Dios no sea el verdadero responsable del pecado, o cómo pueda serlo el hombre*" (subrayamos nosotros): CiencTom 33 (1926) p.70. Addit esse oppositas doctrinae Sancti Thomae has propositiones Bañezii: "que toda premoción divina es infalible e irresistible de hecho en cuanto a todo" y "que todo decreto divino es infalible en cuanto a todo" (ibid. p.72).

[4] Defendunt solas praemotiones physicas indifferentes DE MARIA, REMER, BILLOT, PIGNATARO, MATTIUSI, JOYCE, D'ALÉS, ARNOU, SCHEEBEN, VAN DER MEERSCH, ZIGON, GISQUIÈRE, 2,241.242.286-289; CURIOSUS TIRO (= DANEL), *Essai sur la determination exemplaire des futurs libres* (Paris 1937).

tutis: secus creatura non haberet virtutem completam natuliter inditam, et sic non esset causa naturalis; praeterea, si praedeterminatio est virtus vel complementum virtutis, indigebit alia praedeterminatione ut agat, et sic in infinitum.

b) Neque est necessaria ut *conditio;* quia omnes conditiones ad operandum iam praesupponuntur positae a creatura, ut est admotio ad passum etc.; et praeterea conditio non est principium actionis, praedeterminatio autem est principium actionis.

c) Neque requiritur ut *actio* creaturae: nam si praedeterminatio est a solo Deo, et illa est actio creaturae, tunc actio creaturae erit a solo Deo, quod esset purus occasionalismus.

d) Neque est *applicatio,* excitatio aut motio ad agendum, qua creatura constituatur actualiter profundens actionem. Nam per hanc applicationem, excitationem, motionem, creatura constituitur profundens actionem vel formaliter vel solum virtualiter: si formaliter constituitur profundens actionem, actio est a solo Deo; quia profundere formaliter actionem est habere actu actionem; si virtualiter constituitur profundens actionem, tunc praedterminatio esset nova virtus ad agendum, quod illi nolunt, et quidem recte.

e) Nec requiritur praedeterminatio ut extrahat creaturam de sua *indifferentia* ad agendum quoad exercitium aut specificationem: nam causa necessaria non est indifferens ad agendum quoad exercitium aut quoad specificationem, sed determinata est per suam naturam ad hoc ut, positis praerequisitis, in actum prodeat: ipsa natura creaturae est quasi praedeterminatio ad exercitium et ad specificationem actionis, positis praerequisitis.

591. *f*) Nec requiritur praedeterminatio ut determinet *individuam* actionem et effectum. Fatendum est creaturam non esse determinatam nec per se nec per ulla praerequisita ad actionem ullam aut effectum individuum, sed habet indifferentiam ad quamlibet individuam actionem et effectum ex infinitis aequalibus. Determinatio autem fit a solo Deo per concursum simultaneum, non per concursum praevium. Praevidens enim Deus creaturam se determinaturam esse iuvamine Dei ad talem speciem et exercitium, decernit concurrere tunc ad talem individuam actionem et effectum.

g) Nec praedeterminatio requiritur titulo *dominii* Dei et *dependentiae* essentialis creaturae. Nam in creatura agente

quatuor distingui possunt: essentia et virtus agendi, praerequisita ad agendum, actio, effectus. Iam vero, licet nulla detur praedeterminatio, sed solus concursus simultaneus, haec quatuor pendent essentialiter a Deo: essentia et virtus, quia creantur et conservantur a Deo; praerequisita, quia ea subministrantur a Deo concurrentibus aliis causis secundis; actio, quia data est per concursum simultaneum; effectus tandem totus est a Deo, per eam actionem quae est simul a creatura.

592. *Prob. 2. (Ex inutilitate praedeterminationis in causis liberis).* Nam necessitas praedeterminationis in causis liberis peteretur aut ex fundamentis recensitis in priore argumento, vel ut Deus vincat pervicaciam voluntatis, quae praevidetur nullo modo consensura in vocationes divinas, aut ex indifferentia voluntatis ex qua non posset extrahere seipsam nisi praedeterminaretur; aut ut concursus non sit casualis; *atqui* nullus titulus ex his concludit hanc necessitatem; *ergo* praedeterminatio physica est inutilis in causis liberis.

Maior patet ex concessis a defensoribus praedeterminationis; et *minor* declaratur per partes.

a) Non requiritur ex fundamentis *recensitis* in argumento praecedente, ut patet.

b) Nec requiritur ut vincatur *pervicacia* creaturae: nam *primo,* est incredibile in thesauris divinorum auxiliorum et vocationum nullum reperiri cui creatura velit assentiri etiam sine praedeterminatione; *secundo,* si creatura praevidetur omni auxilio et vocationi divinae restitura, tunc Deus non potest facere ut libere velit quod libere nolitura est, et hoc non ex defectu potentiae, sed quia contradictorium est creaturam nolentem aliquid libere, tamen illud libere velle. Et denique si Deus absolute vult obtinere illum actum, potest creaturam praedeterminare, sed tollet libertatem.

c) Nec requiritur praedeterminatio ratione *indifferentiae,* quasi ipsa non posset se determinare; indifferentia enim voluntatis est activa et eminentialis, quae continet eminenter perfectionem sui actus, et ideo, positis omnibus praerequisitis, potest velle hoc aut illud, facere actum et non facere.

d) Nec requiritur praedeterminatio ad hoc ut concursus Dei cum creatura non sit *casualis.* Nam Deus praevidet per scientiam mediam quid creatura factura sit si ponatur in talibus circumstantiis; et quoniam vult ponere in illis circumstantiis, ideo iam scit ad quid sit concursurus cum creatura.

593. *Prob. 3. (Ex eo quod destruatur omnis causalitas naturalis.)* Dicunt enim, quod si creatura seipsam determinaret, et non determinaretur a Deo, tunc creatura futura sit simul in actu et in potentia sui motus et actus; *atqui* per hoc clare affirmatur creaturam non posse continere in actu saltem virtuali, suum effectum, et suum agere actuale; *ergo* creatura numquam est causa: nam, ut causa sit causa, necesse est ut ipsa contineat suum agere et suum effectum in actu saltem virtuali.

594. *Prob. 4. (Ex eo quod praedeterminatio impediat libertatem)* [5].

Nam praedeterminatio physica est aliquod antecedens ante exercitium voluntatis, a voluntate penitus independens et ferens secum actum voluntatis inevitabiliter; *atqui* tale antecedens tollit libertatem; *ergo* praedeterminatio physica tollit libertatem.

Maior patet, et *minor* probatur: nam in hac hypotesi voluntas nullum habebit dominium: non in praedeterminationem, ut patet; neque in actum, quia, posita praedeterminatione, actus iam cohiberi non potest [6].

595. *Dices.* Voluntas non potest cohibere actum in sensu composito, bene autem potest omittere actum in sensu diviso; et hoc sufficit ad servandam libertatem.

Resp. Sensus compositi et divisi triplex est interpretatio. Prima dicit voluntatem posse omittere actum ablata praedeterminatione (sensus divisus), non autem posse omittere actum praesente praedeterminatione (sensus compositus). Hanc interpretationem omnes thomistae dicunt esse haereticam, quia est dicere sub praedeterminatione non adesse potentiam omittendi actum, quod est negare libertatem [7].

Secunda interpretatio est communis thomistarum [8], et docet, manente praedeterminatione, voluntatem posse omittere actum in *sensu diviso,* i. e. cum potentia merae potestatis, non vero cum potentia realizationis omissionis; seu cum potentia inconiungibili cum reali omissione; non posse autem omittere actum in sensu composito, i. e. cum potentia verae realizationis omissionis, seu cum potentia coniungibili cum omissione.

Crisis. Sed statim apparet hanc interpretationem coincidere cum prima [9]. Nam asserunt sub praedeterminatione haberi potentiam omittendi actum, quae tamen potentia sit irrealizabilis seu irreducibilis in actum sub praedeterminatione; haec autem non est potentia, sed vera impotentia, vel potentia absolute ligata et impedita sub praedeterminatione.

596. *Tertia interpretatio* sensus compositi et divisi est S. Anselmi et scholae molinisticae. Distinguit actum iam positum pro ali-

---

[5] SUÁREZ, DM 22,2,33ss; IDEM, *Opúsc.* 1 *De concursu* l.1 c.7 n.3; LOSSADA, *Physica* tr.2 d.8 c.6; URRÁB. 2,810.

[6] Contra hoc argumentum banneziani non habent aliud responsum nisi dicere libertatem sub praedeterminatione esse mysterium credendum et non investigandum, sicut mysterium Trinitatis: sic BÁÑEZ, 1 q.23 a.5; et 2-2 q.10 n.1 concl.3 docum.3; BILLUART, *De Deo* diss.8 a.4 § 2 ad 5: DIDACUS ALVAREZ, *De auxiliis* d.118 n.5.6; LEDESMA, *De auxiliis* a.10.11.

[7] A. GOUDIN, *Philosophia iuxta...* 4.ª p a.6 (Matriti 1783) t.3 p.281.282.

[8] Hanc tenent passim thomistae. Sic BÁÑEZ, in 1 q.23 a.3 dub. ult. concl.10; DIDACUS ALVAREZ, *De auxil.* d.94 n.2; THOMAS DE LEMOS, *Panoplia,* t.1 tr.4 c.8-18; BENÍTEZ, O. P., *De gratia* t.4 d.13 dub.1 par.1.2; BILLUART, *De Deo,* diss.8 a.4 par.2 obi. ad 2; GOUDIN, l.c.

[9] Non dicimus illos dissertis verbis redire ad primam explicationem sensus compositi et divisi, sed eos virtualiter et aequivalenter et implicite eandem interpretationem tenere, licet verbis aliud proclament. Sic sentiunt PESCH, *De Deo Uno* n.269; SUÁREZ, *De vera intelligentia* c.24.25; IDEM, *Opúsc.* 1 *De concursu* l.1 c.10 n.5; LESSIUS, *De gratia efficaci* c.3 n.19.

qua differentia durationis, qui est *sensus compositus actus cum facultate,* et potentiam cum omnibus suis praerequisitis, qui est *sensus divisus.* Et dicit *a)* voluntatem, dum operatur, non posse omittere actum in sensu *composito* actus liberi iam positi; posse autem omittere in sensu *diviso,* seu considerando facultatem cum suis praerequisitis. *b)* Item sub decreto indifferente et sub scientia media, voluntas non potest omittere actum in *sensu composito* actus iam positi pro illa differentia temporis; posse vero omittere actum in *sensu diviso,* seu considerando facultatem et omnia eius praerequisita. Et patet sic servari libertatem. Nam facultas ut ornata suis praerequisitis, potest facere vel omittere actum; et posito iam actu, non potest facere ut actus dum est non sit; potest tamen pro lubito cessare ab actu vel illum prosequi.

597. *Prob. 5. (Ex eo quod praedeterminatio faciat Deum auctorem peccati)* [10].

Deus est auctor peccati, si ei soli debetur ut actus debitus omittatur et actus prohibitus ponatur in illis circumstantiis, in quibus malitia est inseparabilis ab actu, ob advertentiam mentis creatae ad regulam morum; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus est auctor peccati (omissionis et commissionis).

Maior patet, et *minor* probatur: si enim *omittitur* actus, ideo est quia Deus non dat praedeterminationem ad illum; si enim dedisset, sine dubio irresistibiliter positus fuisset actus bonus. Et si *ponitur* actus peccaminosus in illis circumstantiis in quibus malitia est inseparabilis ab actu ob advertentiam mentis ad regulam morum, ideo est quia Deus solus dat praedeterminationem ad actum illum [11]: si enim non dedisset vel dedisset ad actum bonum, non positus esset actus malus, sed contra positus fuisset actus bonus [12].

---

[10] Sic MARÍN SOLA: ViencTom 36 (1926) p.70; et MUÑIZ, O. P., ait: "La primera hipótesis, que en Dios no hay decretos y mociones falibles, nos llevaría lógicamente a la negación de la voluntad antecedente y de la providencia general en Dios" (o sea a la negación de las gracias verdaderamente suficientes, como se ve por el contexto): *Suma Teológica de Santo Tomás de Aquino* (B. A. C. Madrid 1947) t.1 p.1017.

[11] Hodie pullulant athei, et statim obiciunt, si Deus exsisteret, non permissurum tot peccata. Et praedeterminista, nedum solvat difficultatem, eam auget, docens Deum ex sua propria electione praedeterminare ad actum materialem peccati in illis adiunctis in quibus malitia est inseparabilis ab illo actu: quomodo respondebit ad difficultatem athei? (Lange).

[12] Deus praedeterminat ex sua electione ad actionem peccaminosam, ut est actio physica, non vero ad formale peccati, et hoc cum homo advertit ad malitiam actus: Sic GOUDIN, *Philos. iuxta...* 4.ª p q.3 a.5 (Matriti 1783) t.3 p.266 et passim. Cur autem praedeterminat ad actionem malam, cum aeque facile potuisset praedeterminare ad actionem bonam? Respondet idem auctor: remote ex defectibilitate creaturae et quia est ex nihilo; proxime autem ex passione et propensione innata ad malum praesertim post Adae peccatum; et praeterea ut per has praedeterminationes obtineat mundum pulchrum ex mixtione bonorum et malorum. En eius Verba: "*Cum igitur sint aliquae creaturae peccabiles et defectibiles, debet ita illas movere ut in actione ad quam movet (Deus), saepe malitiam permittat, quamvis eam numquam attingat*" p.267. Et Deus "*permittit peccata* (movendo infrustrabiliter ad materiale peccati) *ad pulchritudinem Universi quae exsurgit ex ordinata bonorum et malorum com-*

598. Difficultates contra argumentum. 1. Deus impellit ad materiale peccati, non vero ad formale peccati; *ergo* Deus non est auctor peccati.

Resp. Transeat antec. et nego cons.: nam qui impellit alium ad faciendum actum in iis circumstantiis in quibus malitia est inseparabilis metaphysice ab actu, est auctor peccati, ut est patens.

2. Qui impellit claudum ut ambulet, est causa ambulationis, non vero est causa claudicationis; *ergo* pariter qui impellit hominem labilem ad agendum, causa est actus, non vero est causa lapsus et malitiae.

Resp. Nego paritatem. Claudus solummodo potest ambulare claudicando, et ideo impellens ad ambulandum, solum est causa ut ambulet, non ut claudicet. Sed contra homo labilis potest aequaliter facere bene et male; et unica ratio cur omittat actum debitum est negatio praedeterminationis ad actum; et unica ratio cur faciat actum prohibitum est quia data est ei praedeterminatio ad actum malum in illis circumstantiis, in quibus malitia inseparabilis ab actu erat.

3. Deus solum permittit peccatum, non vero est auctor illius.

Resp. Nego assert. Non enim permittit peccatum, qui impellit et quidem irresistibiliter ad actum peccati in illis circumstantiis, in quibus malitia est inseparabilis ab actu: permittere enim est non cohibere physice quod nolis ut fiat, non vero est impellere irresistibiliter ad illud quod non vis ut alius faciat.

4. Deus solum permittit peccatum, non intendit. Nam impellit ad materiale peccati propter culpam hominis, et non ex propria determinatione; *ergo* homini imputatur peccatum, non Deo.

Nego praedeterminationem physicam dari ad malum aut negari ad bonum propter culpam hominis: nam et illa culpa prior facta est vel ob defectum praedeterminationis ad bonum, vel ob praesentiam praedeterminationis ad malum, et restaret explicandum cur talis praedeterminatio prior donata est vel negata; ad quod respondendum esset id solum accidere ex sola praedeterminatione Dei et non ex determinatione creaturae. Et tandem de praedeterminatione ad primum peccatum, iam non potest dici datam esse vel negatam ob culpam priorem, quia nulla praecessit: data est ergo ex sola electione Dei[13].

599. Scholia. 1. *De mente Sancti Thomae circa praedeterminationem physicam*[14]. Sanctus Thomas de industria aut ex proposito hanc materiam non attigit; et ideo loquitur ita ut diversi investigatores potuerint ei attribuere sequentes sententias: Prima inter-

---

mixtione, sicut tabula ornatur ex umbris", ib. Et P. Urráburu (2,830) transcribit ex eodem auctore haec verba: *"Cum liberum arbitrium sit versatile inter bonum et malum, ordo providentiae communis exigit ut aliquando determinetur (a Deo) ad actionem coniunctam cum defectu, praecipue post peccatum originale, ex quo contracta est tanta pronitas ad malum".*

[13] Saepe dicunt praedeterministae praedeterminationem ad malum et ad bonum pendere ex voluntate creata, quasi nulla praedeterminatio esset: sic Zigliaria, *Theol.* 3,4 a.3 n.10 obi.3. De his dicit Georgius Albertini, O. P., *"cum ventum fuerit ad obiectiones, pie et sapienter a suo systemate recedunt"*: *Oratio II ad theologos Báñez* et *Lemos;* et *Dissert. ad Dominicum Pelegrini* n.79.

[14] Cum Sancto Thoma sentit in hac parte insignis eius commentator Caietanus in 1 q.19 n.8, versus finem; et 1 q.14 a.13. Sequuntur Sanctum Thomam in neganda praedeterminatione physica saltem in voluntate S. Robertus Bellarmino, *De gratia et libero arbitrio* l.1 c.12, et l.4 c.14; similiter S. Franciscus Salesius, de quo eum laudat Pius XI in Encyclica *Rerum Omnium* 26 ia n.1923.

pretatio est quod teneat praedeterminationes physicas frustrabiles, quas Deus dat ad actus faciles, independenter ab scientia media, et postea, iuxta bonum vel malum usum harum praedeterminationum, dat alias infrustrabiles ad actus difficiliores, ad bonum vel ad malum: sic Marín Sola et Muñiz, O. P. Secunda interpretatio est quod teneat concursum simultaneum solum. Tertia interpretatio est quod neget omnem concursum immediatum, sive praevium sive simultaneum: sic Iglesias et Stufler. Sed quidquid sit de eius mente occulta in aliis rebus, loquens de voluntate Sanctus Doctor habet asserta in quibus manifeste negatur praedeterminatio physica infrustrabilis. En aliquot testimonia.

Deus movet agentia necessaria, illa determinando ad agendum, sed causas liberas ita movet ut "*determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituatur*" (In 2, d.25, q.1, a.1, ad 3). Voluntas humana "*in hoc solo determinationem habet (ab alio), quod felicitatem naturaliter appetit, et non determinate in hoc vel in illo*" (ib. ad 2). "*Ipsa potentia voluntatis quantum in se, est indifferens ad plura, sed quod determinate exeat in hunc vel in illum actum, non est ab alio determinate, sed ab ipsa voluntate*" (In 2, d.39, q.1, a.1). Voluntas humana habet dominium sui actus, quia "*ad plura se habet,* nec ad aliquod eorum determinatur nisi ex seipsa, *quod tantum voluntati convenit*" (ib. a.2). Et plura alia similia habet.

600. 2. *De praedeterminatione scotista, quae vocatur condeterminatio*[15]. Iuxta scotistas Deus non habet scientiam mediam; determinat autem actiones creaturae, non per praedeterminationem physicam intrinsecam, sed per decretum concurrendi simul cum ea tunc cum illa operatura esset. Licet hoc decretum non infundit aliquid quod immutet intrinsece creaturam, tamen ob dominium Dei, eam trahit infallibiliter ut agat quod ille praedeterminavit. Haec praedeterminatio habet eadem inconvenientia quae praedeterminatio physica thomistica: est enim antecedens independens a voluntate et inferens actum inevitabiliter; *ergo* et tollit libertatem et Deum facit auctorem peccati.

601. 3. *Marín Sola et Muñiz* dicunt per solas praedeterminationes infrustrabiles non bene prospici libertati creaturae et sanctitati Dei; et ideo introducunt praedeterminationes physicas frustrabiles independentes ab scientia media, ex quarum usu bono vel malo pendebit ut Deus det praedeterminationes infrustrabiles ad bonum vel ad malum[16]. Sed hinc patet praedeterminationem infrustrabilem iam non requiri titulo dominii aut dependentiae creaturae, quia etiam actus faciles sunt dependentes a Deo et tamen sine illis praedeterminationibus infrustrabilibus fiunt; ideoque iam nullum fundamentum desumptum ex pura ratione habent pro praedeterminatione physica infrustrabili.

602. 4. *P. Martínez de Ripalda, S. I.* (non auctor De Ente Supernaturali) docet ex Sancto Thoma, ut ipse contendit, dari solas

---

[15] Quaenam sit theoria Scoti bene exponitur a DE WOESTYNE, *Cursus* 2 p.803-805; et a MINGES O. F. M., *Franziskanischen Studien* (1920) 14-29; et a MASTRIO, in 1 d.3 c.3 a.8; et a DE SAN, *De Deo Uno* n.195 in nota; et a BERAZA, *De gratia* p.524-532.

[16] Cf. SAGÜÉS: EstEcles 22 (1948) 699-759; J. HELLÍN: RazFe 138 (1948) 386-393.

praedeterminationes physicas frustrabiles et particulares ad singulas actiones, dependentes tamen ab scientia media. Sed licet haec theoria libertatem servet, tamen Deum facit auctorem peccati, nam ex sola Dei electione dependet quod moveat creaturam ad actum peccati vel virtutis. Manet etiam contra hanc theoriam argumentum ex inutilitate.

603. 5. *P. Gisquière cum multis aliis* docent dari praedeterminationes physicas generales, non determinate ad unam actionem, sed indifferenter ad omnes quas potest tunc facere creatura; et dependentes ab scientia media: quod autem talis praedeterminatio physica applicetur ad talem vel talem actionem, pendet ex determinatione voluntatis solius concurrente Deo. Sed contra hanc theoriam manet argumentum ex inutilitate; et argumentum ex incohaerentia: nam ponunt has praedeterminationes, quia si creatura sola determinaret actionem, concurrente etiam Deo, moveretur ad aliquid et non moveretur ab alio, sed moveret et determinaret seipsam. Sed, ut patet, hi etiam auctores debent dicere illam praedeterminationem indifferentem ad omnia, determinari a sola creatura concurrente etiam Deo, non vero a solo Deo.

Ex quibus videtur concludi omnem praedeterminationem reiciendam esse, sive infrustrabilem natura sua sive frustrabilem, ob argumenta exposita, quae sunt ex inutilitate, ex abolitione omnis causalitatis, ex oppressione libertatis, ex sanctitate divina.

604. Obiectiones. 1. Quidquid movetur, ab alio movetur; *atqui* voluntas, cum agit, movetur; *ergo* ab alio, i. e. a Deo, movetur, et hoc est praedeterminari physice.

Dist. mai.: si mere passive movetur, *conc.;* si etiam active se movet, *subdist.:* ab alio solo, *nego;* ab alio etiam, per concursum simultaneum, et non per ullum impulsum praevium, *conc.* Et *concessa min., dist. pariter cons.:* si esset mobile mere passivum, *conc.;* si est mobile activum, subdist.: ab alio solo, *nego;* ab alio etiam, et quidem per concursum simultaneum, et non per ullum impulsum praevium, *conc.*

2. Agens creatum, priusquam agat, est in potentia passiva ad agendum; *atqui* quod est in potentia passiva ad agendum, ab alio movetur ad agendum; *ergo* omne agens creatum movetur ab alio ad agendum.

Nego mai. Nam si est agens, et non mobile mere passivum, est in potentia activa ad agendum, ideoque continet actu simul cum praerequisitis perfectionem actus ponendi: unde, positis his praerequisitis, ex virtute sua et cum concursu simultaneo, iam potest actu agere.

605. 3. Voluntas est indifferens ad agendum vel non agendum; *atqui* quod est indifferens ad unam vel aliam formam, nullam habet in se, ideoque, ab alio recipit; *ergo* voluntas debet ab alio recipere determinationem et non seipsam determinat.

Dist. mai.: est indifferens indifferentia activa, *conc.;* mere passiva, *nego et contradist. min.:* quod est indifferens passive, *conc.;* quod est indifferens active, *nego, vel subdist.:* ab alio solo, *nego;* ab alio et a seipso, cum concursu alius et non cum praedeterminatione alius. *conc.*

4. Ut voluntas indifferens se determinet ad unum, debet dari ratio sufficiens; *atqui* nulla est ratio sufficiens cur voluntas se magis determinet ad unum quam ad aliud; *ergo* ab alio determinatur. *Minor*: secus iam non esset indifferens, sed praehaberet in se determinationem ad hoc potius quam ad illud.

Dist. mai.: debet dari ratio sufficiens praedeterminans, *nego;* non praedeterminans, *conc. Et contradist. min.:* non datur ratio sufficiens praedeterminans, *conc.;* non praedeterminans, *nego.*

Ratio ultima volendi numquam potest esse praedeterminatio sive ex parte obiecti sive ex parte subiecti, quia haec destruet libertatem. Cum autem quaeruntur rationes sufficientes volendi, debet sic responderi cum omni distinctione, contra confusiones leibnizianas: ratio sufficiens cur voluntas possit velle, est ex parte obiecti, bonitas obiecti, et ex parte voluntatis, indoles voluntatis quae versatur circa bonum ut tale. Ratio sufficiens efficiens, quae fecit actum voluntatis, est voluntas cum concursu simultaneo Dei. Ratio autem sufficiens cur de facto posuit talem actum, nequit esse alia nisi ratio formalis intrinseca, et haec est ipse actus voluntatis, qui est hic et non alius quia sic voluit voluntas. Sicut enim paries est albus, quia habet albedinem, sic voluntas vult hoc, quia habet talem actum et non alium, i. e. quia vult.

Si iterum rogas: sed cur habet hunc actum potius quam alium, respondebo iterum, distinguendo rationes sufficientes: cur possit voluntas velle hoc, quis fecerit hoc, cur de facto fecerit hoc.

606. 5. Si non esset praedeterminatio physica, Deus non esset primum agens, primum movens, primum determinans, primum liberum, auctor totius entis; *atqui* haec omnia sunt absurda; *ergo* datur praedeterminatio physica. *Maior:* quia haec omnia prius determinantur a creatura et postea Deus cooperatur, iuxta molinistas.

Dist. mai.: in hoc sensu quod Deus non praedeterminet ad opus, et quod opus et actio non sint a solo Deo, *conc.;* in hoc sensu quod agens aut eius virtus, et praerequisita, aut actio aut effectus non sint totaliter a Deo, licet non a solo Deo, *nego. Ad probationem, nego assertum.*

Molinistae numquam dicunt aut dixerunt creaturam incipere et postea Deum iuvare per suam cooperationem, sed aliud valde diversum: Deus offert concursum per decretum generale et indifferens, ad omnia quae creatura potest facere; et per hoc Dei omnipotentia manet applicata per modum causae necessariae; et postea veniente tempore opportuno, creatura sola determinat actionem, cooperante etiam Deo. Illud autem "sola determinat" non significat creaturam prius incipere et postea sequi Deum, sed simul utramque causam agere; determinari autem actionem a creatura dicitur quia ab illa sola provenit denominatio vitalitatis et libertatis, et non a Deo, qui in signo priore ad operationem erat applicatus per modum causae necessariae ad operandum quidquid creatura operaretur, sicut dicemus de habitu caritatis respectu voluntatis (n.619,1, b).

607. 6. Si Deus cooperaretur solum simultanee, sine physica praedeterminatione, Deus et creatura essent duae causae coaequales, non vero subordinatae; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* datur praedeterminatio physica, et non solum concursus simultaneus.

Nego mai. Deus enim cooperatur attingendo actionem et effectum

creaturae sub ratione entis contingentis ut talis, dum creatura ea attingit sub ratione particulari contingentiae: unde Deus attingit ut causa superior, et creatura ut causa inferior (n.578). Imo etiam Deus creat et conservat virtutes activas, subministrat praerequisita cooperantibus causis secundis, et facit totam actionem et totum effectum, licet non solus.

7. Negatio praedeterminationis physicae est contra auctores S. I,. nempe contra Salmerón, Toletum, Bellarminum, etc.

Nego assertum. Ut appareat quam sine fudamento haec asserat Goudin, transcribamus aliquod testimonium Doctoris Ecclesiae Bellarmino: "*Haec sententia quae ponit praedeterminationem physicam in voluntate, non videtur posse distingui a sententia haereticorum negantium liberum arbitrium, nisi quoad voces tantum*". (De Gratia et Libero Arbitrio, 1.4, c.4,; et cf. 1.1, c.12.)

ARTICULUS II

DE CONCURSU SIMULTANEO IN ACTU PRIMO (SEU DE DECRETO GENERALI ET INDIFFERENTI)

Thesis 49. Deus coniungit suam omnipotentiam cum creatura libera ad concurrendum cum ea, per decretum generale et indifferens datum sub scientia media.

608. VAN STEENBERGHEN, *Molinisme*: DTC; QUILLET, *Congruisme*: DTC 1120-1138; SUÁREZ DM 22,4,14-26; IDEM, *Opusc.* 1 1.1 c.14 n.5-17; IDEM, *De gratia, Proleg.* 2 c.8 n.15-19; *ibid.* 1.3 c.42 n.13.14; URRÁB., 2,902-942; et de mente S. Thomae, ibid. p.960-1040; LOSSADA, *Phys.* tr.2 d.8 c.3; LANGE, *De gratia* n.626-649; MOLINA, *Concordia* d.26; *OM* n.1060-1083.

609. Nexus. Iam vidimus Deum non praedeterminare creaturam ad agendum simul cum ea: restat ut nunc explicemus quomodo sine ulla praedeterminatione Deus coniungatur cum creatura ad concurrendum simul cum ea ad eandem actionem. Et responsio datur in thesi enuntiata.

610. Notiones. Hoc decretum est GENERALE, quia non datur titulo aliquo particulari, sed titulo universali, qui est essentialis dependentia creaturae a Creatore.

Est formaliter INDIFFERENS: quia licet coniungat omnipotentiam ad modum causae necessariae cum voluntate creata, tamen non determinat ex natura sua quem actum creatura factura sit, sed offert concurrere ad omnes actus quos creatura tunc facere potest in illis circumstantiis et cum oblatione concursus ad omnia.

Datum sub luce scientiae mediae. Huic scientiae debet decretum ut non sit confusum et indeterminatum, sed virtualiter particulare ex determinatione obiectiva creaturae. Est virtualiter particulare: quia cum Deus sciat per scientiam mediam quid creatura factura esset sub omnibus circumstantiis et oblatione concursus, volens de facto ponere tales circumstantias et oblationem concursus ad omnia, eoipso vult virtualiter concurrere ad talem actionem particularem. Est determinatum obiective a creatura, non quia creatura faciat aliquid in illud decretum, cum decretum sit ab aeterno et creatura ab aeterno non exsistat, sed quia illud decretum est particulare, non ex natura sua, sed ex veritate conditionalis quae a creatura tandem dependet. Quod creatura sub tali decreto agat hoc aut illud, pendebit ex creatura; sed quod creatura ponatur in talibus circumstantiis cum quibus praevidetur factura esse talem actionem hoc ex solo Deo dependet.

611. Hoc decretum vocatur concursus simultaneus in *actu primo,* quia non est actio externa, sed solum principium eius. Dicitur etiam concursus *internus* ut distinguatur ab actione externa quae eius iuvamine fit. Dicitur etiam *purificatio conditionis;* nam Deus in signo priore videt per scientiam mediam quid creatura actura sit, sub talibus conditionibus et sub oblatione concursus ad omnia, et postea, volens de facto ponere eam in talibus circumstantiis et offerre concursum ad omnia, purificat seu verificat conditionem sub qua viderat talem actum faciendum esse a creatura.

Praeter hoc decretum generale et formaliter indifferens non ponenda sunt alia decreta ad actus particulares: nam illa decreta iam non essent indifferentia, sed absoluta (secus coinciderent cum decreto indifferente), et talia decreta perimunt libertatem [17].

612. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum Deus coniungat suam omnipotentiam ad modum causae necessariae cum voluntate ad concurrendum cum ea per decretum generale et formaliter indifferens, ut explicatum fuit.

613. Sententiae. *Prima* sententia est thomistarum dicentium per hanc theoriam destrui dominium Dei et dependentiam creaturae, imo ipsam etiam libertatem.

Secunda sententia docet per hanc theoriam bene salvari quae salvanda sunt, dummodo ponantur etiam praemotiones physicae frustrabiles seu indifferentes et dependentes ab scientia media: sic P. Martínez de Ripalda (non ille auctor

[17] Nempe non datur duplex decretum, aliud generale et aliud particulare, sed praeter generale non datur formaliter aliud: Suárez, *Proleg. 2 de gratia* c.8 n.15-18; *Opusc.* 1 *De concursu* l.1 c.14 n.5.6.

de Ente supernaturali), Cardinalis SFORZA *Pallaviccini S. I.* et recentius *Billot, Mattiusi, Van der* MEERSCH, P. PARENTE et Rdmus. Abbas *Gisquière.*

Nostra sententia affirmat systema, prout est expositum in thesi et in notionibus, sufficere ad salvanda omnia quae salvanda sunt in Deo et in creatura. Hanc sequuntur fere omnes molinistae [18].

614. Probatur thesis. Deus coniungit suam Omnipotentiam cum causa secunda libera ad concurrendum cum ea per decretum aeternum, formaliter generale et indifferens et datum sub scientia media, A) si haec theoria non implicat contradictionem, B) si vere datur tale decretum, C) et si per illud decretum sufficienter salventur omnia quae salvanda sunt, circa Deum, et D) circa creaturam; et E) si sine illo non tam bene salventur; *atqui* ita se res habet; *ergo* Deus coniungit suam Omnipotentiam cum causa secunda ad concurrendum cum ea per decretum aeternum, formaliter generale et indifferens, datum sub scientia media.

Maior constat, quia continet omnes dotes bonae theoriae.

Minor autem probatur per partes.

615. A. *Primo* NULLA HABETUR CONTRADICTIO, ut apparebit ex solutione difficultatum.

B. *Secundo,* de REALITATE HUIUS DECRETI.

a) Datur *decretum aeternum* coniungendi omnipotentiam cum creatura ad concurrendum cum ea; quia quod Deus facit in tempore, decrevit ab aeternitate; *atqui* in tempore coniungit suam omnipotentiam cum creatura ad concurrendum cum ea; *ergo* ab aeterno hanc coniunctionem facere debuit.

b) Hoc decretum est *generale,* quia non datur titulo particulari, sed titulo universali et essentiali, qui est essentialis dependentia creaturae a Creatore.

c) Est etiam *indifferens*: nam Deus vult se accommodare ad indolem creaturae et non ei vim inferre; *atqui* indoles creaturae liberae est ut simul et in iisdem circumstantiis possit facere et non facere actum, facere hunc aut facere alium; *ergo* Deus coniungit suam omnipotentiam cum ea indifferen-

[18] FRINS, *Concours divin:* DTC c.789; BONET, *La filosofía de la libertad en las controversias teológicas del siglo XVI y primera mitad del XVII* (Barcelona 1932); SCHNEEMAN, *Controversiarum... initia et progressus* (Friburgi Br. 1881); ROMEYER, *Libre arbitre et concours selon Molina:* Gregor (1942) 169-201; OM n.1060-1074.

tia offerens concurrere ad omnia quae creatura tunc potest facere.

d) Hoc decretum *datur sub scientia media*: primo, quia Deus necessario habet scientiam mediam priusquam quidquam decernat agere; ergo est impossibile eum non illustrari per eam. Secundo, quia si non illuminaretur ab scientia media, nesciret quid sequeretur ex suo decreto, quia ex se est indifferens ad multa, et sic tale decretum esset valde imprudens et temerarium.

616. C. *Tertio,* SALVANTUR EA QUAE SALVANDA SUNT EX PARTE DEI.

a) Salvatur *Omnipotentia,* quia in cooperatione Dei cum creaturis nihil est omnino quod non fiat totum a Deo, licet non a solo Deo. Concursus enim est simultaneus, et creatura nihil facit prius Deo, aut sine Deo.

b) Salvatur *independentia Dei.* Nam licet sit ligatus ad modum causae necessariae ut operetur ad modum et secundum indolem creaturae, hoc debetur liberrimo suo decreto, quo voluit absolute se accommodare ad indolem creaturae, et non ex ulla subiectione versus aliquid creatum.

Et sic, α) Licet creatura *determinet actionem externam,* et non Deus, tamen hoc non significat creaturam facere aliquid prius Deo aut sine Deo, aut influere aliquid in Deum ut eum moveat, sed significat denominationem libertatis et rationem cur sit haec vel illa actio, et in hoc aut illo tempore, esse ipsam creaturam cooperante Deo. Nam ille dicitur determinare actionem qui in signo priori ad operationem est indifferens ad eam faciendam vel non faciendam, ad faciendam hanc aut illam; *atqui* sola creatura est indifferens modo dicto ante actionem *(nam Deus iam est ligatus suo liberrimo decreto ut accommodet se ad indolem creaturae); ergo* sola creatura est quae determinat actionem quoad denominationes libertatis et quoad specificationem et exercitium, cooperante etiam Deo; sicut voluntas etiam determinat habitum caritatis, quem in se habet, quoad exercitium et specificationem, et tamen hoc non significat voluntatem aliquid facere ante habitum aut sine habitu, aut influere aliquid in habitum, sed simpliciter solam illam et non habitum esse indifferentem ad operationem prius quam fiat operatio (n.619).

β) Item, licet decretum divinum recte dicatur *determinari obiective a creatura,* hoc significat Deum ex sola sua

voluntate velle se accommodare ad indolem creaturae, et consequenter velle cooperari ad ea quae per scientiam mediam praevidet facienda esse a creatura cum suo concursu.

c) Salvatur *dominium Dei*: α) in singulis factis et in toto cursu eventuum. Nam cum praevideat per scientiam mediam quid singulae creaturae facturae essent in determinatis circumstantiis si ipse offerret concursum, in manu sua habet verificare tales vel tales circumstantias et offerre concursum et sic fient determinata facta et determinatus cursus eventuum. *β) Hoc dominium Dei salvatur per decreta quae sunt efficacia et infallibilia in actu primo, seu antecedenter ad futuritionem absolutam actuum liberorum,* et quidem triplici infallibilitate, ontologica, intellectuali et volitiva.

Habent efficaciam et infallibilitatem *ontologicam*: quia supposita iam veritate conditionalis, verificatio conditionis, quae fit per decretum, fert secum infallibiliter conditionatum seu actum liberum.

Habent efficaciam et infallibilitatem *intellectivam,* quia, supposito quod Deus per scientiam mediam cognòscat conditionales futuribilium, eoipso cognoscit purificationem conditionis, quae fit per decretum, habere eam efficaciam et infallibilitatem ontologicam quam de facto habent.

Habent efficaciam et infallibilitatem *volitivam,* quia, supposito quod Deus cognoscat veritatem conditionalium, volendò purificationem conditionis, quae fit per decretum, eoipso vult conditionem quae ontologice est infallibiliter connexa cum actu. Haec autem libertatem non destruunt, quia tota illa efficacia debetur veritati conditionalis, quae dependet ex determinatione creaturae.

d) Salvatur *sanctitas Dei.* Licet enim Deus offerat concursum ad omnia, praevidens abusum creaturae, tamen concursum offert ad omnia solum ut creatura libere agat bonum, et determinatio non est a Deo, sed a sola creatura quoad denominationes libertatis et vitalitatis, licet efficienter sit etiam a Deo cooperante (n.619).

617. D. *Quarto,* SALVANTUR ETIAM OMNIA QUAE PERTINENT AD CREATURAM. Creatura habet triplicem indolem, nempe ut sit vere causa, ut sit libera et ut sit essentialiter dependens a Deo: et haec omnia salvantur in hac theoria.

a) Et in primis salvatur indoles *verae causae* secundae. Nam in hac theoria creatura habet virtutem proportionatam suis effectibus, nec debet recipere aliquid quo illis proportio-

netur: concursus autem est necessarius non ob improportionem cum effectu, sed solum ob essentialem dependentiam a Creatore.

b) Salvatur indoles *libera* eius, eo quod voluntas nullum habeat impedimentum libertatis. Impedimentum enim proveniret vel ex veritate futuribilis, vel ex circumstantiis, quibus positis, creatura factura est hoc determinate et non aliud, vel ex parte decreti, quod, licet sit indifferens, est tamen absolutum, particulare et efficax in actu primo: iam vero ex his capitibus non provenit ullum impedimentum libertatis.

Et *primo* non provenit *ex veritate futuribilis,* quia haec dependet a voluntate, et si voluntas aliud factura esset, sicut potest expeditissime, alia esset veritas futuribilis. *Secundo,* non provenit impedimentum *ex circumstantiis,* quibus positis, creatura factura est hoc determinate; nam hoc faciet de facto, quia volet, sed potest expeditissime facere oppositum. *Tertio,* non provenit impedimentum *ex parte decreti:* nam licet decretum sit virtualiter particulare et efficax et infallibile in actu primo, tamen est infallibile solum ab extrinseco, ex veritate futuribilis; quare si veritas futuribilis alia futura esset, sicut expeditissime potuit esse dependenter a voluntate creata, idem decretum non concurreret ad actionem hanc, sed ad aliam. Et hoc est idem ac dicere decretum illud obiective determinari a creatura.

c) Salvatur *dependentia essentialis* creaturae a Creatore. Nam creatura erit plene subordinata dominio et potentiae Dei, si creatura pendet ab illo in habenda essentia et virtute activa, et in conservatione, et in praerequisitis, et in actione quae tota fit a Deo simul cum creatura, et in effectu qui totus pendet a Deo simul et a creatura, et si a Deo pendet ut actiones creaturae sint potius hae quam illae et cum tali ordine et coordinatione cum aliis actionibus mundi irrationalis et rationalis; *atqui* haec omnia verificantur, ut patet; *ergo* per hoc decretum salvatur optime subordinatio creaturae ad Creatorem.

618. E. *Quinto:* PER ALIA SYSTEMATA HAEC OMNIA NON SALVANTUR; nam in systemate praedeterminationis physicae non salvantur sanctitas Dei, nec indoles verae causae quae competit creaturae, nec indoles causae liberae (n.593-597).

619. Scholium 1. *Maior declaratio decreti generalis et indifferentis.* Ut magis declaretur indoles decreti generalis et indiffe-

rentis, conferet distinguere aliquot signa rationis per quae ad illud pervenitur.

1) *In primo signo* habetur veritas conditionalis de futuro libero. In quo signo duo elementa possunt subdistingui.

a) Primum elementum est decretum generale et indifferens hypotheticum, quo omnipotentia coniungitur ad modum causae necessariae cum voluntate creata ad cooperandum cum illa secundum indolem eius: hoc decretum non est determinatum neque ex natura sua, neque ex praesuppositione ullius veritatis conditionalis, quae nulla adhuc praecessit.

b) Secundum elementum est actio simultanea Dei et creaturae, ex determinatione tamen craturae. Hoc vero non significat creaturam facere aliquid *prius Deo aut sine Deo, aut influere aliquid in Deum, sed solam voluntatem creatam esse indifferentem ad operandum in signo priore ante operationem*, nam Deus in illo signo iam est ligatus ex suo liberrimo decreto ut operetur secundum indolem creaturae, ad modum causae necessariae. Et habetur similitudo in voluntate ornata habitu caritatis. Voluntas *sola* dicitur determinare actionem habitus, non quia faciat aliquid ante habitum, aut sine habitu, aut quia influat aliquid in habitum, sed solum quia sola voluntas est indifferens ad operandum, et consequenter operante voluntate, operatur habitus, et ea non operante, non operatur habitus. Quae locutiones (vigilanter advertas) non significant voluntatem facere aliquid sine habitu aut prius habitu, aut influere aliquid in habitum, sed simpliciter solam voluntatem esse indifferentem in signo priore ante operationem. Similiter hic omnipotentia determinatur a voluntate, supposito quod Deus eam coniunxit voluntati ad modum causae necessariae ad concurrendum cum ea. (Haec omnia in statu hypothetico.)

2) *In secundo signo*, praesupposita veritate conditionali, decretum de purificanda conditione, seu de offerendo concursu ad omnia, habet ontologice efficaciam infallibilem in actu primo ut ponatur actus liber: sed illa efficacia est ab extrinseco, nempe ex veritate conditionali quae a creatura pendet, non ex natura decreti.

3) *In tertio signo* habetur scientia media de veritate conditionali.

4) *In quarto signo* habetur cognitio certa a Deo, quod purificatio conditionis, seu decretum de purificanda conditione, si poneretur, haberet ontologice et in actu primo efficaciam infallibilem ut poneretur actus praevisus per scientiam mediam: sed Deus videret illam efficaciam esse ab extrinseco ex veritate conditionali.

5) *In quinto signo* habetur purificatio conditionis post scientiam mediam, quae est decretum formaliter generale et indifferens coniungens iam de facto et non mere hypothetice omnipotentiam per modum causae necessariae cum voluntate creata, quod tamen est virtualiter particulare ex determinatione obiectiva creaturae.

6) *In sexto signo,* in tempore opportuno habetur actio externa quae efficienter est simul a Deo et a creatura, sed determinatur a sola creatura quoad denominationem libertatis, quia sola illa est indifferens in signo priore ante operationem: quod fit sine ulla imperfectione ex parte Dei, ad eum modum quo voluntas determinat habitum caritatis ad exercitium et intensitatem, non quia agat aliquid ante habitum, aut sine habitu aut quia influat aliquid in habitum, sed quia illa sola, et non habitus, est indifferens ad agendum.

620. Scholium. 2. *De concursu cum causis necessariis.* Deus coniungit etiam suam omnipotentiam cum causis necessariis ad concurrendum cum eis per decretum generale et indifferens, datum sub scientia conditionalium simplicis intelligentiae.

Decretum est *generale,* quia non datur titulo particulari, sed titulo communi essentialis dependentiae creaturae a Creatore in agendo. Est *indifferens,* quia Deus vult per illud decretum se accommodare ad indolem creaturarum; consequenter, quod actio sit canina vel bovina non determinatur a natura decreti, sed ab indole creaturarum et ab eius exigentiis, exhibitis per scientiam simplicis intelligentiae. Non est tamen indifferens *sicut pro causis liberis.* Nam his offert concursum secundum indolem earum; et quia indoles earum est ut pro singulis circumstantiis possint facere multa, Deus aequivalenter offert concursum ad multa; sed causae necessariae pro singulis circumstantiis non possunt facere nisi unum, et consequenter aequivalenter Deus non offert concursum nisi ad unum: sed tamen quod actio sit equina vel bovina, vel nunc et non postea, hoc est ex determinatione uniuscuiusque creaturae et non ex determinatione decreti. *Datum* sub scientia conditionalium simplicis intelligentiae et non mediae; nam scientia conditionalium simplicis intelligentiae versatur circa ea quae causa *necessaria* ageret necessario in determinatis circumstantiis, et scientia media versatur circa ea quae causa *libera* ageret libere, posita in determinatis circumstantiis (OM n.1083).

621. 2. *De concausatione per assistentiam extrinsecam.* Concursus duarum causarum potest fieri aut per inhaesionem unius causae in alia, aut sine ulla inhaesione. Sic habitus caritatis concurrit cum voluntate ad eandem actionem et effectum, inhaerens in voluntate. Sed Deus concurrit cum creatura ad eandem actionem et effectum per meram assistentiam extrinsecam, quia ipse non inhaeret. Potest Deus infundere quascumque virtutes velit et veluti potentias ut adiuvet creaturam et de facto fere semper facit; sed post haec omnia ipse immediate debet cooperari per suam omnipotentiam, et haec non inhaeret in voluntate, sed mere coniungitur moraliter per decretum aeternum cooperandi cum illa modo convenienti. Et hic modus concursus vocatur concausatio per assistentiam extrinsecam.

622. 3. Concausatio per assistentiam extrinsecam aliquando est per coordinationem, et aliquando per subordinationem. Datur *coordinatio,* cum utraque causa concurrit aequali titulo et sine dependentia unius ab alia, ut cum duo equi trahunt currum. In hoc casu non faciunt eandem actionem et effectum, sed unaquaeque facit suam actionem et effectum, qui in summam convergunt. Datur *subordinatio,* cum unaquaeque causa attingit totum effectum et actionem, sed superior attingit haec sub aspectu superiore, qui includit in sua extensione aspectum inferiorem, et inferior attingit haec sub aspectu inferiore, qui clauditur in extensione superioris. Sic Deus attingit actiones et effectus creaturarum, quatenus sunt contingentes; creatura autem attingit haec sub aliqua ratione particulari contingentiae, quae clauditur sub aspectu universali contingentiae (n.578).

623. 1. **Obiectiones.** (*Contra determinationem obiectivam decreti a creatura.*) Si creatura determinat obiective decretum Dei, Deus

dependet a creatura in volendo; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* creatura non determinat obiective decretum Dei. *Maior*: quia Deus volet quod velit creatura.

Dist. mai.: si determinat physice eius decretum, *conc.;* si solum obiective, *subdist.:* si hoc non fieret consequenter ad voluntatem Dei se accommodandi ad indolem creaturae, *conc.;* secus, *nego; et contradist. min.*

Deus solus est qui vult se accommodare ad indolem et exigentias creaturae: et quia indoles et exigentia creaturae est facere hanc actionem, ideo Deus vult concurrere ad hanc actionem particularem: ex quibus patet, quod creatura determinat decretum Dei obiective, solum exhibendo suam indolem et exigentiam per scientiam simplicis intelligentiae aut mediam; Deus autem determinatur obiective, quia ipse solus est qui vult se accommodare ad indolem creaturae, et ipse solus est qui, videns hanc indolem et exigentiam, consequenter ad illam voluntatem generalem, virtualiter et aequivalenter, vult actionem particularem. Nulla igitur dependentia est Dei a creatura.

624. 2. Deus concurrit, quia creatura se determinat; *ergo* prius est creaturam se determinare et postea Deum concurrere.

Dist. antec.: et per hanc causalem significamus aliquam praecedentiam actionis voluntatis prae actione Dei, aut duratione aut natura aut ratione, *nego;* significamus solummodo denominationes libertatis et vitalitatis soli deberi voluntati creatae et non Deo, *conc. Et contradist. min.* (cfr. n.619).

625. 3. Deus, iuxta te, offert concursum generalem ad id quod creatura facere voluerit: *ergo* prius creatura supponitur velle, et postea Deum concurrere.

Conc. mai., et nego cons. Nam sensus illius locutionis est quod Deus offert concursum ad omnia, quae creatura tunc *potest* facere cum iuvamine alius: unde operante voluntate, operatur et Deus; sicut habitus caritatis coniungitur voluntati ad omnes actus quos voluntas voluerit (n.619).

4. Prius est Deum videre per scientiam mediam quid creatura factura esset quam ut Deus decernat concurrere cum ea ad id quod praevidet facturam esse; *atqui* hoc significat prius creaturam facere aliquid et Deum postea concurrere; *ergo,* iuxta te, prius creatura facit aliquid, et postea Deus concurrit.

Dist. mai.: prius est Deum videre quid creatura factura esset sine concursu Dei, quam ut decernat concurrere de facto, *nego;* prius est Deum videre quid creatura factura esset cum concursu hypothetico Dei, quam ut decernat de facto verificare a parte rei illum concursum cum quo praeviderat creaturam operaturam esse, *conc. Et contradist. minor.*

626. 5. (*Contra decretum generale et indifferens.*) Si decretum concurrendi est generale et indifferens, Deus decernit concurrere in confuso et indeterminate; *atqui* hoc est indignum Deo; *ergo* decretum concurrendi non est generale et indifferens. *Maior:* quia decretum concurrendi habet hanc formam; decerno concurrere ad omnia quae creatura potest tunc facere.

Dist. mai.: si non detur sub scientia media, nec determinetur obiective a creatura, *conc.;* si detur sub scientia media et determi-

netur obiective a creatura, *nego; et contradist. min. Ad probat. mai., dist. assert.:* hanc formam habet formaliter, *conc.;* etiam aequivalenter et consequenter ad scientiam mediam, *nego* (n.611).

6. Per hoc decretum non salvatur sanctitas Dei; nam eodem modo Deus vult actus bonos et malos; *atqui* hoc est contra sanctitatem; *ergo* per hoc decretum non salvatur sanctitas. *Maior:* nam in utroque casu Deus praevidet quid creatura factura esset cum concursu divino, et eodem modo decernit purificare conditionem, et purificando conditionem eodem modo vult conditionatum.

Nego assert. Ad probat., nego mai. Nam in actibus bonis et vult eos voluntate antecedente, et postea decernit concurrere ut tales actus boni fiant. Sed in actibus malis, prohibet eos voluntate antecedente, et postea decernit concurrere ad omnia, ut fiant actus boni, non tamen cohibendo actus malos, sed permittendo physice (n.616 d).

7. In hac theoria non salvatur libertas. Nam si aliqua conditionalis est vera et verificatur conditio, non potest vitari conditionatum; *atqui* iuxta te, conditionales de liberis sub conditione futuris sunt verae, et per decretum generale et indifferens, purificatur conditio; *ergo* iam non potest vitari conditionatum seu actus voluntatis, ideoque non est liber.

Nego assert. Ad probat., dist. mai.: si est vera ex illatione, *conc.;* si est vera solummodo ex facto, *subdist.:* non potest vitari conditionatum impossibilitate antecedente, *nego;* impossibilitate consequente positionem actus, *conc. Et concessa min., contradist., cons.* (Plura in OM n.1074-1082).

ARTICULUS III

DE ORDINE SIGNORUM RATIONIS IN DIVINA PROVIDENTIA IN UTROQUE SYSTEMATE

627. Nexus. Ut clarius appareat indoles utriusque systematis, banneziani et molinistici, in explicanda providentia et gubernatione divina, exponemus ordinem signorum rationis providentiae divinae in utraque theoria.

628. A. Ordo signorum in systemate banneziano.

1. Scientia simplicis intelligentiae, per quam Deus cognoscit possibilia et libera conditionate futura in decretis subiective absolutis et obiective conditionatis.

2. Decernit creare hunc mundum potius quam alium ex possibilibus, ad certos fines naturales et supernaturales, et habet voluntatem antecedentem ut omnes salventur et operentur bene iuxta sanam rationem.

3. Decernit absolute efficaciter, et independenter ab omni scientia media et a meritis cuiusque, quinam determinate et singillatim sint salvandi, et quinam determinate non sint admittendi in caelum (quae est praedestinatio absoluta antecedenter ad merita absolute futura aut praevisa, et reprobatio negativa); et praefinit quinam actus boni in particulari sint faciendi a singulis (quae est praefinitio for-

malis actuum bonorum); et quinam actus mali quoad materiale peccati sint faciendi in particulari a singulis (quam dicunt permissionem peccati). Est signum praefinitionum formalium et praedestinationis absolutae ante praevisa merita.

4. Decernit dare praedeterminationes physicas ex natura sua irresistibiles ad haec omnia (ad salutem, ad actus bonos, et ad actus malos quoad materiale peccati). Est signum providentiae divinae.

5. Deus videt absolute futura, tam libera quam necessaria, in decretis et etiam in praedeterminationibus physicis, et in praesentia aeternitatis: est signum scientiae visionis.

6. In tempore creat mundum ad fines praestitutos sub n.2: est signum exsecutionis creationis.

7. In tempore conservat res creatas et dat praedeterminationes physicas praestitutas sub n.4: est signum gubernationis.

8. In tempore retribuit actualiter iuxta merita facta ex praedeterminationibus physicis: caelum aut infernum. Est signum retributionis finalis.

629. B. **Ordo signorum in systemate molinistico.**

1. Scientia *simplicis intelligentiae,* per quam cognoscit Deus pure possibilia in seipso et in seipsis.

2. Scientia *media* qua cognoscit libera conditionate futura in seipsis, praesupposita cognitione essentiae divinae.

3. Decernit absolute et efficaciter *creare* hunc mundum prae omni alio ex possibilibus ad certos fines naturales et supernaturales, et habet voluntatem antecedentem ut omnes salventur, et operentur iuxta rectam rationem. *Est signum decreti creationis.*

4. Sub lumine scientiae mediae Deus vult absolute verificare utramque conditionem, quae est et ponere creaturam in determinatis circumstantiis, et offerre illi concursum ad omnia, per decretum generale et indifferens datum sub scientia media, quod a solo Deo est *(et vocatur providentia);* tale decretum aequivalenter et virtualiter est particulare et efficax et infallibile in actu primo, ab extrinseco, ex veritate conditionalis (et haec est *praefinitio virtualis* respectu actuum bonorum, et *permissio* respectu actuum malorum).

5. Scientia *visionis,* qua Deus videt absolute futura in seipsis, praesupposito decreto de purificanda conditione.

6. Post praevisa merita vel demerita absolute futura, decernit absolute dare caelum *(praedestinatio* post praevisa merita) vel infernum *(reprobatio).*

7. In tempore creat mundum ad fines praestitutos sub n.3: *signum exsecutionis decreti creationis.*

8. In tempore conservat res creatas et concurrit simultanee cum illis: *signum gubernationis.*

9. In tempore retribuit actualiter caelum vel infernum iuxta merita vel demerita liberrime contracta: *est signum retributionis finalis.*

630. *N. B.* Post signum tertium et ante signum quartum congruistae introducunt signum speciale congruismi; congruistae autem sunt Suárez, Bellarmino, Valentia, Ruiz de Montoya, Lugo, quos nos non sequemur (Om n.1086-1096).

Hoc signum est tale: Sub lumine scientiae mediae Deus decernit absolute et antecedenter ad praevisionem absolutam meritorum quinam sint determinate salvandi (praedestinatio absoluta ante praevisa merita absolute futura); et quinam non sint admittendi in caelum (reprobatio negativa); et quinam actus sint faciendi a singulis in particulari (praedefinitio formalis actuum bonorum); sed nequaquam praedefinit quinam actus mali sint faciendi, sed solum eos permittit (signum permissionis). In reliquis omnibus signis conveniunt apprime congruistae et molinistae puri.

CAPUT VI

De Providentia et gubernatione divina

ARTICULUS I

DE PROVIDENTIA DIVINA

Thesis 50. Deus habet providentiam immediatam omnium, et peculiarem de homine.

631. S. TH., 1 q.22; 3 CG c.71; *De verit.* q.5; SUÁREZ, *De praedestinatione,* l.1 c.17; et l.6 c.4; IDEM, *De legibus,* l.2 c.3, et passim ubi agit de concursu; URRÁB., 2,1041-1091; BERAZA, *De Deo Creante* p.653-742; SYNESIUS, *De Providentia*: MG 66,1209-1280; *OM* n.1098-1111.

632. Nexus. Iam vidimus quomodo Deus sit origo omnium extra se. Ipse enim est fundamentum possibilium; ipse est causa efficiens omnium quae exsistunt, per creationem, per conservationem et per concursum; ipse est causa exemplaris omnium; et ipse est causa finalis omnium. Nunc tandem restat investigandum utrum etiam ipse Deus subministret rebus omnibus media ad suos fines sive proximos sive ultimum per providentiam et per gubernationem, de quibus agendum erit in duobus articulis sequentibus.

633. Notiones. PROVIDENTIA est conceptio et electio mediorum ut res suos fines assequi possint. Unde includit et

actum intellectus cognoscentis media apta ad fines, et actum voluntatis eligentis illa media. Est igitur actus immanens Dei, ideoque aeternus et a Deo indistinctus. In quo ex his actibus consistat providentia disputant auctores: utrum scilicet in actu intellectus, an in actu voluntatis, an in utroque. Certum tamen est requiri hos duos actus, sive unus sit essentialis et alius veluti praerequisitum, sive uterque actus sit essentialis (OM n.1112-1114).

Dicimus Deum habere PROVIDENTIAM OMNIUM, i.e. universalissimam, quia nulla est res vel minima, quae non cadat sub divinam providentiam et curam; ipsum etiam peccatum cadit sub divinam providentiam, non ut intentum, sed in quantum post illud praevisum sub conditione, permittit, et eligit media ut eius occasione bona obtineantur, quae sunt emendatio et paenitentia aut punitio peccatoris et ostensio attributorum divinorum, ut sunt iustitia vindicativa, clementia, patientia.

Dicimus esse IMMEDIATAM, quia ipse per se considerat media apta et eligit illa, et non relinquit hanc curam alii subordinato, v.c. angelis. Creaturae rationales etiam provident sibi, sed hanc providentiam non habent neque exercent nisi sub providentia superiore, quae est divina.

Dicimus PECULIAREM CURAM GERERE DE HOMINE, quia ei specialem finem constituit et specialia media subministravit ad illum finem.

634. Quomodo providentia DIFFERAT AB ALIIS ACTIBUS DIVINIS. Providentia distinguitur modo nostro concipiendi a decreto *creationis:* nam creatio non subministrat media ad fines, sed facit res de novo esse, et eis fines convenientes imponit, sive proximos, aptatos naturae cuiusque, sive remotos, qui sunt bonum universi, bonum creaturae rationalis et gloria extrinseca Dei. Differt ab *arte,* quia ars Dei est complexus idearum exemplarium, quae ostendunt lineamenta rerum faciendarum, non tamen rebus providet media. Non differt autem a *decreto generali et indifferenti* concurrendi, quod datur sub scientia media, sed est penitus idem. Sed tunc hoc decretum considerabatur ut modus coniungendi omnipotentiam cum causa secunda ad concurrendum cum ea (n.609), et nunc consideratur sub nomine providentiae, in quantum decernit et eligit media apta finibus creaturarum.

635. MEDIA QUAE SUBMINISTRANTUR CREATURIS consistunt in conservatione rerum ipsarum et in concursu eisdem oblato. Nam per conservationem et concursum singula possunt tendere ad suos fines proximos (qui sunt operari et evolvi

secundum proprium typum), et ad finem ultimum, qui est dare Deo gloriam obiectivam et formalem.

In ordine tamen supernaturali habentur speciales interventiones Dei, ut est infusio gratiae habitualis, institutio sacramentorum, missio Christi et doctrina et institutiones eius, creatio hominum sapientissimorum et sanctissimorum: quae creatio est providentia erga Ecclesiam, sed erga ipsos est creatio, non providentia.

636. Divisiones divinae providentiae. Providentia potest esse *physica et moralis:* physica est quae impenditur omnibus rebus in quantum entia physica sunt; moralis est quae impenditur entibus rationalibus in quantum habent finem moralem: et haec providentia consistit in lege et in doctrina et in mediis salutis. Lex aeterna aut naturalis non est tota providentia, sed pars providentiae.

Providentia potest esse *simplex providentia et praedestinatio.* Simplex providentia est quae impenditur iis qui damnandi sunt ex sua culpa; praedestinatio vero est providentia quae impenditur iis qui salutem de facto consecuturi sunt.

Providentia potest esse *frustrabilis et infrustrabilis. Frustrabilis* est si media quae subministrantur non conducunt de facto ad finem, ex impedimento causarum sive liberarum sive necessariarum. *Infrustrabilis* est ea in qua media de facto perducent ad finem, ex concursu causarum necessariarum sive liberarum. Haec infrustrabilitas in causis liberis non impedit libertatem, quia tota haec infallibilitas non debetur intrinsecae naturae decreti, sed est extrinseca ex veritate futuribilis, et scientiae mediae (n.618.619).

Providentia potest esse *primaria et secundaria. Primaria* est illa quae providet media ad fines quos intendit primaria intentione, seu non praesupposito ullo peccato; sic fines, quos vult primaria intentione, sunt ut homines agant iuxta rectam rationem et salventur, et media subministrata per providentiam primariam sunt leges, inspirationes. *Secundaria* est quae providet media ad fines quos intendit secunda intentione, seu praesupposito peccato; et sic praesupposito peccato, vult per accidens infernum aliquibus, et per se vult paenitentiam et emendationem omnibus.

Potest esse etiam *absoluta et relativa.* Absoluta est ea quae impenditur rebus quae non ordinantur aliis rebus creatis sed soli Deo, ut est ordo totius universi, animae humanae: his rebus nunquam deesse possunt media ex culpa cau-

sarum secundarum, sed semper habent media ad suos fines; sic si homo damnatur in aeternum, non est ex defectu mediorum, sed solum ex culpa propria. Destinatio ad limbum sane accidit ex defectu mediorum, sine culpa propria, sed non est amissio totalis finis, sed solum amissio finis supernaturalis.

Providentia potest esse *provisoris particularis et provisoris universalis*. Provisor particularis debet avertere omnia mala a rebus sibi commissis; provisor vero universalis curat res multorum ordinum, quarum aliae subordinantur bono vel dominio aliarum; et tunc eius providentia erit ut media provideat rebus secundum earum naturam: et ita res fortiores vincent inferiores; et ventus procellosus disperget grana seminum in terram fortasse siccam, unde et peribunt; alia vero in terram bonam, et germinabunt.

637. Status quaestionis. Statuta igitur notione divinae providentiae, quaeritur utrum ea sit attribuenda Deo.

Sententiae. *Prima* sententia negat divinam providentiam. Hi sunt: *primo,* qui Deum personalem non admittunt, ut athei et materialistae, pantheistae, idealistae; *secundo,* qui admittunt Deum personalem, sed nolunt eum intervenire in regimen mundi, et vocantur deistae, ut sunt: TOLAND, VOLTAIRE, CHERBURG, TINDAL, LESSING. Sic etiam ARISTOTELES, quia negavit Deo cognitionem rerum extra se.

Secunda sententia restringit divinam providentiam. Sic PLATO videtur restrinxisse divinam providentiam solummodo ad incorruptibilia, ut erant caeli, iuxta ipsum; providentiam hominis adsignavit daemoniis, seu geniis intermediis inter nos et deos; curam reliquarum rerum corruptibilium reliquit diis secundariis i.e. formis separatis sive angelis. STOICI volebant Deum providere rebus excellentibus, ut est homo, non rebus minimis: sed hanc ipsam providentiam erga hominem putabant destruere libertatem. CICERO, ne negaret libertatem, docuit Deum non habere providentiam de actibus liberis nostris. MAIMONIDES et averroistae dicebant Deum providere incorruptibilibus; corruptibilibus vero solum providere quoad species, non quoad individua, excepto homine, cui etiam in singulari providet Deus.

Tertia sententia dicit omnia pari providentia regi: sic manichaei volebant pariter omnibus provideri, bonis a Deo bo-

no; malis a Deo malo. Fatalistae dicebant tam rationalia quam irrationalia pari regula ferrea necessitatis regi.

Nostra sententia docet et Deum habere providentiam omnium, etiam rerum minimarum, et tamen habere specialem curam de homine; eaque est certissima in philosophia et de fide in Theologia [19].

638. Probatur thesis. I P. Deus habet providentiam immediatam omnium extra se.

Prob. 1. (Ex sapientia Dei et ex intentione finium.) Deus habet providentiam omnium rerum universalem et immediatam, si et ipse per se cognoscit omnes fines omnium rerum et omnia media apta ad hos fines obtinendos, et si ipse per se eligit omnia media ut tales fines possint obtineri; *atqui* ita accidit; *ergo* Deus habet providentiam universalem omnium rerum et immediatam.

Maior patet ex notionibus.

Minor. Ipse Deus *cognoscit* per se omnes fines et omnia media apta ad hos fines obtinendos, ob infinitam eius sapientiam. Ipse *eligit* media apta ut res singulae et omnes partes rerum possint obtinere suum finem: nam auctor sapientissimus, qui vult fines, vult et media; *atqui* ipse Deus est auctor sapientissimus mundi et per creationem statuit serio suos fines singulis rebus (secus Deus aliquid faceret sine fine); *ergo* et ipse vult dare omnibus et singulis media apta ad hos fines. Et tandem ipse *immediate* fecit hanc electionem, et non dedit alteri curam ut haec media in particulari decerneret. Nam ipse in tempore debet facere omnia per suum concursum; *atqui* quod Deus ipse in tempore faciet, ab aeterno ordinavit et decrevit; *ergo* ipse ab aeterno omnino omnia per seipsum ordinavit et decrevit.

Prob. 2. (A posteriori, ex miro ordine cosmico et morali.) Videmus in mundo haberi mirabilem ordinem quo singula suos fines obtineant, et mirabilem subordinationem per quam alia iuvant ad obtinendos fines aliarum rerum, v.c. in mineralibus numquam deficiunt leges combinationum, et vires utilissimae ad utilissimos influxus; in regno vegetali numquam cessat prolificatio plantarum et arborum quae tam copiose et salubriter subministrant cibum, vestem, domos, instrumenta: in regno animali non cessat prolificatio et con-

[19] Factum asserimus divinae providentiae, non vero asserimus vias eius esse claras, imo iuxta S. Scripturam nobis saepe sunt obscurissimae. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius* (Rom. 11,33).

servatio animalium, quae magnam utilitatem praestant homini et sibi invicem; in regno humano servatur sufficienter ordo mirabilis in regimine civitatum, ne sint speluncae latronum, in prole gignenda et educanda, in cultu debito erga Deum, in cultu scientiarum, in progressu constanti et in dominio circa materiam, etc.; *atqui* haec omnia disponuntur per divinam providentiam; *ergo* et exsistit providentia divina, et haec est universalissima et immediata.

Maior patet ex factis.

Minor. Nam haec omnia non accidunt *casu,* secus raro fierent, et non obtineretur constanter effectus qui nobis et rebus est utilis, sed effectus quilibet. Et si non accidunt casu, accidunt *per se* seu ex determinatione causarum; sed non accidunt ex determinatione causarum irrationalium; nam hae non concipiunt finalitatem cuiusque rei neque ordinant media ad illos fines; *ergo* accidunt ex determinatione causae rationalis, quae est Deus saltem remote [20].

639. II P. ET PECULIAREM PROVIDENTIAM HABET DE HOMINE.

(A priori.) Deus homini statuit finem specialissimum qui indiget specialissimis mediis; *atqui* qui vult serio finem, vult etiam serio dare media, si est agens sapientissimum, ut est Deus; *ergo* Deus homini providit media specialissima, proportionata suo fini specialissimo.

Minor constat, et *maior* declaratur. Deus enim homini imposuit glorificare formaliter Deum et servare ordinem rationalem, quem finem irrationalibus non imposuit. Ut autem hic finis obtineri possit necessaria sunt praecepta et sanctio proportionata, et praesertim, supposito quod ei statuit finem intrinsece supernaturalem, debuit ei providere media specialissima supernaturalia.

640. Scholia. 1. *De exauditione precum.* Ad providentiam moralem pertinet ut Deus exaudiat preces eisque satisfaciat. Sed quomodo eis satisfacit? Poterat fieri uno ex his modis: primo disponendo ab aeterno causas naturales ita ut in tempore res evenirent naturaliter sicut per preces postulandum praevidebatur. Alio modo scilicet non ita ordinando res ab aeterno sicut precibus praevisis respondet, sed interveniendo in tempore precum ita ut, licet occulte, tamen quasi miraculose res accommodentur precibus. Sic S. Thomas (3CG c.95.96).

---

[20] Argumenta a posteriori non dant plenam certitudinem de universalitate et immediatione divinae providentiae, sed praebent nobis optima facta quae explicantur per providentiam certo cognitam a priori. Cf. GISQUIÈRE p.412.

2. *De malis physicis et moralibus et Dei providentia.* Exsistunt in mundo ingentia mala et physica et moralia.

Et *mala physica* subsunt divinae providentiae. Ea enim Deus vult et intendit, non per se, sed per accidens. Et ea ordinat quidem *primo* ad bonum universi. Nam sine corruptionibus mineralium non essent plantae, sine plantis corruptibilibus non essent animalia, sine mineralibus, et plantis et animalibus corruptibilibus non bene provisum fuisset necessitatibus hominis. *Secundo* mala physica ordinantur etiam ad bonum morale hominis: ea enim sunt occasio satisfaciendi pro peccatis, exercendi magnas virtutes, et sunt media quibus Deus punit sontes. Qui autem multum exaggerant infelicitatem et miseriam et mala huius vitae, obliviscuntur hanc vitam esse solum viam ad aeternam vitam, et non advertunt illa mala esse brevissima in comparatione beatitudinis aeternae, quam per illa mereri possumus, et in comparatione peccati cuiuslibet a nobis patrati.

Mala autem moralia Deus non vult per se nec per accidens: nam ob suam sanctitatem non vult peccata directe, nec vult ea indirecte ut media ad fines bonos obtinendos. Cadunt tamen sub providentiam secundariam, quia supposito quod fiant peccata contra suam voluntatem antecedentem, vult ea compensare magnis bonis, ut sunt paenitentia reorum, patientia eorum qui ab iniustis patiuntur, punitio obstinatorum. Cur autem voluerit eligere hunc ordinem providentiae, in quo tot mala moralia sunt, cum potuisset ea facillime vitare, iam supra est explicatum, cum de origine mali (341-346).

3. *De facto, casu et fortuna. Fatum iuxta veteres gentiles est* necessitas omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpat, ut illud Seneca definit. In hoc sensu nullum est fatum, quia aufert libertatem a Deo et creaturis. Sensu latiore fatum est necessitas qua omnes eventus humani ligantur cum suis causis, consequenter ad decretum datum sub scientia media, statuendi hunc ordinem circumstantiarum. Et hoc modo datur fatum in mundo. Omnia enim eveniunt iuxta id quod Deus praevidit et quod decrevit decretis permissivis aut praedefinitivis.

Casus potest dici respectu intellectus et respectu causae agentis. Respectu *intellectus* est eventus impraevisus, cuius causa ignoratur. Respectu *causae agentis* est eventus, qui non accidit ex intentione causae operantis: sic tegula cadens occidit hominem casu transeuntem infra. *Respectu Dei* nullus est casus, ut patet, quia omnia praescivit et voluit intendendo aut permittendo. Sed respectu creaturarum multi sunt casus tam respectu intellectus, quam respectu causarum efficientium.

Fortuna est quaedam species casus: est enim eventus bonus vel malus, qui accidit praeter praevisionem et intentionem causae intelligentis. Sic inventio thesauri est fortuna bona, et inflammatio gazi in fodinis est fortuna mala. Et patet respectu nostri dari fortunam bonam et malam: non autem respectu Dei qui omnia praevidit et voluit intendendo ea vel permittendo[21].

[21] De casu agunt: BOUCHÉ, *Fatalisme:* DTC; RÉGNON, *Metaphysique des causes;* LECHALAS: RevNeosc (1903) 148-164; SUÁREZ, DM 19,11,12.

ARTICULUS II

DE GUBERNATIONE DIVINA

Thesis 51. Deus gubernat omnia creata.

641. S. TH., 1 q.103; 3 CG c.64; *De verit.* q.5 a.2.3; URRÁB., 2,1091-1108; *OM* n.1115-1126.

Notiones. GUBERNATIO Dei consistit in actuali actione per quam omnibus subministrantur a Deo media quibus dirigantur de facto vel dirigi possint ad fines suos tam proximos quam remotum. Consistit ergo in exsecutione divinae providentiae.

Gubernatio potest esse IMMEDIATA ET MEDIATA. *Immediata* dicitur si Deus per seipsum et per suam actionem intervenit in exsecutione divinae providentiae, et alia praeter ipsum, vel non interveniunt, vel saltem non ut causae principales, sed ut instrumenta improportionata ad actiones. Sic ipse solus conservat res subsistentes, et ipse solus instituit instrumenta salutis vel leges divinas; et contra utitur creaturis ut instrumentis in multis remediis salutis, v.c. aqua ad producendam gratiam, sacerdotibus ad condonanda peccata et conficiendum sacramentum eucharistiae.

Mediata esset si vel ipse nihil faceret in exsecutione divinae providentiae, sed omnia ageret per causas secundas; vel si ipse exerceret actiones gubernandi ut causa prima, ita tamen ut etiam causae secundae intervenirent tamquam causae principales suarum operationum, quibus diriguntur in fines: et sic Deus per causas secundas perducit organismos ad debitam evolutionem et ad actiones quibus illi obtinent suos fines; et hoc modo exercet pleraque opera gubernationis.

Nos dicimus Deum gubernare omnia; partim *immediate,* ita ut solus operetur, ut in inspirationibus divinae gratiae, in illuminatione prophetarum, in creatione tot animarum rationalium, in conservatione rerum subsistentium; partim vero *mediate,* non in hoc sensu, quod ipse nihil agat, semper enim debet concurrere ut causa prima, sed in hoc sensu, quod interveniant etiam causae secundae: et in hoc casu Deus potest dici gubernare mundum ut *architectus,* qui solus concipit media et ordinationem eorum et dispositionem rerum ad finem,

et ut *cooperator* immediatus qui cum omnibus concurrit; et etiam ut habens *multos ministros* quorum unusquisque facit suum opus et suam directionem ad finem sub directione supremi architecti.

Media quae de facto subministrantur sunt quaedam instituta quae procedunt a solo Deo, ut leges et media salutis supernaturalis, et praeterea conservatio rerum, creatio tot animarum in generationibus hominum, et praesertim concursus: per haec enim res tendunt vel possunt tendere ad suos fines proximos et remotos.

Gubernatio differt *a providentia,* quia providentia est actus immanens solius Dei, et aeternus; et contra gubernatio est actio externa, temporalis et quae non est a solo Deo, sed est etiam a creaturis concurrentibus cum Deo.

642. Status quaestionis. Quaeritur ergo utrum gubernatio sic explicata sit admittenda.

Sententiarum diversitas est eadem quae exposita est in providentia.

Nostra thesis est certa in philosophia et de fide in theologia.

643. Probatur thesis. Gubernatio enim est actu subministrare media singulis ad fines suos sive proximos sive ultimum; *atqui* Deus haec media subministrat; *ergo* Deus gubernat omnia.

Maior patet ex notione ipsa gubernationis. *Minor* probatur: quia Deus in tempore facit omnia secundum decreta providentiae, secus esset inconstans; *atqui* ipse per providentiam divinam decrevit singulis ministrare media ad suos fines; *ergo* et in tempore Deus illa ministrat.

644. Scholium. Quaeritur utrum *solus Deus gubernet mundum,* an etiam creaturae? Et ratio dubitandi est quia gubernatio consistit in subministratione mediorum ad fines obtinendos, v.c. in acquisitione meritorum ad vitam aeternam, et illa adquisitio est etiam a creatura, cooperante Deo. Respondemus adhuc in hac hypothesi *Deum solum* gubernare mundum, et non creaturas; creaturae cooperantur in opere intento vel permisso a Deo; sed ille solus dicitur gubernare qui facit res et quidem iuxta decreta sua a se solo concepta et condita, licet alii interveniant in exsecutione; *atqui* solus Deus est qui ita intervenit ut exerceat id quod ipse decrevit,

licet alii cooperentur in opere; *ergo* solus Deus gubernat omnia, licet non ipse solus faciat actiones in quibus consistunt media ad fines.

645. Obiectiones. 1. Providentia est idem ac prudentia et importat consilium et deliberationem; *atqui* in Deo non potest esse consilium aut deliberatio; *ergo* non potest esse providentia.

Dist. mai.: in ente, quod non sit infinite sapiens, *conc.;* in ente infinite sapiente, *nego. Et concessa min.. contradist. cons.:* si exigeretur semper consilium et deliberatio, *conc.;* secus, *nego.*

2. Quae sunt iam ex se determinata ad suos fines, non indigent gubernante; *atqui* plurima sunt, quae iam ex se determinata sunt ad suos fines; *ergo* illa non indigent providentia.

Dist .mai.: si ex sua essentia haberent etiam omnia praerequisita et media, *conc.;* si autem ex se non habent praerequisita et media, *nego; et concessa min., contradist. cons.*

3. Qui sibi providet, non indiget ut alius de eo provideat; *atqui* homo iam sibi providet; *ergo* non indiget providentia aliena.

Dist. mai.: qui sibi providet cum independentia a provisore alieno, *conc.;* si autem sibi providet sub dependentia essentiali ab alio, *nego; et contradist. min.*

4. Quae sunt contraria, non providentur ab eodem; *atqui* in mundo sunt infinita contraria, ut sunt entia quae corrumpunt alia, et haec quae resistunt corruptioni, v. c. animalia parva et magna; *ergo* non omnia entia mundi providentur ab eodem Deo.

Dist. mai.: ab uno provisore particulari, *conc.;* a provisore universali, qui curam gerit ita ut curet alia esse subordinata aliis, *nego; et concessa min., contradist. cons.;* ab uno provisore particulari, *conc.;* ab uno provisore universali, *nego.*

646. 5. Si Deus specialem curam gereret de homine, non essent tot oppressiones, tot morbi, tam inaequalis distributio bonorum; *atqui* tamen haec deordinatio invenitur; *ergo* Deus non habet specialem curam de homine.

Dist mai.: si providentiam gereret hominis solum ad finem mundanum et temporalem, *conc.;* si autem curam eius gerit ad finem aeternum, *nego; et concessa min., contradist. cons.*: si haec cura ordinaretur solum ad finem temporalem, *conc.;* si etiam dirigitur ad finem aeternum, *nego.*

6. Si Deus specialem curam gereret de homine, is non deviaret a fine suo saepius quam ceterae res irrationales; *atqui* deviat a fine suo proprio, qui est honorificare Deum, saepius quam res irrationales quae numquam deviant a suis finibus; *ergo* Deus non gerit specialem curam de homine.

Dist. mai.: si homo non haberet libertatem, sicut bruta, *conc.;* si autem habet libertatem, et eam defectibilem et valde tentatam ad malum, *nego; et concessa min., contradist. cons.:* et hoc dicendum esset si non haberet libertatem, *conc.;* secus, *nego.*

7. Sapiens provisor, qui praevidet mala, ea removet quantum potest; *atqui* Deus praevidet tot mala physica et moralia, et non removet; *ergo* non providet vel non sapienter providet.

Dist. mai.: si est provisor particularis, cui specialis cura demandata est ab alio, et debet sanctificari suis actionibus externis, et

non potest mala ordinare infallibiliter in bonum, *conc.;* si autem est provisor universalis, qui non pendet ab oboedientia ullius, et qui non debet acquirere suam sanctitatem ex actionibus externis, et qui infallibiliter potest mala in bonum vertere, *nego; et concessa min., contradist. cons.;* si Deus ageret ut provisor particularis, pendens ex oboedientia alius, et si deberet sanctificari actionibus externis, et qui non posset mala in bonum convertere infallibiliter, *conc.;* secus, *nego.*

8. Si Deus permittit tot mala ut obtineat bona, v.c. ut ostendat iustitiam vindicativam et clementiam, et ut obtineat paenitentiam a peccatore, dicendum est Deum intendere haec bona, et velle saltem per accidens peccata, quae sunt conditio necessaria ad illa bona; *atqui* hoc principium est immorale, quia Deus faceret mala ut evenirent bona; *ergo* Deus non permittit peccata ut obtineat bona, sed simpliciter sunt extra providentiam Dei.

Concedo totum argumentum, et *distinguo* ultimum *consequens:* peccata sunt extra providentiam intentivam, *conc.;* extra providentiam permissivam, et secundariam, *nego.* Deus non intendit peccata in ullum finem bonum; sed, posito quod contra suam voluntatem fiant, vult ea compensare magnis bonis, ut sunt paenitentia, patientia, humilitas et ostensio divinae iustitiae vindicativae.

EPILOGUS

647. "Quid credo cum Deum esse credo? Adiuva, Domine, incredulitatem et imbecillitatem meam. Credo te illud esse, a quo omne habet esse quod est. Credo te complecti omne illud esse quod aliquid est. Credo te esse quod semper fuisti, et fuisse ante omne quod fuit. Credo te hic esse cum omni esse, et ubique esse quod hic es. Credo te constanter fore quod ab aeterno fuisti, et nunc esse quod in aeternum futurus es.

"Da mihi, Domine, ut comprehendam cum omnibus sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum divinitatis tuae: ut a me totus cogitatione et affectu deficiens, in illud pelagus immergar ibique perdam meipsum et creata omnia, nihil aliud attendens, nihil aliud sentiens, amans, desiderans, aut requirens amplius, sed in te solo acquiescens, et omne bonum in te possidens et perfruens. Sicut enim essentia tua infinita est et immensa, ita omne bonum quod in te est, infinitum pariter et immensum est. Quis adeo avarus est, ut infinitum et immensum bonum ei non satis sit? Nihil ergo extra te quaeram aut desiderem, sed tu mihi sis instar omnium, et supra omnia, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum (Lessius, De perfectionibus moribusque divinis, 1.2 c.4).

"Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara sint mihi omnia tua, et tu, Deus meus, plus quam omnia. Quid enim sunt cetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt et vanitas omnes divitiae et deliciae omnisque gloria huius mundi, quae misere oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quae in te sunt, cognoscere et perspicere valeant.

"Nihil igitur illorum amem aut aestimem, sed te solum

et bona tua, quae in te recondita, quae tu ipse es, quibus fruentur in aeternum, qui hisce caducis contemptis, tibi inhaeserint. Amem te supra omnia et semper serviam tibi: quia infinite melior es omnibus, et dignus ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis servitus tibi ab omni creatura in omnem aeternitatem deferatur et impendatur, amen" (Lessius, ibid., 1.1 c.7).

TRACTATUS II

Philosophia Moralis

AUCTORE

P. IRENAEO GONZÁLEZ MORAL, S. I.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Tres sectiones distinguimus: nempe auctores classicos, auctores scho lasticos recentiores, qui latine scripserunt, tandem auctores recentiores in linguis vernaculis.

Auctores classici

S. Thomas Aquinas (1225-1274), qui omnes fere quaestiones morales pertractat maxime in 2.ª parte *Summae Theologicae;* in *Summa contra Gentes;* et in Commentariis *in libros Ethicorum et Politicorum* Aristotelis.

Suàrez, F. S. I. (1548-1617), qui etiam fere omnes quaestiones philosophiae moralis agitat, modo exhaustivo, ut solet. Maioris momenti sunt pro nostra quaestione eiusdem opera: *De ultimo fine hominis ac beatitudine; De humanorum actuum bonitate et malitia; De passionibus et habitibus; De vitiis atque peccatis* (ed. Vivés, vol. 4); *Defensio fidei contra Iacobum regem Angliae* (ed. Vivés, vol. 24); *De legibus* (ed. Vivés, v.5-6); *De opere sex dierum* (ed. Vivés, vol. 3).

Lugo, I. de, Card. (1583-1660), in suo egregio tractatu *De Iustitia et Iure* (ed. Vivés, vv.5,6,7).

Billuart, C. O. P., *Cursus Theologicus.* Nobis maxime interest comment. in 1.2 S. Thomae. Eminet claritate, et copia doctrinae.

Auctores scholastici in lingua latina

Notemus solum praecipuos:

Van der AA. J. S. I., *Praelectionum Philos. Schol. brevis conspectus, Ethica* (Lovanii 1889).

Cathrein, V. S. I., *Philosophia Moralis in usum scholarum* (Friburgi B. 1935).

Castelein, A. S. I., *Institutiones Philosophiae Moralis et Socialis* (Bruxelles 1899).

Costa-Rossetti, J. S. I., *Philosophia Moralis* (Oeniponte 1886).

Donat, I. S. I., *Ethica generalis et specialis* (Oeniponte 1941).

Ferreti, A. S. I., *Institutiones Philosophiae moralis* 3 vol. (Romae 1894-1896).

Ferreti, A.—Orzechowski. S. I., *Ethica* (Romae 1925).

Frins, V. S. I., *De actibus humanis* 3 vol. (Friburgi B. 1897). In hac determinata quaestione de actibus humanis exhaustivus.

Güenechea, I. S. I., *Principia Iuris Politici* 2 vol. (Romae 1938-39). Copiosa bibliographia, maxime auctorum hispanorum.

Lehu, O. P., *Philosophia Moralis et Socialis* (Parisiis 1914): Ex praecipuis ex schola thomista inter hodiernos.

MACKSEY, C. S. I., *De Ethica naturali* (Romae 1914).
MARCELLUS A PUERO IESU C. D., *Philosophia moralis et socialis* (Burgis 1912).
MENDIVE, I. S. I., *Institutiones Iuris Naturae* 2 vol. (Vallisoleti 1885).
MEYER, Th. S. I., *Institutiones Iuris Naturae* 2 vol. (Friburgi B. 1885-1900). Opus vere germanum, profundum, exhaustivum, sed obscurum.
NIVARD, M. S. I., *Ethica* (Parisiis 1928).
SCHIFFINI, S. S. I., *Disputationes Philosophiae Moralis* 2 vol (Augustae Taurin 1891). Valde metaphysicus.
TOCCAFONDI, E. T. O. P., *Philosophia Moralis generalis* (Romae 1943).

Multi alii inveniuntur auctores qui cursum completum philosophicum ediderunt, proinde etiam Ethicam, ut v.c. MARIANI, CALGAGNO, GREDT... qui in genere initio cursus philos. citantur.

Auctores in linguis vernaculis

BAUDIN, E., *Cours de Philosophie Morale* (Paris 1936). Cursus moralis omnino completus et recto criterio expositus.
CATHREIN, V. S. I., *Moralphilosophie* 2 vol. (Leipzig 1924). Adest versio itala facta ab Enrico Tommasi e 5 germana (Firence 1913). Est opus vere egregium.
JOLIVET, R., *Traité de Philosophie. IV: Morale* (Lyon-Paris 1945).
LECLERQ, J., *Leçons de droit naturel* 5 vol. (Namur 1933-1937). *Les grandes lignes de la Philosophie Morale* (Louvain 1947). Forma amoena, nimis forte diffusa, magna copia documentorum hodiernorum exponit maxime quaestiones quae ad Ethicam specialem spectant.
MÁRQUEZ, G. S. I., *Filosofía Moral* 2 vol. (Cádiz 1943).
QUINTANA, F. S. I., *Resumen de las explicaciones de Derecho natural* (Bilbao 1910).
SORTAIS, G. S. I., *Morale* (Paris 1924). Eminet claritate et copiosa bibliographia.
TAPARELLI, L. S. I., *Saggio di diritto naturale* 2 vol. (Roma 1840). Exsistit versio hispana facta ab ORTI y LARA 3 vol. (Madrid 1884). Est auctor valde classicus.

Alia opera optime scripta, quae potius pertinent ad ius positivum, exponunt etiam quaestiones plurimas iuris naturalis et quidem optime. Inter haec opera eminent in lingua hispana:

BALMES, J. (1810-1848), omnia eius opera sunt valde commendanda pro studio philosophiae moralis, speciatim vero eiusdem: *Etica* Obras Completas, B. A. C., v.3), *Escritos políticos* (v.6-7), *Escritos sociales* (v.5), *El Protestantismo comparado con el Catolicismo* (v.4).
MENDIZÁBAL, A., *Tratado de Derecho natural* 3 vol. (Madrid 1928-1931).

Auctores qui maxime *pro parte sociali* inserviunt suo loco enumerabuntur

Uberior explanatio omnium fere theseon invenitur in meo opere GONZÁLEZ MORAL, IRENAEUS: *Philosophia moralis* 3.ª ed. (Edit. Sal Terrae, Santander 1952) quam audemus lectoribus commendare.

INTRODUCTIO

CATHREIN, *Fil. Mor.*, 1,1-30; DE BROGLIE, *fine ultimo vitae humanae* (1948) 7-29; E. DUBLANCHY, *Morale. Histoire sommaire:* DTC 10,2435-2453; JANET, *Histoire de la science politique* 2 vol. (1872); DITTRICHT, *Geschichte d. Ethik* (1926). Conferri praeterea fructuose poterunt historiae Philosophiae, maxime: UEBERWEG, *Grundriss d. Geschichte d. Philosophie* [12] (1926); DOMÍNGUEZ, *Historia de la Filosofía* [6] (1946); KLIMKE, *Historia de la Filosofía* (1947); SCHWIENTEK, A., *El orden moral según los principios de Sto. Tomás:* CiencTom 64 (1943) 293-326; necnon Enciclopedia Hispano-Americana, Espasa, verbum Etica; ac Enciclopedia Italiana, Trecani, verbum Etica.

§ 1. De relatione Philosophiae Mor. ad reliquam Philosophiam

1. PHILOSOPHIA MORALIS non est pars a reliquis partibus philosophiae seiuncta, sed intime cum illis connexa.

RELATIONES CUM LOGICA

Aliquae inter utramque similitudines, aliae vero differentiae inveniuntur, mutuus tamen influxus intercedit.

2. 1.° SIMILITUDINES POTIORES habentur:

a) *In fine:* utraque est scientia normativa, practica.

b) *In fundamento;* utraque psychologiam praesupponit, quia eget cognitione facultatum, quas dirigere debet.

c) In methodo: utraque eamdem divisionem habet. Primo quaedam pars formalis. Deinde habetur alia pars materialis, particularis.

2.° DIFFERENTIAE inter utramque disciplinam sunt:

a) *In conclusionibus:* aliae per evidentiam imponuntur; aliae vero etiam propter suam claritatem intellectui imponuntur, sed maxime imponuntur voluntati per suam auctoritatem imperantem; sunt praecepta adimplenda.

b) *In ipsa impositione:* nam intellectus est facultas necessaria, voluntas vero libera, ideo logica et philosophia moralis quaestiones omnino dissimiles agitant.

3.° MUTUUS INFLUXUS inter utramque is breviter est:

a) Dependet Philos. mor. a Logica, quia voluntas, ut recta versus bonum tendere possit, in primis clare id videre debet.

b) E contra Philosophia moralis, etsi indirecte, magnopere etiam logicae inservit, cum praecipua errorum causa voluntas, passionibus deturpata, sit.

Relationes cum Psychologia

3. 1.° Differentiae praecipuae inter utramque numerantur:

a) *In obiecto formali:* Psychologia statuit regulas reales; Philosophia vero moralis regulas ideales, quae obligatoriae sunt, ideo est scientia normativa, cum psychologia sit theoretica.

b) *In obiecto materiali:* Psychologiae studium sese extendit ad totam animam, eiusdemque omnia phenomena speculatur. E contra Philosophia moralis solummodo considerat voluntatem, facta ordinis moralis.

c) *In ipso modo studendi:* Psychologia analysim operationum facit; Philosophia moralis regulas statuit, quibus anima, ut sit bona, sese debet conformare.

2.° Mutuus influxus inter ipsas adest:

a) Supponit enim Psychologiam Philos. mor., nam quaedam facta psychologica, v. c. iudicia moralia, sensus morales, libertas, habitudines, passiones, necessario a philosopho morali praesupponi debent. Ab iis enim ratio notiones boni, obligationis, personalitatis, responsabilitatis, meriti vel demeriti, virtutis... deducit.

Praeterea Philosophia moralis, ut ideale morale construere possit, naturae humanae studere debet, solum enim ex eiusdem studio, ut est de facto, qualis esse debeat, determinare potest.

b) Vicissim Philosophia mor. in Psychologiam influit, nam ut haec hominem bene cognoscere possit, non debet tantummodo inferiores typos observare, sed illos qui melius in praxim regulas moralitatis deducunt.

Relationes cum metaphysica, praesertim cum Theodicea

4. Triplex responsio: 1.ª *Nulla relatio inter Philosophiam moralem et metaphysicam adest.* Nam Philosophia moralis, cum sit omnino independens, omnem solidaritatem cum qualibet religione et philosophia repudiare debet, et principium moralitatis extrahere ab aliquo facto experientiae unicuique a propria conscientia testato, cum homo cogitat de propria dignitate personali et inviolabili.

Hac separatione et independentia ab omni metaphysica Philosophia moralis fit vera scientia, a servitute theologiae emancipata, atque ab omni errore et incertitudine libera. Ita agnostici, positivistae, moralis laicae defensores [1].

2.ª *Philosophia moralis est fundamentum metaphysicae* ac maxime Theodiceae. Defenditur praecipue a Kant (1762-1814) atque ab eius sectatoribus. Kant, cum in Critica rationis purae intellectus incapacitatem realitatis absolutae, transcendentis, percipiendae statuisset, in Critica rationis practicae notionem obligationis sese imponere ut necessariam et evidentem demonstrare conatur. Cum vero haec notio obligationis tria postulata metaphysica necessario includat scilicet; libertatem, immortalitatem animae atque Dei remuneratoris exsistentiam, concludit Kant haec tria exsistere.

Hoc pacto metaphysica, quae impossibilis rationi theoreticae vi-

[1] Guyau, I. M., *Esquisse d'une morale sans obligations ni sanction* ed. 20 (Paris 1930). Versio Hisp. *Esbozos de una moral sin obligación ni sanción* (Buenos Aires 1944).

debatur, ut realis per rationem practicam apparet. Metaphysica ergo in Philosophia morali fundatur. Multi auctores hodierni, pragmatistae et immanentistae, hanc sequuntur viam, argumenta metaphysica ad probandam exsistentiam Dei reiicientes, v. c. BERGSON (1859-1941) E. LEROY (1870)[2].

3.ª *Metaphysica a Philosophia morali praesupponitur.* A philosophis moralibus traditionalibus sustinetur, speciatim ab scholasticis omnibus. Philosophia ergo moralis demonstratam supponit Dei Creatoris et Supremi remuneratoris, necnon huius mundi Ordinatoris exsistentiam[3].

§ 2. Conceptus Philosophiae moralis

5. Philosophia moralis: *est scientia quae versatur circa rectitudinem actuum humanorum ex ultimis rationis principiis.*

DEFINITIONIS EXPLICATIO: 1. *Philosophia moralis*: vocatur etiam philosophia morum, vel Ethica, nam saltem usu nomen Ethica exclusive philosophiae morali, non vero theologiae applicatur.

2. *Scientia:* ergo systema veritatum demonstratarum de eodem subiecto. Non est igitur mera classificatio legum circa actus humanos, neque simpliciter doctrina morum, quae haberi potest mere historice; Philosophia moralis est tractatus philosophicus scientiae morum.

Potest dici etiam *ars,* quatenus statuit regulas quibus voluntas dirigi debet versus bonum, docet enim artem bene moraliter vivendi. Sed est ars universalis et obligatoria.

3. *Actuum humanorum: obiectum materiale* circa quod versatur, *primarium* sunt actus humani seu morales seu qui ab homine procedunt modo sibi proprio, i. e. cum libertate et deliberatione; prout contraponuntur actibus hominis seu qui ab homine ponuntur quomodocumque; et *secundarium* est quidquid ad actus humanos refertur. Philosophia moralis agit de utroque obiecto materiali.

4. *Rectitudinem:* en *obiectum formale* philosophiae moralis. Considerat enim actus humanos prout sunt recti vel non. Rectum vero dici solet quod propriae regulae conformatur, seu quod tale est, quale esse debet. Agendo de homine rectus ordo ille est qui convenit homini quatenus est homo, seu rationalis. Hic ordo appellatur ordo moralis.

5. *Ex ultimis principiis:* nam philosophia debet assurgere ad ultima principia seu rationes; ex hoc vero distinguitur ab aliis scientiis subalternis quae versantur circa actus humanos, quin tamen ascendant usque ad ultimas rationes in suis investigationibus.

6. *Rationis:* ex hoc distinguitur a theologia morali, quae habet ut fontem praecipuum revelationem supernaturalem, atque demonstrat hominem sese conformare debere in suis operationibus cum principiis fidei. Philosophia vero moralis principia argumentationis ab ipsa sola ratione humana naturali desumit.

---

[2] Cf. DESCOQS, 2,333-439.
[3] 1 CG 3 prooem.; SUÁREZ, *De ult. fine hom.* prooem. 1.

§ 3. Fontes Philosophiae moralis

6. 1. **Ratio humana.** *Fons praecipuus* Philosophiae moralis est ratio humana; illa enim invenit et clare cognoscit principia quaedam moralia, certa, universalia, faciliter cognoscibilia ex quibus deinde alia principia derivantur.

2. **Experientia et historia.** *Fons secundarius,* qui tamen magnum habet valorem. *Experientia* in primis *interna,* propria, quae homini plenam naturae humanae cognitionem cum eiusdem indigentiis et necessitatibus et tendentiis suppeditat (psychologia rationalis et experimentalis); *experientia* deinde *externa,* aliorum, quae docet hominem positionem quam habet relate ad se ipsum, ad alios, ad societatem... (sociologia). *Historia,* quae campum nostrarum cognitionum et experientiae usque ad infinitum protendit, nobis fructus generationum praeteritarum subministrando.

3. **Revelatio supernaturalis.** *Non est proprie fons* in Philosophia morali, nam eius campus non nisi ad ea quae mens humana solis suis viribus naturalibus acquirere potest, extenditur. Philosophus tamen christianus revelationem supernaturalem prae oculis habere debet

Ut complementum: praecepta enim moralia ordinis mere naturalis—cum de facto simus elevati ad ordinem supernaturalem—, sunt imperfecta, et aliunde compleri debent.

Ut normam negativam, ne a veritate aberret, doctrinam revelationi oppositam defendendo. A Deo enim utraque revelatio, naturalis et supernaturalis, ut duo magna luminaria, provenit, quin contradictio inter illas exsistere possit. Quod ergo in una verum est, nequit in alia falsum inveniri.

Ut normam positivam, quo facilius in suis investigationibus iuvetur, cognoscendo terminum ad quem debeat pervenire[4].

§ 4. Methodus tenenda

7. METHODUS TENENDA debet esse *empirico-speculativa;* ab experientia facta certa et manifesta desumendo; ab speculatione vero principia generalia non minus certa, quibus illa facta perfecte et ultime explicentur[5].

8. REIICIENDAE igitur sunt METHODI quae negligunt vel experientiam, vel historiam, vel rationem naturalem, vel revelationem supernaturalem. Ita v. c.

1. *Asseclae theoriae iuris naturae purae* (ROUSSEAU 1712-1778) qui omnino praescindunt ab experientia, ab historia, et a revelatione, et construunt sibi aliquod ius naturale et quamdam ethicam ab ipsa natura humana abstracte considerata desumpta, arbitrario modo ab ipsis intellecta.

---

[4] Haec dependentia rationis a revelatione nullo modo ut inimica scientiae est habenda. Cf. optime BALMES, *Hist. de la Fil.* n.387-389 (BAC, 3,538); DESCOQS 2,311-332.

[5] Cf. DE BRUYNE, E., *Réflexion sur les Méthodes de la Morale:* RevNeoScolPh 38 (1935) 194-211; GUILLET, M., *La méthode philosophique de Sto. Thomas et l'experience: Ang 7* (1930) 145-168.

2. *Rationalistae:* qui, omni revelatione supernaturali reiiecta, non admittunt alium veritatis et falsitatis arbitrum quam rationem humanam (athei, deistae, rationalistae omnes).

Kant, etsi rationalista, cum revelationem supernaturalem neget, melius ad agnosticismum pertinet, affirmat enim rationem veritates obiectivas transcendentales cognoscere non posse, cum sint extra experientiam, ideoque illas admittit quadam fide rationali practica.

3. *Socialistae, racistae, statolatrae...* eodem modo revelationem supernaturalem reiiciunt, solamque rationem naturalem et historiam in servitium classis, nationis, vel stirpis admittunt.

9. 4. *Traditionalismus:* (LAMENNAIS, 1752-1854), qui tenet rationem per se non esse capacem veritatem ullam secure cognoscendi, maxime si referatur ad ordinem religiosum et moralem; unice mediante aliorum auctoritate, tandem in revelatione divina, per generationes successive transmissa, innixa, hoc esse possibile affirmat.

5. *Historismus*: iuxta quem sola historia est fons et magistra morum.

6. *Fideismus seu irrationalismus:* iuxta quos ratio res fidei cognoscere nequit. Iuxta KANT ratio speculativa incapax est fidem religiosam argumentis vere probativis defendendi; ideo pro rebus transcendentibus non restat nisi fides rationis practicae. Metaphysica est impossibilis; unice fides potest e naufragio universali aliquas veritates morales et religiosas salvare.

Nescimus autem utrum huic fidei religiosae aliquid obiectivum respondeat.

7. *Agnosticismus, positivismus:* aliquid simile tenent saltem quoad veritates religiosas. Negant nos supra cognitiones experimentales ascendere posse; omnem metaphysicam reiiciunt, ac philosophiam moralem ab omni hypothesi transcendente observationem sensibilem independentem construere volunt. Experientia, iuxta ipsos, est unicus fons veritatis. Hanc sententiam innumeri sectantur auctores, maxime in Germania.

8. *Evolutionismus:* in hac schola omnia evolutione proveniunt; spiritualitas inficiatur; omnia in homine legibus mechanicis, et necessariis subiiciuntur. Ethicae non est statuere quid homines agere debeant ut recte procedant, sed praedicere quid, cognitis legibus evolutionis, acturi sint.

9. *Scepticismus Moralis:* negat ullas leges esse morales universales et immutabiles. Sufficit determinare pro unoquoque casu concreto normam agendi. Hanc praecipue doctrinam sustinet schola sociologica.

§ 5. Partitio Philosophiae moralis

10. DUPLEX DIVISIO apud auctores invenitur. Alii enim philosophiam moralem in Ethicam et Ius naturae dispertiunt, alii vero in Ethicam generalem et specialem [6].

Prima divisio non omnino placet eo quod considerationi heterodoxae ordinem iuridicum a morali dissocianti ansam potest praebere.

[6] Cf. RazFe 34 (1912) 196-200; CiencTom I (1910) 90ss; MARCELLUS A PUERO IESU, n.12.

Ideo communius apud auctores *secunda divisio* usurpatur. Prima pars vocatur etiam ab aliquibus formalis; secunda vero materialis [7].

Qua in quaestione, modo caveamus dissociationem ordinis iuridici a morali, recte possumus una vel alia divisione uti.

Reiicienda videtur divisio, quandoque apud auctores adhibita, in Ethicam speculativam et Ethicam practicam. Nam Philosophia moralis, ut dictum est, tota est practica, cum sit tota normativa ordinis moralis.

In parte generali philosophiae moralis principia generalia moralitatis statuuntur, in parte vero speciali illa principia ad praecipuas hominis relationes in ordine individuali, familiari, sociali, internationali applicantur.

§ 6. **Conspectus historicus Philosophiae moralis**

11. *Omnes quidem gentes* de problemate morali egerunt uno vel alio modo; non tamen omnes ad eamdem solutionem pervenerunt.

I. Philosophia moralis ante Christum

Orientales omittamus: indos, chaldeos, aegyptios, sinenses... Etsi enim in illis diversa praecepta moralia a suis scriptoribus praescripta inveniantur, nominatim a sinis Laotse et Confutio..., modo tamen potius practico quam philosophico, nec systematice, hoc egerunt. Ideo potius ad praehistoriam philosophiae moralis sunt amandandi [8].

12. Apud Graecos. Graeci omnia iam fere systemata moralia philosophice exposuerunt, quae, cum tempore permixta habeantur, iuxta gradum perfectionis moralis enumerabuntur.

1. *Hedonismum* seu moralem voluptatis professi sunt Gorgias (n. c. 496) et praecipue Aristippus Cyrenaicus (435-355), pro quibus bonum supremum est voluptas, et quidem praesens, corporalis.

2. *Hedonismum mitigatum* defendit Epicurus (341-270). Voluptas est etiam supremum bonum. Sed cum non omnes voluptates eumdem habeant valorem, opus est inter illas seligere.

3. *Cynici* cum Antisthene (c. 444-369) et Diogene Sinopense (414-324) virtutem solam pro vero bono habent. Ad felicitatem, iuxta ipsos, sola virtus requiritur.

4. *Stoici* cum Zenone (342-270) quem sequuntur Cleanthes (331-233), Chrysippus (281-206), aliique reponunt summum bonum in virtute, i. e. in vita congrua cum ratione. Ad veram virtutem non sufficit actio externa, sed praeterea requiritur recta intentio.

Praescindendo a complexu doctrinali, pulcherrima testimonia moralia in stoicis inveniuntur [9].

5. *Socratica schola* ethicam ad gradum scientiae evexit. Nihil de ipso Socrate (470 ?-399) dicimus, cum eiusdem doctrina exposita inveniatur apud eiusdem praeclarissimos discipulos, maxime vero

---

7 Sortais, G., *Morale*, p.3.

8 Janet, P., *Histoire de la science politique* 1.1-69.

9 Janet, P., *Histoire de la science politique* 1,256-285; De Broglie, *De fine ultimo vitae humanae* p.10-12.

apud Platonem et Aristotelem, ita ut plerumque haud facile sit diiudicare quid magistro, quid vero discipulo sit tribuendum.

PLATO (427-347) est idealista. Primum concipit ordinem quemdam idealem, aestheticum quem deinde ad mores applicat. Summa felicitas, iuxta ipsum, consistit in assimilatione cum idea boni. Cum vero illam in hac vita homo consequi nequeat ad illam se idoneum reddere debet per exercitium virtutis[10].

ARISTOTELES (384-322) procul dubio princeps est inter omnes qui de re morali antiquitus scripserunt, cum de hac materia modo systematico et vere philosophico agat. Finis hominis est felicitas temporalis in vita conformi rationi reponenda. Via ad hanc felicitatem est virtus, quae libertatem supponit[11].

13. Apud Latinos. *Latini* non habent systemata moralia propria cum ipsi diversas Graeciae doctrinas sequantur. Inter alios qui de rebus moralibus egerunt eminent:

1. CICERO (106-43) eclecticus; ex diversis sententiis graecis seligit illas, quae ipsi arrident; generatim vero est aristotelicus, etsi magnum influxum ab scepticismo patiatur. Perpulchra apud ipsum testimonia inveniuntur de lege naturali, de valore conscientiae universalis in re morali, de honestate actionum ex conformitate cum natura rationali hominis, de malitia vel bonitate actionum independenter a consuetudine vel opinione hominum. Optime etiam de lege divina egit ut de fundamento legum humanarum et legis naturalis[12].
2. STOICI: inter quos excellunt EPICTETUS (50-120), M. AURELIUS (121-180) et praesertim SENECA (2-65) qui vocari plerumque solet magnus philosophus moralis antiquitatis.

II. PHILOSOPHIA MORALIS POST CHRISTUM

14. A. **Philosophia moralis Christiana.** 1. AETAS PATRISTICA (saec. II-VII). Hoc tempore non traduntur ex industria modo philosophico praecepta moralia. Doctrina moralis Patrum invenitur permixta cum doctrina revelata in suis contionibus, in commentariis ad Sacram Scripturam, vel in aliis scriptis asceticis. Ipsa expositio plerumque oratoria est, non didactica; ideo non semper illorum verba in rigore, sed ex contextu et fine interpretari debemus.

Patres apologetae (saec. II-III) permultas quaestiones exponunt maxime circa legem tam naturalem, quam divinam, optime agunt de conscientia; multaque alia praecepta moralia tradunt. Hoc tempore eminent: STUS. IUSTINUS (m. c. 165) et ATHENAGORAS (m. c. 177) Tempore subsequenti aliae etiam quaestiones exponuntur, maxime a CLEMENTE ALEXANDRINO (m. a. 215), ORIGINE (c. 185-254), CYPRIANO (200 ?-258), CHRYSOSTOMO (354-407), BASILIO (329-379), G. NAZIANCENO (329-c. 390)... Sed inter omnes Patres eminet STUS. AUGUSTINUS (354-430), qui fere de omnibus quaestionibus moralibus egit, magno ingenio, magna subtilitate, et vere philosophice.

15. 2. SCHOLASTICA MEDII AEVI (saec. XII-XV). Peculiaris huius aetatis nota est incrementum characteris scientifici et scholaris, hinc

---

[10] KLIMKE, *Hist. de la Fil.* 43-53.
[11] KLIMKE, *Hist. de la Fil.* 53-60.
[12] MAHIEU, L., *Cicerón moraliste: Son information et ses idees:* MélScRel 5 (1948) 89-108.

nomen doctrinae scholasticae. Ut fundamentum doctrinae ponitur philosophia graeca, maxime aristotelica, quam christianam reddere auctores huius temporis sunt conati. Nunc etiam in systema rediguntur doctrinae Patrum.

Innumerae eduntur *Summae* seu *Sententiae,* quibus in Synthesi offertur doctrina catholica universa, proinde etiam doctrina moralis et socialis. Apparent etiam tractatus speciales de contractibus, de usura, de modo gubernandi. Etiam hoc tempore in lucem prodeunt commentaria specialia in libros morales et politicos Aristotelis. Maximi huius temporis scriptores sunt: STUS. ALBERTUS (1206-1280), STUS. BONAVENTURA (1221-1274), SCOTUS (1270-? 1308) et omnium princeps STUS. THOMAS (1225-1274)[18]. Ab hoc tempore altiores inquisitiones et systematicae philosophiae moralis habentur, persaepe tamen cum theologicis permixtae.

16. 3. *Aetas florens scholasticae* (saec. XVI-XVIII) huiusmodi periodi scriptores universae philosophiae moralis tam principia generalia, quam specialia accuratissime pertractant. Occasione novorum factorum civilizationis, inventionis scilicet artis imprimendi, Americae detectionis, magnae exinde ortae expansionis commercialis et industrialis, aliorumque, omnia problemata moralia discutiuntur; determinatur notio iuris naturae et iuris gentium: tractatus de iustitia et iure innumeri et egregii eduntur. Inter alios huius temporis scriptores eminent: VITORIA (1480-1546), SOTO (1494-1560), MEDINA (1527-1581), BAÑEZ (1528-1604)... e familia dominicana; MASTRIUS (m. 1673), DUPASQUIER (m. 1718)... ex schola scotista; MOLINA (1536-1600), VALENCIA (1551-1603), LESSIUS (1554-1623), VAZQUEZ (1550-1604), LUGO (1583-1660) et maxime SUAREZ (1548-1617) e Societate Iesu.

Huiusmodi periodi character peculiaris in rebus exponendis est: universalitas, independentia, sensus realitatis et altitudo seu profunditas. Etsi plerumque adhuc tractatus philosophici et theologici rerum moralium misceantur, iam aliqui apparuerunt mere philosophici et independentes.

17. 4. *Scholastica restaurata* (saec. XIX-XX): saec XVIII exeunte et saec. XIX philosophia scholastica in ima decidit; sed medio saec. XIX conatus restaurationis tentati sunt; post aliqua tentamina, non semper feliciter perducta, tandem praeclari auctores prodiere qui doctrinas morales magna vi excoluerunt modo philosophico; speciatim agitatae sunt quaestiones circa societatem et circa relationes inter classes sociales. Inter hos auctores aliqui solummodo libros textus scripserunt, alii vero opera fusiora.

Duplex tendentia inter ipsos datur, plerique sequuntur doctrinas neothomistas, ita ut restauratio hunc specialem characterem habeat, maxime in Italia atque in Gallia; alii vero doctrinam suarezianam profitentur maxime in Germania atque in Hispania. Nostro vero tempore doctrinae Ethicae specialis maxime excoluntur, praesertim quaestiones oeconomiae socialis, et sic dictae "*quaestionis socialis*", necnon quaestiones circa auctoritatem civilem, circa formas regiminis, circa iura in educationem, denique circa societatem internationalem.

[18] Cf. GARRIGOU-LAGRANGE, R., *Thomas d'Aquin. Le commentateur d'Aristote, La morale:* DTC 15,648-651.

18. B. **Philosophia moralis non christiana.** 1. ANTE KANT. Post reformationem protestanticam apud viros scientificos invaluit doctrina de separatione rationis a fide. In rebus fidei et morum quodlibet individuum iudex supremus constituitur; hinc philosophia moralis excoli coepta est separatim a Theologia, et a revelatione. Luce revelationis reiiecta in innumeros incidit errores. Hi auctores, sicuti scholastici huius temporis, omnes quaestiones philosophiae moralis agitant, maxime illas quae ad legem, ad normam moralitatis, omnesque quae ad societatem civilem spectant. Praecipui auctores sunt BODIN (1530-1596), GROTIUS (1583-1645) et PUFENDORF (1632-1694).

MORALIA systemata longe a veritate aberrantia proposuerunt eodem saec. XVII HOBBES (1588-1679) et SPINOZA (1632-1677).

Exeunte saec. XVII, totoque saec. XVIII diversa systemata moralia exculta fuerunt, antiquos plerumque errores paganorum renovantia. Omnia tamen conveniunt in reiicienda morali traditionali christiana. Eminent: SCHAFTESBURY (1671-1713), HUTCHESON (1694-1747), REID (1710-1796), GASSENDUS (1592-1655), HELVETIUS (1715-1771), HOLBACH (1723-1789), SAINT-SIMON (1760-1825), SAINT-LAMBERT (1716-1803), LAMETRIE (1709-1751).... De his vero omnibus plura deinde dicenda sunt cum de norma moralitatis sermo sit.

19. 2. POST KANT. KANT (1762-1814), sicut alias partes philosophiae sic etiam penitus evertit moralem, novisque fundamentis eam construere est conatus. Omnes omnino veritates morales, de fine ultimo, de lege, de norma moralitatis, de iure..., prorsus mutat, cum traditionale philosophiae moralis fundamentum, scilicet: Deum, libertatem, animae immortalitatem, auferat, quae pro ipso sunt postulata rationis practicae (conscientiae) indemonstrabilia vero a ratione pura (intellectu).

Ab hoc tempore philosophi—fere omnes germani—, doctrinam kantianam uno vel alio modo sunt professi; omnes sunt pantheistae vel athei: FICHTE (1762-1814), HEGEL (1770-1831), SCHELLING (1775-1854), KRAUSE (1781-1832), SCHLEIERMACHER (1768-1834)...

Multi Philosophi saec. XVIII et XIX *positivismum moralem* professi sunt, ut: COMTE (1798-1857), STUART-MILL (1806-1873), PAULSEN FR. (1846-1908), ZIEGLER, liberales fere omnes, ac multi alii scriptores. Alii, ut HERBART (1776-1841) aesthetismum moralem, alii pessimismum sustinent ut SCHOPENHAUER (1788-1860) et HARTMANN (1842-1906); SPENCER (1830-1903) aliique evolutionistae utilitarismum sive privatum sive socialem; NIETZSCHE (1844-1900) moralem fortitudinis materialis.

Aliquos asseclas est assecutus *sociologismus* prout a DURKHEIM (1858-1917) et a LÉVY-BRUHL (1857-1939) proponitur.

20. 3. Recentius Ethica *axiologica* apud aliquos praevaluit: M. SCHELER (1874-1928), A. MÜLLER, ORTEGA Y GASSET, DEL PRADO R...

Nostris diebus moralis *materialista marxista* apud non paucos favore gaudet.

21. Innumeros ergo videmus esse errores in philosophia morali antiqua et maiores adhuc in moderna, quae tota materialismo et utilitarismo est imbuta.

De iis vero systematibus fusius agemus cum normam moralitatis statuamus.

LIBER I

Philosophia moralis generalis

22. Conspectus generalis. Praemissa quaestione de ultimo fine hominis, agemus de actibus ipsis, quibus ad hunc finem pervenire debemus: ii vero actus vel in se ipsis physice considerari possunt vel moraliter, i. e. prout sunt digni laude vel vituperio in ordine morali. Tertio loco agendum erit de principiis horum actuum moraliter consideratorum, tam de principiis extrinsecis—de lege—, quam de principiis intrinsecis—de conscientia et de virtute—. Hac prima parte notiones generales iuris etiam includuntur [1].

CAPUT I

De ultimo fine ac de perfecta beatitudine hominis

ARTICULUS I

De ultimo fine extrinseco hominis

Thesis 1. Unica ratio movens Deum ad creandum est bonitas divina communicanda (I); finis vero qui ultimus omnium creaturarum est gloria extrinseca Dei (II); mere obiectiva creaturarum irrationalium, obiectiva et formalis creaturarum rationalium (III).

Haec questio tam in operibus philosophicis quam in theologicis de Deo Creante discutitur. Inter alios consuli possunt:

S. Th. 1 q.19 a.2-3 maxime a.3; q.44 a.1-4 maxime a.4; q.65 a.2; 1 CG, c.77-87; 3 c.17-22; Lessius, *De divinis perfect...* 1.14 c.1; Urráburu, *Cosm.* p.322-346; Cathrein, *Fil. Mor.* 1,112-118; Schiffini, *Disp. Metaph. sp.* 2,219-230; Martínez del Campo, *Phil. Mor. Gener.* p.16-32; Cruysberghs, *De hominis ult. fine. natur.* p.6ss; Beraza, *De Deo Creante,* p.107ss; Lercher, *Inst. th. Dogm.* 2.459ss; Dalmáu, *La bondad divina y la gloria de Dios fin de la creación:* EstEcles 20 (1946) 509-533; Stufler, *Die Lhere des heiliges Thomas von Aquin über des Endzwerck des Schöfung:* ZkathTh 41 (1917) 656-700; Pinard, *Creation:* DTC 3,2163-2173; Richard, *Fin dernière:* DTC 5,2477-2504.

[1] Sertillanges, A.-D., *Vrai caractère de la loi morale chez S. Thomas d'Aquin:* RevScPhTh 31 (1947) 73-76 brevem et optimam introductionem.

23. Nexus. 1.° Sunt autores qui tractatum incipiant a quaestione de conscientia[2]; alii vero ab actibus physice consideratis[3]; nonnulli ab actu ipso morali[4]; generatim vero incipi solet a fine ultimo; finis enim ultimus est principium omnium rerum moralium, nam antequam dirigamus actus nostros morales, sciendum nobis est quorsus illos dirigere debeamus.

2.° Supponimus ex Ontologia quae tradita fuerunt de bono ac de fine; ex Psychologia ens intelligens, quotienscumque operatur, semper propter aliquem finem agere, sive mediatum, sive immediatum[5]; in singulari quadam actione multiplicem finem simpliciter ultimum dari non posse[6]; in omni vero actione deliberata dari unum finem simpliciter ultimum[7]. Cum vero homo non casu nec frustra sit in mundo, sed propter aliquem finem efformatus, cumque in finibus repugnet processus in infinitum, necesse est ut homo propter aliquem finem ultimum sit creatus. Hoc etiam postulat ipsa naturae humanae constitutio, cum secus non haberet certum terminum suarum operationum.

3.° Investigare qualis sit hic finis ultimus, propter quem homo creatus est, en obiectum praesentis articuli. Ex Theodicea supponimus Deum esse Creatorem et gubernatorem sapientissimum; omnesque res in fines proprios, iuxta naturam uniuscuiusque, dirigere.

24. Notiones. FINIS: est id propter quod—efficiendum vel communicandum—aliquid fit.

EIUS DIVISIONES: finis potest esse 1.° a) *Qui* (=*obiectivus*): est illud quod intenditur, seu res in qua invenitur ratio appetitum movens. Potest esse: *efficiendus*: si quis vult aliquid assequi, vel obtinere; *communicandus*: si quis vult tantum aliquid diffundere seu communicare; b) *Quo* (=*formalis*): est ipsa consecutio boni intenti. Haec consecutio seu adeptio potest esse: *proprie talis,* quae correspondet fini efficiendo: *quasi-adeptio,* quae correspondet fini communicando; c) *Cui*: est subiectum vel persona cui illud bonum procuratur. Potest esse subiectum: *utilitatis,* cum finis est efficiendus et obtinendus per propriam adeptionem, *non utilitatis* cum finis est communicandus.

2.° a) *Operantis*: illud quod agens libere sibi proponit seu intendit; b) *Operis*: illud ad quod natura sua opus ordinatur. Hic finis operis potest esse: a') *internus*: si eiusdem possessione ipsa natura perficitur, eo quod operationibus vitalibus obtinendus est; b') *externus*: si mechanice et necessario obtinendus est.

3.° a) *Proximus*: qui immediate intenditur, sed ad alium

---

[2] SORTAIS, *Morale* p.1ss; BAUDIN, E., *Morale* p.47ss.
[3] VAN DER, AA., *Ethica* p.3ss; MENDIVE, I., *Ethica et Ius Naturae* p.4ss.
[4] MACKSEY, C., *De Ethica Naturali* p.7ss; DONAT, *Ethica Gen.* p.9ss.
[5] 1-2 q.1 a.1.
[6] 1-2 q.1 a.5.
[7] 1-2 q.1 a.4.

finem ordinatur; b) *Intermedius*: qui intenditur mediante alio fine proximo, et ad alium ordinatur; c) *Ultimus*: qui ad nullum alium ordinatur, et ad ipsum reliqui omnes ordinantur. Hic vero potest esse: a') *absolute ultimus*: qui non est propter alium et cuius gratia sunt omnia; b') *relative ultimus*: qui est ultimus in aliqua serie solum. Potest esse: *Negative*: ille in quo ultimo sistimus, quin ulterius excludamus alium finem, eo quod de illo non cogitemus; *Positive*: ille in quo finis ulterior expresse excluditur.

25. 2. BONITAS DIVINA: Ontologice sumitur, i.e illud pelagus divinum omnium perfectionum, seu illa totius esse plenitudo, quae est divina essentia.

26. 3. GLORIA. In genere est clara et frequens alicuius laus. Cum vero generatim de gloria formali sit sermo saepissime haec traditur notissima gloriae definitio: *clara cum laude notitia* (1-2 q.2 a.3 c.; 2-2 q.132 a.1 c), seu cognitio pervulgata, capax producendi aestimationem et laudem. Potest esse:

1.° INTRINSECA (invenitur in subiecto de quo est gloria): a) *Obiectiva* est interna perfectio quam quis habet, propter quam dignus est ut cognoscatur, laudetur, honoretur; b) *formalis*: est cognitio et amor quos quis habet propriae perfectionis.

2.° EXTRINSECA (ex parte alterius de quo est gloria): a) *Obiectiva*: est pulchritudo seu excellentia alicuius operis seu effectus, quae aliis exhibet perfectionem auctoris; b) *formalis*: est cognitio, amor et laus de excellentia alterius [8].

27. 4. ORDINATIO IN FINEM. Duplex distinguenda est: 1.° *Interna seu activa*: se habet ex parte hominis qui propria voluntate sibi finem praefigit ut in eum actiones suas dirigat. 2.° *Externa seu passiva*: se habet ex parte Creatoris, qui homini statuit finem seu terminum aliquem in quem suas operationes dirigere debet.

28. Status quaestionis. Materia investiganda huic quaestioni respondet: Ad quid Deus omnia ultimatim creavit? Quid a Deo ultimo in creatione, maxime creaturae rationalis, intenditur?

Haec vero quaestio dupliciter intelligi potest, prout verbum intenditur, in sensu stricto vel in sensu latiori sumatur. In sensu stricto importat tantum finem operantis, seu id quod agentem ad ponen-

[8] Cf. MICHEL, *Gloire*: DTC 6,1386ss.

dam actionem movet; in sensu vero latiore importat etiam medium propter aliud intentum, necnon effectum in alio intentum.

Si finis operantis consideretur ut vera causa finalis, qua agens ad operandum movetur, et si medium identificetur cum bono utili, tunc nullo modo quaestio proponeretur agendo de Deo, nam a nullo movetur ad agendum, nec quidquam Eidem prodesse potest.

Sed potest quaeri utrum adsit aliquid a Deo in se amatum, et intentum in se et propter se, quodque hac ratione recte dici possit in creatione rerum ultimatim Deum movere, seu a Deo ultimatim intendi tamquam finem operantis. Hoc quaeritur *in prima parte.*

In secunda vero considerando ipsum opus creationis quaeritur utrum ex ipso aliquid ultimatim intendat Deus, non sensu stricto sed *sensu lato,* tamquam medium ad suam bonitatem communicandam.

In tertia vero, quoniam diversae sunt creaturae, volumus videre quid sit illud ultimatim intentum ex rationalibus creaturis.

29. Sententiae. 1.ª *Materialistae, positivistae, pantheistae,* illique qui inficiantur causas finales, in genere sustinent adnumerandam esse inter *praeiudicia* hominum ignorantium sententiam sustinentem creaturas finem aliquem extrinsecum in suis operationibus habere.

2.ª *Alii asserunt* finem ultimum creationis, tam ex parte Dei, quam ex parte creaturarum esse felicitatem creaturarum. Sic DESCARTES, KANT, v. HARTMANN, et maxime HERMES, qui expresse asserit Deum creasse primario mundum non propter suam gloriam sed solum secundario; contrarium vanagloriam, egoismum, indigentiam in Deo supponeret, aut sine ratione sufficiente affirmaretur.

Positive affirmat Deum primario mundum creasse solummodo propter felicitatem hominis [9].

3.ª Iuxta aliquos catholicos finis qui ultimus *operis* in creatione est gloria extrinseca Dei, finis vero qui ultimus *operantis* est communicatio divinae bonitatis, qui fines separari possunt et debent. Ita STUFLER [10], BILLOT.

30. 4.ª *Nostra sententia.* Nos vero defendimus *in prima parte* bonitatem divinam communicandam esse finem qui ultimum creationis, si finis sumatur in sensu stricto.

In hoc aspectu maxime insistunt auctores tertiae senten-

---

[9] HERMES, *Intr. Philos.* q.2 § 71. Cf. *Concilium Col.* (1860): CL 5,291ss.

[10] STUFLER, J., S. I., *Die Lehre des heiliges Thomas von Aquim über der Endzweck des Schöpfers und der Schöfung:* ZkathTh 41 (1917) 656-700.— Cf. 1 CG 86.

tiae, qui existimant gloriam extrinsecam Dei non esse finem qui operantis creationis [11].

In secunda vero affirmamus ultimum finem qui etiam operantis creationis esse gloriam extrinsecam Dei, sumendo finem *qui* in sensu lato, tamquam medium intentum ad bonitatem divinam communicandam.

Hoc pacto bene distinguimus et concordamus quidquid boni invenitur in utraque sententia inter catholicos. Et affirmamus gloriam extrinsecam Dei non tantum esse finem operis, sed etiam finem ultimum operantis, seu Deum in creando gloriam suam extrinsecam in sensu lato intendisse, seu rectius Deum ultimatim intendisse creaturas esse ad gloriam suam.

Hoc attendentes generatim auctores, post LESSIUM, gloriam extrinsecam Dei ut finem creationis statuunt, qui modus loquendi, hodie saltem communior, cum Conc. Vat. concordat.

Inter scholasticos ergo lis est quoad modum loquendi. Quid in *tertia parte* defendamus planum est, nec indiget explicatione.

31. Probatur 1.ª Pars. Unica ratio movens Deum ad creandum est bonitas divina communicanda.

Aliqua ratio debet assignari propter quam voluntas libera Dei ad creandum moveri concipiatur. *Atqui* nulla alia assignari potest praeter divinam bonitatem communicandam. *Ergo* bonitas divina communicanda est ultima ratio movens Deum ad creandum.

Mai. Agens intellectuale cum rationabiliter operatur, propter aliquam rationem operatur, secus non poneretur operatio.

Min. a) *Illa ratio debet esse aliquid intrinsecum Deo*: nam Deus nequit moveri ab aliquo sibi extrinseco; tunc enim adesset aliquid extra Deum movens Ipsum Deum, nam finis comparatur ad voluntatem sicut movens ad motum. Hoc vero supponeret in Deo potentialitatem, dependentiam et imperfectionem.

b) *Est sua bonitas*: Ens summe ordinatum debet velle et amare omnia secundum ordinem bonitatis et amabilitatis. Iam vero divina bonitas est supra omnia bona amabilia, reliqua vero non nisi per participationem ab Ipsa habent bonitatem et amabilitatem. Ergo divina Bonitas est ultima ratio cur Deus omnia velit.

---

[11] Cf. GREYVAERS, J., *De hominis ultimo fine naturali:* CollMechl 15 (1945) 536-538.—Optime exponit totam hanc quaestionem DALMÁU, *La bondad divina y la gloria de Dios fin de la creación:* EstEcles 20 (1946) 509-533.

c) *Communicanda*: Dupliciter enim potest quis agere propter finem, nempe vel efficiendum vel communicandum; *atqui* Deus non potest agere propter bonitatem sibi acquirendam; nam est simpliciter infinitus, ideoque nihil indiget; est sumne bonus et beatus, ideoque nihil desiderat, est actus purissimus absque ulla potentia passiva, ideoque nihil recipere potest. *Ergo* agit propter suam bonitatem communicandam.

32. 2.ª Pars. Finis qui ultimus omnium creaturarum est gloria extrinseca Dei.

Finis qui ultimus *operis* creaturarum et finis ultimus *operantis* creatoris coincidere dicendus est. *Atqui* finis qui ultimus *operis* creationis est gloria Dei extrinseca. *Ergo* etiam finis qui ultimus Dei *operantis* in creatione est gloria extrinseca Dei.

Mai. Nam quamvis absolute finis operis et finis operantis possint esse diversi, tamen agendo de Deo, agente perfectissimo, et de fine ultimo et necessario creaturarum affirmandum est intentionem creatoris cum ultimo fine operis creationis prorsus identificari, seu Deum ultimatim intendisse ex creaturis finem operis creationis. Ipse est enim qui talem finalitatem in creaturis imprimit.

Min. Omnis creatura ultimatim ex sua natura non est nisi participatio quaedam aliquarum perfectionum divinarum, quas necessario exhibet, in quo consistit praecise gloria Dei extrinseca. Deus ergo ultimatim intendit et suam bonitatem communicare et participationem Ipsius a rebus creatis exhibitam seu gloriam extrinsecam Sui.

33. 3.ª Pars. Mere obiectiva creaturarum irrationalium, rationalium vero et obiectiva et formalis.

Ex natura creaturae. Omnis creatura ultimatim destinatur ad afferendam Deo gloriam modo quo potest. *Atqui creaturae* irrationales nequeunt Deo afferre nisi gloriam obiectivam, rationales vero et obiectivam et formalem. Ergo finis qui ultimus creaturarum irrationalium est gloria Dei obiectiva .

Mai. Evidens est, positis duabus prioribus partibus theseos.

Min. Creaturae irrationales solummodo possunt sua perfectione Divinam Bonitatem, a qua illam acceperunt, repraesentare; non autem possunt Illam agnoscere, neque laudare. Ideo haec varietas tam magna creaturarum irrationalium ut infinita Dei imitabilitas quodammodo repraesentetur (1 CG45).

34. Scholion. 1.° Relatio inter gloriam obiectivam et formalem. Gloria obiectiva est finis qui intermedius, ordinatur ad gloriam formalem. Gloria formalis Dei est finis qui ultimus creaturarum. Requiritur ergo in mundo creatura rationalis quae ad gloriam formalem Dei destinetur; secus mundus esset quasi liber sine lectore, vox sine audiente, altare sine sacerdote. Hoc saltem probabilius [12].

Non enim absolute repugnat, cum Deus omnino libere et unice ad suam bonitatem communicandam operetur, non vero ad aliquid assequendum, Ipsum velle communicare tantummodo perfectionem inferiorem, non vero perfectionem entis intellectualis.

35. 2.° Finis cui proximus creationis. Huiusmodi est creatura rationalis seu intellectualis, sicuti Divina Bonitas est finis cui ultimus creationis. Nam entia irrationalia destinantur immediate et proxime creaturis intellectualibus, et mediantibus iis, destinantur Deo. Dicimus destinari immediate creaturis intellectualibus, non solum hominibus, ut facilius sic expediamus difficultates quae afferri possint circa gloriam formalem, quam possint Deo afferre innumera quae homo nec cognoscit, nec forte unquam cognoscet. At sunt alia entia rationalia, quae illa cognoscere possunt [13].

36. Obiectiones [14]. 1. Agere propter finem est proprium indigentis. *Atqui* Deus nihil indiget. *Ergo* non agit propter finem.

Resp. Dist. mai.: propter finem obtinendum, *conc.;* aliis communicandum, *neg. Conc. min.: Dist. pariter cons.*

2. Agenti propter finem melius est suum opus esse, quam non esse. *Atqui* Deo non est melius mundum esse quam non esse. *Ergo* Deus non agit propter finem.

Resp. Dist. mai.: propter finem obtinendum, *conc.;* aliis communicandum, *neg. Conc. min.: Dist. pariter cons.*

3. Qui agit propter gloriam suam est ambitiosus et superbus. *Atqui* Deus non est ambitiosus et superbus. *Ergo* non agit propter gloriam suam.

Resp. Dist. mai.: veram et debitam, est ambitiosus, *neg.;* vanam, *conc. Conc. min.: Dist. pariter cons.* Gloria potest esse vana, sive ex parte quaerentis illam, cum non sit illa dignus; sive ex parte illius a quo quaeritur, cum non sit iudicio certo praeditus; sive ex parte modi quaerendi illam (2-2 q.132 a.1 c).

4. Qui honorem quaerit est ambitiosus. *Atqui* Deus agens propter suam gloriam, etsi debitam, honorem quaereret. *Ergo* si ageret propter suam gloriam, etsi debitam, esset ambitiosus.

Resp. Dist. mai.: inordinate, *conc.;* ordinate, i.e. propter propriam excellentiam illum exigentem, *neg. Contrad. min.: Neg. cons.*

5. Repugnat Deum intendere bonum finitum. *Atqui* gloria externa est bonum finitum. *Ergo* nequit Deus ordinate quaerere suam externam gloriam.

Resp. Dist. mai.: se ordinando ad illud tamquam ad finem absolute ultimum, *conc.;* ordinando illud ad se Ipsum tamquam ad finem absolute ultimum, *neg. Conc. min.: Dist. pariter cons.*

---

[12] Cf. pro utraque sententia BERAZA, *De Deo Creante* p.122.

[13] Pulchre omnino de hac re S. THOMAS, 1 q.65 a.2 c.

[14] Cf. BERAZA, o.c. n.221-225; 242-243; 250; NIVARD, *Ethica* p.15ss; URRÁBURU, *Cosmologia* p.327ss.

6. Si Deus gloriam suam ex creaturis quaereret ordinando illas ad se Ipsum tanquam ad finem ultimum, illas amaret amore concupiscentiae. *Atqui* amor concupiscentiae involvit egoismum, qui in Deo nequit admitti. *Ergo* Deus non ordinat creaturas ad se Ipsum tanquam ad finem ultimum.

Resp. Dist. mai.: amore concupiscentiae sensu proprio, *neg.;* sensu improprio, i.e. absque propria utilitate, *subdist.;* et simul amore benevolentiae, *conc.;* solum amore concupiscentiae, *neg. Contrad. min.*

7. St. Thomas (1 CG 93) ait: "*Unde non vult (Deus) alicui suam Bonitatem communicare, ad hoc ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia Ipsum communicare est sibi conveniens sicut fonti bonitatis.*" *Ergo Deus nihil amat amore concupiscentiae etsi sit simul et benevolentiae.*

Resp. Dist. ant.: et simul explico testimonium: St. Thomas affirmat Deum nihil ita communicare ut sibi aliquid utilitatis accrescat, *conc.;* ita ut etiam nihil decoris aut gloriae extrinsecae, *neg. Dist. pariter cons.*

8. Si Deus aliquid acquireret, mutaretur. *Atqui* repugnat quaelibet in Deo mutatio. *Ergo* etiam quaelibet acquisitio.

Resp. Dist. mai.: si aliquid intrinsecum, *conc.;* si solum extrinsecum, *subdist.:* mutaretur mutatione propria, *neg.;* impropria, *conc. Contrad. min.*

9. Si Deus aliquid—etsi extrinsecum—, acquireret, augeretur in aliquo. Atqui Deus—utpote infinitus—, nequit augeri. *Ergo* neque quidquam acquirere.

Resp. Dist. mai.: augeretur extensive, *conc.;* intensive, *neg. Contrad. min.*

10. Gaudere communicatione suae perfectionis et amore creaturae erga se est aliqua perfectio. *Atqui* Deus creans propter se hoc gaudium acquireret. *Ergo* Deus creans propter suam Bonitatem perficeretur intrinsece seu etiam intensive.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Deus creatione nihil acquirit; a creatione pendet obiectum gaudii divini, non vero ipse actus, qui aeternus est.

11. Deo tribuendum est quod Eum magis decet. *Atqui* magis decet Deum solum quaerere beatitudinem creaturarum, quam suam gloriam in creatione. *Ergo* Deus non quaerit suam gloriam ex creaturis.

Resp. Dist mai.: omnibus in Deo consideratis, *conc.;* considerando solum aliquem aspectum partialem, *neg. Contrad. min:* si hoc non esset contra rectum ordinem, *conc.;* si est contra rectum ordinem, *neg.*

12. Ex thesi sequeretur, divinam Bonitatem esse causam finalem voluntatis divinae. *Atqui* voluntas divina nequit habere ullam causam. *Ergo* ultimus finis creationis non est Bonitas divina.

Resp. Dist mai.: causam proprie dictam, *neg.;* rationem obiectivam, cur divina voluntas velit alia a se, *conc. Contrad. min.*

ARTICULUS II

DE ULTIMO FINE HOMINIS INTRINSECO

Thesis 2. Homo intra ordinem naturalem ad perfectam beatitudinem naturalem a Deo destinatur (I) tamquam ad suum ultimum finem internum (II).

Cf. Praeter auctores citatos thesi praecedenti: GARDEIL, *Beatitude:* DTC 2,497-515; CATHREIN, V., *De naturali hominis beatitudine:* Greg 11 (1930) 398-409; DESCOQS, *Theol. Nat.*, 2,133ss; ELTER, *De naturali hominis beatitudine ad mentem scholae antiquioris:* Greg 9 (1928) 269-307.

37. Nexus. Ex dictis in thesi praecedenti apparet supremam hominis ordinationem ex parte divinae voluntatis esse ut Deum obiective et formaliter glorificet. Hic est finis ultimus hominis extrinsecus.

Alia etiam inest in homine ordinatio, naturalis scilicet tendentia a Deo in natura ipsa impressa in felicitatem perfectam. De hac tendentia hominis agemus thesibus subsequentibus, ab ipsa natura hominis proficiscentes. In primis videbimus qualis sit internus ultimus finis hominis.

38. Notiones. 1. FINIS: Ut in thesi praecedenti (n. 24).

39. 2. BEATITUDO. In genere est *perfecta felicitas entis rationalis.*

Definitiones classicae habentur multae, quae uno vel alio modo omnes in idem recidunt, v.c.:

"*Secretis malis omnibus, cumulata bonorum possessio*" (CICERO, *Tuscul.* 5,10).

"*Status omnium bonorum congregatione perfectus*" (BOETHIUS, *De consol. phil.* 1.3 pros.2).

"*Beatus qui habet omnia quae vult, et nihil vult male*" (AUGUSTINUS, *De Trin.* 1.13 c.5: ML 42,1020).

"*Perfectum bonum et sufficiens, ad hominis desiderium satiandum*" (S. TH. 1-2 q.2 a.1c).

40. Ex his definitionibus clare patet in beatitudine haec includit debere: 1.° exclusionem malorum omnium; 2.° possessionem omnium bonorum; 3.° perpetuitatem possessionis, tam subiectivam (certitudinem) quam obiectivam (possessionem de facto perpetuam).

Possessio de qua agimus in beatitudine intelligitur coniunctio cum bono beatificante, ut postulat tum possessoris, tum boni possessi natura.

Perfecta intelligitur possessio quae capacitatem explet hominis possidentis.

41. Divisiones beatitudinis. 1. a) *Obiectiva*: ipsum obiectum beans. b) *Formalis* seu subiectiva: adeptio seu consecutio illius boni beantis.

2. a) *Determinata*: si tam obiectum quam modus illud possidendi in concreto definiuntur. b) *Indeterminata*: si neque obiectum, neque modus illud possidendi definiuntur.

3. a) *Naturalis*: respondens aptitudini, tendentiae et exigentiis naturae purae i.e. absque elevatione ad ordinem indebitum naturae. b) *Supernaturalis*: respondens elevationi per gratiam ad ordinem qui neque constitutive, neque consecutive, neque exigitive pertinet ad ullam naturam creatam.

4. a) *Perfecta*: quae tum ex parte obiecti, tum ex parte modi illud possidendi animum nostrum omnino quietat. b) *Imperfecta*: quae sive ex parte obiecti, sive ex parte modi illud possidendi non quietat animum.

5. a) *Substantialis*: quae solummodo illa elementa complectitur sine quibus perfecta beatitudo non habetur. b) *Accidentalis*: duplici sensu intelligi potest: 1.°, quae non complectitur necessaria ad perfectam beatitudinem; 2.°, quae supponit beatitudinem substantialem perfectam, illique addit aliquid quod non necessario requiritur, inservit tamen quasi ornamentum et corona beatitudini substantiali.

42. 3. Ordo naturalis. Natura humana potest considerari in quadruplici statu, nempe:

1.° *Iustitiae originalis*: ille nempe ad quem Adam elevatus est ornatus donis supernaturalibus et praeternaturalibus, in quo omnes eius posteri fuissent nati, si Adam non peccasset.

2.° *Naturae lapsae*: ille in quo remansit Adam post peccatum spoliatus nempe ab omnibus donis supernaturalibus et praeternaturalibus; in hoc omnes eius posteri essent nati nisi Deus misericorditer illos redemisset.

3.° *Naturae lapsae et reparatae*: ille in quo de facto sumus; reparatus quoad destinationem ad finem supernaturalem, et quoad media eum consequendi per gratiam sanctificantem, non vero quoad dona praeternaturalia, i.e, quoad integritatem, immortalitatem, impassibilitatem...

4.° *Naturae purae*: probabiliter nunquam exstitit in hoc mundo[1], sed exsistere potuisset... in hoc ordine homines:

[1] Bittremieux, J., *De instanti collationis Adamo iustitiae originalis et gratiae. Doctr. S. Bonaventurae:* EphThLov 1 (1924) 168-174; Schaffe, P. M., *Saint Thomas et les rapports de la nature pure avec la nature déchue:* RevScPhTh 7 (1913) 71-76. Breviter et clare exponit utramque oppositam sententiam.

a) destinati essent ad beatitudinem mere naturalem seu respondentem exigentiis naturae in qua Deus solum ex rebus creatis per abstractionem cognitus esset; *b*) solis viribus naturalibus Deo gloriam dare possent; *c*) nascerentur absque donis praeternaturalibus, igitur doloribus et morti necessario obnoxii. Si Deus homines donis praeternaturalibus ornaret illa essent dona mere gratuita, nec ullam ad supernaturalia relationem haberent; *d*) in eodem statu interno quo in praesenti sumus nascerentur, sed absque peccato originali.

Hic ordo naturae purae est praecise qui in philosophia morali consideratur [2].

43. 4. Appetitus innatus et elicitus. Quoniam in argumento appetitus notiones necessariae erunt, illas ex psychologia recolamus [3].

Appetitus in genere idem est ac tendentia, inclinatio quaedam. Duplex potissimum recenseri potest, nempe:

1.° *Elicitus*: actus vitalis tendens in bonum apprehensum ab appetente. Rursus subdivitur in: a) *sensitivum*: si illa tendentia sequitur apprehensionem sensitivam: b) *intellectivum*: si illa tendentia sequitur apprehensionem intellectivam.

2.° *Innatus*: inclinatio quaedam ab interiori principio procedens et sine cognitione. Est ipsa natura prout ad bonum inclinatur, nec cognitionem supponit. Non est igitur motus, nec actus vitalis, sed quaedam quasi gravitatio seu pondus naturae in terminum, impressa ab Ipso Deo in natura.

44. 5. Natura humana. Quoniam frequenter sermo est de natura, ex Ontologia recordari iuvabit naturam nihil aliud esse quam ipsam rei essentiam, quatenus est principium operationum, seu tendentiarum in finem. Omnis actio a natura procedit mediantibus facultatibus seu potentiis, quae sunt totidem instrumenta naturae subordinata.

Proinde alicuius entis natura per ipsum complexum totalem omnium eiusdem potentiarum in finem aliquem harmonice conspirantium recte detegitur. Unitas vero tendentiae finalis in natura aliqua composita obtinetur per subordinationem positivam facultatum inferiorum facultatibus superioribus specificantibus naturam subiecti agentis.

---

[2] Cf. Costa-Rossetti, *Phil. Mor.* p.33-36; Beraza, *De Deo elev.* n.248ss; Lercher, *Inst. Theol. Dogm.* 2,593-598; 601; De Broglie, *De fine ultimo vitae humanae* p.126-162.

[3] Cf. Descoqs, *Theol. Nat.* 2,137ss; Hellin, *Theol. Nat.* p.256ss; Balzaretti, P., *De natura appetitus naturalis:* Ang 6 (1929) 252-386; 519-544.

45. Status quaestionis. 1. Quaeritur in hac thesi quinam sit ultimus finis operis internus hominis, subordinatus fini ultimo extrinseco, seu gloriae Dei saltem ratione; realiter enim coincidunt; nam beatitudo hominis cum gloria Dei convenit.

2. Quaestio est de beatitudine in genere, sed complectente modo indeterminato tam obiectivam, quam formalem, ac de beatitudine mere naturali. Etsi enim homo de facto ad hanc beatitudinem non sit destinatus, propter elevationem ad ordinem supernaturalem—de qua nobis certo constat ex fide—, tamen de beatitudine naturali agere possumus, quia potuisset dari et *quoad rem* de facto habetur in illis qui inculpabiliter absque donis supernaturalibus moriuntur, ut sunt infantes et etiam alii adulti. Tamen haec beatitudo hoc nomine in praesenti statu naturae non vocatur, nam si comparetur cum supernaturali, ad quam omnes sunt destinati, vera damnatio est dicenda [4].

46. Sententiae. 1.ª KANT finem ultimum internum hominis reponit in tendentia continua, seu in *continuo progressu versus bonum* supremum. Expresse reiicit felicitatem esse ultimum finem naturae [5].

Systema vero kantianum: *a*) est omnino gratuitum; *b*) repugnat, cum primum movens pro voluntate assignet aliquid eidem essentialiter inaccesibile; *c*) ut ultimum finem assignat aliquid quod caret notis essentialibus ultimi finis; *d*) tollit verum sanctionis fundamentum [6].

47. 2.ª KRAUSE, AHRENS... reponunt finem ultimum intrinsecum hominis in completa *evolutione facultatum humanarum,* quam evolutionem intelligunt modo simili kantiano in quodam statu quasi in fieri, in progressu indefinito facultatum, ita ut ipse progressus sit finis in se.

48. 3.ª SCHLEIRMACHER, WUNDT, ZIEGLER... cum praecedentibus conveniunt in eo quod reponant etiam ultimum finem hominis in quadam progressiva evolutione; ab illis vero differunt in eo quod *evolutionem* considerant non individui

---

[4] YAVEN, H., *Natural y sobrenatural:* RevEccl 7 (1935) 560-575; 651-668; 10 (1936) 225ss; Cf. BALMES, *Cartas a un escéptico...* carta 15 (B. A. C. 5,388-392).

[5] KANT, *Crítica de la Razón práctica* p.1.ª l.2 c.2 § 45; *Fundamentación de la Metaf. de las costumbres* c.1 vers. hisp. a G. MORENTE (Col. Univ. n.511-512) p.24.

[6] Cf. CATHREIN, *Fil. Morale* I l.3 c.4 § 1 p.144ss.

in se, sed *humanitatis*. Ultimus finis hominis erit maiori quo possit modo ad culturam seu progressum nationis, humanitatis conferre. In hac sententia prorsus negatur immortalitas personalis et ipsa personalitas.

49. 4.ª *Hodierni statolatrae* omnium generum similem doctrinam propugnant; iuxta hos finis ultimus individuorum alius non est nisi splendori atque potentiae nationis seu Status inservire, cui ultimo fini omnia subordinari debent.

50. 5.ª *Nostra sententia*. Nos defendimus hominem pondus seu inclinationem naturalem habere ab Ipso Creatore impressam ut pro sua capacitate in beatitudinem perfectam seu in perfectam satiationem tendat et de facto in eam tendit ut in suum finem ultimum internum. Quae sententia est *omnino certa* et ab omnibus catholicis sustinetur.

Distinguimus duas partes: In 1.ª dicimus hominem destinari a Deo ad beatitudinem naturalem perfectam; in 2.ª vero affirmamus hanc beatitudinem habere pro homine rationem ultimi finis.

Probatur 1.ª Pars. Homo destinatur ad beatitudinem perfectam.

51. *Ex appetitu innato beatitudinis*. Qui appetitu innato fertur in aliquam rem a Deo ad illam destinatur. *Atqui* homo appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem. *Ergo* homo destinatur a Deo ad beatitudinem perfectam.

Mai. Appetitus innatus, cum non sit nisi tendentia naturalis rei, ab Ipso Deo, Creatore omnium rerum, ipsi rei imprimitur; imprimere vero tendentias naturales in aliqua re absque voluntate ducendi illam ad terminum: 1.º, caret ratione sufficienti; repugnat ergo sapientiae divinae; 2.º, naturam infelicem redderet ideoque infinitae bonitati divinae contradiceret.

Min. 1.º (*Ex natura voluntatis seu ex appetitu boni.*) Ille appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem qui natura facultatis suae appetitivae tendit in bonum ut tale, ideoque etiam in bonum sine limite. Nam ille per se et modo stabili non satiatur bono aliquo finito, sed illo possesso adhuc natura sua tendit ad complendum illud bonum, ratione obiecti formalis facultatis suae, et nequit naturaliter quiescere stabiliter nisi possesso obiecto quod suam capacitatem tendendi expleat. Hoc vero obiectum nequit aliud esse quam plenitudo boni, seu bo-

num excludens limitem; verbo: beatitudo perfecta obiectiva. Voluntatem vero tendere natura sua in bonum ut tale probatur in Psychologia[7].

2.° (*Ex appetitu elicito necessario beatitudinis*). Ille appetitu innato fertur in perfectam beatitudinem qui: *a*) nunquam potest sincere velle oppositum beatitudini (specificatio tendentiae est necessaria); *b*) necessario, saltem aliquando in vita, desiderat plene satiari (exercitium actus est necessarium).

Nam ille appetitus elicitus necessarius quoad specificationem et quoad exercitium ita constans et universalis, postulat causam sufficientem et proportionatam, et nulla alia assignari potest, valida pro omnibus, in quibuslibet circumstantiis, in omni tempore, nisi ipsa natura. Constat vero experientia propria et testimonio aliorum illa duo in homine verificari, nemo enim appetit malum sub ratione mali; omnes eliciunt aliquando actum desiderii felicitatis perfectae.

2.ª Pars. Ut ad suum finem ultimum internum.

52. *Ex definitionibus.* Finis ultimus internus alicuius rei ille est ad quem res ultimatim natura sua tendit, ita ut illum agens actibus vitalibus assequatur. *Atqui* perfecta beatitudo est id ad quod homo ultimo tendit natura sua, et beatitudinem actibus vitalibus homo assequitur. *Ergo* perfecta beatitudo est finis ultimus internus hominis.

Mai. Ex definitione finis ultimi operis interni.

Min. 1.° Beatitudo non refertur ad alium finem intrinsecum, sed in ea appetitus ultimatim quiescit. 2.° Est finis internus, nam operationibus intellectus et voluntatis homo illam assequitur.

53. *N. B.* Hic finis ultimus internus, dici debet secundarius, si cum fine ultimo extrinseco—gloria Dei—comparetur, nam omnia illi fini ultimo extrinseco debent subordinari.

54. Corollaria. 1. **Debet exsistere obiectum beatitudinis.** Cum Deus hominem naturaliter ad beatitudinem perfectam destinaverit recte concludimus obiectum huiusmodi beatitudinis exsistere debere quod omnes homines, quantum ex Deo pendet, consequi possent: secus illa destinatio naturalis esset vana.

55. 2. **Appetitu innato omnes in idem tendunt.** Cum omnes homines eandem specificam habeant naturam, eandem etiam beatitudinem, seu ultimum finem, appetitu innato appetunt etsi appetitu elicito quandoque diversa bona prosequantur (1-2 q.1 a.7).

[7] Cf. URRÁBURU, *Psych.* 3 p.105ss.

56. Obiectiones. 1. Appetitus qui potest frustrari non probat destinationem naturalem. *Atqui* appetitus naturalis potest frustari. *Ergo* ex appetitu naturali non probatur destinatio naturalis hominis in beatitudinem perfectam.

Resp. Dist mai.: ex impotentia naturae perveniendi ad obiectum appetitus, *conc.;* ex libera voluntate hominis, *neg. Contrad. min.*

2. Bruta appetitu naturali tendunt in felicitatem. *Atqui* hic appetitus saepe non adimpletur ex impotentia naturae perveniendi ad felicitatem. *Ergo* appetitus naturalis, potest frustrari ex impotentia naturae.

Resp. Neg. mai.. Bruta non sunt felicitatis perfectae capacia; appetitus naturalis brutorum non tendit nisi in bona concreta, materialia, qui appetitus non frustratur, nam semel obtento bono materiali quiescit. Praeterea appetitus naturalis brutorum nequit praescindere a dependentia naturali quam bruta ab hominibus habent; appetitus vero naturalis hominis in felicitatem perfectam non habet ullam dependentiam et est bonum perfectum.

3. Voluntas Dei nequit frustrari. *Atqui* destinatio ad beatitudinem in multis frustratur de facto. *Ergo* homo non destinatur a Deo ad beatitudinem perfectam.

Resp. Dist. mai.: voluntas absoluta etiam ex parte termini, *conc.;* voluntas cuius terminus est conditionatus, *subd.*: verificata conditione, *conc.;* non verificata, *neg. Contrad. min.*

4. Argumentum fundatur in sapientia et bonitate divina. *Atqui* nescimus quid haec divina attributa importent. *Ergo* ex argumento fundato in iis attributis non possumus quidquam concludere.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: nescimus quid adaequate importent, *conc.;* non cognoscimus illa inadaequate, i.e. illa excludere omnem defectum in consiliis et decretis divinis, *neg. Dist. pariter cons.*

5. Quod a multis ignoratur nequit a natura appeti. *Atqui* multi ignorant quid sit beatitudo. *Ergo* beatitudo non appetitur naturaliter.

Resp. Dist. mai.: quod prorsus ignoratur in debitis conditionibus naturae, *conc.;* quod et si explicite non cognoscatur, cognoscitur tamen implicite, *neg. Contrad. min.*

6. Nequit a natura postulari id a quo multi se avertunt. *Atqui* multi se avertunt a beatitudine. *Ergo* beatitudo non est finis naturalis ultimus hominis.

Resp. Dist. mai.: et implicite et explicite, *conc.;* explicite se avertunt retinendo tamen implicitam tendentiam in illud, *neg. Contrad. min.*

7. Homo potest appetere propriam destructionem; potest velle aeternam damnationem. *Atqui* haec sunt opposita beatitudini. *Ergo* potest homo expresse velle contrarium beatitudini.

Resp. Dist. mai.: potest haec sincere velle, quatenus sunt mala, *neg.;* quatenus illa existimat minora mala, proinde retinendo appetitum in beatitudinem, *conc. Contrad. min.*

8. Homo appetitu innato desiderat res, quae non possunt verificari v.c. conservationem vitae. *Atqui* hic appetitus innatus non respondet destinationi naturali hominis in illud. *Ergo* a pari etsi appeteret appetitu innato beatitudinem, posset hic appetitus non respondere destinationi naturali hominis in illam.

Resp. Neg. ant. Ad exemplum additum nego tale desiderium esse innatum; est elicitum et liberum, ideo homines nonnumquam desi-

derant sincere mori; est innatus si agatur de parte superiore, seu de anima, et tunc non frustratur.

9. Beatitudo perfecta est status quietis. *Atqui* status quietis repugnat naturali capacitati hominis. *Ergo* homo non destinatur ad beatitudinem perfectam.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

10. *Prob. min.* Natura humana est indefinite perfectibilis, nullo bono satiari potest. *Ergo* repugnat animae status quietis, sed semper debet ulterius progredi.

Resp. Dist. mai.: nullo bono finito, *conc.;* infinito, *neg. Dist. pariter cons.*: absque possessione boni infiniti, *conc.,* possessione boni infiniti, *neg.*

11. Quocumque gradu possessionis boni infiniti adepto, intellectus adhuc habet capacitatem maioris et melioris possessionis in infinitum. *Ergo* neque possessione boni infiniti natura humana satiari potest.

Resp. Dist. ant.: habet capacitatem remotam, *conc.;* proximam, *neg. Dist.. pariter cons.*

12. Appetitus naturalis in felicitatem perfectam sufficienter expletur cum progressu indefinito in illam, cum accessu in aeternum versus illam, etsi illam numquam attingat. *Ergo* talis appetitus non probat hominem destinari ad beatitudinem aliquando possidendam.

Resp. Dist. ant.: Si ille progressus vel accessus posset aliquando naturam stabiliter satiare, *conc.;* si semper relinquit illam in potentia, ideoque frustratam, *neg.* esset enim hoc contra attributa divina. *Dist. pariter cons.*

13. Non datur consensus circa beatitudinem. *Atqui* si natura humana illam appetitu naturali appeteret deberet dari consensus in illam. *Ergo* non datur appetitus naturalis in beatitudinem.

Resp. Dist. mai.: circa obiectum concretum beatitudinis, *conc.;* circa beatitudinem in abstracto, *neg. Contrad. min.*

ARTICULUS III

De beatitudine obiectiva

Thesis 3. Deus est obiectum beatitudinis humanae necessarium (I) et per se sufficiens (II).

S. Th., 1-2 q.2; 3 CG 25-40; Suárez, *De ult. fine* disp.5; Billuart, *De ult. fine* disp.2 a.1; Ferreti-Orzechowski, *Ethica* p.32ss; Ramírez, J. M., O. P., *De hominis beatitudine* t.1 n.176-186; t.2 p.1-308.

57. 1. **Nexus.** Egimus de beatitudine in genere; diximus hominem naturali tendentia in eam ferri; nihil vero de obiecto beatitudinis dicebamus. Quale hoc obiectum sit determinare est finis theseos praesentis.

2. Responsio optime et breviter exprimi potest notissimis illis S. Augustini verbis: *Fecisti nos, Domine, ad Te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Te (Conf.,* 1.1 c,1: ML 32.661).

58. Notiones. 1. DEUS: est *ens summum verum et summum bonum.*

59. 2. BEATITUDO: conferatur in thesi praecedenti (n.39-41). Magis ad rem facit divisio beatitudinis in perfectam et imperfectam, substantialem et accidentalem.

60. 3. OBIECTUM NECESSARIUM: est illud quo non adepto beatitudo haberi nequit, etsi omnia alia bona habeantur.

61. 4. OBIECTUM SUFFICIENS: est illud quo adepto, etsi omnia alia bona desint, beatitudo perfecta habebitur; proinde quod unice requiritur.

62. Status quaestionis. 1. Volumus videre quodnam sit obiectum beatitudinis perfectae in quam homo naturaliter tendit.

2. Thesis duo quaerit: *a)* utrum sit aliquod obiectum ita requisitum ad beatitudinem ut sine illo nullo modo possit dari beatitudo ex parte obiecti; *b)* utrum praeter illud bonum aliquod aliud requiratur ex parte obiecti. Haec 2.ª pars ulterius explicabitur post probationem primae partis.

63. Sententiae quoad primam partem. 1.ª *Eudaimonistae individuales* obiectum beatitudinis reponunt in uniuscuiusque *voluptate terrena* sive corporali, sive spirituali; ita ARISTIPPUS, EPICURUS, omnesque *materialistae.*

2.ª *Eudaimonistae sociales*: beatitudinis obiectum reponunt in *maxima quantitate possibili voluptatum,* ratione habita universi generis humani: ita omnes *positivistae.*

3.ª *Evolutionistae:* ut beatitudinis obiectum assignant *progressum* civilem generis humani.

4.ª NIETZSCHE homines tendere debere existimat, tamquam ad suum finem ultimum, in creationem aliquorum *superhominum,* qui sint tamquam exemplaria ceterorum.

5.ª *Stoici* in ipsa *virtute,* propter se *ipsam* colenda, beatitudinis obiectum reponunt.

6.ª KANT obiectum beatitudinis statuit sanctitatem absolutam seu perfectam conformitatem cum lege morali, inaccessibilem, in quam continuo homo tendere debet.

7.ª SCHOPENHAUER cum *pessimistis* affirmat beatitudinem consistere in liberatione, quantum fieri posset, a miseriis, proinde perfecta beatitudo reponitur in *anihilatione.*

8.ª ARISTOTELES beatitudinem reponit in complexu bonorum naturae, animae et corporis, solummodo in hac vita.

9.ª PLATO beatitudinem consistere affirmat in contemplatione Ideae Boni, et rerum divinarum.

10. *Hodierni statolatrae:* communistae, socialistae, fascistae, nacistae... omnes uno vel alio modo hominis felicitatem maximam reponunt in cooperatione eiusdem ad triumphum classis, ad splendorem

nationis, ad puritatem stirpis, ad prosperitatem oeconomicam vel potentiam militarem classis, Status, vel stirpis. Est forma recens eudaimonismi socialis.

64. 11. *Nostra sententia.* Contra hos omnes cum omnibus prorsus rectae mentis auctoribus ut certum defendimus Deum prorsus requiri ad beatitudinem perfectam; ita ut sine illo, quamvis adsint reliqua alia bona, nullo modo possit dari perfecta beatitudo.

Probatur 1.ª Pars. Deus est obiectum necessarium beatitudinis.

65. 1. Directe: *Ex proprietatibus beatitudinis.* Illud obiectum ad beatitudinem necessario requiritur in quo summum et perfectum verum et bonum inveniatur. *Atqui* summum et perfectum verum et bonum *solum* invenitur in Deo. *Ergo* Deus est obiectum necessarium beatitudinis.

Mai. Sine tali obiecto praecipuae facultates humanae, i.e. intellectus et voluntas, perfecte quietari non possunt. Cum enim intellectus naturaliter inquirat omne verum, quietari nequit nisi summum verum apprehendat; similiter voluntas nequit quietari nisi Summa Bonitate apprehensa, ut dictum est argumento theseos praecedentis; beatitudo vero perfecta haberi nequit nisi sint perfecte satiatae tendentiae appetitivae humanae.

Min. Summum et perfectum bonum et verum est bonum et verum simpliciter infinitum seu carens limite in omni linea, et prorsus inexhauribile. Iam vero bonum et verum simpliciter infinitum repugnat dari nisi in ente a se, quod aliud esse nequit nisi unum, i.e. Deus [1].

66. 2. Indirecte: *Excludendo cetera omnia.* Illud est obiectum necessarium beatitudinis sine quo, etsi adsint reliqua omnia bona, capacitas naturae humanae satiari nequit. *Atqui* sine Deo, etsi adsint reliqua omnia alia bona, capacitas naturae humanae satiari nequit. *Ergo* Deus est obiectum necessarium beatitudinis humanae.

Mai. Ex definitione beatitudinis perfectae et obiecti necessarii eiusdem.

Min. Ad explendam capacitatem naturae humanae requiritur ex argumento praecedenti aliquod bonum quod: 1.°, natura sua non sit instabile; 2.°, excludat omne malum; 3.°, non indigeat compleri, 4.°, non ordinetur ad aliud bonum; 5.°, non appetatur propter bonum praestantius; 6.°, sit in potestate omnium. Hoc *vero* non verificatur nisi in Deo, quaecumque alia laborant aliquo defectu.

1. *Bona externa* (materialia et socialia) natura sua sunt instabilia,

[1] Cf. Hellín, *Theol. Nat.* p. 470-482.

generatim malis admixta (ut constat experientia, corruptibilitate materiae, et mutabilitate entis materiae coniuncti), non sunt in potestate omnium (ut satis constat historia et experientia), denique quaeruntur vel ad praestantius bonum sive corporis, sive animae obtinendum (ut divitae) vel ut motivum huiusmodi boni iam possessi (ut gloria et honor, quae supponunt quamdam excellentiam ut motivum).

2. *Bona corporis* praeter eorum instabilitatem, mixtionem cum malis... etiam ordinantur ad bonum animae, sunt ergo bona utilia; sunt etiam defectibilia et imperfecta (experientia enim constat labentibus annis omnia disparere).

3. *Bona animae* (ipsa anima, facultates et actus eiusdem) indigent in primis compleri: anima facultatibus, facultates actibus, actus vero etiam si coniungant animam cum bono perfecto, in se tamen sunt bona imperfecta. Praeterea anima est subiectum beandum, nunc vero quaerimus obiectum quo ipsa anima possit beari.

Ergo praeter Deum omnia alia bona laborant aliquo defectu propter quem a perfecta beatitudine excludi debent [2].

Neque ex complexu omnium horum bonorum exsurgere potest bonum perfectum. Nam: 1.°, insufficientia illorum provenit non e defectu quantitatis, sed ex ipsa natura illorum; 2.°, summa imperfectorum nequit dare bonum perfectum seu infinitum, ut debet esse summum Bonum.

2.ª Pars. Deus est obiectum sufficiens.

67. Complementa ad notiones. 1. Bene notanda est divisio beatitudinis in *essentialem* et *accidentalem; obiectivam* et *subiectivam* (cf. n.41).

2. Ad intelligendam argumentationem oportet praemittere notionem subordinationis, eiusdemque divisiones, necnon notionem resurrectionis corporis.

68. Subordinatio: Est ordinatio alicuius rei ad aliam, quae est superior.

Potest esse: 1. *Negativa*: quae viget inter duas res ita inter se ordinatas ut una non noceat assecutioni ultimi finis alterius; unaquaeque igitur res habet suum finem ultimum proprium; sic v.c. Status subordinatur Ecclesiae.

2. *Positiva*: datur inter res ita inter se dispositas ut una inserviat tamquam instrumentum ad assecutionem finis ultimi alterius; ergo non datur nisi unicus finis ultimus; sic v.c. potentiae vegetativae et sensitivae in homine subordinantur potentiis spiritualibus.

69. Resurrectio: Est iterata animae cum eodem corpore, quod antea habuit, coniunctio.

---

[2] Cf. Ramírez, *De hominis beatitudine* t.2 p.49-245 amplissimam explanationem huius argumenti.

70. Status quaestionis. 1. Agitur solum de beatitudine *obiectiva essentiali;* et quaeritur utrum ad hanc habendam ex parte obiecti aliquod aliud requiratur praeter Deum, an vero Deus sufficiat, ita ut reliqua alia quae dentur, si quae sint, non pertineant ad obiectum essentiale beatitudinis.

2. Magis in concreto, eo quod sint adversarii speciales, quaeritur utrum resurrectio corporis sit necessaria ad essentialem beatitudinem obiectivam, ita ut sine corpore anima non possit esse perfecte beata eo quod omnes suae tendentiae nequeant plene satiari solo Deo.

71. Sententiae. 1.ª Sustinent Deum non sufficere ad perfectam beatitudinem omnes qui defendunt obiectum necessarium esse aliquid diversum a Deo.

72. 2.ª *Aliqui catholici* existimant ad beatitudinem perfectam necessario corporis resurrectionem requiri ita ut sine corpore, etsi Deum possideat, non possit anima esse perfecte et plene satiata et tranquilla. Ita aliqui antiqui, deinde RAYNAULT, TH.[3], THYRSUS GONZALEZ[4], recentius COSTA-ROSSETTI[5], et MERCIER[6].

73. 3.ª *Nostra sententia.* 1. Nos defendimus ex parte obiecti a beato possidendi nihil praeter Deum requiri. Negamus resurrectionem corporis esse aliquid *naturaliter* necessarium ut anima perfecte satiari possit. Concedimus utique illam esse luce naturali consentaneam, atque rationibus congruentibus suaderi; minime vero exigi ab anima[7].

2. Non tamen dicimus Deum posse a nobis directe attingi, absque medio creato. Praeter Deum excludimus utique aliud obiectum necessarium possessionis, non tamen speciem, qua Deus possideatur. In ordine enim naturali, quem unice consideramus, Deum non cognoscimus nisi analogice, per speciem et repraesentationem haustam ex rebus creatis, vel a Deo infusam. Sed species non est id *quod* aliquem beatum reddit, sed id *quo* quis obiectum beatificum possidet; agimus vero de ipso obiecto necessario.

3. Dicimus solam divinam Bonitatem sufficere; non ideo

[3] *Moralis disciplina* dist.1 q.4 a.4 n.311ss.
[4] *Selectarum dispt. in univers. Theol.* t.4: *De statu naturae purae* sec.5 n.74-104.
[5] *Philos. Mor.* p.41ss.
[6] *Psychologia* 2 n.256-258.
[7] Cf. SUÁREZ, *De Myst. vitae Christi* d.44 s.7 n.1.

quod secum afferat alia bona quae in Deo eminenter continentur [8].

74. Probatur. *Eo quod Deus sufficiat ad satiandas superiores potentias hominis.*

Illud est obiectum sufficiens beatitudinis quo adepto, etiam praescindendo a ceteris omnibus, omnes hominis tendentiae suum finem ultimum obtinent. *Atqui* sola possessione Dei omnes hominis tendentiae suum finem ultimum obtinent. *Ergo* Deus est obiectum sufficiens beatitudinis.

Mai. Beatitudo habet rationem ultimi finis totius hominis.

Min. 1. *Facultates rationales,* i.e. intellectus et voluntas plene satiantur sola possessione Dei, nam Deus formaliter vel eminenter continet in se omne verum et omne bonum, quae sunt obiecta formalia harum facultatum.

2. *Facultates inferiores,* i.e. sensitivae et vegetativae, consequuntur suum ultimum finem possessione Dei per intellectum et voluntatem. Nam finis ultimus earum non est nisi *positive* cooperari ad hoc ut facultates superiores suum ultimum finem obtineant.

Nam facultates inferiores debent subordinari *positive* facultatibus superioribus, cum omnes facultates in homine debeant coniungi in unitatem tendentiae finalis, ita ut resultet unus tantum finis ultimus, correspondens naturae uni, quae resultat una praecise ex unitate omnium tendentiarum facultatum in unum finem. Iam vero hoc nullo pacto accideret si facultates inferiores non subordinarentur positive facultatibus superioribus, tunc enim daretur multiplex finis ultimus in homine, ac consequenter non daretur una natura, cum naturae uni non possit respondere nisi unus ultimus finis essentialis.

75. *Praecedenti argumento* sufficienter probatum est corporum resurrectionem non neccesario requiri ad beatitudinem essentialem obiectivam; nam omnis homo suum ultimum finem consequitur possessione Dei per intellectum et voluntatem, quae perfecte haberi potest absque corpore.

Possumus tamen speciali argumento directo hoc ipsum contra adversarios probare.

76. *Eo quod corpus non necessario requiratur.* Anima post separationem exigeret unionem cum corpore aut corruptibili, aut incorruptibili. *Atqui* neutrum dici potest. *Ergo* ani-

[8] Cf. SUÁREZ, *De ultimo fine* disp.5 s.2 n.4.

ma post separationem non exigit iteratam unionem cum corpore, ut sit beata.

Mai. Non datur tertium.

Min. a) *Non corruptibili*: tunc homo rediret in statum miseriae, ac proinde non esset beatus. b) *Non incorruptibili*: nam corpus humanum *naturaliter* est mortale, cum constet diversis elementis inter se luctantibus, est patibile, i.e. obnoxium frigori, calori, aerumnis, fame..., non est plenum integritate sed e contra adest pugna maxima inter animam et corpus. Unde non debetur corpori humano quod est praeter naturam eiusdem, hoc enim est praeternaturale.

Affirmare vero, haec ita se habere in stadio viae, contrarium tamen in stadio termini, est quid gratuitum, quod debet probari. Nos probavimus contrarium arguendo ex ipsa natura hominis quae eadem remanere debet [9].

77. Obiectiones. 1. Finis ultimus est id quod propter se, non vero propter aliud appetitur. *Atqui* id quod propter se et non propter aliud appetitur est voluptas. *Ergo* voluptas est obiectum ultimi finis seu beatitudinis.

Resp. Dist mai.: propter se ultimatim, *conc.;* propter se sed non ultimatim, *neg. Contrad. min.* Ideo voluptas est aliquis finis, sed immediatus, non vero ultimus; nam voluptas est propter operationes.

2. Ultimus finis, debet esse id quod maxime movet appetitum. *Atqui* id quod maxime movet appetitum non est Deus. *Ergo* Deus non est ultimus finis hominis.

Resp. Dist mai.: appetitum rationalem, *conc.;* praecise sensitivum, *neg. Contrad. min.*

3. Illud movet maxime appetitum humanum, quicumque sit, quod est eidem maxime proportionatum. *Atqui* appetitui humano, etiam rationali, maxime proportionatum est bonum sensibile. *Ergo* hoc erit ultimus finis hominis.

Resp. Dist. mai.: secundum partem rationalem, *conc.,* secundum partem praecise sensitivam, *neg. Contrad. min.*

4. Obiectum maxime proportionatum intellectui humano sunt quidditates rerum sensibilium. *Atqui* hoc signum est obiecta sensibilia esse maxime proportionata homini, etiam secundum partem rationalem. *Ergo* obiectum maxime proportionatum homini, etiam secundum partem rationalem, sunt bona sensibilia..

Resp. Dist. mai.: solae quidditates rerum sensibilium primo et per se cognoscuntur, in statu unionis cum corpore, *conc.;* per se hae quidditates explent capacitatem intellectus, etiam in hoc statu, *neg. Contrad. min.*

5. Expleret Deus capacitatem intellectus et voluntatis si daretur proportio inter Deum et has facultates. *Atqui* non datur ulla proportio inter Deum et facultates humanas. *Ergo* Deus non explet capacitatem intellectus et voluntatis.

---

[9] Suárez, *De Myst. vitae Christi* d.44 s.7 n.5.

Resp. Dist. mai.: proportio praecise entitativa, *neg.;* habitudinis, *conc. Contrad. min.*

6. Si daretur proportio habitudinis inter Deum et hominem daretur etiam entitativa. *Atqui* non datur entitativa. *Ergo* neque habitudinis. Nam habitudo facultatis ad obiectum suum est intrinseca aptitudo eius ad illud attingendum actibus propriis. Iam vero hanc aptitudinem habet facultas a natura sua, i. e. ab entitate subiecti.

Resp. Neg. mai. Ad probationem vero *dist. mai.:* actibus propriis, proportionatis naturae subiecti agentis, *conc.;* proportionatis naturae obiecti attacti, *neg. Contrad. min.*

7. Si Deus esset obiectum beatitudinis hominis deberet perfecte et complete possideri a beato. *Atqui* hoc est impossibile cum Deus sit infinitus, homo finitus. Nam si non attingitur Deus totaliter, quocumque gradu possessionis Dei obtento, intellectus videt se habere maiorem capacitatem possessionis, illamque desideraret; tunc vero intellectus non potest esse quietus in possessione beatitudinis. *Ergo* si homo non possideret Deum totaliter non posset habere quietem.

Resp. Neg. mai. Ad probationem *dist. mai.:* maiorem capacitatem remotam, *conc.;* proximam, *neg. Contrad. min.* Beatitudo est sicut vestis aliqua; unusquisque contentus est cum illa veste, quae melius aptatur staturae propriae[10].

Contra secundam partem[11].

1. Beatitudo obiectiva est quae beatum facit totum hominem. *Atqui* solus Deus non potest beare totum hominem. *Ergo* Deus non est obiectum sufficiens beatitudinis humanae.

Resp. Dist. mai.: prout exsistit, cum beatitudinem consequitur, *conc.;* antea, *neg. Contrad. min.:* ante consecutionem beatitudinis, *conc.;* cum illam consequitur homo, *subd.:* non potest directe beare totum hominem, *conc.;* non potest directe vel indirecte, *neg.* Optime ad rem SUÁREZ: "*Non est necesse ut possit consequi aliter suum finem, quam potest exsistere; nulla enim naturalis res aliud postulat, nisi quod, dum exsistit, possit suum finem consequi; sicut ergo homo secundum naturam integram corruptibilis est, secundum vero animam immortalis et aeternus, ita satis est, quod pro aliquo tempore possit naturaliter esse (imperfecte) beatus in toto composito, perpetuo vero solum in anima*"[12].

2. Beatitudo constituit finem totius hominis, non solum partis ipsius. *Atqui* homo essentialiter coalescit anima et corpore. *Ergo* beatitudo debet afficere animam et corpus.

Resp. Dist. mai.: est finis *qui* efficiendus a toto homine, *conc.;* est finis *quo,* seu consequendus a toto homine, *subd.:* si totus adhuc exsistit cum beatitudo possidetur, *conc.;* secus, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

3. Status beatitudinis talis esse debet ut anima in eo plene satietur. *Atqui* anima a corpore separata nequit plene satiari. *Ergo* beatitudo est finis quo totius hominis.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

[10] Alias difficultates videre licet apud BILLUART, *De ultimo fine* d.2 a.1; Cf. etiam CARBONE, C., *Circulus philosophicus* v.6; *Ethica* p.1ss.

[11] S. TH., 1-2 q.4 a.5; 4 CG 79-83; SUÁREZ, *De Myst. vitae Christi* q.44 s.7 n.1; RAYNALDUS, *Moralis displ.* d.1 q.4 a.4; GONZÁLEZ, T., *Select. disp. in univers. Th.* t.4 s.5 n.74-104; COSTA-ROSSETTI, *Phil. Mor.* p.41; BERAZA, *De Deo elev.* n.495ss.

[12] SUÁREZ, *De ult. fine* d.15 s.2 n.7.

4. Anima essentialiter est forma corporis. *Atqui* forma exigit esse cum suo subiecto. *Ergo* anima a corpore separata nequit esse plene satiata.

Resp. Dist. mai.: forma materialis, *neg.;* spiritualis, *subd.:* quae essentialiter actu vel aptitudine exigit esse cum corpore, *conc.;* praecise actu, iterum *subd.:* pro aliquo stadio, *conc.;* pro toto tempore, *neg. Contrad. min.*

5. Anima habet appetitum innatum unionis cum corpore. *Atqui* id quod appetitu innato competit alicui rei tamdiu debet perdurare, quamdiu res ipsa perdurat. *Ergo* anima humana exigit esse actu cum corpore pro toto tempore.

Resp. Dist. mai.: pro semper, *neg.;* pro aliquo tempore, *conc. Contrad. min*[13].

6. Si anima non haberet appetitum innatum unionis cum corpore pro semper status separationis non esset violentus. *Atqui* status separationis animae et corporis est violentus. *Ergo* anima habet appetitum innatum unionis cum corpore pro semper (cf. 1-2 q.5 a.3 c).

Resp. Dist. mai.: status, i.e. momentum separationis non esset violentum, *neg.;* facta iam separatione modus essendi animae non esset violentus, *conc. Contrad. min.*

7. Anima humana a corpore separata est substantia incompleta. *Atqui* substantia incompleta naturaliter beari nequit absque sua comparte. *Ergo* corpus requiritur ad perfectam beatitudinem animae.

Resp. Dist. mai.: sed quae habet esse perfectum, cui debetur beatitudo, *conc.;* aliter, *neg. Contrad. min.* (cf. optime 1-2 q.4 a.5 ad 1).

78. Scholion. Valor argumenti eudaimonistici[14]. Ex allato argumento ad primam partem theseos probandam concludi videtur Deum exsistere debere, ut unicum obiectum capax satiandi omnem tendentiam naturalem hominis in felicitatem perfectam. Hinc oritur quaestio utrum re vera hoc argumentum eudaimonisticum ad probandam exsistentiam Dei, quod aliunde in favore est apud non paucos recentes auctores, sit validum necne.

a) *Admittunt* vim probativam argumenti: Kierfel, Garrigou-Lagrange, Lehmen-Berk, Zimmermann, Sertillanges, Sachs, Gredt, Laurent, Rolland-Gossellin, Martínez del Campo aliique.

b) *Negant* vim probativam argumenti: Manser, Hellín, Elter, Billot, Cuervo, Lortal, Mercier, Buonpensier, Descoqs aliique[15].

79. c) *Nostra sententia.* Exsistentia Dei, etsi probabiliter quidem, non tamen certo efficaciter probatur argumento desumpto ex appetitu innato beatitudinis perfectae; hic enim multa includuntur quae non ita clara intellectui apparent. Nam non supposita exsistentia Dei:

1. Non apodictice apparet appetitum innatum *non posse frustrari.* Etiam si hoc haberemus, adhuc:

2. Non constaret dari in nobis appetitum innatum in infinitum *positivum,* h.e. in Deum; ad huiusmodi appetitum in infinitum po-

[13] Cf. Vázquez, *In 1-2* d.19 c.4 n.17; Hellín, *Theol. Nat.* p.257.

[14] Cf. Descoqs, *Theol. Nat.* 2,134-214.

[15] Vide amplissimam bibliographiam pro unaquaque sententia et pro historia argumenti apud Descoqs, *Theol. Nat.* 2,146ss.

sitivum admittendum, iam requiritur certitudo de exsistentia Dei. Si hoc concedatur, adhuc:

3. Non constaret certo illum appetitum esse in infinitum positivum *reale,* h.e. in Deum exsistentem.

Saltem est optima introductio apologetica ad alia argumenta ex quinque viis desumpta.

ARTICULUS IV

DE BEATITUDINE SUBIECTIVA SEU FORMALI

Thesis 4. Essentia metaphysica beatitudinis formalis in perfecta Dei cognitione et in perfecto Dei amore consistit.

S. TH., 1-2 q.3 a.4; 3 CG, c.26; SCOTUS, *In 4* dist.49 q.4; SUÁREZ, *De ult. fine* d.7 s.1; VALENTIA, *In 1-2* disp.1 q.3 punct.4; BILLUART, *De ult. fine* d.2 a.2; FERRETI-ORZECHOWSKI, *Ethica* (1725) p.39ss; NIVARD, *Ethica* (1928) p.28ss; BALMES, *Cartas a un escéptico* c.17 (B A C 5,397ss); MICHEL, *Gloire:* DTC 6,1393ss; RAMÍREZ, *De hominis beatitudine* t.3 (1947) p.118-172; SÁIZ, JOSÉ MARÍA, *Actitud de Suárez frente a la metafísica de nuestra felicidad:* MisCom 11 (1948) 263-300.

80. Nexus. Determinavimus in concreto obiectum necessarium et sufficiens beatitudinis, nempe Deum. Nunc transimus ad beatitudinem subiectivam considerandam, ut videamus per quos actus a nobis obiectum beatificum sit possidendum.

81. Notiones. 1. BEATITUDO. Ut in thesi 2.ª (n.39-41); maxime attendenda divisio in essentialem et accidentalem, obiectivam et subiectivam seu formalem.

BEATITUDO FORMALIS potest considerari dupliciter, nempe quoad essentiam et quoad statum. Quoad *essentiam* solum importat constitutiva ipsius possessionis nempe actus quibus primo beatus perfecte obiectum assequitur. Quoad *statum* complectitur omnia quae requiruntur ad beatitudinem perfectam hominis tum quoad possessionem ipsam tum quoad proprietates necessarias beatitudinis, tum quoad suam integritatem.

82. 2. ESSENTIA. Est id quo res aliqua est id quod est; seu est nota vel complexus notarum, ex quibus res habet ut sit talis, et ut talis cognoscatur, ita ut si una ex illis notis auferatur, iam illa res desinat esse talis. Potest esse:

a) *Physica*: complexus omnium notarum seu perfectionum rem essentialitater in esse physico constituentium, quarum si una deficiat res formaliter exsistere nequeat nec ut

exsistens concipi. Complectitur partes essentiales physicas constitutivas rei v.c. essentia physica hominis constituitur anima rationali et corpore organico.

b) *Metaphysica*: est complexus illarum notarum quae per genus proximum et ultimam differentiam rei exprimuntur, seu est id sine quo res nequit concipi. Solummodo complectitur partes essentiales quidditativas seu abstracte constitutivas rei; v.c. essentia metaphysica hominis constituitur animalitate et rationalitate.

83. 3. PERFECTA COGNITIO. *Cognitio* intelligitur actus intellectualis obiectum beatitudinis intentionaliter repraesentans. *Perfecta erit* cognitio si tam ex parte potentiae quam ex parte obiecti circa quod versetur, actus sit optimus qui fieri possit.

84. PERFECTUS AMOR. *Amor* est actus voluntatis tendens in bonum ab intellecto propositum. *Perfectus* erit amor si tam ex parte potentiae quam ex parte obiecti circa quod versetur, actus sit optimus qui fieri possit.

85. Status quaestionis. 1. *Certum omnino est* obiectum beatitudinis beatum aliqua *propria operatione* consequi debere, sive illa sit multiplex, sive una; nam ultima hominis perfectio, qualis est beatitudo, nequit consistere nisi in eiusdem operatione, cum operatio sit ultima perfectio operantis (1,2, q.3).

Constat etiam hanc operationem spectare debere ad *partem rationalem,* nempe ad intellectum vel voluntatem, quia unice hae facultates suis actibus Deum, utpote immaterialem, attingere possunt.

Omnes pariter admittunt utramque operationem, intellectus et voluntatis, per se necessariam esse ad statum beatificum, ita ut si alterutra deficiat, vita beata perfecta non detur.

2. *In controversia versatur* solummodo utrum inter hos actus, qui uno vel alio modo ad beatitudinem requiruntur, sit aliquis ordo, ita ut aliqui ad constitutivum essentiale eiusdem pertineant, alii vero non nisi ut attributum, vel proprietas, vel ut conditio sine qua non, beatitudinem ingrediantur.

Haec est celebris controversia, quam nunc agitare volumus: in quo nempe propriissime actu essentia metaphysica beatitudinis sit reponenda.

3. Agitur ut patet de essentia metaphysica beatitudinis: si enim ageretur de essentia physica, quae beatitudinem quoad statum constituit, et quaereretur quomodo homines formaliter beati reddantur, simpliciter absque distinctione, seu in quibus actibus beatitudo quoad statum consistat, tunc nulla inter auctores esset controversia; omnes concedunt statum beatitudis consistere in actibus intellectus et voluntatis circa Deum versantibus, et in gaudio quo Eo fruimur et in certitudine possessionis...; sine iis enim omnibus homines de facto non essent beati. Ergo proponitur in sensu magis stricto de essentia metaphysica et quaeritur in quo strictissime actu *ipsa adeptio* beatitudinis formaliter sit reponenda, ita ut illo posito beatitudo essentialiter consecuta concipiatur, illo vero deficiente adhuc non perfecte consecuta sit existimanda.

86. Sententiae. Tres in hac quaestione sunt praecipuae sententiae. Differentiae vero proveniunt *partim* ex diversa determinatione problematis, essentiam enim metaphysicam beatitudinis quaerentes, alii magis attendunt ad *primam* consecutionem, alii vero ad *perfectiorem* consecutionem; alii denique ad *perfectam seu completam consecutionem*. Existimo vero hoc ultimum ante omnia prae oculis habendum esse; non enim quaerimus partem beatitudinis formalis, sed integram essentiam metaphysicam beatitudinis.

87. 1.ª *Sententia thomista*: sustinet essentiam metaphysicam beatitudinis in *solo actu intellectus,* seu in sola perfecta Dei cognitione reponendam esse; reliqua vero, quae in beatitudine habeantur, non iam ad essentiam metaphysicam beatitudinis formalis sed ad complementum eiusdem pertinere. Defenditur a S. THOMA[1], et ab omnibus thomistis antiquis et modernis, et a multis auctoribus qui in aliis quaestionibus non sunt thomistae ut, v.c. VÁZQUEZ[2], CATHREIN[3], TAPARELLI[4], SCHIFFINI[5], NIVARD[6], ORZECHOWSKI[7], MICHEL[8].

88. 2.ª *Sententia scotista*: defendit beatitudinem formalem essentialiter consistere in solo actu voluntatis. Actus in-

[1] ST. THOMAS, 1 q.26 a.2 c; a.3 c; q.82 a.3; 1-2 q.3 a.4; *Quodlib.* 8 q.9 a.19; 3 CG c.26; 4 dist.49 q.1 a.1; *Opusc.* 2 c.107; *De verit.* q.22 a.11:
[2] *In 1-2* d.11 n.11.
[3] *Phil. Mor.* n.51-57.
[4] *Ens. teor. de Derecho natural* 1 p.38.
[5] *Disp. Phil. Mor.* 1 n.29.
[6] *Ethica* p.28-34.
[7] *Ethica* p.39-59.
[8] *Gloire:* DTC 6,1395-1398.

tellectus, qui necessario praecedere debet actui voluntatis, non est relate ad assecutionem beatitudinis, nisi praerequisitum necessarium, quin tamen ipse ad possessionem ipsam pertineat. Actus amoris in quo solo essentia metaphysica beatitudinis consistit non amoris concupiscentiae, sed amoris amicitiae seu benevolentiae, quo Deum amamus super omnia propter se ipsum, intelligendus est.

Hanc defendit *Scotus* [9], et cum ipso maxima pars scotistarum tam antiquorum quam recentiorum, si MASTRIUM, HERINCX, CASANOVA, GABRIELEM aliosque excipiamus.

89. 3.ª *Sententia suareziana* [10], *quae est nostra.* Iuxta hanc sententiam beatitudo formalis essentialiter consistit simul in perfecto amore et in perfecta cognitione Dei; ita ut uterque actus ad constitutivum essentiale beatitudinis formalis pertineat.

Hanc defendunt inter antiquos, ut solum praecipuos nominem: ALBERTUS MAGNUS [11], BONAVENTURA [12], VALENTIA [13], LESSIUS [14], SUÁREZ [15], MASTRIUS [16], HENRINCK [17],... Inter modernos vero: DONAT [18], COSTA-ROSSETTI [19], MENDIVE [20], MEYER [21], CRUYSBERGHS [22]... multique alii. Hanc ipsam *nos ut probabiliorem* defendimus.

90. Probatur. 1. *Ex perfecta possessione obiecti beantis.* Ad essentiam beatitudinis formalis pertinent omnes actus qui sint consecutio immediata ultimi finis, et sine quibus illa remaneret imperfecta in ratione talis consecutionis. *Atqui* actus intellectus et actus voluntatis immediate consequuntur ultimum finem, et alterutro deficiente remaneret imperfecta consecutio ultimi finis in ratione talis. *Ergo* ad essentiam beatitudinis formalis pertinent actus intellectus et actus voluntatis.

Mai. Ex notione beatitudinis formalis, quae est consecu-

---

[9] *In 4 Sent.* d.49 q.3 et 4.
[10] Haec sententia vocari solet suareziana non eo quod a SUÁREZ fuerit primo proposita, sed quia ab ipso egregie exposita atque defensa fuit.
[11] *In 4* d.49 a.6.
[12] *In 4* d.49 a.1 q.5.
[13] *In 1-2* d.1 q.3.
[14] *In 1-2* q.1 a.4 dub.1.
[15] *De ult. fine* d.7 s.1 n.24-52.
[16] *Disp. Th., in 1 Sent.* d.6 q.12 a.1.
[17] *Summa Th.* p.2 q.4.
[18] *Ethica* 1 n.152.
[19] *Phil. mor.* p.36-38.
[20] *Ethica* n.188.
[21] *Inst. Iuris Nat.* 1 p.55.
[22] *De hom. ult. fine naturali* p.26.

tio ultimi finis, possessio Boni perfecti; erit ergo de essentia beatitudinis formalis omnis actus qui sit consecutivus ultimi finis, si absque illo consecutio non detur perfecta. Sunt vero consecutivi finis ultimi omnes illi actus quibus Deo ut ultimo fini nostro immediate coniungimur.

Min. a) *Actus intellectus* est consecutivus ultimi finis: quia cognitio facit obiectum beatitudinis praesens beato, sicque cum eo eumdem intentionaliter coniungit; ideoque beatus habet quasi in sua potestate illud obiectum, ut illo frui possit et satiari. Unde actus intellectus est vere et immediate consecutivus ultimi finis, et si ipse deest consecutio beatitudinis non erit perfecta [23].

b) *Actus voluntatis* est etiam immediate consecutivus ultimi finis: nam per amorem homo: 1) novo modo, 2) et immediate cum Deo coniungitur, 3) ita ut si desit haec coniunctio formaliter in re, licet habeatur radicaliter, coniunctio immediata cum Deo, non possit concipi perfecta iuxta conditionem humanae naturae. Ergo actus amoris est etiam de essentia metaphysica beatitudinis formalis.

Ant.: 1. *Modo novo* coniungit cum obiecto: nam modus coniunctionis per amorem et per cognitionem sunt diversi, amor enim coniungit per affectum, cognitio vero per repraesentationem.

2. *Immediate* coniungit cum obiecto. Nam amor transformat amatum in amantem. Supponit utique praeviam cognitionem obiecti amati; ac proinde praeviam coniunctionem intentionalem cum Deo; sed illa coniunctio relate ad coniunctionem per amorem non est nisi conditio praevia, non medium per quod amor coniungatur suo obiecto. Ergo praevia cognitio non obstat quominus coniunctio per amorem sit etiam immediata.

3. Si haec deest, *coniunctio non concipitur perfecta:* quia deest aliquis novus modus coniunctionis cum Deo, qui potest haberi.

91. 2. *Ex plena satiatione.* Beatitudo formalis essentialis requirit plenam satiationem tendentiarum rationalium qua talium. *Atqui* tendentiae rationales qua tales non plene satiantur solo intellectu, neque sola voluntate, utique vero utroque actu simul. *Ergo* ad beatitudinem formalem essentialem requiritur actus intellectus et actus voluntatis simul.

Mai. Ex definitione beatitudinis formalis.

Min. Creatura rationalis essentialiter postulat has duas potentias: intellectum et voluntatem; tendentia vero potentiae volitivae non satiatur cognitione, nec appetitus potentiae intellectivae satiatur amore, cum unaquaeque facultas satietur solummodo propriis operationibus [24].

---

[23] SUÁREZ, *De ult. fine* d.7 s.1 n.24-52.
[24] VALENTIA, *In 1-2* disp.1 q.3 punct.4.

92. Scholion. 1. Quinam actus sit praecipuus. Inter auctores sustinentes actum utriusque facultatis necessario requiri ad essentiam metaphysicam beatitudinis formalis, aliae deinde sunt differentiae, magis in concreto determinantes quinam ex illis actibus sit praecipuus. Fere omnes cum ipso SUÁREZ[25] sustinent actum praecipuum esse actum intellectus, in hoc puncto cum thomistis sentientes; aliqui vero existimant praecipuum esse actum voluntatis, in quo cum scotistis consentiunt.

93. 2. Quaestio in ordine supernaturali. Notemus generatim auctores agitare hanc quaestionem agentes de beatitudine supernaturali, in qua maiorem vim, cum in illa detur visio Dei, possunt habere argumenta thomistarum. In ordine vero mere naturali—in quo nos proponimus quaestionem—, cum solummodo sit abstractiva cognitio Dei, multo minus apparet quomodo in illa cognitione ratio completa beatitudinis formalis sit reponenda. Ideo aliqui auctores qui sequuntur primam sententiam, si proponatur quaestio in ordine supernaturali, amplectuntur tertiam si agatur de beatitudine naturali.

94. 3. De naturali appetitu videndi Deum. En quaestio maxime theologica quae tamen intimam connexionem cum thesibus praecentibus habet. Diximus hominem destinari ad beatitudinem perfectam, cuius obiectum est Deus. In beatitudine vero naturali—de qua nos unice agimus—Deus non nisi abstractive cognosceretur, ac amore huic cognitioni abstractivae respondente diligeretur. Estne re vera haec beatitudo perfecta dicenda?

Ad solvendam hanc quaestionem prius videndum est utrum detur in homine appetitus *naturalis* in visionem Dei. Si enim talis appetitus daretur, cum homo naturaliter appeteret intuitionem quae cognitio longe est superior abstractiva, sine illa homo perfecte beatus nequiret dici. Tunc enim visio Dei esset aliquo modo ipsi naturae debitae, ut terminus necessarius perfectae beatitudinis.

95. Sententiae. In hac intrincata quaestione de qua a remotissimis temporibus usque ad nostra acriter disputatur quattuor dantur potissimum sententiae, quae omnes multos habent patronos[26].

96. 1.ª *Sustinet dari in nobis appetitum naturalem innatum.* Iuxta auctores huius sententiae—datur deinde diversitas in multis inter ipsos—ipsa natura humana *naturaliter* inclinatur in visionem intuitivam Dei. Ante quamlibet ergo cognitionem, datur in natura quasi pondus aliquod inclinans in divinam visionem, et appetitus elicitus non est nisi conscia manifestatio huius appetitus innati. Co-

---

[25] *De ult. fine* d.7 s.1 n.56.

[26] Cf. optime: DESCOQS, *Th. Nat.* 2,214-253. Conf. etiam amplissima bibliographia pro diversis sententiis; RITZLER, R., *De naturali desiderio beatitudinis supernaturalis ad mentem St. Thomae* (Romae 1938); O'CONNOR, W. R., *The eternal quest. The teaching of St. Thomas Aquinas on the natural desire for God* (New York 1947).

In ST. THOMA duplex series textuum invenitur: a) *Videntur defendere appetitum naturalem in visionem Dei: De verit.* q.8; 1 q.12 a.1; 1-2 q.2 a.7; q.3 a.1 et 8; 3 CG c.25-51.63; *Comp. Theol.* c.104; b) *Videntur e contra illum negare: In 4* d.49 q.1 a.3; *De verit.* q.14 a.2; q.22 a.7; q.17; 1 q.12 a.4 et 5; q.23 a.1; q.60 a.1 et 2; q.62 a.1 et 2; 1-2 q.5 a.5; q.62 a.2; q.114 a.2; 1 CG c.5; 3 CG c.52-53.148. Mens ergo ST. TH. est incerta in hac quaestione.

gnitio ergo abstractiva Dei nullatenus posset animam quietare et beatitudo, quam naturalem appellavimus, dari nequiret. Visio intuitiva Dei esset terminus necessarius tendentiae naturalis quamvis nec debita, nec vera exigentia a natura postulata. Ita SCOTUS, SOTO, BLONDEL, DE BROGLIE, DOUCET, LAPORTA, SESTILI, VILLATOUX, O'MAHONY, LUBAC...

97. 2.ª *Sustinet dari in nobis appetitum naturalem elicitum et efficacem.* Iuxta hanc sententiam intellectus humanus solis suis viribus naturalibus cognosceret se habere *potentiam obedientialem* ad hoc ut elevetur ad visionem divinam; quam elevationem voluntas positive et sincere desideraret. Consequenter cognitio mere abstractiva Dei non plene posset quietare animam, nec posset dici simpliciter perfecta beatitudo. Visio ergo intuitiva Dei esset finis ultimus normalis *naturalis* hominis. Non tamen concluditur hanc visionem esse naturalem eo quod non necessario debeat dari obiectum naturaliter possibile cuiuslibet tendentiae elicitae. Haec sententia uno vel alio modo defenditur a RIPALDA, SYLVESTRE FERRARIENSI, CHARLIER, L., MOTTE, FERNÁNDEZ, A., ROLLAND-GOSSELIN, TRANCHO, RAINERI, VALLARO...

98. 3.ª *Sustinet dari in nobis appetitum naturalem elicitum sed inefficacem.* Cum enim homo habeat conceptum naturalem visionis, et Dei exsistentis, potest coniungere hos conceptus et efformare ideam visionis Dei, potest etiam iudicare visionem Dei esse forte eidem possibilem, si Deus nempe vellet sese ostendere hominibus. Hinc oritur desiderium visionis Dei, sed *hypotheticum,* nempe *vellem Deum videre, si hoc esset mihi possibile.* Carentia tamen visionis Dei nullam molestiam naturae humanae inferret, cum nesciat utrum sit eidem possibilis. Consequenter non obstante hoc desiderio visionis potest dari beatitudo mere naturalis perfecta. Hanc sustinent sententiam: BAÑEZ, VÁZQUEZ, BERAZA, BALZARETI, PIROTTA, GARDEIL, GARRIGOU-LAGRANGE, CRUYSBERGHS...

99. 4.ª *Sustinet nullum dari in sola naturà appetitum naturalem* neque innatum neque elicitum, neque efficacem, neque inefficacem, in visionem Dei; negat praeterea intellectum humanum solis suis viribus naturalibus posse positive probare possibilitatem elevationis ad visionem Dei. Appetitus qui datur nunc ad visionem Dei est elicitus et quid consequens elevationem ad ordinem supernaturalem. Ita inter alios CAIETANUS, SUÁREZ, CUERVO, DÜMONT, DESCOQS. Inter hanc sententiam et praecedentem vix datur discrimen, nam ille appetitus elicitus inefficax et conditionalis non potest proprie appellari appetitus.

100. QUID MIHI PROBABILIUS SUSTINENDUM VIDEATUR. a) *Quoad beatitudinem mere naturalem,* in qua Deus unice abstractive cognosceretur. 1. Haec *possibilis est* in hypothesi quod Deus noluisset naturae humanae gratuitum beneficium elevationis ad ordinem supernaturalem tribuere (cf. *Humani generis*: AAS 42 [1950] 575).

2. Hanc beatitudinem—*de facto*—obtinent omnes illi qui absque personali peccato maculati decedunt.

3. Si abstrahatur ab ordine supernaturali et *in se ipsa* consideretur, *est et dici debet perfecta,* quatenus satiat omnes exigentias ordinis naturalis.

4. In *comparatione* vero cum beatitudine supernaturali—ad quam de facto omnes in ordine vigenti destinantur—potius infelicitas et miseria dicenda est.

Beatitudo tamen naturalis eminenter adimpletur in beatitudine supernaturali.

b) *Quoad beatitudinem supernaturalem.* 1. Historice omnes homines vocantur ad beatitudinem supernaturalem, seu ad visionem intuitivam Dei.

2. Haec beatitudo supernaturalis est donum omnino gratuitum, absolute superans proportionem atque exigentias cuiusvis purae creaturae.

3. Ex quo sequitur nullum dari in homine appetitum naturalem *innatum* visionis Dei, neque appetitum ullum elicitum naturalem efficacem.

4. Probabilius neque daretur in natura pura appetitus naturalis *elicitus inefficax*. .

5. Appetitus elicitus in visionem Dei—qui in nobis nunc datur—est quid consequens elevationem ad ordinem supernaturalem.

6. Datur utique in nobis *potentia obedientialis passiva,* seu capacitas recipiendi a Deo virtutem supernaturalem, qua possimus assurgere ad intuitionem essentiae divinae; hoc vero solis viribus naturalibus nequiremus positive probare. Si natura humana ad hanc visionem non elevaretur nihil eidem debitum deesset, ac perfectam felicitatem naturalem obtinere posset.

101. Obiectiones[27]. 1. Essentia metaphysica beatitudinis formalis consistit in eo quod primo distinguit beatum a non beato. *Atqui* hoc quod primo distinguit beatum a non beato est perfecta Dei cognitio. *Ergo* essentia metaphysica beatitudinis formalis consistit solum in perfecta Dei cognitione.

Resp. Dist. mai.: primo adaequate distinguit, *conc.;* quod solum inadaequate, *neg. Contrad. min.*

2. Beatitudo formalis adaequate sumpta consistit in possessione prima ultimi finis. *Atqui* ultimum finem primo adaequate possidemus per perfectam Dei cognitionem. *Ergo* perfecta Dei cognitio adaequate distinguit beatum a non beato.

Resp. Dist. mai.: in possessione completa, *conc.;* in possessione incompleta, *neg. Contrad. min.*

3. Non sufficeret cognitio perfecta ad completam possessionem vel ex parte rei possessae—quia non posset uno actu possideri—, vel ex parte ipsius operationis—quia unica operatio non posset attingere substantiam eius—. *Atqui* ex neutro capite ostendi potest cognitionem perfectam non sufficere ad completam possessionem. *Ergo* cognitio perfecta Dei sufficit ad completam possessionem Eiusdem.

Resp. Conc. mai.; neg. min.

4. Ens simplicissimum, si possidetur, totum quoad substantiam possidetur. *Atqui* Deus est ens simplicissimus. *Ergo* si Deus cognitione possidetur, totum quoad substantiam possidetur.

[27] Contra sententiam thomistam videri possunt obiectiones et solutiones earum apud FERRETI-ORZECHOWSKI, *Ethica* p.52-58; contra scotistam sententiam apud ANTONIUM HIQUAEUM, commentatorem Scoti. Cf. SCOTUS, *Opera omnia* ed. Vives v.21 p.100ss. Nos proponemus obiectiones et solutiones earum contra tertiam sententiam.

Resp. Dist. mai.: totum sed non totaliter, *conc.;* totum et totaliter, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.* Illa possessio est obiective completa, sed non subiective.

5. Si manibus teneo aliquod obiectum totum illud substantialiter possideo, etiam subiective; si postea alio membro illud teneo, ratio substantialis possessionis eodem modo completa manet ac antea, ita ut tantum sic accidentalis modificatio illius primae possessionis. *Ergo* a pari, possesso Deo cognitione perfecta, substantialiter complete possidetur etiam subiective, ita ut sit accidentalis quilibet alius modus Illum possidendi per voluntatem.

Resp. Neg. paritas. Disparitas stat in eo quod possessione pecuniae quomodocumque sit, appetitus possidendi eam remanet plene satiatus. In possessione vero beatitudinis solum per intellectum, anima non remanet plene satiata, nam est alia facultas, quae potest illam possidere et non possidet.

6. Beatitudo est essentialiter prima assecutio ultimi finis. *Atqui* prima assecutio ultimi finis est propria unius facultatis. *Ergo* beatitudo formalis consistit in unica operatione.

Resp. Dist. mai.: prima assecutio perfecta seu completa, *conc.;* imperfecta seu incompleta, *neg. Contrad. min.*

7. Prima assecutio completa ultimi finis est operatio perfectissima. *Atqui* operatio perfectissima est propria unius facultatis. *Ergo* prima assecutio etiam completa est propria unius facultatis.

Resp. Dist. mai.: operatio perfectissima animae, *conc.;* praecise unius facultatis solum, *neg. Transm. min. Dist. pariter cons.* Transmitto minorem quia difficile erit determinare quaenam facultas habeat operationem perfectissimam.

8. Actus voluntatis affective tendentes in obiectum sunt: desiderium et gaudium. *Atqui* desiderium est de bono nondum possesso, gaudium de bono iam possesso. *Ergo* nullus actus voluntatis est possessivus beatitudinis.

Resp. Datur tertium, scilicet amor et quidem amor amicitiae.

9. Beatitudo formalis necessario requirit actualem intimam praesentiam et perfectam unionem cum bono beante. *Atqui* amor amicitiae non requirit actualem intimam praesentiam cum bono beante, sed ab ea praescindit. *Ergo* neque amor amicitiae potest esse possessivus beatitudinis.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: in via non requirit, *conc.;* in patria, *neg.*

10. Amor in via et amor in patria sunt eiusdem speciei. *Atqui* in via amor Dei praescindit a praesentia et unione cum Deo. *Ergo* etiam in patria.

Resp. Conc. mai. Conc. min. Sed *neg. cons.* Est omnino diversa ratio, qua sese habet obiectum; nam in termino non potest non esse praesens potentiae, dum in via non necessario est praesens.

11. Beatitudo consistit in attractione et possessione completa boni beantis a facultate. *Atqui* voluntas per amorem non attrahit et possidet bonum beans, sed potius ipsa ab eo rapitur et possidetur. *Ergo* haec diversa ratio qua sese habet obiectum non sufficit ut actus amoris sit possessivus beatitudinis.

Resp. Dist. mai.: vel repraesentativa vel affectiva, *conc.;* praecise repraesentativa, *neg. Contrad. min.:* non attrahit repraesentative, *conc.;* non attrahit affective, *neg.*

12. Summum bonum est bonum intelligibile. *Atqui* bonum intelligibile non acquiritur illud appetendo, sed solum illud intelligendo. *Ergo* attractio per affectum non est possessiva Summi Boni.

Resp. Dist. mai.: intelligibile et simul appetibile, *conc.;* solum intelligibile, *neg. Contrad. min.*

ARTICULUS V

DE FINE ULTIMO HOMINIS IN PRAESENTI VITA

Thesis 5. Perfecta beatitudo in hac vita obtineri nequit (I); quapropter finis ultimus vitae praesentis consistit in dispositione ad ultimum finem vitae futurae (II) per rectam ordinationem suarum operationum (III).

S. TH., 1-2 q.5 a.3 et 7; 3 CG c.48; MEYER, *Inst. Iuris Nat.* n.75ss; FERRETI, *Inst. Phil. mor.* p.100-119; MARCELLUS A PUERO IESU, *Phil. Mor.* p.108ss; DONAT, *Ethica* 1 p.150-196.

102. Nexus. Restat tractanda quaestio de tempore quo beatitudinem assequemur, ac de habitudine nostra in hac vita mortali ad beatitudinem futuram. En materia thesi praesenti determinanda.

103. Notiones. 1. BEATITUDO eiusque divisiones, maxime in perfectam et imperfectam ut in thesi secunda (cf. n.39-41).

2. IN HAC VITA. In praesenti statu unionis animae cum corpore corruptibili.

3. FINIS eiusque divisiones ut in thesi prima (cf. n.24).

104. Status quaestionis. 1. Non quaeritur in thesi utrum in hac vita possit homo aliquam beatitudinem, incompletam, imperfectam, habere; quaestio unice procedit de beatitudine *perfecta,* de illa nempe quae omne desiderium plene satiet, atque omne malum prorsus excludat.

2. In *secunda parte* theseos ulterius investigatur utrum homo habeat in hac vita alium finem ultimum diversum a fine ultimo alterius vitae, seu qualis sit supremus finis ipsius in hac vita obtinendus.

3. In *tertia* denique parte magis in concreto examinatur in quo consistat in *genere* praeparatio hominis in hac vita relate ad finem supremum ipsius. Non tamen quaeritur in concreto in quo debeat consistere illa recta ordinatio operationum, quod postea determinabitur.

105. Sententiae. 1.ª *Materialistae, positivistae,* omnesque qui felicitatem seu ultimum finem hominis in bonis huius vitae colocant—quorum immensus est numerus—sustinent non dari pro homine alium finem ultimum quam quem ipse in hac vita possit adipisci. Hoc etiam defendunt qui negant immortalitem animae.

2. *Nostra sententia*: Contra hos ut omnino certum cum omnibus theistis sustinemus thesim propositam.

Probatur. 1.ª Pars. Perf. beat. in hac vita nequit obtineri.

106. *Ex conceptu beatitudinis perfectae et ex experientia.* Beatitudo perfecta est status in quo omne malum excluditur, atque omne desiderium impletur. *Atqui* in hac vita neque omne malum excludere, neque omne desiderium implere possibile est. *Ergo* perfecta beatitudo in hac vita nequit obtineri.

Mai. Ex definitione beatitudinis perfectae.

Min. a) *Omne malum excludere*: propter ignorantias multiplices ex parte intellectus, propter inordinatas affectiones et cupiditates ex parte voluntatis; propter innumeras infirmitates, necessitates, pericula, morbos, poenalitates ex parte corporis.

b) *Omne desiderium implere*: propter imperfectionem qua cognoscimus et amamus Deum et omnia quae ad Deum et res spirituales referuntur; propter instabilitatem rerum et bonorum omnium huius vitae et ipsius vitae. Omnia enim sunt instabilia, et ad summum sequuntur nos usque ad mortem [1].

2.ª Pars. Finis ult. praes. vitae est dispositio ad beat.

107. *Ex unitate et indole naturae humanae et finis supremi hominis.*

Ille supremus hominis finis in hac vita dicendus est quem unitas et indoles tam naturae humanae quam finis ultimi eiusdem postulent. *Atqui* unitas et indoles tam naturae humanae quam finis ultimi eiusdem postulant finem supremum hominis in hac vita esse debere praeparationem et dispositionem ad finem ultimum vitae futurae. *Ergo* finis supremus vitae praesentis in eo consistit ut homo se praeparet et disponat ad ultimum finem vitae futurae.

Mai. Finis quilibet debet responderе unitati et indoli na-

[1] S. TH. 1-2 q.5 a.3 c; 3 CG c.48.

turae et finis ultimi cuiusque; nam finalitas cuiusque rei per ipsam propriam naturam demonstratur.

Min. a) *Unitas naturae* et finis ultimi hoc exigunt: nam unitas naturae humanae exigit ut non sit nisi unus finis ultimus. (cf. n.74, in prob. th.3); *unitas finis* ultimi exigit ut reliqua subordinentur ei, secus non haberetur unus finis ultimus (cf. n.24, in th.1), reliqua non habent nisi rationem mediorum respectu ad finem absolute ultimum.

b) *Indoles naturae* humanae et finis ultimi hoc exigunt: nam postulant ut finis absolute ultimus libere ab homine attingatur, quod haberi nequit sine apta dispositione ad illum promerendum; quoniam vero in hac vita finem ultimum homo nequit consequi, ergo debet se praeparare et disponere ad illum.

3.ª Pars. Dispositio consistit in recta ordinatione actionum.

108. 1. *Ex sapientia et sanctitate divina.* Duae sunt viae ad praedictam dispositionem: recta nempe ordinatio vitae secundum exigentias rationis, vel vita inordinata indulgendo passionibus effrenatis. *Atqui* secunda via est absurda et contraria sanctitati et sapientiae divinae. *Ergo* non restat nisi prima via, seu recta ordinatio actionum.

109. 2. *Ex analogia.* Deus omnes res huius mundi visibilis mire disposuit atque recto ordine in suum finem dirigit. *Ergo* credendum est etiam eodem modo hominem disposuisse, eumque recto ordine in suum finem dirigire, maxime cum homo sit finis immediatus et dominus totius creationis visibilis.

110. Corollaria. 1. Ergo homo beatitudinem, ad quam de facto, destinatur, non absolute consequetur, sed hipothetice, nempe si libere suis actibus recte ad illam se praeparet. Posita vero recta praeparatione, quae in manu hominis est, tunc certe illam obtinebit.

2. Ergo homo in hac vita gloriam Dei et propriam beatitudinem per eosdem actus consequitur, nam utrumque habetur per cognitionem et amorem Dei.

3. Ergo potissima et melior omnium dispositio ad beatitudinem sunt actus cognitionis et amoris Dei, nam iisdem in hac vita magis Deo coniungimur.

111. Scholion. 1. **Quomodo subiective homo intendat suum ultimum finem.** In hac vita *in omnibus suis actionibus,* sive bonis, sive malis, homo saltem *interpretative* intendit ultimum finem modo *indeterminato,* seu beatitudinem in communi; quidquid enim homo appetit semper appetit sub ratione boni; si vero illud bonum est per-

fectum erit beatitudo obiectiva, si vero est imperfectum est beatitudo inchoata, inchoatio vero ad consummationem ordinatur.

In omnibus vero actionibus *honestis* homo saltem interpretative intendit ultimum finem determinate sumptum, nempe *Deum;* qui enim se conformat naturae talem habet dispositionem ut etiam auctori naturae sese conformare velit[2].

112. 2. **Cognitio et amor Dei in hac vita et in alia.** Potest quis quaerere cur in hac vita cognitio et amor Dei sint insufficientes ad perfectam beatitudinem, in altera vero non. Clare apparet discrimen si agatur de beatitudine supernaturali, cum in illa dentur cognitio divina intuitiva ac amor eidem respondens, quae vita praesenti non habentur. Si vero agatur de beatitudine naturali non ita clare apparet differentia cum in utraque solummodo habeatur cognitio abstractiva et amor huic cognitioni respondens.

Rationes tamen in promptu sunt; cognitio enim abstractiva huius vitae est plena imperfectionibus, quibus omnibus in altera vita carebit.

In hac namque vita cognitio quam habemus de creaturis, e quibus ad Deum assurgimus, est valde imperfecta; in altera vero vita erit longe perfectior, fundata in cognitione directa substantiae propriae animae et aliorum. In hac vita cito defatigamur in consideratione divinorum, in altera vero haec defatigatio absens erit. In hac vita versamur innumeris animae et corporis miseriis circumdati, quibus a consideratione Creatoris avocamur; in altera vero anima huiusmodi omnibus curis et miseriis soluta erit, et tota in pura Dei contemplatione vacabit.

113. Obiectiones. 1. Si beatitudo solum in vita futura posset obtineri, omnes naturaliter desiderarent mori. *Atqui* homines non solum non desiderant mori, sed e contra a morte maxime abhorrent. *Ergo* beatitudo potest obtineri in hac vita.

Resp. Dist. mai.: si mors solum importaret assecutionem beatitudinis et quidem certam, *conc.;* si praeterea importat solutionem compositi humani, et incertam assecutionem beatitudinis, cum haec sit hypothetice concessa, *neg. Contrad. min.*

2. Beatitudo formalis consistit essentialiter in cognitione et amore Dei. *Atqui* in hac vita etiam haberi potest cognitio et amor Dei. *Ergo* etiam in hac vita obtineri potest beatitudo.

Resp. Dist. mai.: in perfecta cognitione et perfecto amore, *conc.;* in imperfecto amore et in imperfecta cognitione, *neg. Contrad. min.*

3. In alia vita dari potest perfecta beatitudo, cum unus perfectius quam alter Deum cognoscat atque amet. *Atqui* si unus perfectius quam alius amat et cognoscit, etiam cum imperfecta cognitione et amore Dei in altera vita dari potest beatitudo. *Ergo* etiam in hac vita, seu non requiritur perfecta cognitio et amor Dei ad beatitudinem perfectam.

Resp. Dist. mai.: ita ut illa diversa participatio se habeat ex parte obiecti beatitudinis, *neg.;* ex parte diversae dispositionis participantium, *conc. Contrad. min.* Perfecta vel imperfecta dicitur prout satiet vel non capacitatem uniuscuiusque.

4. Beatitudo perfecta illa est quae ita satiat appetitum humanum ut nihil desiderandum restet. *Atqui* etiam in hac vita cognitio

[2] Cf. SUÁREZ, *De ult. fine* d.2 s.4; BILLUART, *De ult. fine* d.1 a.5.

et amor Dei ita satiat appetitum aliquorum hominum ut nihil aliud rationabiliter desiderandum relinquant. *Ergo* etiam in hac vita dari potest beatitudo perfecta.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: etiam cum tot aerumnis et miseriis quibus inveniuntur et absque spe vitae futurae, *neg.;* sine illis miseriis et cum certa spe vitae futurae, *conc. Dist. pariter cons.*

5. Repugnat hominem suum finem ultimum obtinere non posse. *Atqui* si non posset obtinere beatitudinem in hac vita homo suum finem ultimum non posset obtinere. *Ergo* homo debet posse in hac vita obtinere suum finem ultimum.

Resp. Dist. mai.: neque in hac vita neque in futura, *conc.;* tantum in praesenti, *neg. Contrad. min.*

6. Homo debet posse consequi beatitudinem ubi adest tendentia naturalis in illam. *Atqui* homo habet tendentiam naturalem in beatitudinem in vita praesenti. *Ergo* debet posse obtinere illam in vita praesenti.

Resp. Dist. mai.: ubi adest tendentia naturalis et aptitudo, *conc.;* ubi adest solum tendentia, sed non aptitudo, *neg. Contrad. min.*

7. Beatitudo est adeptio boni supremi, quod quietat appetitum. *Atqui* hoc accidit solum in vita praesenti cum anima est unita corpori, quia cum ab illo separatur appetit illius unionem. *Ergo* in hac vita adest tendentia naturalis et aptitudo ad beatitudinem.

Resp. Dist. mai.: sive ex parte rei appetibilis, sive ex parte appetentis, *conc.;* ex parte appetentis: *subd.:* sive intensive, sive extensive, *conc.;* extensive solum, *neg. Contrad. min.* Anima sine corpore eamdem beatitudinem habet ex parte obiecti et ex parte intensiva subiecti quam cum corpore in alia vita. Cum iterum cum corpore uniatur solummodo extensive accrescet beatitudo, i.e. praeter animam erit etiam corpus quod illa fruetur ex redundantia.

8. Si vita honesta esset unica conditio necessaria ad obtinendam beatitudinem, homo unice ordinem moralem prosequi deberet nullo habito respectu ad prosperitatem suae vitae. *Atqui* tunc scientiae, artes et similia, quae prosperitati vitae humanae deserviunt, essent praetermittenda, quod nequit admitti. *Ergo* ad beatitudinem obtinendam non requiritur ut necessaria conditio vita honesta.

Resp. Dist. mai.: si vita honesta cum vera prosperitate vitae non posset coincidere, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

9. Ex thesi prima habemus ab homine gloriam Dei quaeri debere ut finem absolute ultimum. *Atqui* ad quaerendam gloriam Dei non sufficit honeste operari. *Ergo* ad obtinendum finem suum ultimum non sufficit sola vita honesta.

Resp. Dist. mai.: saltem implicite et virtualiter, *conc.;* semper explicite, actualiter, *neg. Contrad. min.*

CAPUT II

De actibus humanis physice consideratis

S. Th. 1-2 q.6; Suárez, *De voluntario et involuntario;* Billuart, *De actibus humanis* dist.1; Frins, *De actibus humanis* 1; Potters, P., *Comp. Phil. moralis* pars 1.ª p.56ss; Cathrein, *Fil. Mor.* I pars 1.ª l.1 c.3-5; Urráburu, *Instit. philosoph.* v.6 disp.6; Michel, *Volontaire:* DTC 15,3300-3309.

114. Hoc caput de actibus humanis physice consideratis paucis absolvemus; fusius in psychologia rationali exponitur, in qua proprium locum habet cum de appetitu rationali agitur [1].

Etiam in theologia morali non leviter haec omnia perpenduntur.

Ad Philosophiam moralem actus humanus physice consideratus pertinet, quatenus est obiectum materiale eiusdem, nam actus humanus est qui recte ordinari debet.

Actus humanus ille est qui ab homine procedit modo proprio, i.e. cum libertate et advertentia rationis. Tria ergo elementa in eo necessario inveniri debent; voluntarietas, libertas et advertentia rationis. Nunc volumus videre in quo consistat unumquodque ex iis elementis, et quomodo ad actum humanum concurrat.

ARTICULUS I

De voluntarietate actus humani

§ 1. Notiones generales et divisiones

115. Voluntarium: *est quod procedit ab appetitu rationali ex intellectuali cognitione finis.*

Quod procedit: sive actio, sive omissio, sive alterutrius effectus; sive immediate, sive solum mediate originem ab appetitu tamquam a causa habeat. Sic voluntarium differt a volito, quod est obiectum, sed non effectus voluntatis.

Ab appetitu rationali: sic voluntarium differt a violento, quod procedit a principio extrinseco, contrariante natura.

Ex intellectuali cognitione: non sufficit ad voluntarium cognitio sensitiva. Sic differt voluntarium: *a)* a motu naturali, qualis est, v.c. motus vegetativus, nam hic, etsi a principio intrinseco, procedit tamen absque ulla cognitione; *b)* ab spontaneo, quod a principio intrinseco, sed cum cognitione sensitiva procedit, v.c. subita ira deliberationem rationis antecedens.

116. Divisiones voluntarii. Voluntarium potest esse:

1. *Liberum* vel *necessarium,* prout a voluntate procedat cum indifferentia iudicii vel determinata ad unum.

2. *Elicitum* vel *imperatum,* prout immediate a voluntate tam-

[1] Cf. Urráburu, *Psychol.* v.6 p.1ss.

quam a sua causa procedat, vel mediante imperio voluntatis ab aliis facultatibus.

3. *Perfectum* vel *imperfectum*, prout cum plena cognitione et cum pleno consensu a voluntate procedat vel cum imperfecta cognitione vel cum consensu imperfecto.

4.. *In se* vel *in alio*, prout voluntas immediate circa illud versetur vel illud velit solum in alio cum quo tamquam cum sua causa est connexum, quodque voluntas immediate vult. Aliqui vocant hoc secundum voluntarium indirectum.

5. *Positivum* vel *negativum*, prout a voluntate per positionem actus procedat, vel per liberam eiusdem suspensionem.

6. *Actuale:* quod a voluntate actu formaliter influente pendet: *Virtuale:* quod a voluntate pendet vi actus prius habiti et in actione aliquo modo influere pergentis; *habituale:* quod pendet a voluntate antea habita et non retractata, nunc vero nullo modo influente; *interpretativum:* quod a voluntate, spectata eiusdem dispositione, penderet, si de illo cogitaret.

7. *Simpliciter:* quod hic et nunc voluntas de facto efficaciter vult sed cum quadam repugnantia, scilicet solum ad vitandum malum, alioquin inevitabile; *secundum quid:* quod hic et nunc de facto non vult voluntas, etsi actualiter in illud inclinetur; vellet tamen illud si circumstantiae forent diversae.

8. *Explicitum:* illud quo volumus aliquid in se distincte cognitum et cogitatum; *implicitum*: quod voluntas amplectitur in aliquo generali volito.

9. *Absolutum:* quod explicite vel implicite continet revocationem cuiuslibet volitionis oppositae forte simul occurrentis antea habitae; *relativum,:* quod modo praedicto non revocatur.

10. *Expressum:* quod verbis aut aliis modis consensum significantibus exprimitur; *tacitum:* quod, absque tali signo, ex aliquo facto, vel ex omissione facti, pensatis circumstantiis, satis adesse colligitur.

117. Involuntarium: In genere dicitur quod a voluntate non procedit. Potest esse:

1. *Simpliciter:* quod de facto hic et nunc voluntas non vult licet ei ceteroquin placeat. Ordinarie coincidit cum voluntario secundum quid; *secundum quid:* quod voluntas de facto vult, etsi illud nollet si circumstantiae aliae forent. Ordinarie coincidit cum voluntario simpliciter.

2. *Privativum:* dicit negationem voluntarii in subiecto capaci voluntarii oppositi; idem est ac non voluntarium; *positivum:* quod fit voluntate positive repugnante; hoc proprie vocamus involuntarium; denotat illud non solum non pendere a voluntate, sed praeterea eiusdem inclinationi adversari.

§ 2. De voluntario in alio

118. Requisita ut vol. in alio alicui tribuatur.—Volumus videre quandonam effectus ex actione aliqua nostra proveniens, etsi in se ipso non fuerit volitus—quod voluntarium in alio diximus—nobis ut causae volenti possit attribui. Quaestio procedit de effectu aliquo

malo, nam effectus bonus solummodo alicui tribuitur cum est voluntarius in se.

Ut effectus malus alicui ut voluntarius in alio attribui possit requiritur:

1. Si agitur de causa per se: a) *Causa voluntaria:* seu ut agens potuerit non ponere causam, vel positam tollere.

b) *Sufficiens praevisio:* seu ut agens saltem in confuso praeviderit effectum.

2. Si agitur de causa per accidens praeter duas conditiones numero praecedenti enumeratas requiritur praeterea:

Obligatio vitandi causam, ne sequatur talis effectus: nam defficiente tali obligatione, effectus ille nec physice nec moraliter a voluntate procedit.

Cum vero adest obligatio vitandi causam ne sequatur talis effectus, hic iam voluntarius in alio iure dicendus est, tunc enim effectus et causa moraliter censentur habere rationem unius obiecti a voluntate vitandi.

119. Quandonam effectus non imputabitur: Effectus igitur malus ex actione aliqua secutus nequit alicui tamquam in alio voluntarius imputari si:

1. *Actio sit in se honesta vel indifferens;* 2. *Aeque immediate sequatur effectus bonus et malus* ex illa actione: nam si effectus malus esset medium ad obtinendum bonum effectum illicita erit actio, nam non sunt facienda mala ut eveniant bona; 3. *Adsit ratio proportionate gravis* permittendi effectum malum: si enim talis ratio abesset caritas nos obligaret ad vitanda mala et praecavenda damna proximi, cum id absque gravi incommodo possemus.

§ 3. De voluntario elicito

120. Elicitus dicitur actus qui immediate a voluntate procedit et in ipsa consumatur.

Imperatus est ille cuius principium movens est voluntas, sed principum elicitivum et subiectivum sunt aliae potentiae ad exercitium motae et applicatae a voluntate, sive sint potentiae internae (imperatus internus), sive externae (imperatus externus).

121. Imperium voluntatis. *a)* Quid sit. Iuxta Suárez est volitio efficax, qua voluntas ceteras potentias ad suos proprios actus movet[2]. Proinde formaliter est actus voluntatis. Alii existimant esse intimationem voluntatis absolutae reliquis potentiis factam; proinde formaliter actum intellectus[3].

122. *b)* Quomodo exerceatur: Duplex datur imperium voluntatis: 1) *absolutum seu despoticum;* 2) *non absolutum seu politicum,* prout aliae potentiae possint vel non ponere resistentiam. Voluntas imperat:

---

[2] *De leg.* 1 c.5.
[3] S. Th. 1-2 q.17 a.1.

1. *Despotice:* sibi—ipsi enim resistere nequit—; et virtuti motrici membrorum externorum, nam membra externa, nisi adsit impedimentum physicum, ad nutum potest voluntas movere.

2. *Politice:* intellectui, phantasiae, memoriae, et appetitui sensitivo, nam hae facultates, ut constat experientia, etsi imperio voluntatis sint obnoxiae, eidem tamen resistere possunt.

3. *Indirecte* tantum: potentiis vegetativis, sensibus externis et sensui interno respondenti; non enim est in manu hominis non nutriri, si cibum sumat, potest tamen sumere vel non sumere alimenta, ideoque iuvare vel impedire facultatem nutritivam. A voluntatis etiam imperio non pendet videre vel non videre aliquod obiectum si aperiantur oculi, potest tamen voluntas vel organa avertere, vel removere obiecta.

123. Series actuum in actu humano distinguenda. Ad actum humanum, cum non praecipitanter sed prudenter ponitur, sequentes actus concurrunt, quin tamen ab ipso operante vix percipiantur, quia admodum subito fiunt, et sibi succedunt:

Ex parte intellectus: Simplex apprehensio, iudicium de bonitate et convenientia, consilium circa media, iudicium discretivum mediorum aptorum, intimatio aliis potentiis horum mediorum.

Ex parte voluntatis: simplex volitio, intentio inclinans ad media, consensus seu approbatio mediorum, selectio efficax mediorum, usus activus seu applicatio potentiarum, possessio finis quo voluntas quiescit.

Ex parte potentiarum exsecutivarum: usus pasivus[4].

ARTICULUS II

De libertate actus humani ... ...

124. Libertas physica. Definitio: *Indifferentia activa agentis qua, positis omnibus praerequisitis ad agendum, potest agere vel non agere.*

1. *Indifferentia:* qua excluditur determinatio voluntatis ad unum.

2. *Activa:* nam duplex est distinguenda indifferentia: *passiva* seu capacitas recipiendi plura; *activa* seu capacitas plura agendi; hanc postremam ad libertatem requirimus.

3. *Positis omnibus ad agendum praerequisitis:* nam si aliquod eorum deesset omissio actus tribuenda erit impotentiae, non libertati.

4. *Potest agere vel non agere:* nam si quis nequit ab actione se abstinere, actio non est libera sed necessaria.

125. Divisio: Triplex libertas physica adest:

1. *Contradictionis* (seu exercitii): si voluntas potest elicere vel non elicere actum, v.c. amare vel non amare Deum.

2. *Contrarietatis:* si voluntas potest elicere actum vel eius oppositum, v.c. amare vel odisse Deum.

[4] Suárez, *De voluntario* d.7-10; Potters, *Comp. Phil. Mor.* p.60ss.

3. *Specificationis:* si voluntas potest elicere actum vel alium specie diversum, v.c. amare Deum vel deambulare.

Libertas sufficienter salvatur in libertate contradictionis, quia cum illa salvatur dominium actus ex parte voluntatis.

126. Exsistentia: Hanc supponimus ex psychologia multis capitibus probatam, nec argumenta sunt repetenda. Breviter reducuntur, ad naturam ipsam intellectus et voluntatis (ex universalitate cognitionis et appetitionis); ad testimonium conscientiae; ad consensum universalem generis humani; denique ad absurda quae ex non exsistentia libertatis sequerentur[5].

127. Extensio: a) *Circa bonum infinitum* seu Deum in *altera vita* perfecte cognitum voluntas non habebit libertatem, quia neque in obiecto, neque in actu rationem ullam mali poterit apprehendere, ideoque Illum necessario amabit.

b) *Circa bonum in communi,* et circa beatitudinem et media quae ab intellectu clare cum illa coniuncta apprehenduntur voluntas necessitatur quoad specificationem, non vero quoad exercitium, habet ergo solummodo libertatem contradictionis.

c) *Circa bonum infinitum* seu Deum *in hac vita* homo undequaque liber est; quia etsi Deus sit in se maius bonum quam beatitudo in communi, tamen non evidenter ut tale nobis repraesentatur

d) *Circa omnia bona finita particularia:* homo in hac vita est omnino liber, quia haec nec beatitudinem constituunt, nec cum illa necessario connexa ab intellectu apprehenduntur.

ARTICULUS III

De cognitione actus humani

128. Cognitio. Definitio: est *vitalis et intentionalis obiecti similitudo.*

a) *Vitalis:* quia est actus immanens aliquid ipsi subiecto repraesentans.

b) *Intentionalis:* nam illa similitudo non est naturalis.

c) *Similitudo:* species seu forma rei alterius.

129. Divisio: a) *Sensitiva:* est quae per organicam potentiam seu sensum elicitur. b) *Intellectiva:* quae elicitur per intellectum.

130. Requisita ad actum humanum: Certum est non sufficere cognitionem sensitivam, sed necessariam esse cognitionem intellectualem, nam potentiae appetitivae et cognoscitivae correspondentes debent esse eiusdem ordinis.

Cognitio vero intellectualis potest esse vel simplex apprehensio vel iudicium. Quaenam ex iis duabus cognitionibus requiritur ad actum humanum? Respondere breviter possumus: *a)* simplicem apprehensionem non suasivam, seu non ostendentem convenientiam

[5] Cf. Urráburu, *Psych.* v.6 d.7 c.1-2; Donat, *Psych.* n.421-428.

vel non convenientiam obiecti, non sufficere non modo ad actum humanum, sed neque ad movendam quoquo modo voluntatem, cum voluntas nequeat appetere quod nescit utrum sit bonum an malum; *b)* suasivam vero seu ostendentem convenientiam vel inconvenientiam obiecti sufficere ad affectus inefficaces et imperfectiores voluntatis; *c)* ad actum vero perfecte humanum, cum electionem mediorum importet, requiri iudicium et quidem practicum de bonitate obiecti[6].

ARTICULUS IV

De impedimentis actus humani

131. In quolibet ex elementis essentialibus eiusdem (libertate, advertentia, voluntarietate) actus humanus influxum subire potest; praecipue ex parte passionum, quarum aliquae speciatim voluntarietatem actus modificant (metus), aliae potius libertatem seu indifferentiam iudicii (concupiscentia); aliquando simul et voluntarietas et indifferentia modificatur (per violentiam); alias vero solum cognitio (in casu ignorantiae).

Ideo paucis praemissis de passionibus in genere, speciatim agemus de metu ac de concupiscentia, deinde de violentia physica, denique de ignorantia[7].

§ 1. **De passionibus in genere**

132. Passio. Definitio: est *motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vel mali cum transmutatione corporis.*

a) *Motus:* passio denotat non ipsam facultatem, neque habitum, sed actum; aliquando tamen ipsi habitus vitiosi passiones appellantur

b) *Appetitus sensitivi:* principium eliciens passionum est facultas appetitiva sensitiva.

c) *Ex imaginatione boni vel mali:* principium dirigens est phantasia seu sensus internus apprehensivus.

d) *Cum transmutatione corporis:* haec transmutatio est effectus passionum.

Duo ergo stricte in passione includuntur: 1) *motus animi,* qui est quasi formale passionum; 2) *transmutatio corporis,* quae est quasi materiale passionum. Si deficiat primum passio erit corporalis, sed non animalis, si vero deficiat secundum, aderit motus animi, sed non stricta passio.

133. Origo: *Causa immediate eliciens* est ipse appetitus sensitivus; *causae vero excitantes* vel occasionales variae esse possunt, nempe: ipsa voluntas, habitus acquisiti, inclinationes hereditariae, educatio, conversatio, interna complexio, temperamentum, aetas, sexus, clima, obiecta externa, Deus, angeli...

Urráburu, *Psychologia* v.6 p.121ss.
Cf. Noble, *Passions:* DTC 11,2211-2241.

134. Genera: aliae sunt *concupiscibiles,* aliae *irascibiles,* prout appetitus a quo procedunt sit concupiscibilis vel irascibilis, i.e. prout versentur circa bonum aut circa malum, simpliciter vel arduum. Undecim a S. Thoma numerantur passiones simplices seu elementares[8], ut videri licet in adiuncto schemate:

SCHEMA PASSIONUM ELEMENTARIUM

A) Passiones concupiscibiles

Nomen	Versatur circa	Opponitur
1) Amor	bonum	odio
2) Desiderium	bonum absens	fugae
3) gaudium	bonum praesens	tristitiae
4) odium	malum	amori
5) fuga seu horror	malum absens	desiderio
6) tristitia	malum praesens	gaudio

B) Passiones irascibiles

1) spes	bonum arduum obtentu possibile	desperationi
2) desperatio	bonum arduum obtentu impossibile	spei
3) timor seu metus	malum arduum fugiendum	audatiae
4) audatia	malum arduum superandum	desperationi
5) ira	malum arduum praesens	non habet

135. Moralitas: *Absolute* consideratae et secundum se non sunt neque bonae neque malae, quia neque libertate, neque ratione participant, sunt enim motus appetitus sensitivi. Si vero considerantur sub imperio voluntatis et rationales per participationem, tunc esse possunt bonae vel malae, prout conformentur vel non dictamini rationis.

136. Influxus in voluntatem: Passiones movent voluntatem *mediante phantasia.* Cum anima secundum partem sensitivam inclinata iam sit in obiectum passionis, ipsa quoque voluntas facile trahitur ad obiectum passionis libere amplectendum. Passiones tamen non necessitant voluntatem in unam partem, nam voluntas passionibus dominatur earumque obiectum amplecti vel reiicere potest.

Aliquando passiones ob suam vehementiam rationis usum perturbant, quo in casu consensus voluntatis vel dissensus non erit rationalis

[8] 1-2 q.23 et 25.

§ 2. **De passionibus in specie**

A. De metu ac de eiusdem influxu in actum humanum

137. Metus: est *trepidatio mentis propter malum probabiliter imminens* [9].

Divisio: 1. Ratione agentis: a) *Intrinsecus*: si a causa necessario agente procedit, sive illa sit intrinseca sive extrinseca; b) *Extrinsecus*: si a causa libera incutitur.

2. Ratione intensitatis: a) *Immoderatus: si adeo hominem* percellit ut eiusdem usum rationis auferat; quo in casu omnino tollit voluntarium; b) *Moderatus:* si usum rationis non impedit. Hic vero potest esse: *Absolute gravis:* si malum quod timetur est magnum et certo vel probabiliter imminet, v.c. mors, mutilatio, gravis infamia...; *Relative gravis:* si malum quod timetur, etsi in se quidem parvum, pro tali determinata persona, ratione habita circumstantiarum, ut magnum sit habendum, v.c. pro pueris, pro mulieribus; *Levis:* si malum quod timetur est leve, vel non probabiliter imminet. Timor reverentialis ad timorem gravem plerumque revocatur.

3. Ratione ordinis ad actum: a) *Concomitans:* Si actus ponitur cum metu sed non ex metu; v.c. fur agit cum metu; est signum magnae voluntatis; b) *Antecedens:* Si metus movet ad actum v.c. viator ex metu tradit suam pecuniam latronibus. Si ipse solus movet ad actum, est causa totalis actionis alicuius; si praeter metum sunt aliae causae impellentes, est causa partialis.

138. Influxus in actum humanum: 1. *Immoderatus* ita influit ut actio ex illo posita omnino tollat voluntarium.

2. *Moderatus* ita influit ut actio ex illo *solo* posita sit voluntaria simpliciter, nam ponitur ex praevio rationis iudicio, eligendo illam propter bonum, cui opponitur malum imminens; plerumque tamen est involuntaria secundum quid, nam quod fit ex solo metu, plerumque est contra inclinationem voluntatis, quae illud non amplecteretur, nisi necessarium foret ad malum imminens praecavendum. Hoc in casu *voluntarium minuitur.*

B. De concupiscentia ac de eiusdem influxu in actum humanum

139. Concupiscentia: est *quilibet motus appetitus sensitivi tendentis in aliquod bonum sensibile.* Non est confundenda cum fomite pravarum cupiditatum, qui in homine post peccatum originale exsistit.

140. Divisio: 1. Relate ad voluntatem: a) *Non voluntaria:* si motus sponte oritur in appetitu sensitivo, sive ex complexione corporis, sive ex qualibet causa fortuita. Hic motus vocari solet motus primo-primus. b) *Voluntaria:* cum motus sequitur voluntatis consensum. Quod dupliciter fieri potest: *directe voluntaria,* cum motus ex proposito excitatur, vel eidem consensus praestatur, si quacumque causa obortus fuerit. *Indirecte voluntaria,* cum motus ori-

[9] Cf. Gardeil, *Crainte:* DTC 3,2010-2022.

tur ex redundantia in appetitum sensitivum ex ipsis actibus fortioribus voluntatis, vel cum motus oritur praeter intentionem ex aliqua causa libere et cum praevisione motus secuturi posita.

2. RELATE AD OPUS AD QUOD REFERTUR: a) *Antecedens:* motus qui voluntatem ad aliquem actum ponendum excitat; b) *Concomitans:* motus qui accedit voluntati, ad agendum aliunde iam determinatae; c) *Consequens:* motus qui actum voluntatis sequitur, sive ex industria excitetur, sive per redundantiam proveniat.

141. INFLUXUS IN ACTUM HUMANUM: 1.. *Antecedens:* a) *Ordinarie minuit libertatem,* nam minuit indifferentiam iudicii.

Aliquando per accidens libertas omnino disparare potest, si tanta sit passio ut totaliter auferat usum rationis, nam ubi nulla est cognitio intellectualis, nulla est libertas.

b) *Causat voluntarium* et auget eiusdem intensitatem; nam voluntas magis allicitur ad actum cum concupiscentia quam sine illa.

2. *Concomitans* neque in voluntatem neque in libertatem influit; quia supervenit voluntati ad agendum iam determinatae.

3. *Consequens* neque auget neque minuit voluntarietatem neque libertatem, nam ipsa procedit a voluntario libero ut a sua causa. Tamen concupiscentia quae est consequens respectu unius actus potest esse antecedens respectu alterius.

§ 3. De violentia physica ac de eiusdem influxu in actum humanum

142. Violentia physica: est *motio a principio extrinseco renitente eo qui patitur.*

1. *Motio a principio extrinseco:* ut actus sit violentus, motio ad illum debet provenire extra agentem. Sic motus appetitus sensitivi non est violentus, etsi voluntas ei resistat, quia non est a principio extrinseco.

2. *Renitente eo qui patitur:* Voluntas patientis debet resistere non solum interne, sed etiam externe quantum possit. Sic actus ab extrinseco proveniens, cum voluntas ei consentit, vel non resistit quantum potest, non est stricte violentus, sed ad summum late seu secundum quid.

143. IN QUOS ACTUS CADAT. a) *Non in actus elicitos:* repugnat enim voluntatem in actum aliquem inclinari, et simul eidem adversari

b) *Utique in actus imperatos,* et quidem dupliciter: nam actus aliarum facultatum a voluntate imperati per vim physicam impediri possunt; vel e contra aliae facultates possunt applicari ad suos actus per vim physicam contra voluntatis dictamen.

144. INFLUXUS IN ACTUM HUMANUM. a) *Violentia stricta* seu absoluta causat involuntarium positivum, nam quod hoc modo fit non procedit a voluntate, et praeterea eiusdem inclinationi adversatur.

b) *Violentia lata* seu secundum quid non tollit voluntarium. Nam cum voluntas non resistit, quantum potest et debet, ideo est quia

ipsi actio aliquo modo placet. Tamen minuit voluntarietatem, nam cum voluntas propter vim agit, alioquin non actura, minori affectu agit. Ideo quo minor est violentia, ideoque facilior resistentia, maior est voluntarietas, et e contra.

§ 4. De ignorantia ac de eiusdem influxu in actum humanum

145. Ignorantia: est *carentia scientiae.* Prout sit diversa scientia qua quis caret, sic diversa erit ignorantia; a) *privativa,* in qua datur privatio scientiae debitae; b) *negativa* (=nescientia), simplex privatio scientiae; c) *positiva* (=error), iudicium approbans falsum pro vero.

Differt ab *inadvertentia* quae est carentia cognitionis actualis, in eo qui rem habitualiter cognoscit (=oblivio)

146. Divisio. 1. Ratione obiecti: a) *Iuris:* si ignoratur lex vel actualis obligatio eiusdem, vel utrum casus aliquis sub illa comprehendatur; respicit ergo legem. b) *Facti:* si substantia vel circumstantia rei ipsius ignoratur v.c. ignorans contractum cum amente esse invalidum, habet ignorantiam iuris, qui ignorat hanc personam, cum qua contrahit, esse amentem, habet ignorantiam facti.

2. Ratione effectus: a) *Antecedens* si ignorantia est causa actionis, quatenus tollit scientiam, quae si adesset, actio non poneretur. b) *Concomitans:* si ignorantia coniungitur quidem cum actione, in eam tamen non influit, eo quod agens ita est dispositus, ut etiam absque illa eodem modo operaretur.

3. Ratione subiecti: a) *Vincibilis* seu voluntaria, si per moralem diligentiam depelli potuit; b) *Invincibilis* seu involuntaria, si per moralem diligentiam non potuit depelli. Ad moralem diligentiam non requiritur ut omnia media possibilia adhibeantur, quod onus importabile esset, sed sufficit modus definiendus non mathematice sed iudicio morali atque accommodato humanae conditioni; in genere illa est moralis diligentia quam homines prudentes in suis rebus adhibere, quamque ab aliis exigere solent. Pendet ergo a gravitate rei, et a conditione personarum.

Vincibilis duplici modo potest esse culpabilis: a) *directe* si directe intenditur, ne quis a peccato retrahatur, si illam deponat, vel ut liberius et sine remorsu quis peccet, vel denique ex contemptu legis; b) *indirecte* cum provenit ex aliqua causa voluntaria. Haec vero causa duplex esse potest: vel voluntarius neglectus mediorum ad acquirendam scientiam (ignorantia negligentiae); vel non amotio impedimentorum quae usum scientiae iam acquisitae impediunt (ignorantia electionis). Ignorantia negligentiae rursus esse potest, vel *crassa,* si summa est negligentia, ita ut nullum vel vix ullum medium in veritate indaganda adhibeatur; vel *simpliciter talis,* si negligentia est communis, ita ut adhibeatur aliqua diligentia non tamen sufficiens; vel *stricte talis,* si negligentia fuit omnino levis.

147. Influxus in voluntarium. 1. *Omnis ignorantia tollit voluntarium directum,* quia voluntas nequit directe intendere obiectum incognitum.

2. *Invincibilis tollit* praeterea voluntarium *indirectum,* quia hoc exigit, ut dictum est, causam liberam et praevisionem effectus secuturi, utrumque vero deest in casu ignorantiae invincibilis, sive illa sit antecedens, sive concomitans.

3. *Vincibilis non tollit voluntarium indirectum;* quia si est antecedens est causa operis, et quidem libera; si est concomitans non est quidem causa operis, tamen agens tenetur illam deponere ad vitandum actum, et voluntarie hoc facere omittit.

4. Vincibilis *minuit voluntarium,* nam voluntarium in causa est imperfectius quam voluntarium in se.

CAPUT III

De actu humano moraliter considerato

S. TH., 1-2 q.18-20; SUÁREZ, *De bonit. et mal. humanorum actuum* (Vives, v.4 p.277ss); LESSIUS, *De actibus humanis* q.18 a.1; BILLUART, *De act. humanis* dist.4; FRINS, *De actibus humanis* v.2; CATHREIN, *Filos. morale* v.1 l.3; BALMES, *Filosofía elemental. Etica* c.2.

ARTICULUS I

DE NOTIONE MORALITATIS DEQUE EIUSDEM REQUISITIS

Thesis 6. Elementa necessaria actus moralis in genere spectati sunt: voluntarietas actus, eius libertas atque advertentia rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti circa quod versatur.

148. Praenotanda. Actus humani possunt considerari secundum suum esse physicum et secundum suum esse morale. Primum ad obiectum materiale philosophiae moralis, alterum ad obiectum formale spectat. Egimus capite praecedenti de actibus humanis physice consideratis, restat ut agamus de eisdem secundum suum esse morale.

149. ORDO TRACTATIONIS. Quaestionem de moralitate sequentibus articulis expendemus: primo agemus de moralitate *in genere,* eiusdem notionem atque elementa requisita determinantes (art. 1); post statutum *essentiale* et *intrinsecum discrimen* inter diversos actus humanos (art. 2), examinabimus *normam* moralitatis, initio normam rectam defendemus, deinde alias normas propositas reiiciemus vel ut minus rectas, vel ut simpliciter erroneas, perpendendo speciatim normas ab auctoribus heterodoxis propugnatas (art. 3); sequentibus articulis *species* moralitatis considerabimus, bonitatem (art. 4), malitiam (art. 5), indifferentiam (art. 6) actuum *internorum;* denique verba faciemus de mortalitate actuum *externorum* (art. 7).

150. Momentum quaestionis. Maximi momenti est in hac quaestione clara et nitida determinatio notionis atque requisitorum necessariorum moralitatis. Quod ut consequamur notionem vulgarem examinabimus ab omnibus admissam cum de moralitate loquuntur. In scholio indicabimus subtiliorem quaestionem, iam hinc inde controversam, essentiam nempe moralitatis.

Quaestio haec capitalis est in philosophia morali, cum ab ipsa responsabilitas et imputabilitas actionum pendeat.

Exsistentia actuum moralium tam plana est ut probatione non indigeat; constat enim ex communi modo loquendi omnium. Nunc solummodo videre volumus, quid homines, cum de moralitate loquuntur, intelligant[1].

151. Notiones. Moralitas. 1. *Etymologice morale* idem est ac quod ad mores pertinet. *Mos* vero varie accipitur:

a) *Sensu lato*: significat inclinationem naturalem, qua res quaelibet movetur ad similes actus exercendos. Hoc sensu ipsis brutis mores attribuuntur et passim de moribus apum, passerum... loquimur.

Sensu minus lato: praedicatur de solis entibus liberis. Adhuc in hoc sensu *mos* tripliciter sumitur: 1) Pro *frequentatione* actuum (=consuetudo) orta ex liberá determinatione agentis; 2) Pro *inclinatione habituali* per illam frequentationem acquisita (= habitus); 3) Pro ipsis *actibus liberis*, etsi semel positis, quatenus, si saepe repetantur, possunt habitum vel consuetudinem gignere.

2. *Vulgariter*: est *illa qualitas actuum humanorum propter quam ii digni laude vel vituperio dicuntur*. In hac notione generalissima omnes prorsus conveniunt.

152. Actus in genere spectatus: actus moralis potest considerari: a) *In genere* seu prout importat solummodo quod sit imputabilis agenti in laudem vel vituperium quin dicamus in concreto utrum sit laudabilis an vituperabilis; quae ratio generica debet inveniri in omni actu morali; b) *In specie* seu prout iam in concreto est laudabilis, vituperabilis; seu bonus, malus, vel indifferens; haec ratio specifica diversa erit in diversis speciebus actuum moralium.

153. Elementum necessarium: est illud quod ita ad aliquid requiritur ut sine illo non habeatur. Potest vero aliquid necessarium esse vel ut constitutivum essentiale, vel ut conditio sine qua non, vel ut proprietas necessaria. Si vero deest

[1] Balmes, *Etica* c.1 (BAC 3,107-108).

elementum aliquod necessarium alicuius rei illa res nequit haberi.

154. VOLUNTARIETAS ACTUS: effectiva procedentia actus ab appetitu rationali sub intellectuali cognitione finis (n.115ss).

155. LIBERTAS ACTUS: indifferentia activa agentis, qua positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere vel non agere (n.124ss).

156. ADVERTENTIA RATIONIS: i.e. cognitio intellectualis dirigens voluntatem in sua operatione; quae praecise versari debet circa honestatem vel turpitudinem obiecti i.e. circa convenientiam vel non convenientiam obiecti actus cum ipso agente (n.128ss).

157. Status quaestionis. 1. Quaerimus necessaria ad moralitatem *in genere*. Supponimus ergo moralitatem actus non esse idem ac bonitatem vel malitiam eiusdem, nam utpote ratio generica in utroque actu inesse debet. Ideo in hac re debemus praescindere a modo consueto loquendi, iuxta quem actus moralis idem sonat ac actus moraliter bonus.

2. Quaerimus elementa necessaria *quocumque modo* actus moralis, quibus ergo positis moralis actus habeatur, quibus vero deficientibus pereat.

3. Actus moralis spectari potest ut complexus in quo est considerandum eiusdem esse naturale, seu substantia actus, quae est veluti materiale, et eiusdem esse morale. Nunc volumus videre quid habere debeat actus ut dicatur moralis.

158. Sententiae. Cum tam clara sit res nec datur, nec dari potest diversitas.

159. Probatur. *Ex sensu communi.* Omnes prorsus homines existimant ad actum moralem habendum prorsus requiri voluntarietatem actus, eiusdem libertatem, atque advertentiam rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti. *Ergo* haec tria sunt elementa necessaria actus moralis.

Antec. 1. *Voluntarietas*: si quis enim violentia coactus quamlibet actionem ponat, propter illam neque laudatur neque vituperatur ab hominibus; eo quod actio coacta non sit propria agentis.

2. *Libertas physica*: nam actus, etsi sit voluntarius et maxime a voluntate volitus, si irresistibiliter agens operetur ita ut ab actione se abstinere non potuerit, eo quod indifferentia

iudicii abfuerit, propter illam actionem neque laudatur neque vituperatur.

3. *Advertentia rationis* ad convenientiam vel non convenientiam actus cum ipso operante. Sic nemo laudatur neque vituperatur propter actum cuius malitiam vel bonitatem invincibiliter ignorabat etsi plena libertate et pleno exercitio facultatis intellectivae illum posuerit [2].

160. Corollarium. 1. **Quomodo praedicetur moralitas.** Nomen moralitatis praedicatur tum sensu proprio tum sensu analogo:

a) *Proprie* de solis *actibus humanis*, et quidem de actibus elicitis primario et formaliter; de actibus imperatis secundario et per denominationem extrinsecam et cum dependentia a voluntate. Ratio est quia libertas primario et formaliter solis actibus elicitis competit, reliquis vero actibus non nisi secundario et per participationem in quantum imperantur a voluntate.

b) *Per analogiam* de *omnibus rebus quae ordinem dicunt ad actus morales,* sive tamquam causa efficiens, ut voluntas et habitus morales, sive tamquam causa exemplaris, ut lex; sive tamquam terminus, ut obiectum actuum moralium, sive quocumque alio modo. Ideo haec pars philosophiae appellatur etiam Philosophia moralis, quia de actibus moralibus agit.

161. 2. **Ratio moralitatis est generica.** Omnes actus morales, etsi specifice differant in moralitate, tamen formaliter non diferunt in illa ratione generica qua moralitas consummatur; dantur enim eodem modo et libertas et advertentia rationis in actibus bonis et in malis.

162. 3. **Moralitas est aliquid personale.** Subiectum ergo moralitatis nequeunt esse societates nec personae morales, quia non habent libertatem nec advertentiam rationis; sed necessario debet esse aliqua persona physica.

163. 4. **Ordo moralis totalis.** Efformatur ab universitate rerum quae dicuntur morales: actus interiores, externi, obiecta...; centrum vero eiusdem sunt actus morales.

164. Scholion. 1. **De elemento formali specificativo moralitatis.** Disputatur inter auctores acriter quale sit. Aliqui sustinent esse solam libertatem actus, ut SCOTUS et DURANDUS; alii vero esse solam advertentiam rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti, ita SYLVESTER MAURUS et SCHEBEEN; alii esse modum realiter superadditum entitati physicae actus, ut generatim sustinent *thomistae*. Alii consistere affirmant in regulabilitate actus per rationem; alii in relatione actus ad regulam morum; alii in relatione conformitatis.

Probabilius vero affirmandum videtur consistere in *modo quo actus procedit,* nempe cum libertate et cum advertentia rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti. Haec duplex dependentia actus voluntatis a libertate et a ratione est quae specificat actum voluntarium ad esse morale [3].

[2] Cf. BALMES, *Etica* c.2 (BAC 3,109-110).

[3] Cf. fuse expositam controversiam apud FRINS, 2,8-54; GONZÁLEZ MORAL, *Phil. Mor.* n.181ss.

165. *2.* **De imputabilitate actuum moralium.** Actus humani possunt considerari in ordine ad honestatem eorum, sub quo respectu habent moralitatem, seu rationem bonitatis vel malitiae moralis; vel in ordine ad liberum arbitrium, a quo procedunt, et sub hoc respectu habent imputabilitatem moralem, seu rationem laudis vel vituperii. Hae sunt notiones intime connexae: ideo aliqua de imputabilitate dicamus.

166. *a)* NOTIO. *Imputabilitas* est proprietas actus humani, vi cuius hic potest et debet tribui agenti tamquam suo auctori et domino. Imputabilitati correspondet in ipso agente responsabilitas, seu relatio subiecti, propter quam habetur ut auctor et dominus suorum actuum.

167. *b)* DIVISIO. Duplex distinguenda est: a) *physica,* qua agenti actus imputatur in ordine physico, non vero in morali, i.e. non in laudem vel vituperium. Habetur cum actus ponitur ex necessitate physica, vel absque advertentia rationis; improprie appellatur imputabilitas; b) *moralis,* qua actus agenti imputatur in laudem vel vituperium, prout sit bonus vel malus. Fundatur in libertate agentis, et in advertentia rationis ad honestatem obiecti.

168. *c)* RELATIO CUM MORALITATE. Imputabilitas et moralitas semper coniunguntur, omnis actus perfecte liber, ideoque imputabilis, semper erit actus moralis; conceptus vero sunt diversi; nam moralitas dicit relationem ad honestatem vel inhonestatem actus, imputabilitas vero ad libertatem qua positus est.

169. *d)* EXTENSIO. Omnis actus moralis iure imputatur agenti, nam imputari nihil aliud est quam aliquid alicui attribui ut auctori et domino eiusdem. Iam vero actus moralis est ille cuius agens est dominus; ergo omnis actus moralis imputari debet. Quidquid tamen tollit, minuit, auget liberum seu dominium actus eadem ratione tollit, minuit, auget imputabilitatem.

170. *e)* QUANTITAS IMPUTATIONIS. a) In actibus et effectibus *directe intentis* pendet a maiore vel minore bonitate vel malitia actus et effectus, et a maiore vel minore gradu voluntarii; b) *In efectu malo indirecte intento* et imputabili, pendet a maiore vel minore malitia ipsius effectus in se considerati; a maiore vel minore gradu valuntarii in causa; a nexu causali qui est inter actum et ipsius effectum. Agimus solum de effectu malo quia bonus non imputatur nisi cum directe fuerit intentus.

171. *f)* TEMPUS QUO CONTRAHATUR. Malitia effectus imputabilis contrahitur tempore quo libere causa ponitur, et quidem eo gradu quo cognitus fuerit, sive deinde sequatur effectus, sive non. Externe tamen effectus malus non imputatur nisi re vera sequatur. A tempore vero quo agens suam malam voluntatem sincere et efficaciter, in quantum potest, retractaverit, malitia effectus mali forte secuturi iam non imputatur.

172. *g)* RELATIO CUM IMPUTABILITATE EXTERNA. Imputabilitas externa seu iuridica praesupponit imputabilitatem moralem; ex difficultate tamen eamdem probandi, cum tota perficiatur in intellectu

et voluntate, ad vitandos abusus qui inde orirentur, donec contrarium probetur, cum datur imputabilitas physica praesupponitur adesse etiam moralis. In conscientia vero solummodo datur imputabilitas moralis cum vere actus est moralis.

173. Obiectiones. 1. In appetitu sensitivo adest vera moralitas. *Atqui* in appetitu sensitivo non est libertas neque advertentia rationis. *Ergo* ad moralitatem non requiritur libertas neque advertentia rationis.

Resp. Dist. mai.: in quantum est motus a voluntate et cum dependentia ab illa, *conc.;* independenter ab illa, *neg. Contrad.. min.*

2. Si haec requirerentur pura omissio numquam posset esse moralis—cum a voluntate et ratione non pendeat—. *Atqui* pura omissio potest esse moralis. Ergo non requiritur libertas et advertentia rationis.

Resp. Dist. mai.: si neque directe, neque indirecte a voluntate penderet. *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

3. Moralitas praedicatur de legibus, de obiectis... *Atqui* leges, obiecta... non pendent a voluntate. *Ergo* non requiritur dependentia a voluntate ad moralitatem.

Resp. Dist. mai.: proprie et formaliter, *neg.;* analogice et improprie, *conc. Conc. min. Dist. pariter cons.*

4. Beati in caelis amant Deum videndo illum actum amoris esse sibi ut creaturis rationalibus consentaneum. *Atqui* actus quem operamus, quia est nobis ut creaturis rationalibus consentaneus, est actus dignus laude, ac proinde moralis. *Ergo* beati in caelis ponunt actus morales. *Atqui* illi actus beatorum in caelis non sunt liberi. *Ergo* convenit moralitas actibus non liberis.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si cum libertate ponatur, *conc.;* secus, *neg.;* vel, *subd.:* sensu proprio seu stricte, *neg.;* improprie, *conc. Dist. pariter cons. Conc. min. subs.;* et *dist. pariter secundum cons.*

ARTICULUS II

De intrinseco discrimine inter bonum et malum morale

Thesis 7. Sunt actiones intrinsece seu natura sua honestae vel inhonestae.

Cf. praeter auctores praecedenti thesi citatos: Minteguiaga, *La moral independiente* p.71ss; Cathrein, *Filos. morale* v.1 p.173ss; *Die Einheit des sittlichen Bewufstseins in der Menschheit* 3 vol. (Frib. Bris., Herder 1914). Cf. Compendium huius operis a Giammusso, L., *L'unità della conscienza morale:* Greg 6 (1925) 266-282; Balmes, *Etica* c.1 n.2; c.3 n.14.

173 [1]. Nexus. Vidimus quaenam sint elementa necessaria moralitatis; nunc ulterius progredimur, et videre volumus utrum exsistat bonum et malum morale, quod ex sua natura sit tale.

174. Notiones. 1 Sunt: i.e. dantur aliqui actus, nimirum moralitas intrinseca non afficit omnes actus humanos, nam

multi non nisi consequenter ad aliquam legem sive divinam sive humanam, sunt boni vel mali, non e sua natura.

2. ACTIONES: i.e. actus hominis positi cum advertentia rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti et cum libertate, nam agimus de actionibus moralibus.

3. HONESTUM VEL INHONESTUM: idem est ac bonum vel malum morale seu dignum laude vel vituperio in ordine morali. Non dicimus in quo consistat in concreto haec honestas vel inhonestas, cum hoc thesi sequenti debeat determinari; nunc sumimus notionem vulgarem, quae apud omnes viget circa honestatem vel inhonestatem.

4. INTRINSECE SEU NATURA SUA: Aliqua bonitas vel malitia est intrinseca cum fundatur in ipsa natura actionum, i.e. cum resultat ex ipsa essentia talium actionum, ita ut contrarium omnino et in omni hypothesi sit impossibile.

175. Status quaestionis. 1. Nemo est qui neget adesse *aliquod discrimen* inter bonum et malum; ipsi enim materialistae admittunt nomina saltem virtutum et vitiorum; ideo in thesi nolumus directe investigare exsistentiam huiusmodi discriminis inter bonum et malum—cum hoc planum sit—, sed naturam illius, scilicet utrum sit essentiale et intrinsecum, an solum accidentale et extrinsecum. Discrimen intrinsecum est quod fundatur in ipsa natura actionum; extrinsecum vero quod non fundatur in natura sed advenit actui ex causa aliqua extrinseca, v.c. a lege sive divina sive humana, a consuetudine...

2. Non agimus de omnibus actionibus moralibus; sufficit ut sint aliquae. Ultro concedimus permultas actiones esse honestas vel inhonestas non ex natura sua, sed solum extrinsece i.e. quia praeceptae vel prohibitae sunt, v.c. non manducare carnes die abstinentiae.

3. Agimus solum de bonitate vel malitia morali, seu incompleta; non vero de completa, quae includit omnes proprietates morales, quae in aliqua actione possunt includi, v.c. quod si debita, meritoria, praecepta..., in hoc sensu bonitas vel malitia moralis completa non esset independens a voluntate saltem divina, nam supponeret legem quae absque voluntate divina haberi nequit. Agimus proinde de illa bonitate vel malitia primaria quae in actum venit solum ex obiecto.

176. Sententiae. Permulti philosophi negant esse ullum actum humanum ex natura sua bonum vel malum; et omne discrimen morale repetunt ex aliqua causa extrinseca et positiva, ideo eorum

systema vocatur *positivismus moralis*. Quoniam vero illa causa extrinseca et positiva vel in Deo vel in homine ponitur, inde habetur distinctio inter positivismum humanum et positivismum divinum.

177. A. POSITIVISMUS HUMANUS recurrit ad aliquam causam humanam ut ad fundamentum discriminans:

1. *Inter antiquos*: ARCHELAUS, ARISTIPPUS, PROTAGORAS, GORGIAS, aliique, de quibus Plato et Aristoteles loquuntur; *Academici* et *Sceptici* posteriores, ut CARNEADES, PYRRHUS, THEODORUS CYRENENSIS... pro quibus discrimen omne inter bonum et malum provenit a *lege*, a *consuetudine*, vel ab *opinione* vulgari, minime vero ab ipsa natura actionum [1].

2. *Inter modernos*: MONTAIGNE (1533-1592) fuit primus qui *negavit* exsistentiam principiorum moralium universalium immutabilium; discrimen vero inter bonum et malum provenire dixit ab *educationis* influxu.

HOBBES (1588-1679) professus est systematice positivismum moralem; pro quo, cum bonum sit essentialiter relativum, non exsistit ex natura actionum norma absoluta et universalis ad distinguendum bonum a malo. Solum *leges* Status possunt constituere aliquam normam universalem [2]. Similem doctrinam profitentur ROUSSEAU (1712-1778), *Schola Pantheista hegeliana*, et *Liberalismus doctrinalis*.

MENDEVILLE (1670-1733) bonum et malum iudicat esse quamdam *inventionem hominum superiorum*, qui reliquos convincere sunt adepti, ut haberent tamquam bonum quod in eorum favorem cederet, tamquam malum vero quod in eorum detrimentum. Quo autem facilius intentum obtinerent honorem ut praemium promiserunt, infamiam vero ut poenam. Ipse vero, negato essentiali inter bonum et malum discrimine, affirmat illud quod habetur ut vitium prosperitatem socialem promovere, e contra quod habetur ut virtuosum [3].

SAINT-LAMBERT (1717-1803) affirmat hominem, privata utilitate motum efformare iudicia seu principia quaedam moralia, discriminantia bonum a malo, haec vero iudicia valorem non habere nisi ab approbatione opinionis publicae ac consuetudinis; illa ergo principia moralia ad nutum variari possunt.

Schola vocata positivista: COMTE, STUART-MILL, LITTRÉ, TAINE... similiter reiicit discrimen intrinsecum inter bonum

[1] Cf. DIOG. LAERT., *De vita et moribus phil.* (vers. hisp. a *Ortiz Sanz*, col Cris. (Madrid, Aguilar) p.106,146,148,555.

[2] *De homine* c.11,5; *Leviathan* c.6; *De cive* 12.

[3] *The fable of the bees or private vices, public benefits.*

et malum, cum omnem scientiam repetat ex factis, atque reiiciat omnem metaphysicam.

Evolutionistae: SPENCER, HAECKEL... vitam moralem constituunt in lucta inter inclinationes ad conservandam vitam (omnes personales) et inclinationes ad propagationem speciei (omnes altruistas). Quo magis vita moralis progreditur, magis evolvitur inclinatio altruista. Discrimen inter bonum et malum paulatim per evolutionem introductum fuit. Omnes fere evolutionistae ordinem moralem per evolutionem derivari contendunt ab instinctu animali.

NIETZSCHE [4] statuit moralem aliquam propriam aristocratiae, i.e. superhominibus. Iuxta ipsum non exsistit alia moralis nisi illa fundata in potentia physica potentiorum. Bonum initio idem erat ac nobile. Quidquid vir fortis, potens, nobilis faciebat erat bonum; e contra quidquid populus oppressus faciebat erat malum [5].

Paulatim vero populus oppressus introduxit distinctionem inter bonum et malum in sensu morali actuali, malas appellando actiones potentiorum, bonas vero proprias. Hinc nata est antithesis inter moralem nobilium et pauperum. Potentes ut bonas proprias actiones habebant; e contra pauperes paupertatem, patientiam, obedientiam, amorem erga proximos. Personificatio harum diversarum moralium sunt Roma imperialis et Iudaea. Iudaismus, budismus, Christianismus de morali potentium triumphaverunt, ideo moralis pauperum nunc primatum habet [6].

Omnis tamen moralis actualis est adulterata; oportet ergo mutare conceptus morales actuales in oppositos, oportet redire ad moralem nobilium, quae est unica naturalis, non falsificata [7].

DURKHEIM (1858-1917) affirmat discrimen provenire ab influxu sociali (pression morale, *la moda social*). Quam doctrinam universa *schola sociologica* tenet. Quid simile tenent HAIRE, N., et RUSSELL, B., nostris diebus.

Socialistae et comunistae reiiciunt etiam omnes ideas religiosas et morales immutabiles. Ideae morales necessario pendent ab ordine seu natura oeconomica cuiusque temporis,

[4] *Nietzsche* forte sit philosophus qui pernitiosiorem influxum in morali practica postremis temporibus exercuit, sicuti Kant in morali speculativa. Citaciones fiunt ab editione: NIETZSCHE, *Obras completas* trad. al castellano por OVEJERO (Madrid, Aguilar, 1932). Cf. THIBON G. DE, *Le moralisme de Nietzsche*: RevPhil 5 (1935) 202-228.

[5] T.3 p.49; t.7 p.197 200.251.253.255; t.9 p.308.

[6] T.7 p.107.200.258.260.275; t.8 p.117.168; t.9 p.309; t.11 p.63.

[7] T.7 p.371; t.8; p.93,95,119,132,186,228.

nam non sunt nisi manifestatio illius structurae oeconomicae, quae est fundamentum omnium in societate. Omnis superstructura ordinis iuridici, politici, philosophici, religiosi, moralis, necessario debet mutari cum structura oeconomica mutetur; haec vero in continua evolutione invenitur. Hinc omnia quae huiusmodi evolutioni faveant, erunt bona, mala vero quae illi noceant. Proinde nihil est absolutum et immutabile in ordine morali [8].

Statolatrae et nacistae discrimen inter bonum et malum practice et etiam theoretice unice a voluntate Ducis Status derivare faciunt, quae solummodo splendori Status vel puritati stirpis attendit.

178. B. Positivismus divinus: recurrit ad *liberam* voluntatem divinam. Hanc opinionem amplectuntur Occam (1270-1347), Gerson (1362-1428), Descartes (1596-1650) iuxta sententiam illorum asserentem rerum essentias a libera voluntate divina pendere.

Consentiunt protestantes non pauci, saec. XVII et XVIII, sequentes Pufendorf (1632-1694), qui considerat legem ut ultimam normam moralem, quoniam vero lex pendet a voluntate divina, ideo illa est fundamentum discriminis omnium actionum humanarum.

179. *Nostra sententia.* Nos vero sustinemus ut omnino certum aliquas actiones ex sua natura i.e. ideo solummodo quia versantur circa talia obiecta esse bonas, alias vero malas, ita ut nec ipse Deus posset facere contrarium i.e. ut aliqua actio intrinsece inhonesta sit aliquando honesta.

180. Probatur. 1. *Ex conceptu boni et mali moralis.* Bonum est quod alicui convenit secundum suam formam, malum vero, quod eidem disconvenit. Bonum ergo morale quod convenit homini secundum suam formam, malum vero morale quod homini disconvenit secundum suam formam. *Atqui* sunt actiones quae natura sua, independenter a quolibet praecepto extrinseco, conveniunt vel disconveniunt homini secundum suam formam. *Ergo* sunt actiones intrinsece seu natura sua bonae vel malae moraliter.

Mai.: Ex ipsa notione boni et mali, quae in mente omnium habetur [9], bonum morale est bonum proprium alicuius

[8] Marx, *Manifiesto del partido comunista* (Madrid, Cenit, 1932) p.79-80; Engels, *Anti-Düring* (Madrid, Cenit, 1932) p.80-106.
[9] Cf. 1-2 q.18 a.5 c.

naturae particularis, scilicet hominis; erit ergo quod huic determinatae naturae conveniat ut talis est, seu quod conveniat homini qua tali.

Min.: Homini, ut tali, natura sua conveniunt: a) *Relate ad Deum* actiones quae dicunt relationem subordinationis, tendentiae in Illum ut in ultimum finem, amoris, cultus, reverentiae...; nam homo ex sua natura est creatura rationalis.

b) *Relate ad seipsum* actiones quae dicunt subordinationem partium inferiorum partibus superioribus, nam de natura harum partium est ut detur talis subordinatio, v.c. temperantia.

c) *Relate ad societatem* actiones quae requiruntur necessario ad vitam socialem, cum enim homo natura sua sit animal sociabile, illae actiones quae sunt necessariae ad vitam socialem, ei conveniunt natura sua, v.c. veracitas, observantia iustitiae...

E contra actiones, quae has relationes erga Deum, erga se ipsum, erga alios impediunt, sunt natura sua homini qua tali disconvenientes; ergo moraliter malae, v.c. blasphemia, mendacium, ebrietas [10].

Prob. 2. Contra positivistas humanos.) *Ex perpetuo, universali, et indelebili consensu omnium.* Multae actiones semper et apud omnes gentes habitae sunt ut bonae, multae vero ut malae. *Atqui* hoc factum historico-psychologicum explicari nequit nisi inter illas actiones exsistat discrimen intrinsecum morale. *Ergo* sunt actiones intrinsece, seu natura sua bonae vel malae moraliter.

Mai.: Ut bonae: v.c. colere Deum, honorare parentes, succurrere misero...; *ut malae:* odisse Deum, contemnere parentes, prodere amicum vel patriam... ut constat ex historia et ex experientia psychologica. Aliquando haec persuasio intima obscurata fuit erroribus crassis vel ignorantia circa modum exercendi tales actiones, semper tamen et apud omnes populos viguit, ut ethnologia indubitanter probat [11].

Min.: Persuasio adeo constans et universalis, quae quibuslibet adiunctis temporum, personarum et locorum datur, non potest habere rationem sui sufficientem in aliqua causa extrinseca et contingenti, ut sunt consuetudines, leges populorum, influxus educationis, inventio hominum... Recurrendum est ergo ad causam universalem et necessariam, quae nequit esse diversa ab ipsa natura rerum. Igitur hic consensus manifestat profundam vocem naturae rationalis, quae necessario agnoscit quasdam actiones esse intrinsece bonas, alias vero intrinsece malas.

Prob. 3. (Contra omnes adversarios.) *Ex absurdis.*

1. Si discrimen proveniret unice ab aliquo facto *humano* haec sequerentur absurda:

---

10 3 CG c.129.

11 Cf. Huby, *Christus* p.124-128.

a) Non dari uniformitatem circa ullam actionem, nam facta unice humana ut sunt opiniones, consuetudines, leges... sunt diversa in singulis populis; labente tempore mutantur; iam vero vidimus dari consensum universalem, uniformem, immutabilem circa aliquas actiones. Ergo haec uniformitas non potest provenire solum ab aliquo facto humano [12].

b) Nullam legem humanam esse inhonestam, vel omnes actiones, etiam turpissimas, v.c. parricidium, blasphemiam, proditionem patriae..., posse esse honestas, si a lege praecipiantur, vel a consuetudine, opinione... admittantur. Hoc si discrimen proveniret solum a facto positivo humano.

2. Si discrimen proveniret *a libera voluntate divina* hoc sequeretur:

a) Deum posse praecipere, v.c. blasphemiam, periurium... quae tunc essent actiones honestae. Iam vero quis posset sibi persuadere odium Dei posse esse actionem Deo gratam?

b) Destrui conceptum divinae sanctitatis, quae consistit praecisse in eo quod Deus non possit velle nisi bonum; in hac vero hypothesi bonum esset quidquid Ille voluerit, et tunc sanctitas divina non esset nisi velle divinum.

c) Essentias rerum pendere a libera voluntate divina cum proxime pendeant ab intellectu divino, remote vero ab essentia Dei, ut in Ontologia probatur.

181. Obiectiones. 1. S. Thomas [13] affirmare videtur omnia mala ideo esse mala, quia prohibita, saltem lege naturali, seu ordine stabilito a Deo per legem naturalem. *Atqui* hic ordo stabilitus a Deo supponit voluntatem Dei et legem aeternam ut eius causam. *Ergo* iuxta S. Thomam discrimen inter bonum et malum morale ultimatim pendet a divina voluntate, non vero a natura ipsarum actionum.

Resp. Dist. mai.: malitia completa, *conc.;* incompleta solum, *subd.:* quoad eius exsistentiam, *conc.;* quoad essentiam, *neg. Contrad. min.:* supponit voluntatem Dei omnino liberam quoad eius exsistentiam, *neg.;* nam in hypothesi creationis talis naturae ab intellectu conceptae, voluntas divina necessario debet sese accommodare ordini ideali ab intellectu praeconcepto. "*Sunt... aliquae operationes naturaliter homini convenientes quae sunt secundum se rectae, et non solum quasi lege positae.*" [14].

Explico: Creatio pendet utique ab omnimoda libera voluntate divina; posito vero decreto creandi, voluntas divina iam non est omnino libera, sed debet necessario se accommodare naturis rerum prout fundantur in essentia divina; sic voluntas divina non potest facere ut aliqua actio sit bona seu conveniens naturae alicuius, nisi sese accommodando ordini ideali praeconcepto ab intellectu divino. Deus igitur libere creans non potest non prohibere illas actiones quae contradicant ordinationi divinae sapientiae; unde in signo priori ad ipsam formalem iussionem divinam per legem, iam apparet in quibusdam actionibus honestas vel inhonestas moralis [15].

2. Quod pertinet ad obiectum divinae legis pendet a libera Dei

---

[12] Cf. Balmes, *Filosofía fundam.* l.10 c.18 n.199-203 (BAC 2,802-804).
[13] 1-2 q.71 a.6 ad 4.
[14] 3 CG c.129.
[15] Balmes, *Filos. fund.* l.10 c.19 n.207 (BAC 2,806).

voluntate. *Atqui* discrimen inter bonum et malum pertinet ad obiectum divinae legis. *Ergo* pendet unice a libera voluntate divina.

Resp. Dist. mai.: si obiectum est prius lege, *neg.;* si obiectum constituitur a lege libere, *conc. Contrad. min.:* saepe, *conc.;* semper, *neg.*

3. Quod supponit creationem pendet a libera Dei voluntate. *Atqui* discrimen inter bonum et malum supponit creationem, sine qua nulla esset actio moralis. *Ergo* discrimen inter bonum et malum morale semper pendet a libera Dei voluntate.

Resp. Dist. mai.: in illo ordine in quo supponit creationem, *conc.;* in alio ordine, *neg. Contrad. min.* Creatio supponitur non ut constituens discrimen essentiale inter bonum et malum, sed solum ut ponens conditiones exsistentiae boni et mali moralis.

4. Quod a libera voluntate divina non constituitur nequit ab ipsa mutari. *Atqui* omne discrimen inter bonum et malum morale in actionibus potest a libera Dei voluntate mutari, v.c. occisio hominis ex voluntate divina potest esse bona. *Ergo* discrimen inter bonum et malum morale constituitur ab ipsa voluntate divina in omnibus actionibus.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: in aliquibus actionibus, *conc.;* in omnibus, *neg.* Ad exemplum allatum, respondeo: cum Deus sit supremus vitae hominis dominus, potest de ipsius vita disponere vel Ipse per se directe, vel mediantibus aliis hominibus, quo in casu illa occisio nomine Dei facta non esset moraliter mala, cum tunc nullius ius violaret.

5. Deus est ordinator omnium rerum. *Atqui* tota ratio ordinis est in voluntate ordinantis, quae ad placitum potest res mutare. *Ergo* Deus potest mutare discrimen omnium actionum.

Resp. Dist. mai.: absolute liber, *neg.;* hypothetice necessarius, *conc. Contrad. min.*

6. Si Deus esset ordinator hypothetice neccesarius periret eius independentia et libertas ad extra. *Atqui* Deus est omnino liber et independens ad extra. *Ergo* non est ordinator hypothetice necessarius.

Resp. Dist. mai.: si esset necessitate antecedente, *conc.;* si solum necessitate consequente, *neg. Contrad. min.*

7. Admissa necessitate consequente imponitur Deo aliqua limitatio in modo operandi ad extra a naturis rerum. *Atqui* nulla limitatio Deo potest imponi in modo operandi ad extra a naturis rerum. *Ergo* necessitas consequens non potest in Deo admitti.

Resp. Dist. mai.: si necessitas oriretur ab extrinseco, *conc.;* si ab intrinseco, *neg. Contrad. min.* Necessitas oritur ab infinita perfectione divina, quae postulat ut si Deus operetur ad extra, debeat operari ut Deus, i.e. infinite sapienter et sancte. Sicuti si revelet, non potest nisi verum revelare.

8. Ponere aliquam limitationem etiam ab intrinseco in Deo est ei adiungere aliquod principium coaeternum ad quod respicere debet in assignandis formis rerum. *Atqui* hoc est inadmissibile in Deo. *Ergo* neque limitatio ab intrinseco in Deo potest admitti.

Resp. Dist. mai.: principium intrinsecum, *conc.;* extrinsecum, *neg. Contrad. min.* Hoc principium intrinsecum est divina sapientia et essentia.

9. Quod pendet a circumstantiis non est naturale. *Atqui* discrimen inter bonum et malum pendet a circumstantiis, v.c. temperan-

tia pendet a circumstantiis personarum; occisio hominis pendet a persona a qua perpetretur, utrum sit particularis an agens auctoritatis. *Ergo* nullum discrimen inter bonum et malum est intrinsecum seu naturale.

Resp. Dist. mai.: quod pendet in se, *conc.;* quod solum quoad applicationem materialem, *neg. Contrad. min.* Non pendet a circumstantiis aliquam speciem operationum convenire vel non homini, v.c. temperantiam; pendet tamen talem actionem concretam esse vel non actum temperantiae.

10. Non datur bonitas completa actionum nisi attendendo ad legem divinam. *Atqui* lex pendet a voluntate divina. *Ergo* et bonitas actionum.

Resp. Conc. mai. et *min.;* nos vero agimus solum de bonitate et malitia incompleta.

11. Datur circulus vitiosus in quaestione; si enim quaeramus quid lege naturali comprehendatur, respondetur, illa quae per se seu natura sua sunt bona vel mala; si vero ulterius quaeramus quaenam sint natura sua bona vel mala, respondetur, illa quae lege naturali comprehenduntur.

Resp. Non datur talis circulus. Nam etsi verum sit primum membrum affirmationis, secundum est falsum, ut videmus thesi sequenti.

ARTICULUS III

De norma moralitatis obiectivae

§ 1. **De recta norma moralitatis**

Thesis 8. Norma proxima constitutiva moralitatis obiectivae pro homine est eiusdem natura rationalis qua talis complete spectata (I); norma vero ultima est ipsa essentia divina (II).

Suárez, *De bonit. et malit. hum. act.* disp.2 s.2; Arriaga, *In 1-2; De act. hum.* d.19 s.1-11, maxime s.6 n.36; Cathrein, *Fil. morale* v.1 p.197ss; *Philos. moralis* n.105ss; Descoqs, *Theol. nat.* 1,445ss; Ceñal, R., *Los fundamentos metafísicos de la moral, según* Suárez: RevFil 7 (1948) 721-735.

182. Nexus. Probavimus exsistere discrimen intrinsecum inter bonum et malum, contra positivistas morales. Debet ergo adesse aliqua ratio formalis, in qua illud discrimen fundetur, seu quod idem est, debet dari aliqua norma, quae bonum et malum formaliter discriminet.

Quoniam vero illud discrimen positum est in ipsa natura rerum, et natura est immutabilis, hinc ipsa norma huius discriminis similiter obiectiva et immutabilis esse debet.

In praesenti articulo volumus videre quaenam sit haec norma. In primis vero statuemus normam rectam, deinde vero refutabimus normas ab adversariis propositas, primum normas scholasticorum, deinde normas heterodoxorum.

183. Notiones. 1. NORMA. DEFINITIO. 1) *Sensu materiali* est instrumentum ad obtinendam rectitudinem angulorum.

2) *Sensu translatitio*: a) *In genere,* est pricipium directivum agendi, v.c. idea, exemplar, regula, mensura... cui aliquid, ut sit rectum, accommodari debet. b) *In specie,* agendo de actibus humanis, est illud cui actus humanus debet sese conformare, ut sit rectus. Cum vero homo possit ponere actus diversorum ordinum, diversae etiam regulae, seu normae assignari possunt pro actionibus humanis, nempe: regulae artis, urbanitatis...

In philosophia morali consideramus activitatem humanam ut talem et normam agendi hominis, quatenus est homo. In hoc sensu:

3) *Norma moralitatis* definitur id cui homo debet sese accommodare ut eiusdem operationes morales sint bonae vel malae in ordine morali.

184. DIVISIO. 1) *Ratione propinquitatis*: a) *Proxima*: si inter illam et rem mensurandam nulla alia intercedat; immediate applicatur, et est ratio cur aliquid sit bonum vel malum; ipsa subest alteri normae superiori a qua rectitudinem accipit: a nobis vero immediate applicatur ad mensurandam rem. b) *Remota*: illa quae non applicatur nisi mediante alia norma proxima. Potest esse: *ultima,* si non subest alteri normae; *non ultima,* si et illa subest alteri normae superiori. Ultima vero potest esse; *absolute ultima*: si in nullo ordine est alia norma superior; *relative ultima,* si solum est ultima in aliquo ordine, non vero in omnibus.

2) *Ratione fundamenti,* et consequenter ratione valoris quem habet: a) *Obiectiva*: quae non pendet nisi ab obiectivo ordine rerum. Est proinde independens a modo variabili operandi facultatum humanarum. b) *Subiectiva*: quae pendet etiam a conditionibus subiecti operantis; valet solum pro determinata persona, et quidem ratione specialis eiusdem dispositionis. Potest esse vitiosa vel recta, prout conformetur vel non ordini obiectivo.

3) *Ratione universalitatis*: a) *Particularis*: si non est valida pro omnibus hominibus, vel si non se extendit ad omnes actus morales. b) *Universalis,* si se extendit ad omnes actus morales, et est valida pro omnibus hominibus.

4) *Ratione muneris*: a) *Constitutiva,* si est ratio bonitatis vel malitiae moralis; illa ergo ex cuius conformitate vel deformitate fit aliquid honestum vel inhonestum; b) *mani-*

festativa, quae nobis detegit bonitatem vel malitiam moralem; c) *obligativa,* quae imponit nobis veram et strictam obligationem ponendi aliquos actus, alios vero vitandi [1].

5) *Ratione etiam muneris*: a) *formalis,* potest intelligi in triplici sensu: *a*) quae est norma in sensu completo; includit ergo normam constitutivam, manifestativam, et obligativam; *b*) quae est norma subiectiva; *c*) quae est norma manifestativa. Generatim solet sumi in hoc tertio sensu. b) *Fundamentalis,* etiam in duplici sensu sumitur: *a*) quae tantum praebet fundamentum ad normam formalem in sensu completo; *b*) quae est norma constitutiva et obiectiva. Generatim sumitur in hoc secundo sensu.

185. 2. Moralitas. In genere est habitudo convenientiae vel disconvenientiae cum norma seu regula moralitatis.

Duplex vero distinguenda: a) *Obiectiva*: quae afficit ipsum obiectum actus in se, antecedenter ad actum internum voluntatis, v. c. cultus Dei, honor erga parentes, blasphemia... Propter hanc moralitatem obiectum ab homine honeste appeti vel non appeti potest. De hac vero obiectiva moralitate homo non pronuntiat dictamen a priori et caeco modo, sed requiritur fundamentum obiectivum et principium ontologicum quo innitatur.

b) *Subiectiva* seu *formalis*: quae afficit ipsum actum internum voluntatis, propter quam homo fit formaliter bonus aut malus. Haec vero subiectiva moralitas in voluntatem ab obiectiva derivatur; nam eatenus est bonus vel malus aliquis actus, quatenus libere et advertenter tendit in obiectum bonum aut malum [2].

Haec distinctio inter moralitatem obiectivam et subiectivam est maximi momenti in tota hac quaestione.

---

[1] Elter, *Comp. Phil. mor.* p.7, reiicit hanc divisionem normae in constitutivam et manifestativam, eo quod omnis norma, cum debeat esse principium dirigens actum, debeat esse etiam signum manifestativum rectitudinis illius. Conceptus tamen sunt diversi.

[2] Homo fit formaliter bonus aut malus unice a suis actibus liberis, sed haec bonitas aut malitia formalis pendet ab obiecto in quod actus tendat. Si obiectum est moraliter bonum, malum aut indifferens, actus erit bonus, malus, aut indifferens. Haec moralitas obiecti, quae actui communicat suam moralitatem dicitur moralitas obiectiva.

Nam antequam voluntas se determinet libere, et hoc modo possit fieri bona vel mala, debet ei intellectus proponere aliquod obiectum; prout hoc obiectum sit bonum, malum aut indifferens, voluntas erit bona, mala aut indifferens. Unice requiritur ut illa bonitas aut malitia ab intellectu cognoscatur et proponatur voluntati. Bonitas subiectiva pertinet unice ad actum internum voluntatis; obiectiva vero convenit etiam aliis rebus. Sufficit ut possit esse obiectum moraliter conveniens aut disconveniens. Haec bonitas aut malitia obiectiva non dependet a nostra voluntate.

186. POTEST PRAETEREA ESSE:

a) *Completa*: quae adest cum datur conformitas vel disconvenientia cum omnibus normis moralitatis, constitutiva, manifestativa, obligativa, ita ut actus habeat bonitates vel malitias quas potest habere.

b) *Incompleta*: resultans ex conformitate vel deformitate unice cum norma constitutiva moralitatis; haec bonitas vel malitia solet vocari honestas vel inhonestas [3].

187. 3. PRO HOMINE: nam agimus de statuenda norma moralitatis solummodo pro ipso; pro alia natura rationali erit convenientia vel non convenientia cum propria natura.

188. 4. NATURA RATIONALIS QUA TALIS. Intelligitur essentia hominis specificata per rationalitatem; tota quanta, et anima et corpus, proinde complexus omnium tendentiarum hominis, quatenus dirigi debent ab anima rationali; seu compositum humanum cuius forma est anima rationalis. Proinde est natura completa physice considerata.

Verba *rationalis qua talis* non significant solummodo esse moraliter bona illa, quae ad partem superiorem naturae humanae pertineant, quae vero ad vitam vegetativam vel sensitivam aut moraliter mala aut indifferentia. Sensus est aliqua esse moraliter bona, mala, aut indifferentia deputanda prout conveniant vel non homini *rationabiliter operanti*.

189. 5. COMPLETE SPECTATA:

a) *Secundum omnes suas partes*: rationalem, sensitivam, et vegetativam, dummodo hae postremae considerentur ut partes naturae humanae rationalis, seu ut informatae ab anima rationali.

b) *Secundum omnes suas relationes*: ad *Deum* ut ad finem ultimum, Creatorem...; ad *alios* homines, ut membra societatis...; ad alia *entia inferiora*, cum debita hierarchia, et cum subordinatione facultatum et tendentiarum in substantiali unitate hominis. Complexus harum relationum ab aliquibus vocatur ordo obiectivus, vel ordo rationalis.

190. Natura humana potest considerari: a) *in abstracto:* seu secundum notas essentiales eiusdem, praescindendo a notis individuantibus. Tunc est norma universalis boni et mali moralis, pro

---

[3] Sunt diversi modi loquendi inter auctores. Alii malitiam incompletam vocant peccatum philosophicum, malitiam vero completam peccatum theologicum. Alii vocant honestam aliquam actionem si conformatur normae constitutivae; licitam vero si conformatur normae obligativae, seu legi.

omnibus hominibus valida, pro omni tempore et loco; b) *in concreto,* considerando naturam simul cum notis individuantibus. Tunc est norma pro unoquoque homine. V.c. naturae in abstracto consideratae convenit temperantia, qua pars inferior ita regitur ut inserviat superiori in usu rerum delectabilium (norma generalis universalis); sed non dat in concreto mensuram pro unoquoque casu. Hoc pertinet iam ad naturam consideratam cum notis individuantibus uniuscuiusque pendet a temperamento, a circumstantiis; et eadem res pro uno potest esse actus temperantiae, pro alio vero actus intemperantiae, v.c. bibere talem quantitatem vini.

191. Status quaestionis. 1. Quaerimus normam non sensu aliquo latiori, illam scilicet quae quolibet modo dirigat hominem in suis operationibus moralibus sive ut facultas, sive ut finis obtinendus, sive ut motivum; sed normam in sensu stricto, scilicet typum obiectivum ad quem operans respicere debeat tamquam ad exemplar cum quo obiecta suarum operationum comparare possit.

2. Agimus de norma: *obiectiva,* non de formali; *universali* quae pro omnibus hominibus et pro omnibus actionibus natura sua bonis vel malis inserviat; *immutabili,* quae a conditionibus subiectivis non pendeat, neque a mutatione circumstantiarum; *constitutiva,* non de manifestativa, neque de obligativa; in hoc sensu de norma fundamentali.

3. Etsi directe et immediate agamus de norma *moralitatis obiectivae,* consequenter et mediate agimus etiam de norma moralitatis subiectivae. Nam actus moralis ex dictis est ille qui libere ponitur cum advertentia rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti; moralitas obiectiva est anterior et fundamentum moralitatis subiectivae. Ut videamus utrum actus aliquis sit moraliter bonus necne, debemus respicere obiectum circa quod versatur, et a quo actus accipit suam bonitatem vel malitiam. Quomodo vero cognoscemus utrum obiectum actus, ac consequenter ipse actus, sit bonum, malum aut indifferens? Estne aliqua norma obiectiva, universalis, infallibilis, clara, constitutiva bonitatis aut malitiae obiecti, cui possimus obiecta diversa applicare, ut videamus utrum eidem conformentur necne?

192 Sententiae. A) **Heterodoxae.** 1. UTILITARISMUS SEU EUDAIMONISMUS: normam boni et mali generatim reponit in utilitate ad felicitatem huius vitae temporalis. Potest esse:

a) *Privatus* (hedonismus) pro quo norma moralitatis consistit in *voluptate actuali,* materiali, et immediata ipsius

agentis. Ita ARISTIPPUS, DE LA METTRIE, HOLBACH, multi *materialistae* et *positivistae* antiqui et hodierni. Alii vero utilitaristae privati normam reponunt in *summa maiori voluptatum* ipsius agentis; in voluptate ergo mensurata; ita EPICURUS, HOBBES, VOLTAIRE (1694-1778), HELVETIUS...

b) *Socialis* normam moralitatis constituit in *felicitate materiali communi,* ita CUMBERLAND (1632-1718), BENTHAM (1748-1832), COMTE, *socialistae, communistae, statolatrae, racistae...*

193. 2. SENSISMUS: reducit normam moralitatis ad *sensus aliquos nobiles,* qui possunt esse diversi; hinc diversae etiam normae. Sic assignatur: *sensus benevolentiae* (SHAFTESBURY, HUTCHESON); *simpathiae* (ADAM SMITH, 1723-1790); *cordis* (HUME, 1711-1776); *bonitatis* (ROUSSEAU, DIDEROT, 1713-1784); *commiserationis* (SCHOPENHAUER, TOLSTOI, 1828-1910); *altruismus* (SAINT-SIMON, COMTE)...

194. 3. PERFECTIONISMUS: reducit normam moralitatis ad *progressum,* ad perfectionem, quae varia esse potest; hinc diversa systemata: *progressus biologicus,* seu vis physica, tam individuorum, quam societatum, ita MACHIAVELUS (1469-1527), *evolutionistae* cum SPENCER et DARWIN (1809-1882), NIETZSCHE, GUYAU...; *progressus aestheticus,* ita GOETHE, SCHILLER, SCHLEGEL, E. HARTMANN.

195. 4. SOCIOLOGISMUS MORALIS normam moralitatis existimat esse *factum sociale* seu quod a societate fit; ita DURKHEIM (1858-1917), LÈVY-BRUHL.

5. DEONTOLOGISMUS RATIONALIS: normam moralitatis repetit ex sola decentia rationali ita:

a) *Stoicismus* (stoa = porticus) qui bonum morale reponit in conformitate vitae cum natura rationali (individuali, vel universali totius mundi, probabilius cum hac ultima); ita ZENON, SENECA, MARCUS AURELIUS... Haec doctrina primo intuitu vera, tamen in multis errat; nam finem absolute ultimum reponit in virtute propter se ipsam; negat essentiales relationes naturae ad Deum; est namque, ut videtur, materialista et pantheista; habet ut turpem respectum propriae felicitatis, denique passiones animales habet ut moraliter malas.

b) *Rationalismus seu formalismus kantianus,* pro quo norma moralitatis est ratio autonoma, independens a quocum-

que alio legislatore; est aliqua forma rationis purae, quae secundum se comprobatur, non vero quatenus est conformis vel non cum natura rationali. Homo iuxta huiusmodi systema, bene moraliter agit cum eius actio unice inspiratur a reverentia erga legem, quin ad obiectum actus respicere debeat.

196. B) **Sententiae scholasticorum.** Inter scholasticos etiam invenitur aliqua diversitas in assignanda norma moralitatis, aliquando forte lis sit potius de nomine, alias vero etiam reale. Omnes sunt concordes in assignanda duplici norma, quarum una sit transcendens nempe ipse Deus; alia vero immanens in ipso homine. Discrimen est in explicatione et in determinatione concreta, sed haud difficile erit in concordiam omnes sententias revocare. Normae praecipuae quae apud ipsos propositae inveniuntur hae sunt:

1. *Recta ratio,* norma proxima; norma vero remota *lex aeterna;* ita generatim *thomistae* cum multis aliis auctoribus [4].
2. *Ordo rerum in ultimum finem,* norma proxima; remota vero *lex* divina; ita DONAT [5], MAUSBACH, aliique.
3. *Essentialis ordo rerum* ut existimat LIBERATORE, VAN DER AA [6], aliique.
4. *Sanctitas divina,* ut credunt BALMES [7], CASTELEIN [8].

197. 5. C) *Nostra sententia.* Nos vero cum SUÁREZ [9], VÁZQUEZ [10], ARRIAGA [11], LESSIO [12], MEYER [13], CATHREIN [14], SCHIFFINI [15], FRINS [16], multisque aliis, defendimus ut *omnino certum* contra adversarios heterodoxos, et ut probabilius contra alios scholasticos, normam quaesitam *proximam* esse naturam ipsam humanam adaequate spectatam, *remotam* vero essentiam Dei.

---

[4] Cf. LEHU, *Phil. mor.* p.101ss; *A propos de la regle de moralité:* RevScPhTh 18 (1929) 419-466; IBRANYI, *Ethica sec. S. Thomam et Kant* p.38ss; TOCCAFONDI, *Phil. mor.* p.119 ait: "Ratio recta, quae est regula morum proxima, est ratio naturalis seu lumen rationis naturalis referens legem aeternam eam participando, et ab ea habens (ut causa secunda a causa prima) vim non solum discernendi et obligandi sed etiam mensurandi moraliter obiecta quae voluntati proponit."

[5] DONAT, *Ethica* 1 p.36.

[6] VAN DER, AA., *Ethica* p.22-23.

[7] BALMES, *Etica* c.10-11 (BAC 3,126ss); *Filos. fund.* 1.10 c.18-20 (BAC 2,800-823).

[8] *Actas del Cong. Intern. de Apolog.* (Vich 1910) t.2 p.105-108; *Inst. Phil. Moralis* p.98.

[9] *De bon. et mal. hum. act.* d.2 s.2.

[10] *In 1-2* d.58 c.2.

[11] *In 1-2, De act. hum.* d.19 s.1-11; max.6 n.36.

[12] *De act. hum.* q.19 a.3 dub.1 n.11.

[13] *Inst. Iuris Nat.* I p.149ss.

[14] *Fil. Mor.* v.1 p.219ss.

[15] *Disp. Phil. Mor.* 1 p.93ss.

[16] *De act. hum.* 2 p.54ss.

Ut cognoscamus ergo utrum obiecta nostrorum actuum possint honeste appeti vel non a nobis, videndum est utrum congruant cum aliqua tendentia alicuius partis nostrae naturae, quin simul detur disconvenientia considerando illam tendentiam ut animatam anima spirituali seu rationali. Quae naturae modo explicato aptentur, erunt moraliter bona seu honeste appetibilia, quae positive disconveniant, erunt moraliter mala, quae neque aptentur, neque disconveniant, erunt indifferentia. Haec ergo est norma proxima, de qua agimus in prima parte.

Hoc vero supponit naturam humanam esse rectam. Quomodo autem hoc scimus? Indigemus alia norma ad commensurandam hanc naturam? Utique, et haec norma suprema, remota, fons totius rectitudinis est natura divina, seu essentia Dei, de qua agimus in secunda parte.

198. *N. B.* Relate ad moralitatem actus hae normae assignari possunt iuxta nos:

Conscientia est norma subiectiva, praeceptiva, stricte immediata.
Recta ratio est norma manifestativa, proxima.
Natura rationalis qua talis est norma obiectiva, constitutiva, proxima.
Lex aeterna est norma manifestativa, praeceptiva, remota.
Essentia divina est norma obiectiva, constitutiva, suprema.

Probatur. 1.ª Pars. a) Natura humana adaequate spectata est norma proxima.

199. 1. *Ex conceptu moralitatis obiectivae.* Norma proxima, constitutiva moralitatis obiectivae pro homine erit illud cui obiectum actus humani conveniens eo ipso quod conveniens, dicatur bonum; disconveniens vero, malum moraliter appelletur. *Atqui* obiectum actus humani eo ipso quod naturae humanae rationali qua tali sit conveniens, bonum, eo ipso quod disconveniens, malum moraliter dicitur. *Ergo* natura humana rationalis qua talis est norma proxima, constitutiva moralitatis obiectivae pro homine.

Mai.: Nam moralitas obiectiva, ex ipsa notione, est illa proprietas obiecti actus humani, ratione cuius honeste appeti potest ab homine. Illud igitur unde immediate obiectum habeat hanc appetibilitatem moralem erit norma constitutiva proxima moralitatis.

Min.: Bonum et malum in genere, ut constat ex ontologia, consistit in convenientia vel disconvenientia alicuius rei cum natura, quae non solum est principium sed etiam norma proxima activitatis. Bonum ergo et malum morale erit illud quod naturae humanae, de qua unice proprie moralitas praedicatur, conveniat vel disconveniat modo sibi proprio, seu quatenus talis natura est.

Nam sicut physice bona est vegetatio, quae naturae plantarum consonet, et sensatio quae naturae animalium; sic moraliter bonum erit obiectum quod naturae humanae ut tali sit consonum, vicissim vero malum quod eidem repugnet; hinc amor Dei, castitas, dilectio proximi, iustitia, sunt obiecta bona; e contra blasphemia, luxuria, odium proximi, furtum... sunt obiecta moraliter mala.

200. 2. *Quia natura hum. est fundamentum dictaminum moralium.* Norma proxima, constitutiva moralitatis obiectivae pro homine erit illud ex quo homo proxime discernat quid obiective honestum, quid vero inhonestum sit. *Atqui* illud ex quo homo proxime discernit quid obiective honestum, quid vero inhonestum sit est natura humana rationalis. *Ergo* natura humana rationalis est norma proxima, constitutiva moralitatis obiectivae.

Mai.: Ex notione normae moralitatis obiectivae, ut in primo argumento.

Min.: Voluntas, ut constat ex analysi activitatis moralis, dirigitur et regulatur a ratione; nam conscientia non est nisi applicatio concreta dictaminum universalium a recta ratione prolatorum. Illa vero dictamina, cum non sint iudicia innata, neque a priori efformata, neque arbitraria, debent habere fundamentum quo innitantur; hoc vero est natura humana qua talis complete spectata; sic v.c. cum recta ratio promulgat adulterium esse obiective malum, vel cultum Dei esse obiective bonum hoc facit quia discernit illa convenire aut non convenire naturae rationali qua tali, cuius exigentias essentiales et profundam finalitatem detegit et exprimit illis dictaminibus. Recta ergo ratio non proponit aliquid ut obiective bonum aut malum nisi in quantum perspicit obiectivas exigentias entis rationalis, seu quatenus videt aliquid convenire vel non naturae rationali qua tali [17].

201. 3. *Ex notis normae moralitatis* (contra heterodoxos). Omnes populi, omni aetate, multas actiones semper ut bonas, multas vero ut malas habuerunt. *Atqui* hic consensus constans, universalis, immutabilis, obvius circa illas actiones non explicaretur: *a)* nisi adesset norma aliqua moralitatis etiam universalis, constans, immutabilis et obvia; *b)* quae praecise est natura humana rationalis qua talis. *Ergo* natura humana rationalis est norma proxima moralitatis obiectivae.

Mai.: Ex thesi praecedenti (n.189).

Min.: a) Effectus habens tales characteres postulat causam eisdem characteribus insignitam.

b) Ex analysi sententiarum heterodoxarum facile patet normas

[17] Cf. Frins, *De act. humanis* 2 p.68-71.

ab ipsis propositas esse subiectivas, particulares, mutabiles; naturam vero humanam praedictos characteres habere ostenditur ex eo quod eadem insit in omnibus hominibus, cum iisdem relationibus essentialibus; semper eadem substantialiter perseverans in diversis adiunctis temporum, personarum et locorum; omnibus sufficienter et obvie, saltem quoad relationes essentiales, cognita.

2.ª Pars. Norma ultima est essentia divina

202. *Ex notionibus*. Illa est norma ultima moralitatis cui norma proxima subest et a qua et ipsa habet suam rectitudinem. *Atqui* natura humana subest essentiae divinae, a qua habet suam rectitudinem. *Ergo* essentia divina est norma ultima moralitatis.

Mai.: Ex definitione normae ultimae.

Min.: Essentia divina est causa exemplaris rerum omnium proinde etiam naturae humanae. Natura ergo humana debet conformari essentiae divinae ut sit recta. Quidquid ergo naturae humanae conformetur, eo ipso conformatur etiam essentiae divinae.

203. Scholion. 1. **De mente Sti. Thomae**[18], primo intuitu videtur S. Thomas assignare ut normam remotam legem aeternam, ut proximam vero rationem humanam; aliqui loci huic sententiae clare favere videntur, potissimum: 1-2 q.18 a.5 c; q.19 a.4 c; q.19 a.5 c; q.21 a.1 c; q.71 a.6 c.

Videtur tamen a nobis solummodo quoad modum dicendi differre.

Notemus tunc temporis problema non ut hodie proponi, speciatim post doctrinam kantianam de categoriis a priori in mente humana. Cum S. Thomas dicit normam proximam moralitatis esse rationem humanam, non dicit illam esse unicam, multis in locis loquitur de diversis normis: conscientia, synderesi, dummodo sint subordinatae (cf. v.c. 1-2 q.19 a.4 ad 1). Dicit rectam rationem esse regulam regulatam in ordine creato; praeterea rem ipsam esse id quod ultimatim regulat rationem practicam (1-2 q.64 a.3 c et ad 2; 1-2 q.74 a.7 c). Alias sumit rationem non pro facultate nec pro actu, sed pro illo quod potentiae intellectivae proponitur, i.e. pro obiecto eius, quod a re prout est extra rationem non differt quoad id quod (1-2 q.94 a.1 c). Cum S. Thomas dicit bonum hominis esse secundum rationem, rationem sumit pro *forma* determinante humanam naturam (1-2 q.94 a.2 c) qui locus postremus clarissimus esse videtur; clarissimus etiam apparet 3 CG c.129. Prae-

[18] Multum discutitur inter auctores qualis sit mens St. Thomae. Conferri licet *ex una parte* inter alios: Cathrein, *Quo sensu secundum St. Thomam ratio sit regula actuum humanorum:* Greg 5 (1924) 584-594; 12 (1931) 447-465; Elter, *Norma honestis ad mentem St. Thomae*, Greg 8 (1927) 337-357; Lottin, *L'ordre moral et l'ordre logique d'aprés S. Thomas d'Aquin*, Annales de l'Inst. Sup. de Phil. de Louvain 5 (1924) 301-401. *Ex alia vero parte:* Lehu, *A propos de la règle de la moralité:* RevScPhTh 18 (1929) 449-462; *Phil. mor. et soc.* p.101ss; Ibranyi, *Ethica sec. St. Thomam et Kant* (1931) p.12ss, in quo conferri etiam licet copiosa bibliographia.

terea S. THOMAS in locis assignatis ab adversariis agere videtur de norma subiectiva et manifestativa, quae stricte immediata est conscientia, proxima vero ratio humana. Nos vero agimus de norma constitutiva, de illa nempe quae est ratio bonitatis vel malitiae obiectivae.

204. 2. **De aliis formis scholasticorum.** a) *Recta ratio* intellecta ut diximus in scholio 1.°, non pro actu, neque pro facultate, sed *obiective* pro re quae intellectu seu ratione tenetur, non differt a natura humana complete spectata, est enim proiectio conscia exigentiarum naturae humanae. Secus reiicienda esset, quia et ipsa indiget commensuratione, quam non potest habere ex se ipsa, nec illam aliunde accipere nisi a natura humana, cum legem aeternam non nisi per naturam humanam perspiciamus. Unica difficultas posset provenire ex eo quod conscientia (ratio practica) sit magis proxima norma quam natura humana, sed hoc verum est in ordine formali et praeceptivo, non vero in ordine obiectivo et constitutivo. Proinde recta ratio erit norma proxima, formalis, *manifestativa,* non vero obiectiva, et constitutiva[19].

205. b) *Conducentia in ultimum finem.* Haec sententia diversis nominibus idem significantibus, a multis recentioribus auctoribus sustinetur; ideo illam aliquantulum magis explicare volumus. Ultimum finem intelligunt vel extrinsecum, i.e. gloriam Dei, vel intrinsecum, i.e. beatitudinem. Nos concedimus quidem obiectum honestum conferre ad finem ultimum, inhonestum vero ab illo retrahere; negamus tamen hanc conducentiam esse rationem obiectivam honestatis; potius illa est quid consequens bonitatem obiectivam.

Conducentia vero in finem ultimum non explicare potest ipsam bonitatem vel malitiam obiectivam, neque illam definire; ideoque neque subiectivam, quae ab illa dependet. Nam: actus non est honestus quia ducit ad *beatitudinem,* sed e contra ducit ad beatitudinem, quia est honestus, nam beatitudo habet rationem praemii, datur propter actus bonos. *Gloria Dei* nequit etiam esse norma obiectiva constitutiva moralitatis; quomodo enim sciemus utrum actus, cuius obiectum non est Deus, ducat necne ad gloriam divinam? nam gloria Dei a diversis creaturis diverso modo obtineri potest. In nostra sententia est facilis responsio, non vero in sententia adversariorum, in qua datur manifesta petitio principii[20].

206. c) *Essentialis ordo rerum seu ordo obiectivus,* eodem modo in quantum sumitur non in tota sua amplitudine, sed in illa parte quae hominem spectat, non differt a natura hominis cum omnibus suis relationibus.

207. 3. **Normae statutae ab acatholicis.** Error illorum provenit non ex eo quod non assignent naturam humanam ut normam moralitatis—omnes enim admittere videntur actiones humanas tunc esse moraliter bonas cum respondeant naturae hominis—, sed potius ex *falso conceptu* naturae humanae, ex quo consequenter fluit error in assignanda norma moralitatis. Qui enim putant hominem non esse

[19] Vide refutationem optimam a LESSIO, *De act. humanis* q.19 a.3 d.1 n.11; BALMES, *Etica* c.8 (BAC 3,124-125).
[20] Cf. ARRIAGA, *In 1-2* d.19 s.2 n.10.

nisi cellulam organismi socialis, quae rationem exsistendi non habet nisi in societate, ut normam moralitatis statuunt utilitatem socialem. E contra illi qui in homine non agnoscunt naturalem sociabilitatem, nec ordinationem eiusdem ad finem aliquem, ut normam moralitatis statuunt utilitatem privatam. Qui materialismum philosophicum profitentur ut humanae naturae conveniens habent illud quod subiecto maximam delectationem afferat. Ergo opinio eorum circa normam moralitatis fluit ex conceptu erroneo quem habent de universo in genere et in specie de homine.

208. Corollarium. 1. Ergo honestas perficit hominem. Quia omnis actio congrua naturae, est perfectio eiusdem. Ergo omnis actio honesta confert ad finem ultimum, saltem ad gloriam obiectivam Dei, nam cum natura humana sit imago Dei, cum quis modo naturae humanae conformi operatur, eo ipso perficit in se imaginem Dei. Ergo qui sequitur impulsum naturae rationalis qua talis, explet legem aeternam, et consequenter meretur a Deo beatitudinem, nam lex aeterna in homine manifestatur in natura eiusdem rationali, sicuti in ceteris rebus manifestatur in propria natura.

209. *2.* **Quid bonitas, malitia, indifferentia obiectiva.** *Bonitas* est convenientia obiecti actus cum natura rationali qua tali; haec convenientia non consistit in mero respectu, sed in ipsa perfectione rei, prout connotat naturam rationalem, cui illa perfectio est proportionata. *Malitia* dicit positivam disconvenientiam cum natura rationali. *Indifferentia* includit aliquam appetibilitatem in obiecto, sed inferiorem, v.c. appetibilitatem pro natura irrationali, et negationem convenientiae, et disconvenientiae cum natura rationali [21].

210. Obiectiones [22]. 1. Comedere, dormire..., cum non conveniant homini qua rationali, si norma moralitatis esset natura rationalis qua talis, numquam possent fieri honeste. *Atqui* possunt aliquando fieri honeste. *Ergo* norma moralitatis non est natura rationalis qua talis.

Resp. Dist. mai.: si non convenirent homini neque quoad partem vegetativam, neque quoad sensitivam, neque quoad intellectivam; vel non posset servari modus in appetitione illarum, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.:* si recto modo fiant, *conc.;* secus, *neg.*

2. Sunt actiones quae semper conveniunt homini qua rationali, et tamen non semper sunt honestae, v.c. recte pingere, scribere, vita, sanitas, scientia... *Atqui* hae actiones deberent esse semper honestae, si norma moralitatis esset natura rationalis qua talis. *Ergo* natura rationalis non est norma moralitatis.

---

[21] Cf. S. TH. 1-2 q.18 a.8; SUÁREZ, *De bon. et malit. act. hum.* d.2 s.2 n.20-21.

[22] Ad solvendas difficultates prae oculis habeamus: 1, rationem humanam dupliciter esse normam: subiectivam et obiectivam saltem partialem, nam est pars praecipua naturae humanae, cui aliae parter subiici debent; 2, regulationem, quae ex parte rationis semper requiritur ut aliqua actio sit bona, non attingere actiones nisi quoad modum, quantitatem..., v.c. in comedendo, deambulando, dormiendo, studendo...; 3, regulationem fieri debere in ordine ad perfectionem hominis adaequate sumpti, non in ordine ad finem aliquem particularem etsi proprium homini, sic, v.c. studere, ratiocinari etiam recte non est semper moraliter bonum; 4, obiecta materialiter homini qua tali convenientia non necessario habere bonitatem moralem obiectivam, cum non proponantur necessario a ratione secundum suam convenientiam naturalem v.c. vita potest proponi ad voluptates consequendas.

Resp. Dist. mai.: conveniunt homini quoad substantiam, seu physice considerato quatenus est natura aliqua rationalis, v.c. pictor, scriptor, *conc.;* conveniunt homini, qua homini, seu habent bonitatem moralem, *subd.:* si debito modo fiant, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.* In allatis exemplis illae actiones conveniunt homini qua pictori, qua scriptori seu habent bonitatem artis, sed non moralem, nisi debito modo fiant.

3. Agitur in thesi de bonitate et malitia obiectiva. *Atqui* in obiectis nequit esse malitia. *Ergo* nec bonitas; proinde moralitas obiectiva non exsistit.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

4. *Prob. min.:* Obiectum actuum humanorum semper est aliqua res. *Atqui* omnis res est bona. *Ergo* in obiectis nequit esse malitia.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: omnis res habet bonitatem ontologicam, *conc.;* habet appetibilitatem pro homine qua tali, *neg. Dist. pariter cons.*

5. Nequit esse norma proxima quod indiget alia norma. *Atqui* natura humana indiget et ipsa regulari a recta ratione. *Ergo* natura humana nequit esse norma proxima moralitatis.

Resp. Dist. mai.: in illo ordine in quo indiget, *conc.;* in alio, *neg. Contrad. min.* Nam natura indiget regulari in ordine formali, non vero in ordine obiectivo.

6. Norma moralitatis debet esse immutabilis. *Atqui* natura humana potest mutari, et de facto mutatur cum de bona fit perversa. *Ergo* natura humana nequit esse norma moralitatis.

Resp. Dist. mai.: essentialiter et in ordine physico, *conc.;* accidentaliter, *neg. Contrad. min.*

7. Si norma moralitatis statuitur natura rationalis, moralitas proclamatur a Deo independens. *Atqui* moralitas nequit a Deo praescindere. *Ergo* norma moralitatis non est natura rationalis.

Resp. Dist. mai.: si natura non sumeretur, cum omnibus suis relationibus, quarum potiores sunt relationes ad Deum, *conc.;* secus, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

8. Omnes res praeter ultimum finem sunt media respectu illius. *Atqui* media suam bonitatem habent a fine. *Ergo* solum nnis ultimus est norma moralitatis.

Resp. Dist. mai.: ita ut omnes res sint bona utilia, *neg.;* ita ut aliqua independenter ab utilitate propter se appeti possint, *conc. Contrad. min.* Error procedit ex eo quod supponatur omnia bona esse solum utilia; sed sunt etiam bona honesta, quae propter se sunt appetibilia; ergo non stricta media, etsi subordinentur ultimo fini.

9. Finis ultimus est regula ceterorum omnium. *Atqui* in omnibus actionibus voluntatis bonitas procedit a regula seu norma. *Ergo* in omnibus actionibus bonitas procedit a fine ultimo.

Resp. Dist. mai.: est regula directiva, *conc.;* constitutiva seu obiectiva, *neg. Contrad. min.*

10. Secundum S. Thomam (1-2 q.21 a.1 ad 2) in peccato semper est defectus a fine ultimo intento; quia nullus actus voluntatis malus est ordinabilis ad beatitudinem, quae est ultimus finis. *Ergo* ex mente S. Thomae malitia necessario continet defectum a fine ultimo ac proinde bonitas etiam consistit in relatione ad ultimum finem.

Resp. Conc. antec. Dist. cons.: bonitas completa et perfecta, *conc.;* incompleta, *neg.*

11. Omnes res, praeter finem ultimum, sunt media ad ipsum

Atqui tota bonitas mediorum desumitur a fine. *Ergo* res huius mundi nequeunt esse terminus proximus actuum.

Resp. Dist. mai.: sunt media ita tamen ut ipsae habeant bonitatem qua possint appeti per se, *conc.;* secus, *neg.* I.e. sunt fines intermedii, non stricta media. *Contrad. min.*

12. Actus humani tunc solum sunt boni cum ordinantur ad servitium divinum. *Atqui* ordinare actus creaturae rationalis ad servitium divinum importat relationem ad finem ultimum. *Ergo* actus creaturae rationalis eatenus sunt boni quatenus ordinantur ad finem ultimum.

Resp. Neg. mai.

§ 2. **De normis heterodoxis moralitatis**

A. Morales non rationales

Thesis 9. Eudaimonismus, sensismus et perfectionismus moralis exponantur et reiiciantur.

Balmes, *Etica* c.4-9 (BAC 3,112-126); Donat, *Ethica* 1 p.150-218; Baudin, *Morale* p.80-126; Sortais, *Morale* c.3 p.46-113; Cathrein, *Fil. Morale* 1 p.242-346; Jouffroy, *Cours de droit naturel* 1 lec.12-16; 2 lec.17-32; Guillet, M. S., *La moral y las morales;* Leclerq, J., *Les grandes lignes de la Philosophie morale.*

211. Nexus. Indicavimus breviter thesi praecedenti doctrinam heterodoxorum circa normam moralitatis; oportet tamen ut paulo fusius illam perpendamus. Omnes ii auctores negant hominem ut finem ultimum Deum habere, felicitatemque reponunt in bonis huius vitae; omnes proclamant moralem aliquam independentem omnino a Deo et a qualibet metaphysica. Omnes conveniunt in assignando ipsum hominem vel bona huius vitae, ut finem ipsius. Differunt tamen in conceptione diversorum bonorum huius vitae; hinc diversa systemata, quae breviter exponemus.

Claritatis causa sententias praecipuas ad quaedam capita revocabimus, etsi nonnumquam inter se misceantur; ideo, idem auctor partim ad unum, partim vero ad aliud systema, nonnumquam potest revocari. Praecipuae sententiae sunt: eudaimonismus, sensismus, perfectionismus, sociologismus et rationalismus kantianus. De singulis pauca dicamus.

I. Expositio diversorum systematum

212. A. Eudaimonismus: in genere moralitatem reducit ad quamdam pragmaticam felicitatis temporalis sive individualis, sive socialis. Homo concipitur ut ens nullam habens finalitatem praeter felicitatem terrenam, nullam legem praeter legem voluptatis vel utilitatis; non agnoscit in homine personalitatem moralem.

213. Principia eiusdem: Ad tria reduci possunt: 1, voluptatem esse supremum, et unicum hominis bonum; 2, ipsam esse supremum valorem moralem hominis; 3, normam moralitatis esse ipsam voluptatem vel utilitatem.

214. SPECIES: 1. *Individualis:* non agnoscit aliam moralem, praeter factum felicitatis personalis, moralem concipit ut quamdam summam voluptatum. In hoc conveniunt tam hedonistae quam utilitaristae privati; qui unice differunt in modo perducendi ad praxim tale principium; hedonista enim instinctive, sicut irrationalia, voluptatem sequitur; dum utilitarista accurate, diversas voluptates dimetitur, ut maiorem seligat.

215. a) *Hedonismus* asserit voluptatem, et quidem sensibilem et immediatam esse unicum bonum; unam eamdemque esse legem pro homine et pro bruto, scilicet instinctum; reliqua autem, quae leges morales dicuntur, esse praeiudicia, vim illatam naturae, libertati et felicitati. Hoc *practice* sequuntur qui nullam moralem profitentur, quorum numerus ingens est. *Speculative* primum propositum fuit a sophistis et cyrenaicis, ut parens vero systematis habetur ARISTIPPUS CYRENENSIS (m.354 a.Ch.). Tempore renascentiae haec dogmata ubique propagata fuerunt ab humanistis: VALLA, RABELAIS, DESBARREAUX, DE MÉRÉ... Temporibus subsequentibus defenduntur a philosophis materialistis, ut: LA METTRIE (1709-1791), HOLBACH (1725-1789), DIDEROT (1713-1784), atque ab scriptoribus impiis fabularum romanensium: STENDHAL, SAND, SCHLEGEL, STIRNE, RENAN, DUMAS, ZOLA... Nostris temporibus, non paucos etiam defensores habent maxime inter scriptores neo-paganos et eroticos.

216. *b) Utilitarismus individualis:* asserit summum bonum consistere in maiore summa posibili delectationum sive sensibilium sive spiritualium diutius protrahendarum; ad hoc, ergo, temperantia quandoque adhibenda est et selectio, ne voluptas momentanea maiorem subsequentem impediat; plerumque etiam voluptas materialis contemnenda est, ut maior spiritualis habeatur. Hoc *practice* sutinetur ab illis omnibus qui nullam aliam legem moralem praeter propriam utilitatem agnoscunt, qui generatim summum bonum in divitiis reponere solent, ut medium ad omnes voluptates obtinendas. *Speculative* propositum fuit primum ab EPICURO (341-270 a.Ch.). Discipulos iam inter antiquos habuit. Deinde vero fuit defensum a GASSENDO (1592-1655) qui philosophiam Epicuri opponere contendit philosophiae aristotelicae; SPINOZA (1632-1677)[1] asserit id absolute unicuique facere summo iure naturae licere, quod ad ipsius utilitatem conferre iudicaret; HOBBES (1588-1679) sustinet bonas et malas dici easdem res a diversis hominibus, propter hominum appetitus, aversiones, consuetudines, et doctrinas diversas[2]; BENTHAM defendit delectationem esse in se ipsa aliquod bonum, et unicum bonum; finem et normam agendi esse maximam felicitatem maximae multitudinis[3]. Praeter hos praecipuos auctores sustinuerunt utilitarismum individualem MENDEVILLE, LA ROCHEFOUCAULD, VOLTAIRE, HELVETIUS (1715-1771), multique oeconomistae liberales.

217. 2. SOCIALIS. Ut normam moralitatis proponit felicitatem societatis humanae. Hoc *practice* sustinent communistae, socialistae, nacistae, internationalistae, humanitaristae. *Speculative* inceptum est saec. XIX defendi. Etsi enim omnes magni auctores praecedentes

[1] *Ethica* 4 prop.8.20.
[2] *Leviathan* 1,15.
[3] *Principes of moral* c.10.17.

prae oculis communitatem seu bonum sociale habuerint, non tamen illam ut fundamentum moralitatis proposuerunt. Hoc systema primum elaboratum fuit a COMTE; deinde, sub diversis formis, propositum a STUART MILL, MARX, MAURRAS, MUSSOLINI, HITLER, LENIN, STALIN.

Species ergo eudaimonismi socialis sunt diversae, prout diversa est societas cuius bonum intenditur, v.c. classis, sanguis, status, humanitas...

218. 3. SOLIDARISMUS: est quaedam forma recentior eudaimonismi socialis, in qua diversa elementa moralis rationalis, eudaimonismi generalis, atque altruismi miscentur, ope conceptus solidaritatis unita.

Solidaritas est interdependentia mutua quae inter totum aliquod et eius partes exsistit; ita ut impossibilis sit actio aliqua supra unam ex illis, quin eo ipso modificatio aliqua in ceteris habeatur. Post solidaritatem physicam, biologicam, sociologicam, historicam, apparet nunc solidaritas eudaimonista seu omnium utilitatum humanarum, quae tam generalis et intima est, ut homines, nullo modo, felicitatem assequi possent absque aliorum iuvamine.

Principium capitale horum est *omnes saepe auxilio alicuius inferioris indigere; neminem ab aliis prorsus posse praescindere.* Haec solidaritas est fundamentum totius moralitatis.

Solidarismus defenditur a BOURGEOIS (1851-1925), qui ut parens doctrinae habetur, illumque sequuntur: GIDE, CH., BOUGLÉ, CROISET.

219. B. Sensismus. In genere affirmat moralem esse quid irrationale, illamque reponendam esse potius in motu cordis vel alicuius sensus, a quo immediate valores morales—sic generatim vocant bonum et malum morale—apprehenduntur, ita ut ipsi valores ab ipsa appehensione constituantur.

Vocatur etiam *intuitionismus*, eo quod bonum et malum immediate a sensu quasi intuitive apprehendatur; *sentimentalismus*, eo quod illa perceptio non sit vera intuitio, sed potius actus emotionalis; *irrationalismus* moralis, quia haec supersensibilia absque cognitione rationali, immediate per experientiam internam et appetitionem emotionalem attinguntur.

220. SPECIES. 1. SENSUS BENEVOLENTIAE: normam moralitatis reponit in instinctu benevolentiae, hoc modo intellecto: cum homines naturalem habeant inclinationem ad benevolentiam erga proximos, omne quod ab hoc sensu benevolentiae procedat, erit bonum, contrarium vero malum moraliter. Quid vero faveat, quid autem contrarium proximis sit, quasi instinctive a sensu benevolentiae cognoscitur.

Hoc *practice* sustinetur ab omnibus qui ut normam vitae motus cordis vel impressiones sensuum habent. Speculative saec. XVIII primum fuit propositum, forte ut reactio contra egoismum ubique regnantem, a SCHAFTESBURY (1671-1713) deinde a HUTCHESON (1694-1747).

221. 2. SYMPATHIA: normam moralitatis hoc modo explicat: inest homini instinctus aliquis, qui illum impellit ad harmoniam cum reliquis habendam. Sympathia sic intellecta, non est sensus aliquis particularis, sed proprietas quaedam subiecti, propter quam inclinatur ad quaerendam concordiam in affectibus cum aliis.

Naturale enim est hominibus sufferre, cum vident aliquem patientem, gaudere de gaudis aliorum... E quo, fautores huius systematis concludunt, omnem actionem afferentem sympathiam aliorum esse moraliter bonam; e contra antipathiam afferentem esse moraliter malam. Tamen ut sympathia sit moralis debet esse pura et universalis.

Principium fundamentale systematis hoc est: *Ita operare ut sympathiam maioris numeri possibilis spectatorum, et quidem impartialium, excitare valeas.*

Primum fuit propositum ab Adam Smith saec. XVIII, nec multos deinde fautores ademptum est.

222. 3. Altruismus: est quasi complementum utilitarismi socialis; aliqua actio, iuxta hoc systema, erit moraliter bona vel mala, prout commodum aliquod vel incommodum alicui afferat. Cum homines ad vitam socialem naturaliter destinentur, et societas absque mutua negatione et sacrificio sit impossibilis, illas actiones quae ad sociabilitatem fovendam inserviant, ut servitium erga alteros..., bonas esse, contrarias vero moraliter malas concludit. Norma, ergo, moralitatis erit hoc erga alteros servitium.

Principium fundamentale est: *vivere ad alterum vel sacrificari pro humanitate.*

Sectatores praecipui sunt Saint-Simon et Comte.

223. 4. Commiseratio: Sustinet finem ultimum hominis esse tendere ad sese et alios liberandos a miseriis huius vitae vel saltem ad illas, mutuo adiumento, tolerabiliores faciendas.

Norma moralitatis in hoc systemate erit illud quod ut remedium contra nativam naturae humanae malitiam inserviat.

Principium fundamentale est: *neminem laede, immo omnes iuva.* Haec doctrina proposita fuit a pessimista Schopenhauer.

224. 5. Sensus honoris: Est instinctus quo inclinamur ad aliorum aestimationem quaerendam aut promerendam, propter personalem dignitatem. Huius radix est amor proprius, nimium bonae apud alios aestimationis desiderium, necnon quoddam ideale perfectionis sub forma dignitatis personalis. Norma moralitatis erunt huiusmodi sensus honoris exigentiae.

Hoc *practice* profitetur a multis qui in suis operationibus ut unicam normam moralem habent ceterorum opinionem (*el qué dirán*). *Speculative*, maxime aevo medio, a viris equitibus et bellicosis defendebatur; fuit deinde lex fundamentalis equitum (*los caballeros andantes*); tandem habitum fuit ut ideale hominum nobilium maxime militum. Nostris temporibus, apud nobiliores praesertim classes, ut codex moralitatis haec apud alios bona aestimatio habetur.

225. 6. Intuitio emotionalis. Asserit valores morales (hoc nomine appellant bonum et malum morale, ideoque eorum philosophia moralis *axiologia* seu philosophia valorum vocatur) percipi atque creari a quadam facultate speciali, diversa ab intellectu, quae aestimativa vocatur. Actus huius facultatis vocatur intuitio, non autem in sensu traditionali (i.e. cognitio rerum per species proprias), sed in sensu emotionali. In hac doctrina aliquid est bonum aut malum morale prout ut tale ab aestimativa valorum, quae est omnino autonoma et independens in sua valoratione, apprehendatur.

Non pauci sunt auctores qui nostris diebus hoc systema sustineant M. SCHELLER, MULLER, A., MESSER, A., ORTEGA Y GASSET, R. DE PRADO, G. MAYNET...[4].

226. C. Perfectionismus. In genere, moralitatem reponendam affirmat non in qualibet felicitate materiali hominis, sed in illa quae quibusdam perfectionibus ornetur: biologicis, aestheticis, culturalibus, vel moralibus. Prout sit una vel alia perfectio assignata ut norma moralitatis, habetur una vel alia species perfectionismi.

227. 1. BIOLOGICUS: Statuit supremum valorem moralem esse cultum vitae. Actiones ergo quae potentiam physicam aut dominium supra alios demonstrent ut bonae sunt habendae, contrariae vero ut malae.

Practice hanc sententiam tenent qui vitam intensam, energiam physicam, cultum corporis, ludos sportistas.., reliquis omnibus praeferunt. *Speculative* proponitur ab omnibus auctoribus qui vitam docent esse supremum valorem, eamque eo plus valere quo maiorem animalitatem potentioresque instinctus ostendat. Ita *Sophistae,* MACHIAVELUS, *apologistae tyrannorum,* maxime saec. XV-XVII, *evolutionistae* duce SPENCER. Praecipuus defensor huius doctrinae habetur NIETZSCHE, pro quo ideale humanitatis est superhomo, in quo valores biologici praecipuum locum occupant. *Nacistae* germani hanc doctrinam pariter defendebant.

228. 2. AESTHETISMUS: Reducit morale ad cultum perfectionis aestheticae hominis. *Practice* sustinetur ab illis qui in sua vita ante omnia honorem, nobilitatem, elegantiam, magnificentiam, gloriam aliaque similia curant; ab artificibus qui in omnibus aesthetismum practicum quaerunt, ac iuxta leges mere aestheticas omnia etiam moraliter iudicant, sive in artibus plasticis sive in litterariis, sive in vita universa. *Speculative* defenditur a SHAFTERSBURY, HERBAT, RAVAISSON. Plato et Aristoteles immerito ut fautores aesthetismi moralis numerantur; aliud enim est affirmare exsistere veram harmoniam inter moralitatem et veram pulchritudinem, aliud vero talem harmoniam ut normam moralitatis proponere.

229. 3. HUMANISMUS: Moralitatem reducit ad cultum illorum quos ipsi appellant valores supremos humanos, ut sunt: civilizatio, progressus, libertas, scientia, litteratura, artes, oeconomia, industria, politica, institutiones sociales... tot enim sunt species diversae, quot sunt valores humani, non enim coincidunt in illis assignandis.

---

[4] Cf. Inter auctores valoristas maxime eminent: EHRENFELS, *System der Werttheorie* 3 vol. (Leipzig 1898); MEINONG, A., *Psychologisch-ethiche untersuchugen zur Werttheorie* (Graz 1894); A. MÜLLER, *Introducción a la Filosofía* trad. esp. Rev. de Occ. (1931); A. MESSER, *Filosofía de los valores* trad. esp. Rev. de Occ. (1932); ORTEGA Y GASSET, *¿Qué son valores?:* Rev. de Occ. (octubre 1923); R. DEL PRADO, *Etica general* (Coruña 1935); GARCÍA MÁYNEZ, *Etica* (México 1944). In his auctoribus, praeter expositionem doctrinae, copiosa habetur bibliographia.

Ad refutationem huius doctrinae fructuose videre licet: G. MÁRQUEZ, *Sobre la Filosofía de los valores:* RazFe 126 (1942) p.53-70; 262-280, vel eiusdem auctoris *Filosofía moral* 5 ed. (1943) v.1 p.409-460; ROLDÁN, *Valor y valoración:* Las Ciencias 10 (1945) 619-678; URDANOZ, *Filosofía de los valores y Filosofía del ser:* CiencTom 76 (1949) 85-112; FRAGATA, *Filosofía dos valores:* RevPortFil 2 (1946) 19-41; DERISI, *La axiología y el personalismo ético:* Ortodoxia 3 (1944) 5-72.

Hanc moralem humanistam, sub una vel alia forma, proposuerunt innumeri auctores saec. XVIII et XIX, v.c.. in GALLIA: *enciclopedistae* maxime CONDORCET, sub specie scientiae; idealistae cum TAINE, RENAN...; in GERMANIA: HERDER LESSING, HEGEL, VON HARTMANN, *defensores moralis culturae* (*Kulturkampf*); in ANGLIA: CARLYLE et RUSELL; in NEERLANDIA: HOFFDING et BRANDES...; in HISPANIA: *liberales* et praesertim scriptores qui se ipsos *intellectuales* appellant *(la generación del 98).*

230. 4. CULTUS PERSONALITATIS: Morales perfectionistae proponi ab auctoribus plerumque solent sub nomine cultus personalitatis, qui cultus semper modo omnino a Deo independenti intelligitur, tamquam si individua essent entia absoluta; natura etiam humana ut essentialiter bona in suis tendentiis habetur, quae ideo integra excolenda est.

Perfectio vero hominis plus minusve restringitur, prout tantum perfectionem intellectus, vel corporis, vel sensus aesthetici in honorem habeat, vel e contra omnibus inclinationibus naturae, omni lege morali et sociali neglecta, indulgeat, ut facit Nietzsche.

Si recte intelligeretur non esset quidem doctrina improbanda, nam perfectio propria, sive corporalis, sive intellectualis, sive aesthetica, bona quidem est et summopere procuranda. Haec vero non sunt nisi bona physica. Negamus autem huiusmodi progressum ad bonum morale sufficere, illumque ut normam moralitatis habendum esse; non sufficit cultus scientiarum aut artium ad rectam adimpletionem officiorum omnium erga Deum, erga alios, erga se ipsum.

II. REFUTATIO HORUM SYSTEMATUM

231. CONTRA OMNES FORMAS. 1. *Ex falso supposito quo omnes laborant.* Omnia praedicta systemata moralia supponunt felicitatem hominis unice in bonis huius vitae consistere, eiusdemque perfectionem in possessione bonorum terrestrium reponendam esse. *Atqui* probatum fuit felicitatem hominis non posse consistere in bonis quibuslibet finitis. *Ergo* nec norma moralitatis potest esse illa assignata in iis systematibus.

232. 2. *Eo quod careant notis requisitis ad normam moralitatis.* Omnes normae propositae in iis systematibus sunt subiectivae, mutabiles, pendent ab adiunctis diversis personarum et circumstantiarum, sunt particulares, incertae et indeterminatae. *Ergo* nequeunt admitti ut normae moralitatis.

233. 3. *Ex testimonio conscientiae.* Conscientia testatur non quamlibet actionem quae temporali bono individuorum vel societatis inserviat (occisio parentis ad hereditatem accipiendam, vel innocentis ad salvandam patriam), vel quae a diversis sensibus inspiretur (crimina passionalia, mendacium) esse eo ipso bonam, vel e contrario. *Ergo* haec omnia systemata reiiciuntur ab ipsa conscientia.

234. 4. *Eo quod destruant ipsam moralitatem.* Patet in *hedonismo* in quo homo prorsus brutis assimilatur; in *utilitarismo* tam individuali quam sociali, nam in ipsis etiam turpissimae actiones, modo ex ipsis utilitas aliqua oriatur, possent esse bonae moraliter;

in *sensismo,* nam in ipso omnia sunt relativa; in *pecfectionismo,* nam omnia remanent omnino incerta et indeterminata.

Omnia haec systemata logice in praxim deducta panderent viam individualismo et relativismo, consequenter destruerent ipsam moralitatem, ac impossibilem redderent vitam socialem.

Praeterea omnia haec systemata normam proponunt omnino *incompletam,* cum nihil dicant de actionibus mere personalibus, vel de illis quae dicant relationem ad Deum.

B. Moralis sociologica

Thesis 10. Moralis sociologica exponatur ac reiiciatur

Durkheim, *Las reglas del método sociológico* (Madrid, Jorro); *La división del trabajo social* (Madrid, Jorro); *Le suicide; Les formes elementaires de la vie religieuse;* Lèvy-Bruchl, *La moral y la ciencia de las costumbres* (Madrid, Jorro), *Pro crisi* autem conferantur: Deploige, *Le conflit de la morale et de la sociologie;* Bureau, *La science des moeurs. Brevius:* Nivard, *Ethica* p.188-207; Sortais, *Morale* p.60ss; Guillet, M. S., *La moral y las morales.* Trad. de Juan Antonio Bourdieu (Buenos Aires 1941); Leclerq, *Les grandes lignes de la philosophie morale* p.62ss; Fernández Sánchez Puerta, *El sistema sociológico de Durkheim:* RevIntSoc 6 (1944) 5-44.

235. Praenotanda. Hoc systema favorem haud parvum invenit et sese appellat unicum scientificum. Primus illud proposuit Durkheim (1858-1917), et maxime deinde perpolitum fuit a Lévy-Bruhl, in Universitate parisina magistro. Reiicit omnem normam proprie dictam moralitatis, maxime normam et methodum traditionalem; cum aliunde sub aspectu scientifico appareret, non paucos nactum est sectatores. Propter momentum ergo huiusmodi moralis sociologicae eam paulo fusius exponamus.

I. Expositio systematis

236. Duo potissimum sunt consideranda in morali sociologica, scilicet, crisis quam facit moralium traditionalium, et pars positiva seu expositio proprii systematis.

237. 1. **Crisis moralium traditionalium.** Has omnes sociologismus moralis reiicit, eo quod sint morales theoreticae, ac proinde; *a)* non scientificae; *b)* neque obiectivae, sed aprioristicae; *c)* atque innixae duobus falsis postulatis.

a) *Non sunt scientificae.* Omnes enim affirmant moralem esse scientiam normativam; iam vero, hoc contradictionem involvit, cum scientia agat de reali, de exsistenti; norma vero de illo quod non exsistit, sed deberet exsistere. Scientia enim investigat leges phenomenorum, modo mere speculativo, i.e. ab utilitate quavis praescindendo. E contra, morales theoreticae quaerunt fines quos homo intendere debet, ac tradit regulas observandas ut ille finis obtineri possit; sunt ergo essentialiter legislatrices. Conceptus ergo scientiae normativae implicat; nam scientia dicit cognitionem illius quod est, normativa vero dicit cognitionem illius quod debet esse.

b) *Non sunt obectivae, sed aprioristicae.* Moralistae enim a theoriis mere subiectivis, insufficiente et superficiali inspectione fundati, regulas practicas deducunt; a nulla tamen theoria regulae practicae deduci possunt, cum vita practica sit nimis complexa.

c) *Nituntur duobus falsis postulatis,* scilicet identitatis naturae humanae in singulis hominibus, atque homogeneitatis conscientiae moralis; quae duo omnino reiici debent.

Ideo ii auctores respuunt traditionalem definitionem Philosophiae moralis, methodum eiusdem, ac postulata moralia quibus nititur, quorum in locum sustituere volunt moralem scientificam ab ipsis excogitatam.

238. 2. **Pars positiva systematis.** a) *Finis* est statuere aliquam *scientiam morum,* quae investiget non quid debeat esse, sed quid sit; in qua possimus aliquando fundare quamdam artem rationalem ad reformandos mores et institutiones.

b) *Methodus proposita* est *studium directum factorum,* reiiciendo omnem metaphysicam, atque de experientia interna diffidendo.

c) *Obiectum* huius scientiae est *factum morale* (i.e. mores seu regulae practicae admissae).

Proprietates huiusmodi facti moralis, ex rigida scientifica analysi deductae, sunt duae: appetibilitas et obligatorietas; aliis verbis: morale est aliquid quod sese nobis *imponit* ut aliquid *bonum.* Conscientia enim morali attestante, habemus *factum morale* esse:

a) *Idem ac factum sociale*[5], numquam enim moralitatis denominatio tribuitur actui cuius obiectum sit interesse privatum individui, seu perfectio individui egoistice intellecta. Proinde, si factum morale exsistit, eius obiectum debet esse aliqua multitudo individuorum consociata, i.e. societas aliqua, ut persona diversa a personalitate individuorum illam componentium considerata. Posito hoc fundamento, proprietates facti moralis optime explicantur; nempe illud factum morale est:

b) *Aliquid appetibile*: nam societas nobis apparet ut aliquid bonum, aliquid desiderabile individuo, eo quod extra ipsam exsistere nequeat, nec illam negare possit, quin eo ipso se ipsum neget. Cum aliunde societas individuum excedat, nequit ab illo desiderari, quin vis aliqua egoisticis tendentiis inferatur; ac, eo ipso, factum morale apparet ut:

c) *Aliquid obligatorium:* nam societas non solum est aliquod bonum, sed est praeterea auctoritas aliqua moralis, hunc characterem obligatorietatis mandatis eiusdem communicans. Auctoritas enim moralis est quaedam realitas physica, quaedam conscientia, superior tamen ac ditior quam nostra, a qua nostram pendere experimur. Hoc vero societati competit, eo quod sit fons omnium bonorum intellectualium, culturam alicuius populi constituentium.

Exsistentia societatis sic intellectae, ut quid a summa individuorum illam componentium superius ac transcendens est aliquod postulatum; secus enim, scientia morum remaneret absque obiecto, obligatio absque fundamento. Ad exsistentiam enim moralitatis postulatur exsistentia alicuius personae superioris. In mundo vero experi-

[5] Haec affirmatio aliquando videtur terminus a quo proceditur, alias e contra terminus ad quem pervenire debeamus; aliquando principium fundamentale moralis socialis scientificae, alias hypothesis directe per facta verificanda, quin tamen stricte necessaria habeatur.

mentali personam nobis superiorem non agnoscimus nisi societatem; ergo scientia morum non datur, nisi detur societas. Alia persona superior, iuxta ipsos, esset divinitas, sed quoniam hoc nomine non intelligunt nisi societatem transformatam et symbolice intellectam, quoad rem, idem est.

239. Quandonam obligent regulae morales. Solum cum a societate, i.e. ab opinione publica ut tales agnoscuntur; quod ergo ab opinione publica ut bonum aut ut malum habeatur, tale erit.

Si quis vero obiiciat, hoc modo, hominem opinioni mancipari, eiusdem dictamina caece amplectendo, quin contra ipsam exsurgere possit, respondet DURKHEIM, ipsam scientiam morum nobis praebere media ad ipsam opinionem publicam diiudicandam. Nam societas cui scientia moralis obedire praecipit, non est qualis in conscientia collectiva apparet, sed qualis re vera exsistit, vel in quam tendit.

Conscientia vero apparens societatis, potest esse inadaequata realitati subiacenti, seu verae realitati sociali. Propter commotionem enim aliquam accidentalem, principia fundamentalia moralis obnubilari in conscientia sociali possunt. Tunc ad scientiam morum pertinet, conscientiae sociali pertubatae, qualis antea stabiliter fuerit, recordari.

Accidere etiam potest ut simul cum morali traditionali, diversae tendentiae exsurgant, quo in casu, ad scientiam morum attinet etiam diversas tendentias morales diiudicare, ac ostendere moralem traditionalem esse formam accidentalem, societati actuali non respondentem, novas vero tendentias eidem realitati sociali esse consonas.

Licet ergo aliquando ipsam opinionem publicam diiudicare; aliquando obligatio aderit illi verbo et opere contradicendi. Numquam tamen *verae* opinioni sociali contrariam moralem profiteri licebit.

II. Refutatio systematis

240. 1. *Ex parte methodi.* Moralis sociologica reiicit in suis investigationibus omnem metaphysicam et experientiam internam. *Atqui* nec metaphysica nec experientia interna reiici possunt in Philosophia morali. *Ergo* methodus moralis sociologicae est defectuosa.

Mai.: Ex expositione systematis; omnia enim reducit ad facta experimentalia.

Min.: *a*) Cum enim agere debeat de actibus humanis necessario solvere debet quaestionem de fine ultimo hominis, de bono morali, de obligatione, quae omnia sunt quid methaphysicum; *b)* factum morale est essentialiter quid internum, quod potissimum experientia interna diiudicari debet.

241. 2. *Ex parte obiecti.* Moralis sociologica obiectum morale reducit ad factum sociale. *Atqui* factum morale non reducitur ad factum sociale. *Ergo* moralis sociologica reiici debet.

Mai: Ex expositione doctrinae.

Min.: Haec reductio est omnino arbitraria. Nam dantur in nobis relationes, ex sententia omnium, vere morales, quae non sunt sociales, v. c. relationes hominis individui erga se ipsum, erga alios ut privatos, erga Deum; quae utique a vita collectiva possunt de-

terminari et modificari, quin tamen ab ipsa procedant. Praeterea in doctrina sociologica individua extra societatem viventia nullam haberent moralem, et ab irrationalibus non discriminarentur; iam vero nemo est qui absurditatem horum omnium non videat.

242. 3. *Ex parte obligationis.* Affirmat moralis sociologica obligationem moralem a societate seu a publica opinione provenire. *Atqui* impossibile est ut vera et stricta obligatio moralis ab opinione publica proveniat. *Ergo* moralis sociologica ex hoc capite reiici etiam debet.

Mai.: Ex expositione systematis.

Min.: Ex eo quod homo in societate inveniat illa quae sunt necessaria ad perfectam evolutionem suarum facultatum, illegitime concluditur societatem esse etiam fontem obligationis stricte moralis; illa enim evolutio facultatum seu civilizatio non sese imponit absolute singulis membris, cum sit quid relativum ac possit discuti; caret ergo efficacitate necessaria, ut imponat etiam durissima sacrificia ad adimplectionem suorum praeceptorum. Experientia enim interna manifeste testificatur nos officia etiam occulta, speciatim extrasocialia, adimplere, non propter societatem seu publicam opinionem, sed propter aliam supremam entitatem.

Ex contradictione intrinseca qua systema laborat. Unicus fons moralitatis iuxta sociologistas est opinio publica seu conscientia societatis; ipse tamen DURKHEIM agnoscit, hanc conscientiam posse esse erroneam, et tunc licitum esse illam corrigere iudicio aliquo individuali. *Atqui* hoc est affirmare societatem esse unicum fontem moralitatis, et simul non esse unicum, quod est contradictorium. *Ergo* moralis sociologica laborat intrinseca contradictione.

Nec dicas tale iudicium esse non individui alicuius, sed scientiae ut talis quae est impersonalis; nam tandem illud iudicium ab scientifico aliquo prolatum, semper erit iudicium alicuius particularis.

243. Obiectiones.[6] 1. Moralis theorica non est vera scientia, quia est normativa. *Atqui* conceptus scientiae et normativae sunt quid contradictorium. *Ergo* moralis traditionalis normativa non est scientia philosophica.

Resp. Dist. mai.: Si esset pure normativa, *conc.;* si vero non est pure normativa, *neg. Contrad. min.* Antequam aliqua theoria philosophica moralis appareat, iam exsistit quaedam moralis spontanea, nam ad scientiam societas non pervenit, nisi cum certum gradum culturae possidet, nunquam tamen a regulis moralibus praescindere potest. Antequam hae regulae obiectum studii sint, iam imponuntur hominibus in illo medio in quo admittuntur. Munus ergo philosophi moralis non est necessario praescribere, seu leges ferre.

Recte tamen moralis vocari potest scientia normativa eo quod determinet principia et leges morales regulatrices modi procedendi. Neque conceptus scientiae normativae reiici potest, nisi omnino arbitrarie restringendo campum scientiae ad obiecta pure experimen-

[6] Cf. LÉVY-BRUHL, *La moral y la ciencia de las costumbres* c.1; R. DEL PRADO, *Etica general* p.20ss.

talia. Cum moralis praescribit quod debet fieri, docet etiam quod est, scilicet realitatem relationum moralium, obligationis... Haec vero realitas est obiectum scientiae.

2. Moralis theorica non est obiectiva, sed aprioristica. *Atqui* vera moralis debet esse obiectiva. *Ergo* moralis theorica reiici debet.

Resp. Dist. mai.: quae sit mere theorica, *conc.;* quae sit theorico-experimentalis, *neg.* Obiectio valet utique contra philosophos moralem pertractantes modo unice deductivo, sicut in mathesi, v.c. contra KANT, ROUSSEAU, COUSSIN... Non vero valet contra moralem scholasticam, quae ut fundamentum collocat experientiam et mores. Philosophia moralis necessario in suis investigationibus debet observare facta moralia, tam individualia quam socialia. Ideo magni scholastici, antiqui et moderni, observationi factorum maximam attentionem praestiterunt, speciatim nostris temporibus.

3. Moralis theorica normativa nititur duobus falsis postulatis, scilicet identitatis naturae humanae in singulis hominibus et homogeneitatis conscientiae moralis. *Atqui* haec identitas et homogeneitas non datur. *Ergo* falsa est moralis theorica normativa.

Resp. Dist. mai.: in identitate i.e. in perfecta aequalitate, *neg.;* in similitudine naturae humanae, quae sufficienter demonstratur, *conc. Contrad. min.* Natura humana habet quosdam characteres essentiales bene determinatos, communes omnibus hominibus, inter quos invenitur concordia seu homogeneitas conscientiae moralis, quoad essentialia. Illa ergo non sunt postulata gratuita et falsa, sed veritates vere et certe demonstratae.

C. MORALIS FORMALIS KANTIANA

Thesis 11. Moralis formalis kantiana exponatur ac reiiciatur.

KANT, *Fundamentación de la metafísica de las costumbres.* Trad. de G. MORENTE (Madrid 1932); *Crítica de la razón práctica.* Trad. de MIÑANA y G. MORENTE (Madrid 1913); SORTAIS, *Morale* p.96ss; DONAT, *Ethica* 1 p.196ss; CATHREIN, *Fil. Morale* 1 p.251-270; POTTERS, *Comp. Phil. mor.* p.129ss; LECLERQ, *Les grandes lignes de la philosophie morale* p.143-158; GARCÍA MÁYNEZ, *Etica* p.161-190.

244. Praenotanda. Doctrina kantiana de rebus moralibus haud parvum influxum exercuit, nam philosophi posteriores, etsi integrum systema kantianum non defendant, multa elementa systematis servant, ut v.c. autonomismum, ethicam personalem, separationem moralitatis a religione et a iure, contemptum praemiorum et poenarum. Ideo systema kantianum morale fusius etiam exponemus ac refutabimus.

I. EXPOSITIO SYSTEMATIS

245. *Fundamentalia principia* formalis moralis kantianae ad quattuor possunt reduci: *a)* ad exsistentiam alicuius legis moralis pro homine; *b)* ad naturam obligationis; *c)* ad conditiones ad moralitatem; *d)* ad formulas quibus lex moralis exprimi posset.

246. 1. Exsistentia legis moralis. Omnes nos, iuxta KANT, experimur factum obligationis, seu alicuius legis moralis praecipientis quid fieri a nobis debeat—hoc factum est aliquid primigenium, universale, evidens—; quae obligatio se offert ut omnino categorica, habens valorem obiectivum absolutum. Iam vero idea obligationis tres alias veritates involvit, ut conditiones essentialem eiusdem, scilicet libertatem, animae immortalitatem, exsistentiam Dei remuneratoris[7].

247. 2. Natura obligationis. Duobus modis illam investigare possemus:

a) *Incipiendo a materia,* i.e. determinando obligationem iuxta naturam alicuius boni antea cogniti, quod sit fundamentum eiusdem, bonum in se, absolutum, ultimus finis hominis et principium moralitatis; tunc valor moralis actionum penderet a conformitate vel non conformitate earumdem cum illo bono, proinde ab obiecto seu materia earum; tunc obligatio esset necessitas ponendi aliquas actiones propter connexionem necessariam earum cum aliquo fine necessario obtinendo.

b) *Incipiendo a forma,* i.e. ab obligatione seu a praecepto in se ipso considerato, independenter ab omni bono in se, seu ab omni materia. Haec secunda via a KANT seligitur.

Examinando hac secunda methodo naturam obligationis invenit KANT illam esse *quid absolutum,* nihil supra se praesupponens. Si enim in aliquo bono fundaretur, eo ipso imperativum categoricum in relativum seu conditionatum transiret; eius mandatum iam non esset *fac hoc,* sed potius *fac hoc, si tale bonum seu finem consequi vis.* Obligatio in se ipsa habet rationem sui sufficientem; nullum ergo bonum exsistit ante ipsam. Ideo.

Obligatio definiri potest necessitas faciendi aliquid, propter reverentiam ipsius obligationis. Non est ergo necessitas moralis faciendi bonum. Proinde, actiones non sunt obligatoriae quia sunt bonae, sed e contra sunt bonae quia sunt obligatoriae. In hoc consistit formalismus moralis kantianus.

248. 3. Conditiones moralitatis. Unice *bona voluntas* requiritur; omnia pendent ab intentione. Necesse est ergo investigare quid, nomine bonae voluntatis intelligatur.

Bona voluntas illa est, quae obligationi obedit:

a) *Quia est obligatio.* Supponamus agi de praecepto aliquo adimplendo, quod conscientiae ut categoricum offertur. Illud praeceptum quis adimplere potest, vel ut aliquam utilitatem ex ipsius adimpletione obtineat; vel unice ex obedientia erga praeceptum. In utroque casu materia actus eadem est, valor tamen eiusdem omnino diversus; in primo casu actio non erit moralis sed simpliciter legalis, i.e. materialiter legi conformis; in secundo autem actio erit moraliter bona.

b) *Propter reverentiam ipsius obligationis.* Sensus reverentiae erga obligationem unicus est qui ad actum moralem admittitur. Obedire enim propter aliam rationem, etsi sit propter amorem erga praeceptum, non erit moraliter agere; tum enim aliqua satisfactio ex illa obedientia spectaretur. Sensus autem reverentiae cum non sit gratus et quamdam coercitionem supponat, moralitatem actionis non tollit.

---

[7] KANT, *Fund. de la met. de las costumbres* p.14.

249. CONSEQUENTIAE: *Ex quo deducitur, voluntatem:*

Esse autonomam, i.e. ipsa sibi est lex, ipsa sibi obligationem imponit. Si enim impositio legis moralis ab extrinseco adveniret, v.c. a Deo, voluntas Ei non posset se subiicere nisi ob motivum amoris, timoris, vel lucri, ac proinde non ageret moraliter.

Esse bonum absolutum, et unicum bonum asbolutum exsistens. Nam suam bonitatem ipsa non accipit neque ab effectu, neque a consequentiis, neque ab aptitudine ad finem aliquem obtinendum, sed unice a suo velle, i.e. a se ipsa. Utilitas vel inutilitas actionis nihil addit neque demit valori ipsius; nam voluntas libera nullius debitor est. Reliqua vero bona sunt relativa, nam a bono vel malo usu ipsorum pendent.

250. 4. **Formulae legis moralis.** Tres praecipuae proponuntur a KANT:

1.ª *Ita operare, ut motivum propriae actionis possit erigi in maximam universalem.* Haec universalitas actionis proponitur ut criterium ad discernendum practice quaenam sint actiones conformes, quaenam vero non, ideali antea proposito.

2.ª *Ita operare ut voluntatem liberam et rationalem tuam et aliorum habeas ut finem, non vero ut medium.* Ens enim rationale est finis in se, numquam vero medium. Cum homo inclinationibus sensibilibus contra rationem obedit, se ipsum deprimit, quia utitur se ipso ut medio. In aliis hominibus, natura nobis aequalibus, eorum personalitatem eodem modo revereri debemus; numquam ergo licet eis uti, ad aliquam utilitatem ex ipsis capessendam. Reverentia igitur absoluta erga personam humanam est fundamentum iuris et obligationis.

3.ª *Ita operare, ut si esses simul legislator et subditus in regno voluntatum liberarum et rationalium.* Ideale, quod moralis prosequitur, est efformatio alicuius reipublicae voluntatum liberarum et rationalium, in qua unusquisque esset finis in se, respectu aliorum.

Principium fundamentale iuris ex praedictis deductum est hoc: *Ita externe operare, ut libertas tua sit in harmonia cum libertate uniuscuiusque, iuxta legem universalem libertatis pro omnibus.*

II. REFUTATIO MORALIS KANTIANAE

251. 1. EXSISTENTIA UNIVERSALIS OBLIGATIONIS antequam ideam boni habeamus: a) *Contradicit naturae humanae:* nam homo est ens rationale; hoc vero nequit, quin contra naturam eiusdem agat, obedire legi, cuius nullam rationem motivam perspiciat. Nam obedientia legi morali debet esse submissio rationalis, non vero caeca executio alicuius praecepti absque motivo. Sola conformitas cum aliquo bono absoluto legem moralem iustificare potest.

b) *Impossibile reddit exercitium moralitatis,* nam tollit ab ipso omnem sensum, praeter sensum reverentiae.

252. 2. AUTONOMIA VOLUNTATIS: a) *Destruit legem moralem.* Nam, cum voluntas sit essentialiter mutabilis, nequit ferre legem immutabilem. Neque intelligitur quomodo ens quod sibi ipsi legem imponit, praecepto aliquo a se ipso procedente obligetur. Nam, post praeceptum, vel remanet cum libertate, et tunc potest aliam con-

trariam determinationem accipere et a prima se liberare; vel amittit libertatem, et tunc actum est de moralitate. Necesse est ergo principium aliquod externum superius ipsi voluntati ponere, a quo obligatio possit provenire.

b) *In discrimen adducit universalitatem legis moralis.* Nam si unaquaeque voluntas est autonoma, non apparet cur lex moralis identica omnibus esse debeat. Si vero dicatur adesse ut fundamentum commune quod commune est omnibus hominibus, i.e. rationem, non ideo difficultas solvitur, tunc enim dicendum esset, rationem, quae est facultas necessaria, unumquemque regulam obligationis docere, quod est fundamentum obligationis extra voluntatem quaerere, ideoque systema derelinquere.

253. 3. HAEC ALIA INCONVENIENTIA INVENIUNTUR: a) *Destruitur discrimen inter liberum et obligatorium;* si enim bonum morale est illud quod fit ex imperio categorico voluntatis propter reverentiam erga legem, omne bonum erit stricte praeceptum, non liberum. Ideoque reliqui actus, vere honesti, sed minori bonitate affecti, non erunt moraliter boni.

b) *Officia moralia nobilissima,* nempe obligationes erga Deum... si a libera voluntate non imponantur non erunt talia; quod est destruere ipsam religionem.

4. CRISIS FORMULARUM. *Prima* vera est, non tamen propria et exclusiva moralis kantianae, praeterea cum formalismo eiusdem nequit conciliari, nam, ut sciat quaenam actiones in leges universales erigi possint, KANT respicere debet interesse universale vel particulare, ac proinde ratiocinari sicut reliqui utilitaristae. Cum aliunde, ut normam moralitatis proponat rationem universalem, extra puram formam exit, et aliquod bonum obligationi anterius intuetur.

Secunda solum partialiter vera est; concedendum utique est, ut KANT affirmat, hominem non esse simplex medium pro aliis hominibus. Nullo autem modo concedi potest secunda affirmationis pars, nempe, hominem esse finem in se, seu absolutum; non enim est nisi finis relativus, cum homo Deo, qui unice est finis absolutus, subiiciatur.

Tertia nihil essentiale addit praecedentibus, relate ad obligationem determinandam.

ARTICULUS IV

DE FONTIBUS MORALITATIS SPECIFICAE

254. Nexus. Vidimus actum constitui intra bonitatem vel malitiam moralem per obiectum circa quod versetur. Sed quoniam nec omnes actus intra eamdem speciem moralitatis sunt eiusdem bonitatis vel malitiae, nec omnes intra eamdem bonitatem vel malitiam specificam habent eumdem gradum bonitatis vel malitiae, volumus nunc videre a quo proveniat haec diversitas. Ad hoc vero examinare debemus omnia quae in actu humano ingrediuntur; omnis vero actus humanus tendit in aliquod obiectum, sub quibusdam circumstantiis,

cum fine determinato. Secundum hoc triplex elementum actus humanus regulis moralitatis convenire vel repugnare potest; hoc sensu obiectum, circumstantiae et finis fontes moralitatis appellantur.

Cum vero non paucae differentiae inter actus interiores et exteriores et inter bonos et malos inveniantur, primum agimus de actibus interioribus, deinde de exterioribus, et quidem hoc ordine: primum de bonitate, deinde de malitia, denique de indifferentia.

§ 1. De moralitate specifica actus interioris

A. De bonitate actus interioris

Thesis 12. Actus interior habet bonitatem specificam essentialem ab obiecto (I); accidentalem intrinsecam a circumstantiis (II); a fine vero accidentalem extrinsecam (III).

S. Th. 1-2 q.7; q.18-19; Suárez, *De bon. et mal. act. hum.* d.4-6; Billuart, *De act. hum.* d.4 a.3; Frins, *De act. hum.* 2 n.185ss; Cathrein, *Fil. Mor.* 1,348ss; Marchal, *Moralité de l'acte humaine,* DTC 10,2459-2472.

255. Notiones. Actus interior: est actus immediate elicitus ab ipsa voluntate; *exterior* vero est actus reliquarum potentiarum, tam internarum quam externarum, a voluntate imperatus.

256. Bonitas specifica: est illa quae intra determinatam speciem bonitatis habetur, v.c. intra iustitiam, caritatem...; potest esse: a) *essentialis*: quae solummodo includit elementa necessaria ad illam speciem bonitatis constituendam; b) *accidentalis*: quae supponit iam bonitatem essentialem constitutam, eamque accidentaliter intra eamdem speciem modificat, v.c. quoad gradus intensitatis...

Bonitas generica: est bonitas simpliciter quin determinetur intra quam speciem bonitatis; tantum importat conformitatem cum natura rationali.

Bonitas intrinseca: quae formaliter inest ipsi actui.

Bonitas extrinseca: quae solum per denominationem extrinsecam actui competit.

257. Obiectum: est terminus proximus actus, seu id quod per se ab actu attingitur. Potest esse:

Materiale: res in quam actus tendit prout est in se physice considerata.

Formale: est ratio peculiaris sub qua obiectum materiale

consideratur. Hoc potest sumi: a) *pro tota re* quae intenditur cum omnibus suis circumstantiis; b) pro illo solummodo *quod primo et per se intenditur,* quod actui tribuit specificam convenientiam, sine modificationibus accidentalibus.

258. CIRCUMSTANTIA: a) *etymologice*: quod est circum, denotat aliquid obiecto extrinsecum, illud tamen attingens, vel eidem propium secundum locum; b) *Sensu translatitio*: *stricte tales* sunt illa adiuncta quae accidentaliter actum attingunt in ordine morali, quin essentialiter mutent primum esse morale actus. *Improprie* tales sunt illa adiuncta quae actui novam speciem bonitatis vel malitiae addunt, diversam ab illa quae provenit ab obiecto.

POSSUNT ESSE: *physicae*: si actum respiciunt solum in ordine physico; *morales* si actum considerant moraliter; *obiectivae*: si se habent ex parte obiecti; *subiectivae*: si se habent ex parte subiecti. Omnes includuntur hoc notissimo versu: *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

259. FINIS (cf. n.24): Id propter quod aliquid fit. Attendenda divisio in finem operis et operantis.

260. Status quaestionis. Solummodo agitur nunc de bonitate *specifica* actus interioris, et volumus videre in primis cur unus actus pertineat v.c. ad speciem iustitiae, alius vero ad speciem caritatis...; et deinde cur aliquis intra eamdem speciem sit melior quam alius; denique cur alicui actui praeter speciem essentialem bonitatis tribuatur alia bonitas etiam specifice diversa.

261. Sententiae. Proprie non datur diversitas sententiarum. Omnes enim ad *primam* quaestionem respondent bonitatem specificam actus provenire ab obiecto formali circa quod versatur; hoc est quod actum constituit intra speciem v.c. caritatis, iustitiae. Ad hoc vero obiectum consideratur praescindendo a circumstantiis.

Pariter omnes admittunt modificationem actus interioris intra eamdem bonitatem provenire ex eo quod detur aliqua modificatio in adiunctis obiectum formale circumstatibus, dum obiectum formale actus idem remaneat.

Denique omnes pariter admittunt *finem extrinsecum* seu operantis posse actui, iam intra speciem bonitatis constituto ex suo obiecto formali, novam speciem bonitatis communicare,

quae tamen de actu praedicatur solummodo per extrinsecam denominationem, nam intrinsece in illo actu non invenitur.

Probatur. 1.a Pars. Actus accipit bonitatem specificam essentialem ab obiecto.

262. 1. *Ex arg. generali de specificatione actuum.* Quilibet actus a suo obiecto formali speciem affert. *Ergo* etiam actus interior voluntatis [1].

Antec.: Facultas enim quae diversos actus ponere potest, debet habere rationem cur unum prae alium ponat diversae speciei; haec vero ratio alia nequit assignari quam tendentia in obiectum formale specie diversum.

Cons.: Nam principium enuntiatum valet pro actu cuiuslibet potentiae; voluntas vero est facultas indifferens quae potest ponere actus diversae speciei, et ab hac indifferentia non removetur et ad specificationem non determinatur nisi ab obiecto formali actus.

263. 2. *Ex inductione.* Actus iustitiae ideo intra speciem iustitiae invenitur, quia habet pro obiecto formali ius alterius servandum, et per hoc distinguitur ab aliis actibus, v.c. temperantiae, caritatis. Idem argumentum potest repeti de reliquis actibus, ratio enim est eadem.

264. Corollarium. Quid sit bonitas formalis entitative. Est tendentia realis et physica in obiectum naturae rationali qua tali conveniens [2].

265. Scholion. 1. Quotuplex entitas in actu moraliter bono. Non datur nisi *unica,* qua actus simul in esse physico et in morali constituitur. Nam non datur nisi unum obiectum formale actus; et cum actus moraliter bonus exsistat in ordine physico, in utroque ordine simul constituitur per tendentiam in obiectum actus [3].

266. 2. **Quot species honestatis.** Idem actus interior bonus nequit habere simul nisi *unam* speciem intrinsecam honestatis; secus posset simul pertinere ad duas species physice diversas; quod absonum est.

267. 3. **Moralitas ex obiecto est praecipua.** Patet ex dictis; ideoque haec moralitas ut primaria et fundamentalis, reliquis om-

[1] Cf. LENNERZ, *De vero sensu principii "actus specificatur ab obiecto formali"*: Greg 17 (1936) 143-146.

[2] SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.4 s.2-3; FRINS, *De act. hum.* 2 p.163ss.

[3] Ita probabilius cum SUÁREZ, o.c. n.7; FRINS, o.c. p.179-195 ac multis aliis, etsi non desint qui sustineant duplicem entitatem realiter distinctam in illo dari, v.c. CAIETANUS, *In 1-2* q.19 a.1; VÁZQUEZ, IOANNES A STO. THOMA d.11 a.1 n.11ss.

nibus quae ab aliis capitibus proveniant, substernitur, ipsaque invariabilis perseverat.

Prob. 2.ª Pars. Ex circumstantiis accipit bonitatem accid. intrins.

268. *Exemplis.* Amare Deum intensius est perfectius quam Illum amare remissius; velle dare centum pessetas in eleemosynam est melius quam velle dare tantum decem. *Atqui* haec modificatio actus est accidentalis, intrinseca, et provenit ab aliqua circumstantia. *Ergo* actus accipit a circumstantiis bonitatem accidentalem et intrinsecam.

Mai.: Est evidens.

Min.: Est accidentalis, nam actus, etsi haec non daretur, a suo obiecto formali constituitur iam intra speciem determinatam caritatis...; est intrinseca, quia formaliter competit actui praescindendo a qualibet denominatione extrinseca; provenit a circumstantia aliqua, in exemplis a circumstantia *quomodo,* vel *quid,* nam supponimus reliqua immutata permanere.

269. Scholion. 1. Quandonam circumstantia aliqua desinat esse talis. Circumstantia aliqua potest transire in obiectum formale actus, et tunc actui bonitatem essentialem communicare; quod fit: *a)* cum obiectum de se est indifferens, tunc enim unice circumstantia potest actui communicare bonitatem, ipsa enim est tota ratio ponendi actum; *b)* cum honestatem quam actus ex obiecto habet, destruit; *c)* cum illud quod est accidens respectu actus generice sumpti est obiectum formale respectu actus specifice sumpti.

270. 2. Quomodo debeat esse volita. In se directe et formaliter ut honesta nam quaelibet bonitas moralis consistit in reali tendentia actus in obiectum honestum sub ratione honesti.

Prob. 3.ª Pars: A fine bonitatem accidentalem extrinsecam.

271. 1. *Exemplis.* Qui vult ieiunare propter bonitatem ipsius actus ieiunii et ordinat praeterea ieiunium ad honorandam Beatam Virg. Mariam ponit actum in quo datur bonitas temperantiae ac bonitas cultus, una desumpta ex obiecto formali actus, alia ex fine extrinseco ipsius. *Atqui* haec bonitas quae actui provenit ex fine extrinseco est accidentalis et extrinseca ipsi actui. *Ergo* ex fine potest actus accipere bonitatem accidentalem et extrinsecam.

Mai.: Est evidens.

Min.: Est accidentalis: nam actus absque ipsa iam consti-

tuitur ex suo obiecto formali intra determinatam essentiam bonitatis; est extrinseca, cum enim sit specie diversa a bonitate proveniente ex obiecto, non potest intrinsece actui convenire; tunc enim actus haberet duas species physice diversas; provenit ex fine, quia imperatur a virtute religionis.

N. B. Proprie sunt duo actus, ac consideratur bonitas utriusque per modum unius.

272. 2. *Ex similitudine cum aliis actibus.* Actus ex obiecto indifferens fit bonus per denominationem cum a fine bono imperatur; actus bonus si refertur in finem malum sumit ab illo speciem malitiae. *Ergo* a pari actus iam bonus ex obiecto accipit etiam novam speciem bonitatis cum ad finem bonum dirigitur.

273. Scholion. 1. **Relatio ad hoc requisita.** Saltem relatio *virtualis;* non est necessaria actualis; sed non sufficit interpretativa, nec habitualis. Secus non daretur dependentia realis ab illo actu bono ex fine[4].

274. 2. **De intentione ultimi finis.** Ut actus sit honestus non requiritur ut explicite intendatur ultimus finis; nec ratione actus, nec ratione praecepti alicuius, de quo nullibi constat. Interpretativa datur in omni actu honesto. Praeterea aliquando in vita explicite debet homo sese ordinare et suos actus in finem ultimum[5].

275. Obiectiones. 1. Communis sententia est finem specificare actum humanum. *Atqui* hoc verum non esset si actus desumeret suam bonitatem essentialem et specificam ab obiecto. *Ergo* actus non habet suam specificam et essentialem honestatem ab obiecto.

Resp. Dist. mai.: finem operis, qui cum obiecto formali identificatur, *conc.;* operantis, *subd.:* si cum fine operis coincidat, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

2. Commune proverbium est a fine media iustificari. *Atqui* finis intelligitur operantis. *Ergo* finis operantis est qui specificat actum.

Resp. Dist. mai.: media indifferentia, *conc.;* mala, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.* Tunc enim finis est obiectum formale actus, nam non intenditur propter bonitatem ipsius obiecti.

3. Si actus malus dirigitur ad finem bonum eo ipso fit bonus, e contra si actus bonus dirigitur in finem malum fit eo ipso malus. *Atqui* hoc fieri nequiret nisi finis specificaret semper actum humanum. *Ergo* finis specificat semper actum humanum.

Resp. Neg. primam partem mai., atque paritatem. Ut actus sit simpliciter bonus requiritur ut sit bonus ex omni parte, quin sufficiat bonitas ex obiecto; ut vero sit malus sufficit ut sit malus ex aliqua parte.

---

[4] SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.6 s.5 n.8ss.

[5] SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.6 s.1 n.11-12; FRINS, *De act. hum.* 2 p.293ss.

4. Cum finis malus est causa totalis volendi actum ex obiecto bonum, actus est malus. *Atqui* si actus reciperet suam bonitatem specificam et essentialem ab obiecto ille actus deberet esse bonus. *Ergo* obiectum non specificat actum bonum essentialiter.

Resp. Dist. mai.: formaliter, *conc.;* materialiter, *neg. Contrad. min.* In casu obiectum formale actus est ille finis malus.

5. Ut actus specificetur ab obiecto requiritur ut illud appetatur sub ratione honesti. *Atqui* pauci sunt homines qui hoc modo obiecta appetant. *Ergo* vel non specificatur actus ab obiecto, vel paucissimi sunt actus boni.

Resp. Dist. mai.: explicite et reflexe, *neg.;* saltem implicite, *conc. Contrad. min.* Optime ad rem Suárez: *Satis erit ut intellectus iudicet hoc obiectum esse per se amabile homini, esse decens et consentaneum rationi, aut debere ab homine fieri hic et nunc in hac materia* (*De bon. et mal. act. hum.,* d.4, s.1, n.12).

6. Si actus specificaretur ab obiecto, actus qui versaretur circa obiectum bonum esset essentialiter bonus. *Atqui* sunt actus qui versantur circa obiectum bonum et tamen sunt essentialiter mali v.c. actus odii Dei. *Ergo* obiectum non specificat moraliter actum.

Resp. Dist. mai.: ab obiecto formali, actus qui versaretur circa obiectum formale bonum, *conc.;* si versatur circa obiectum materiale bonum, *neg. Contrad. min.* Odisse Deum est obiective malum.

7. Nulla causa a suo effectu specificatur. *Atqui* obiectum saepe est effectus actus voluntatis. *Ergo* obiectum nequit essentialiter actum specificare.

Resp. Dist. mai.: prout effectus est posterior in ordine exsecutionis sua causa, *conc.;* prout in ordine intentionis est prior sua causa, et causa formalis extrinseca eiusdem, *neg. Contrad. min.*

8. Nequit actus voluntatis plures species intrinsecas bonitatis habere. *Atqui* si specificatio proveniret ab obiecto, voluntas posset habere plures species bonitatis intrinsecas, cum nempe obiectum plures species obiectivas bonitatis haberet. Ergo specificatio essentialis actus non provenit ab obiecto.

Resp. Dist. mai.: uti obiecta materialia, *neg.;* uti obiecta formalia adaequate distincta, *conc. Contrad. min.* Cum obiectum habeat plures species diversas bonitatis, v.c. servare castitatem in ordine religioso, voluntas potest illas species formaliter appetere diversis actibus, vel si uno actu, efformando unum solum obiectum formale adaequatum, non vero potest illas uno actu attingere ut sunt bonitates formaliter diversae.

9. Si actus acciperet speciem quamvis extrinsecam a fine, cum plures possint esse fines actum simul imperantes, posset idem actus intra plures species constitui. *Atqui* unus idemque actus nequit intra plures species constitui. *Ergo* actus humanus nequit accipere speciem bonitatis a fine, neque extrinsecam.

Resp. Dist. mai.: si illi fines simul actum imperantes essent eiusdem ordinis, *conc.;* si sunt diversi ordinis, *neg. Contrad. min.* Actus potest ordinari ad unum finem proximum et ad plures remotos; actus vero specificatur a fine proximo, qui est obiectum formale actus, non vero a remoto. Finis proximus nequit esse nisi unus.

10. Si actus a fine proximo acciperet bonitatem, cum actio nequeat poni nisi propter aliquem finem bonum, non daretur actus ullus malus. *Atqui* de facto dantur actus mali. *Ergo* actus humanus non accipit bonitatem a fine proximo.

Resp. Dist. mai.: si actus non posset poni nisi propter bonum aliquod verum, *conc.;* si potest poni propter bonum aliquod apparens, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.* Praeterea malitia actus potest provenire ab obiecto vel aliis circumstantiis, nam malum ex quocumque defectu.

11. Si actus humanus suam honestatem a fine acciperet, actio bona non nisi ad finem bonum; actio vero mala non nisi ad finem malum ordinari deberet. *Atqui* actio bona potest ordinari ad finem malum, v.c. dans eleemosynam propter vanam gloriam, et actio mala ordinari ad finem bonum, v.c. qui furatur ad succurrendum pauperem. *Ergo* actus humanus a fine non accipit honestatem.

Resp. Dist. mai.: si actio non nisi unam honestatem habere posset, *conc.;* si actio plures honestates potest habere, *neg. Contrad. min.*

12. Bonitas actuum, secundum omnes, pendet primario a fine. *Atqui* secundum doctrinam propositam in thesi non pendet primario a fine. *Ergo* non est recta doctrina tradita in thesi.

Resp. Dist. mai: sive operis sive operantis, *conc.;* solum operantis, *subd.:* in actibus exterioribus, *conc.;* in interioribus, *neg. Contrad. min.* Homines generatim loquuntur de actibus exterioribus, quos ipsi vident, quorum bonitas pendet ab intentione.

B. De malitia actus interioris

Thesis 13. Malitia formalis non est entitas aliqua positiva (I), sed privatio rectitudinis naturae rationali in agendo debitae (II); proinde specificatur proxime ab honestate, cui opponitur, remote ab obiecto, quatenus naturae rationali ut sic disconveniente et ut tale aliquo modo volito.

S. Th. 1 q.48-49; 1-2 q.18 a.2 ad 3; 3 CG c.7; Suárez, *De bon. et mal. act. hum.* d.7 s.3ss; *Disp. Metaph.* d.6; Lessius, *De divinis perf.* l.13 c.26; Frins, *De act. hum.* 2 p.354ss.

276. Nexus. Vidimus a quo proveniat specifica bonitas actus interioris; volumus nunc videre a quo proveniat eiusdem malitia. Quaestio difficilior, propter difficultatem determinandi in primis quid sit ipsa malitia formalis, ut possimus deinde determinare eiusdem specificationem.

277. Notiones. Malitia moralis: in genere dicit quamdam deformitatem cum natura rationali qua tali. Potest esse:

Obiectiva: disconvenientia obiecti actus cum natura rationali qua tali; *subiectiva seu formalis:* disconvenientia ipsius actus cum natura rationali. Propter hanc homo fit formaliter malus.

278. Entitas positiva: intelligitur ens in quantum ens, prout contraponitur enti rationis. *Ens rationis* est illud quod obiective tantum in mente exsistente potest, sive sit *privativum:* negatio perfectionis in subiecto apto ad illam habendam, concepta per modum qualitatis (caecitas); sive *negativum:* negatio realitatis concepta per modum entis (tenebrae); sive *relativum:* illud quo aliquid concipitur per modum relationis, quin tamen adsit relatio realis (relatio inter naturam universalem et individua).

279. Privatio: est carentia perfectionis debitae in subiecto apto ad illam habendam.

280. Status quaestionis. In prima parte theseos investigatur qua re malitia formalis actus interioris constituatur; ut fundamentum necessarium ad determinandum a quo proveniat specificatio actus moraliter mali, quod in reliquis partibus examinatur, ita ut primum proponatur a quo proxime illa specificatio proveniat, deinde vero a quo remote.

Multa alia quae in hac quaestione possint immisceri non considerantur in thesi.

281. Ut melius sententias intelligere possimus, notemus in omni actu formaliter malo tria esse momenta distinguenda: *a)* tendentiam vitalem actus in suum obiectum; *b)* quamdam privationem, cuius subiectum est vel actus ipse, vel facultas illum eliciens; *c)* relationem, vel quasi relationem disconvenientiae actus cum natura rationali.

Disceptatur inter auctores in quo ex iis tribus momentis actus malus essentialiter constituatur in ratione talis; illud enim erit malitia formalis.

282. Sententiae. 1.ª Sustinet malitiam formalem consistere *in aliquo positivo,* nempe in *tendentia* vitali intentionali actus in obiectum pravum. Ita Caietanus [6], Medina [7], Salmanticenses [8], Arriaga [9], Frins [10], qui eam multis argumentis probare contendit.

2.ª Sustinet consistere *in aliquo positivo,* nempe in *relatione* disconvenientiae actus cum natura rationali qua tali. Ita Vázquez [11].

3.ª Sustinet consistere *in positivo et in negativo simul.* Ita Capreolus [12], Ferrariensis [13].

4.ª Quoad specificationem generatim auctores qui tenent malitiam formalem essentialiter consistere in aliquo positivo, sustinent etiam specificationem deberi tam proxime quam remote obiecto ipsius actus, ita Frins [14]; alii e contra sustinent specificationem actus mali proxime repetendam esse a praeceptis vel legibus formaliter diversis. Ita Vázquez [15], Laymann [16], Platel [17].

---

6 *In 1-2* q.18 a.5; q.71 a.6; q.72 a.1; q.79 a.1.
7 *In 1-2* q.71 a.6.
8 *De vitiis et peccatis* d.6.
9 *De act. hum.* d.20 s.4 n.45-50.
10 *De act. hum.* 2 p.406ss.
11 *In 1-2* d.95 c.9; d.129 c.8 n.27.
12 *In 2* d.35 q.1 a.3 in sol. ad 2 et 6.
13 *In 3 CG* c.9.
14 *De act. hum.* 2 p.458ss.
15 *In 1-2* d.98 c.2.
16 *Theol. mor.* l.1 tr.3 c.2.
17 *Synops.* pars. 2.ª n.183.

5.ª *Nostra sententia.* Defendimus malitiam formalem non consistere in positivo aliquo, sed in aliqua privatione nempe rectitudinis debitae naturae rationali in suis operationibus. In *tertia parte* dicimus specificationem malitiae in actu malo deberi proxime honestati cui oponitur, et *remote* obiecto illius honestatis.

Praescindimus in hac thesi a multis quaestionibus difficilioribus quae in illa inveniuntur, propter quas numeratur "inter longe difficiliores et obscuriores cum ob naturam rei, de qua agitur, tum maxime ob ingentem sententiarum varietatem" (FRINS, 2, p.354).

Haec sententia, quam ut probabiliorem defendimus, sustinetur a S. BONAVENTURA[18], SUÁREZ[19], LESSIO[20], LUGO[21], a multis modernis, et generatim ab omnibus scotistis.

Probatur. 1.ª Pars. Non est entitas aliqua positiva.

283. 1. *Ex notione entitatis positivae.* Omne ens secundum se et absolute consideratum est bonum. *Atqui* si malitia formalis consisteret in aliqua positiva entitate ipsa formalis malitia in se et absolute considerata esset dicenda aliquid bonum quod absurdum videtur. *Ergo* malitia formalis non consistit in entitate positiva.

Mai.: Ens et bonum convertuntur, nam bonitas est una ex proprietatibus essentialibus entis.

Min.: Omne positivum ut tale dicit entitatem; omnis autem entitas, saltem in se et absolute considerata, dicit aliquid bonum.

284. 2. Si malitia formalis consisteret in aliquo positivo affirmandum esset Deum esse causam veram et auctorem malitiae formalis. *Atqui* Deus non est causa malitiae formalis. *Ergo* malitia formalis non consistit in aliquo positivo.

Mai.: Deus enim est auctor et causa omnis entitatis positivae.

285. 3. Malitia formalis qua talis a nemine potest intendi. *Atqui* omne positivum potest propter se intendi ab aliquo. *Ergo* malitia nequit consistere in aliquo positivo.

Mai.: Malum enim est quod non habet ullam convenientiam seu appetibilitatem.

Min.: Nam habet aliquam bonitatem, est enim ens, et secundun hunc respectum non potest esse malum.

2.ª Pars. Consistit in privatione rectitudinis debitae.

286. 1. Malitia non est entitas positiva. *Ergo* aliqua privatio. *Atqui* nulla alia privatio excogitari potest, quae malitiam formalem sufficienter explicet, nisi privatio rectitudinis debitae naturae rationali in suis operationibus. *Ergo* in huiusmodi rei privatione formalis malitia consistit.

287. 2. Malitia opponitur bonitati. *Atqui* bonitas formaliter consistit in convenientia actus cum natura rationali qua tali. *Ergo* malitia consistet formaliter in negatione huiusmodi convenientiae; quoniam vero natura rationalis apta est habere huiusmodi conve-

[18] *In* 2 d.35 a.1 q.2.
[19] *De bon. et mal. act. hum.* d.7 s.3ss.
[20] *De divinis perfect.* l.13 c.26.
[21] *De peccatis* d.3 s.3.

nientiam, ipsius carentia rationem habet privationis. *Ergo* formalis malitia recte in privatione rectitudinis debitae naturae rationali in suis operationibus consistit.

3.ª Pars. Specificatur proxime ab honestate... remote ab obiecto.

288. Privatio diversa est pro diversitate boni a quo privat. *Ergo* malitia diversa erit pro diversitate honestatis a qua privat. *Atqui* haec honestas specificatur ab obiecto circa quod versatur. *Ergo* etiam malitia specificatur remote ab obiecto prout naturae rationali est disconveniens.

289. Scholion. 1. **Malitia a circumstantiis modificari potest.** Et quidem ita ut ab illis possit accipere novam etiam speciem malitiae; nam actus formaliter malus, praeter malitiam essentialem ex obiecto, potest habere diversas alias malitias essentiales ex circumstantiis et ex fine; v.c. qui vult furari rem sacram ut committat fornicationem habet malitiam specificam furti, sacrilegii, et fornicationis, quia ille actus opponitur tribus virtutibus seu honestatibus specifice diversis, et malitia specificatur proxime ab honestate cui opponitur. Agentes de actu bono diximus illum non nisi unam speciem intrinsecam bonitatis habere posse.

290. 2. **Quomodo debeant esse volitae circumstantiae.** Ut novam actui addant malitiam non requiritur, ut directe sint volitae, sufficit ut sint *indirecte volitae;* sed necesse est ut aliquo modo cognoscantur, secus nullam malitiam addere possunt. Agentes de bonitate actus, dicebamus circumstantias debere esse directe volitas, ut possint conferre ad bonitatem actus.

291. 3. **Quomodo finis influat.** Ex parte finis malitia nova actui supervenire potest non tantum per positivam relationem huius actus in finem malum, sed etiam per carentiam relationis in finem debitum; quod non accidit in actu bonu, nam actus bonus solum per positivam relationem in finem bonum novam bonitatem acquirere potest.

292. Obiectiones [22]. 1. In actu formaliter malo quod primum omnium invenitur et ei per identitatem inest, est tendentia voluntatis in obiectum malum. *Atqui* haec tendentia libera in obiectum malum non potest non esse proprie formaliter mala. *Ergo* malitia formalis consistit in tendentia actus in obiectum malum.

Resp. Dist. mai.: carens aliquo sibi debito, *conc.;* sola tendentia absque hac carentia, *neg. Contrad. min.:* ita ut formalis malitia reponenda sit in illa tendentia, *neg.;* in carentia perfectionis sibi debitae, *conc.*

2. Privatio rectitudinis, in qua dicitur consistere formaliter malitia moralis actus interioris est quid omnino vagum et indeterminatum. *Atqui* malitia actus formaliter mali est omnino determinata et certa. *Ergo* nequit reponi malitia in quadam privatione.

Resp. Neg. mai.

3. *Prob. mai.:* Privatio illa statuta nequit explicare adaequa-

[22] Cf. Frins, *De act. hum.* 2 p.406ss, argumenta ad probandam suam sententiam.

te malitiam specificam multorum actuum formaliter pravorum, v.c. malitiam odii Dei, voluntatis blasphemandi... nisi accurrendo ad responsiones vagas et indeterminatas. *Atqui* doctrina quae nequit adaequate et clare explicare malitiam formalem aliquorum actuum pravorum, nisi responsionibus vagis et indeterminatis est vaga et indeterminata. *Ergo* privatio est doctrina vaga et indeterminata.

Resp. Neg. mai. Doctrina privationis bene et concrete explicat malitiam formalem omnium actuum pravorum; in omnibus enim actibus datur tendentia in obiectum, sed non eo modo quo tendere deberet; ergo semper includitur aliqua privatio rectitudinis debitae. In exemplis allatis malitia formalis mediante privatione optime explicatur; nam relationes nostrorum actuum erga Deum sunt determinatae, ergo est bene determinata tendentia actus in Deum; iam vero actus odii caret huiusmodi debitae relationis.

4. Bonum et malum in moralibus opponuntur contrarie. *Atqui* quae contrarie opponuntur sunt quid positivum in utroque extremo. *Ergo* malitia moralis consistit in aliquo positivo.

Resp. Dist. mai.: ratione bonitatis et malitiae, *neg.;* ratione positivi seu boni in quo fundantur, *conc.*—Huic bono positivo additur malitia quae est privatio rectitudinis debitae. *Contrad. min.* Bene distinguere debemus actum malum concretum et malitiam abstractam. Actus malus est quid positivum et immediate specificatur ab obiecto; malitia vero est quid privativum et immediate specificatur ab honestate opposita. Bonitas et malitia opponuntur privative, bonum et malum opponuntur contrarie.

5. Actus bonus et malus specie differunt inter se. *Atqui* differentiae specificae sunt quid positivum. *Ergo* malitia formalis constituitur per aliquid positivum.

Resp. Dist. mai.: ratione malitiae et bonitatis, *neg.;* ratione positivae tendentiae, cui adiungitur privatio rectitudinis, *conc. Conc. min. Dist. pariter cons.*

C. DE INDIFFERENTIA ACTUUM INTERIORUM

Thesis 14. Nullus actus deliberatus in concreto indifferens esse potest.

S. TH., *In 2* d.40 a.5 c; 1-2 q.18 a.8 et 9; *De malo* q.2 a.5; S. BONAVENTURA, *In 2* d.41 a.1 q.3; SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.9; VÁZQUEZ, *In 1-2* d.52 c.3; BILLUART, *De act. hum.* d.4 a.5 et 6; FRINS, *De act. hum.* 2 p.513ss; BALLERINI-PALMIERI, *Opus Theol. mor.* 1, tr.1 n.103ss.

293. Nexus. Determinavimus undenam bonitas vel malitia actibus humanis provenire possit, in genere et quoad bonitatem vel malitiam specificam. Restat ut de indifferentia actuum interiorum aliquid dicamus. In hac thesi determinare debemus utrum dari possint actus indifferentes.

294. Notiones. ACTUS DELIBERATUS: est qui cum sufficienti advertentia rationis ad honestatem vel turpitudinem obiecti ponitur; seu actus vere et proprie humanus.

1. *In specie seu in abstracto*: i.e. attendendo solummodo

ad eius obiectum formale a quo specificatur, praescindendo a circumstantiis, et a fine, quibus actus in particulari vestitur.

2. *In individuo seu in concreto*: i.e. includendo non solum obiectum formale eiusdem, sed etiam circumstantias et finem operantis, quibus actus in particulari ponitur.

295. INDIFFERENS. In ordine morali est quod nec positive convenit nec positive disconvenit naturae rationali qua tali; propter quod homo nec laudem nec vituperium in ordine morali meretur.

296. Status quaestionis. Patet in thesi non agi de illis actibus qui absque deliberatione ponuntur, sive procedant ab appetitu inferiori, v.c. a sensatione, a phantasia, sive etiam ab ipso intellectu; nam actus absque deliberatione positi non sunt morales, ideoque recte indifferentes moraliter appellari possunt.

Quaestio procedit de indifferentia morali in ordine mere *naturali;* non vero in ordine supernaturali, relate ad meritum vel demeritum; nam in ordine supernaturali sunt utique multi actus vere humani, morales, qui nec praemium nec poenam merentur, proinde indifferentes, v.c. omnes actus boni, bonitate solum naturali, positi ab homine peccatore.

Agitur de bonitate *subiectiva* seu formali; nam consideramus moralitatem actus interioris. Certum est esse multa obiecta quae moraliter sunt indifferentia, moralitate proinde obiectiva.

Agitur de actibus non in abstracto sed in *concreto* consideratis i.e. considerando moralitatem provenientem non solum ex obiecto, sed etiam ex circumstantiis et ex fine. Adesse actus in abstracto indifferentes ultro concedimus.

297. Sententiae. 1.ª *Sententia scotista.* Scotistae generatim, SCOTUM [23] sequentes, affirmant dari in concreto actus indifferentes; negant tamen dari actus indifferentes in abstracto. Putat enim Scotus actum adaequate dividi in bonum et malum ex obiecto, neque in hoc posse reperiri medium; iam vero actus sumit speciem ex obiecto; ergo nequit dari medium inter bonum et malum in abstracto.

SCOTUS docet nullum actum in individuo dari quin sit in aliqua specie; addit tamen posse dari in individuo actum ex obiecto bonum, qui non habeat alias circumstantias requisi-

[23] *In 2* d.7. Aliqui ita interpretantur Scotum, ut ipsum trahant ad sententiam contrariam.

tas ad bonitatem moralem, nempe ut positive et expresse referatur in finem honestum, et hunc vocat actum indifferentem.

Praeter scotistas hanc doctrinam ut probabiliorem defendunt inter alios S. BONAVENTURA [24], VÁZQUEZ [25], ARRIAGA [26].

298. 2.ª *Sententia thomista.* Thomistae et suareziani generatim negant dari posse actum deliberatum in concreto indifferentem, seu talem qui neque ex obiecto, neque ex fine, neque ex circumstantiis habeat aut bonitatem aut malitiam moralem.

Neque haec sententia ideo rigidior aut minus consona benignitati divinae dicenda est quam praecedens. Nam in hac sententia omnes illi actus, qui in praecedenti vocantur moraliter indifferentes, dicuntur moraliter boni.

Haec sententia defenditur a S. THOMA [27], CAIETANO [28], BELLARMINO, VALENTIA, SUÁREZ [29]... et a plerisque philosophis atque theologis nostrorum temporum.

Hanc secundam sententiam ut longe probabiliorem defendimus

299. Probatur. 1. *Ex necessitate operandi propter finem.* Non potest dari actus deliberatus in concreto, qui non ponatur propter aliquem finem. *Atqui* ex parte finis nequit dari actus humanus indifferens. *Ergo* nullus actus deliberatus in concreto indifferens esse potest.

Mai.: Omne agens rationale, cum ut tale operatur, agit propter finem aliquem.

Min.: *Nam ille finis*: *a*) Aut naturae rationali *convenit*, et tunc actus est honestus; sumus enim in hypothesi de actu versante circa obiectum non malum, et circumstantiis etiam non malis vestitum; in quo proinde specificatio a fine provenire debet; si ergo hic est bonus, actus erit honestus.

b) Aut *non convenit;* et tunc actus est moraliter malus; homo enim tenetur procedere in suis operationibus propriis semper modo naturae rationali convenienti, seu modo sibi proprio. Iam vero, cum quis ponit actum ob finem naturae rationali non convenientem sed solum ob motivum delectationis, non procedit modo proprio naturae rationali, sed unice

[24] *In 2* d.41 a.1 q.3.
[25] *In 1-2* d.52 c.3.
[26] *In 1-2* d.21 s.4.
[27] 1-2 q.18 a.9 c et ad 3.
[28] *In 1-2* q.18 a.9.
[29] SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.9 s.3 n.9.

naturae sensitivae, proinde ut irrationalis; ergo moraliter male operatur [30].

300. Scholion. 1. De requisitis ut bonum delectabile fiat honestum. *a)* Ut bonum apprehendatur ut homini conveniens vel secundum corpus, vel secundum animam, vel secundum res exteriores, quae ad utrumque ordinantur; *b)* Ut circumstantiae tales sint quae recto ordini congruant; *c)* Denique ut illud bonum bono hominis secundum rationem non opponatur.

Cum haec dentur eo ipso aliquod bonum delectabile est quid homini simpliciter ut rationali conveniens, proinde bonum morale; quia corpus ordinatur ad animam, ergo cum quis illo modo bonum corporis quaerit, illud modo homini conveniente intendit.

301. 2. Utrum per accidens dentur actus indifferentes. Multi auctores *affirmativam* sententiam tenent, ut SUÁREZ [31], VALENTIA [32], SALMANTICENSES [33]. Nam potest quis iudicare actionem aliquam esse moraliter indifferentem et sub illo iudicio illam ponere; tunc ille indifferenter moraliter operabitur. Aliquis vero optime potest sibi efformare illud iudicium, cum pro illa sententia sint gravissimi auctores. Est ergo sententia probabilis, quae in praxi tuto sustineri potest. In hoc casu actus humanus erit moraliter *per accidens* indifferens; quod ut indubium supponit VÁZQUEZ [34].

Alii tamen v.c. IOANNES A STO. THOMA [35], PALLAVICINI [36], GONET [37], BILLUART [38], FRINS [39], *negant* posse *dari actus per accidens indifferentes* in concreto. Nam in casu quo quis operaretur sub illo iudicio de indifferentia actionis in concreto, ille bene moraliter operaretur; nam illud iudicium esset erroneum, sed in ordine speculativo tantum, in practico vero esset moraliter bonum.

Putat enim ita operans ad formaliter honestam operationem plus requiri quam quod ipse habet, et quam de facto requiratur, neque tamen credit illud sub reatu vituperii requiri—secus essemus extra hypothesim, nam actio esset positive mala—; operatur ergo agens in illo casu bonum ratione boni honesti et propter bonum honestum; quod sufficit ad bonitatem actus. Haec secunda opinio mihi praeferenda videtur.

302. 3. De relatione actus in finem honestum ne malus sit [40]. *Iuxta scotistas* nulla requiritur, dummodo enim finis ultimus positive non excludatur, potest actus humanus in finem aliquem inferiorem ordinari, v.c. in aliquam commoditatem vel indigentiam naturae humanae, vel etiam in aliquod bonum sensibile delectabile, quin sit moraliter malus. Qui in tali delectatione sistit seu ei inhaeret per

[30] Cf. BILLUART, *De act. hum.* d.4 a.6 § 5-6.
[31] *De act. hum.* d.9 s.3 n.10.
[32] *De act. hum.* d.2 q.13 p.6
[33] *De bon. et mal.* d.7 d.2 n.26.
[34] *In 1-2* d.52 c.3 n.16.
[35] *In 1-2* d.9 a.7 n.80.
[36] *Disp.* 9 a.2 n.3.
[37] *Clypeus* dis.5 n.35.
[38] *De act. hum.* disp.4 a.6 obi.4.
[39] *De act. hum.* 2 p.541.
[40] De MESMAEKER, H., *De relatione actuum humanorum in Deum quoad eorum moralitatem:* CollectMelch 14 (1940) 172-175.

modum finis negative ultimi, non ponit actum moraliter inhonestum, sed indifferentem.

Thomistae vero ac generatim suareziani tenent e contra actum humanum ne malus moraliter sit, debere in finem honestum ordinari; quia homo, cum deliberate agit, debet agere ut homo i.e. iuxta exigentias et dignitatem naturae humanae rationalis. Iam vero hic agendi modus importat agere propter finem honestum, sufficit tamen relatio *virtualis et implicita.*

303. Corollarium. 1. *Actiones otiosae,* seu quae fiunt absque ulla rationabili causa, sunt moraliter malae. Otiosas actiones non intelligimus illas quae sanitati, rectae corporis consistentiae, moderatae recreationi... inserviunt. Nam hae sunt moraliter bonae; homo namque etiam ut ens rationale, debet consulere partibus vegetativae et sensitivae, ut sibi sociatis.

Si vero commoda corporalia intelligantur delectationes sensibiles, tunc dicendum de illis est ea quae breviter in sequentibus enuntiantur.

304. 2. *Agere cum delectatione* omni vitio caret, nam delectatio a Deo data est ut condimentum, ut necessariae operationes ponantur.

305. 3. *Agere propter solam delectationem* inhonestum est si quis in ea penitus sistit. Si vero delectatio in se mala non sit, illa inhonestas non erit gravis; si vero delectatio ipsa in se sit graviter mala, tunc gravis etiam erit inhonestas, vel si quis delectationem ut ultimum finem actualiter vel virtualiter quaerat.

306. 4. *Agere propter delectationem* honestum est dummodo delectatio subordinetur fini honesto. Ideo nullatenus est inhonestum delectationem gustus ex cibo, aurium ex musica, oculorum ex visione pulchri, narium ex olfatione florium... intendere etiam si quis in iis similibusque actionibus de ulteriore fine non cogitet, dummodo finem ulteriorem seu honestum aliqua ratione virtualiter intendat; ad hanc virtualem intentionem sufficit; *a)* ut actio apprehendatur ut rationi consona; *b*) ut moderamen servetur; *c*) ut agens assuefiat delectationem sumere propter aliquam animae vel corporis utilitatem.

307. Obiectiones[41]. 1. Omnis species in aliquo individuo inveniri debet. *Atqui* concessum est dari actus indifferentes in specie. *Ergo* dari debent etiam in individuo.

Resp. Dist. mai.: totum quod in specie est esse debet in aliquo individuo, *conc.;* individua non possunt continere, praeter illud quod est in specie abstracte considerata, alias circumstantias speciem mutantes, *subd.:* in ordine physico, *conc.;* in ordine morali, iterum, *subd.:* non potest accedere aliquid speciem intrinsecam et essentialem mutans, *conc.;* speciem mere accidentalem et extrinsecam, *neg. Contrad. min.*

2. Omnis habitus causatur ab actibus eiusdem speciei ac est ha-

[41] Cf. BILLUART, *De act. hum.* dis.4 a.6.

bitus. *Atqui* dantur habitus moraliter indifferentes. *Ergo* etiam actus indifferentes in concreto.

Resp. Dist. mai.: ab actibus consideratis secundum suam substantiam, *conc.;* secundum denominationes extrinsecas, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

3. Finis est denominatio extrinseca actui. *Atqui* potest quis operari circa obiectum indifferens et velle illud ut finem. *Ergo* possunt dari actus indifferentes in concreto non solum quoad suam substantiam, sed etiam quoad denominationem extrinsecam.

Resp. Dist. mai.: finis operantis est quid extrinsecum, *conc.;* operis, *neg. Dist. min.:* potest quis obiectum utile velle ut finem *neg.;* obiectum delectabile, *subd.:* potest quis velle obiectum indifferens ut finem loco, tempore, circumstantiis individuantibus, quibus necessario fiat ordini rationis congruum vel repugnans, *conc.;* sine hoc, *neg.*

4. Potest quis actionem deliberatam exercere ob finem delectationis, non excludendo positive finem honestum, v.c. ludere, deambulare, quietem sumere... *Atqui* haec et similia, posita propter delectationem naturalem, quin excludatur finis honestus, non sunt actus neque moraliter boni, neque moraliter mali. *Ergo* possunt etiam poni actus in concreto absque circumstantiis quibus necessario fiant congrui aut repugnantes naturae rationali.

Resp. Conc. mai. Neg. min. quoad primam partem, nam hi actus sunt moraliter boni, si in illis debitus ordo et mensura servatur.

5. Ut actus sit moraliter bonus requiritur ut referatur ad finem honestum. *Atqui* bonum solum delectabile non est bonum honestum. *Ergo* actus positus propter finem delectabilem non est actus honestus.

Resp. Dist. mai.: explicite vel implicite, *conc.;* praecise explicite, *neg. Contrad. min.* Ludere, deambulare, balneum sumere... cum ad rectam corporis dispositionem aut ad alium finem honestum aliqua saltem ratione fuerint necesarii, si in illis debitus ordo et mensura servatur, licet actu in illum finem honestum non referantur, quia non cogitatur de illo, dummodo positive illum non excludant, sunt moraliter boni. Si vero debitus ordo et mensura non servetur, erunt moraliter mali. Relatio implicita quam requirimus est omnino facilis, nam dum quis commodis naturae temperate utitur censetur ea ad rectae rationis normam sumere, ideoque ad finem honestum dirigere.

6. Multi actus ab hominibus deliberate ponuntur, qui nec in laudem, nec in vituperium eisdem imputantur. *Atqui* actus deliberatus, qui nec in laudem nec in vituperium illum elicienti imputatur, est moraliter indifferens. *Ergo* multi actus in concreto ponuntur ab hominibus moraliter indifferentes.

Resp. Dist. mai.: ab hominibus ignaris, *conc.;* etiam ab scientificis, *subd.:* qui non toties quoties ponuntur laudantur, vel vituperantur, *conc.;* eo praecise quod in eis nullam moralitatem videant, *neg. Conc. min. Dist. pariter. cons.*

§ 2. De bonitate et malitia formali actus exterioris

Thesis 15. Actui exteriori bonitas et malitia formalis solummodo per denominationem extrinsecam ab actu interiore competit (I): ideo actus exterior per se ad bonitatem et malitiam actus interioris nihil addit (II); per accidens tamen potest aliquid addere (III).

S. TH., 1-2 q.20;; SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.10; BILLUART, *De act. hum.* d.4 a.8; FRINS, *De act. hum.* 2 p.338ss; SERTILLANGES, A.-D., *Le bien dans les actions intérieures et exterieures:* RevPhil 20 (1912) 242-256.

308. Nexus. Vidimus fontes a quibus moralitas actus interioris derivari potest. Sed praeter actus interiores, innumeri ponuntur actus humani exteriores. Volumus videre utrum et ipsi habeant moralitatem formalem, qualem et undenam illam accipiant.

309. Notiones. ACTUS EXTERIOR. Qui a voluntate non elicitur immediate, sed solum imperatur. Sunt omnes actus appetitus sensitivi, et etiam intellectus, dummodo sint humani, saltem per denominationem ab actu voluntatis; secus non essent capaces bonitatis et malitiae moralis. Actus interior voluntatis, ab alio actu interiore imperatus, simpliciter est actus interior.

310. BONITAS ET MALITIA FORMALIS. Illa propter quam quis formaliter bonus aut malus dicitur; est homini intrinseca.

311. DENOMINATIO. Idem est ac relatio, respectus, habitudo.

a) *Intrinseca,* datur cum illis, de quibus aliquid praedicatur, intrinsece competit forma a qua denominationem accipiunt v.c. sapientia respectu Dei et hominis.

b) *Extrinseca,* cum forma denominans solummodo uni illorum intrinsece competit, reliquis vero non nisi quaedam habitudo ad illam, v.c. effectus, causae, finis... Sic v.c. sanitas respectu cibi, hominis, coloris.

312. Status quaestionis. 1. Actus exterior potest considerari: a) *In se,* seu ratione sui, absque respectu ad voluntatem tamquam ad suum principium; quo in casu se habet relate ad actum interiorem voluntatis solummodo tamquam obiectum eiusdem; neque in sua bonitate vel malitia obiectiva a voluntate dependet. b) *In ordine exsecutionis* quatenus ex imperio voluntatis exercetur eiusdemque est effectus. Hoc

modo, necessario a voluntate dependet. In hoc secundo sensu procedit thesis.

2. Agimus solum de bonitate et malitia formali, non vero de *effectibus,* qui actui externo saepe annexi sunt, vel ex natura rei, vel ex positiva voluntate legislatoris, sic, v.c. indulgentia operi externo annexa non lucratur absque positione actus externi; effectus sacramentorum non obtinetur solo actu interno...

3. Actum interiorem intelligimus *efficacem,* sincerum, perfectum, non meram velleitatem, vel simplicem complacentiam. Qui diceret se sincere velle sapientem esse studium tamen negligeret, non haberet sinceram voluntatem sapientiae.

4. Thesis habet tres partes: In *prima* consideratur actus exterior ut videamus utrum habeat bonitatem vel malitiam intrinsecam; in *secunda* quaeritur utrum actus exterior per se ad bonitatem vel malitiam formalem actus interioris aliquid conferat; in *tertia* vero utrum aliquando per accidens aliquid illi bonitati vel malitiae conferre possit.

313. Sententiae. 1.ª Scotus[1], et generatim *scotistae* dicunt bonitatem vel malitiam formalem utique primario actui interiori competere, sed aliqua ex parte inesse etiam in actu exteriore, quia in illo sunt principia bonitatis vel malitiae formalis.

2.ª S. Bonaventura[2] et alii cum ipso affirmant in actu exteriore esse intrinsece bonitatem et malitiam formalem, non tamen distinctam a bonitate et malitia actus interioris, sed in utroque actu esse simul unam et eamdem bonitatem vel malitiam.

3.ª *Alii* distinguunt: ita ut *bonitas* formalis sit solummodo in actu interiore, in exteriore tantum per denominationem extrinsecam; *malitia* e contra formaliter sit tam in actu interiore quam in exteriore. Ratio discriminis est quia ut actus sit bonus debet formaliter tendere in obiectum honestum qua tale, quod actui exteriori convenire nequit; sed ut sit malus sufficit ut circa obiectum contrarium rationi versetur.

4.ª *Alii* inter ipsos actus externos distinguunt, et existimant in illis qui sint omnino externi, v.c. in actibus potentiarum exsecutivarum nullam inesse bonitatem vel malitiam formalem; utique vero in illis qui sint aliquo modo interni,

[1] *Quodlib.* 18 a.3; Mastrius,, *De act. hum.* d.5 n.260.
[2] *In 2* d.40 a.2 q.1; d.42 a.1 q.2.

v.c. in actibus intellectus vel appetitus sensitivi. Ita MEDINA [3].

5.ª *Nostra sententia.* Nos vero cum S. THOMA, SUÁREZ, ALPHONSO LIGORIO, ac cum longe maiori parte auctorum defendimus fere ut certum formalem bonitatem aut malitiam nullo modo in actibus externis inesse, illisque solummodo per extrinsecam denominationem competere. Reliqua nimis patent.

Probatur. 1.ª Pars. Bon. et mal. form. actui exteriori solum competit per denominationem extrinsecam.

314. Bonitas vel malitia formalis proprie et formaliter solum actui humano competit. *Atqui* actus exterior non est actus humanus proprie et formaliter, sed solum per denominationem extrinsecam. *Ergo* bonitas et malitia formalis actui exteriori non competit nisi per denominationem extrinsecam.

Mai.: Ex dictis n.160.

Min.: Ad actum humanum requiritur voluntarietas et libertas. Iam vero voluntarietas et libertas intrinsece et formaliter competit solum actibus elicitis voluntatis, reliquis vero actibus tantum per dependentiam ab actu voluntatis.

2.ª Pars: Ex se actus exterior nihil addit ad bonitatem vel malitiam formalem.

315. Actus exterior ex se nullam habet bonitatem vel malitiam formalem. *Atqui* si ipse non habet non potest illam actui interiori communicare. Ergo actus exterior per se nihil addit ad bonitatem vel malitiam actus interioris.

Mai.: Ex prima parte.

Min.: Nemo dat quod non habet.

3.ª Pars. Per accidens potest aliquid addere.

316. Actus exterior saepe est causa vel occasio ut actus interior fiat melior vel peior. *Ergo* per accidens actus exterior potest addere bonitatem per malitiam formalem actui interiori.

Antec.: Ratione: a) *maioris durationis*: quia propter operis exsecutionem actus internus diutius continuatur; b) *Maioris intensionis*: quia voluntas in ipso exercitio actus externi magis accendi solet propter delectationem vel arduitatem hu-

[3] *In 1-2* q.20 a.3.

iusmodi actui annexam; c) *multiplicationis*: saepe contigit actum internum multiplicari, donec perficitur actus externus.

317. Corollarium. 1. *In actu exteriore et interiore una tantum adest bonitas et malitia indivisibilis*[4], ita tamen ut in interiore sit intrinsece, in exteriore vero extrinsece et per denominationem. Actus interior et exterior in genere morum non sunt nisi unus actus, etsi in genere entis seu physice sint diversi actus. Actus exterior ad interiorem comparatur sicut materia ad formam, et in genere moris censentur habere unum tantum esse, quia non habent nisi unum voluntarium, unam libertatem, unam bonitatem, aut malitiam; ita sunt subordinati ut unum componant, neque exterior habet rationem actus humani nisi quatenus interiori substat. Hoc valet de omni actu exteriore, tam de actu intellectus, quam de actibus sensitivis et locomotivis.

318. 2. *Actus exterior specificatur* proxime ab actu interiore tamquam a sua forma; unde in ea specie bonitatis vel malitiae moralis constituitur in qua est actus interior a quo procedit.

319. 3. *Divisio actuum exteriorum* in bonos et malos non est divisio generis in species suas, sed subiecti in sua accidentia, si res physice consideretur. Quia illa bonitas vel malitia nihil physicum ponit in actu exteriore, ideo idem actus exterior sine mutatione sui, successive a bono in malum potest transire, mutato actu interiore.

320. 4. *Non dantur actus exteriores indifferentes* in concreto, quia hi accipiunt suam bonitatem vel malitiam ab actu interiore; quoniam vero non dantur actus interiores in concreto indifferentes, ergo neque exteriores.

321. 5. Bonitas et malitia moralis, cum ab actu interiore propriissime pendeat, in voluntate hominis est.

322. Scholion. Quid conferat actus exterior[5]. a) *Si cetera sunt paria* in actu interiore, *nihil* confert ad augmentum bonitatis vel malitiae; sic, v.c. qui sincere vult dare eleemosynam, et cum pecuniam distribuere vult, videt illam a se esse ablatam, ideoque actus exterior impossibilis evadit, eamdem bonitatem formalem habet ac si re vera eleemosynam daret.

b) *Actio externa* interdum est necessaria ad bonitatem voluntatis, non ut complens bonitatem actus interioris, sed ut materia quam debet informare actus interior, quia voluntas non est sincera, si in manu hominis est ponere actionem externam, nisi eam exsequatur.

323. Obiectiones. 1. *Actus humani* speciem suae bonitatis ab obiecto desumunt. *Atqui* actus interior non est obiectum actus exterioris. *Ergo* actus exterior non habet bonitatem vel malitiam formalem solum per denominationem extrinsecam ab actu interiore.

Resp. Dits. mai.: mediate vel immediate, *conc.*: immediate, *subd.*: actus interiores, *conc.*: exteriores, *neg. Conc. min. Dist. pariter*

---

[4] SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.10 s.1 n.8-13.
[5] Cf. SUÁREZ, *De bon. et mal. act. hum.* d.10 s. a n.2-5.

cons.: non sumit speciem ab interiore ut ab obiecto, *conc.;* ut a causa formali extrinseca, *neg.*

2. Si actus exteriores haberent totam suam honestatem ab actibus interioribus, non possent esse causa honestatis actuum interiorum. *Atqui* actus exteriores saepe sunt causa honestatis actuum interiorum, cum plerumque sint eorum obiecta. *Ergo* actus exteriores non accipiunt totam suam bonitatem formalem ab actu interiore neque tamquam a causa formali.

Resp. Dist. mai.: si haberent honestatem tum formalem tum obiectivam, *conc.;* si solum formalem, *neg. Contrad. min.*

3. Actus exteriores non essent praecepti vel prohibiti, nisi haberent per se bonitatem aut malitiam. *Atqui* actus exteriores sunt ipsi praecepti aut prohibiti. *Ergo* habent bonitatem aut malitiam.

Resp. Dist. mai.: obiectivam, *conc.;* formalem praecise, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

4. Adulterium, furtum, homicidium... habent malitiam formalem. *Atqui* adulterium, homicidium, furtum... sunt actus exteriores. *Ergo* actus exteriores habent etiam malitiam formalem.

Resp. Dist. mai.: in se considerata, *neg.;* per relationem ad voluntatem humanam, *conc. Contrad. min.* Huiusmodi enim actus externi si ponantur absque dependentia a libera voluntate, v.c. ab aliquo amente, ab aliquo somniante, non haberent malitiam formalem, sed solummodo obiectivam; haec vero actiones peccata materialia apellari solent.

5. Actus internus fit peior per actum exteriorem, diutius perdurat, voluntas fit fortior, procliviores passiones; actus externi persaepe scandalum pariunt... *Atqui* non apparet quomodo haec omnia acciderent, si actus externus nullam bonitatem aut malitiam formalem adderet actui interiori. *Ergo* actus externi addunt actui interiori aliquam bonitatem aut malitiam formalem.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Sufficit ut per accidens et per relationem ad voluntatem habeant bonitatem et malitiam; non requiritur ut illam habeant per se, independenter a voluntate.

6. Si actus externus nullam per se addit bonitatem aut malitiam formalem actui interno tunc nullum esset discrimen inter illum qui martyrium desideraret et illum qui martyrium re vera pateretur; inter virginem mente et virginem mente et corpore... *Atqui* hoc est contra doctrinam et sensum communem qui martyrium solummodo attribuit illis qui re vera martyrium patiuntur, virginitatem illis qui et mente et corpore sunt virgines... *Ergo* actus exterior aliquam bonitatem et malitiam formalem addit actui interiori.

Resp. Dist. mai.: Si neque per se neque per accidens, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.* Sensus communis haec attribuit illis qui re vera vel martyrium vel virginitatem habent tamquam praemium accidentale, *conc.;* essentiale respondens essentiali bonitati actus, *neg.*

7. Quilibet actus eo ipso quod habet in se integritatem illorum omnium quae recta ratio dictat tamquam ipsi actui convenientia, habet bonitatem naturalem; e contra ille actus cui talis integritas deest, dicitur moraliter malus. *Atqui* actui exteriori convenit alia integritas diversa ab integritate actus interioris. *Ergo* etiam bonitas independenter ab illo.

Resp. Dist. mai.: habet bonitatem naturalem obiectivam, *conc.;* formalem, *neg. Contrad min.*[6]

---

[6] Cf. Alias obiectiones apud BILLUART, *De act. hum.* disp.4 a.8.

CAPUT IV

De principiis intrinsecis actuum moralium, seu de virtutibus et vitiis

324. Praenotanda. Ne nimis incompletus sit sermo de actibus moralibus nonnulla scitu magis necessaria de habitibus in genere, ac in specie de habitibus tum bonis tum malis delibabimus; cum habitus sint principia intrinseca actuum moralium. Hinc tres praecipui articuli: primus de habitibus in genere, secundus de habitibus bonis seu de virtutibus, tertius de habitibus malis, seu de vitiis.

ARTICULUS I

De habitibus in genere

S. Th., 1-2 q.49-55; Suárez, *Disp. Metaph.* d.44; Toccafondi, *Phil. moralis* p.182.

325. Definitio. Habitus definitur a Suárez: Qualitas *difficile mobilis, potentiae supperaddita et ad eamdem adiuvandam per se primo ordinata*[1].

326. Subiectum habituum: sunt potentiae aliquo modo rationales, quia habitus iuvat potentiam in eliciendo actu; ergo debet esse in potentia elicitiva eiusdem; talis autem potentia est sola potentia vitalis et immanenter agens. Praeterea habitus aliquo modo tollunt vel coarctant indeterminationem potentiae ad multa; sed facultates quae nullo modo sunt rationales, per se ad unum sunt determinatae.

327. Divisio. Habitus dividuntur maxime in: *acquisitos* seu naturales et *infusos* seu supernaturales; *cognoscitivos* et *appetitivos;* intellectuales et *morales; virtutes* et *non virtutes;* hi postremi in *indifferentes* et *malos; physicos* et *morales; speculativos* et *practicos.*

ARTICULUS II

De habitibus bonis seu virtutibus

Aristóteles, *Eth.* 1.2 c.6; S. Th., 1-2 q.53ss; Suárez, *De virtutibus* d.3; Potters, *Phil. mor.* p.209ss; Cathrein, *Phil. mor.* n.172ss; Toccafondi, *Phil. mor.* p.194ss.

328. Definitio virtutis. Definitur a Sto. Thoma: *Bona qualitas, seu bonus habitus mentis, quo recte vivitur, et quo nullus male utitur*[2].

---

[1] Suárez, *Disp. Met.* 44 s.1.
[2] 1-2 q.55 a.4.

1. *Habitus:* nam virtus non est quaedam dispositio facile mobilis, sed qualitas per se stabilis; est autem habitus non entitativus sed operativus.

2. *Bonus:* quo denotatur eius differentia et discrimen ab habitu malo.

3. *Mentis:* virtus subiectatur in potentiis animae, et quidem in potentiis rationalibus, i.e. in intellectu, voluntate, et appetitu sensitivo, prout natus est obedire rationi.

4. *Quo recte vivitur:* et quo nullus male utitur; nam habitus operativi aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi, aliqui vero quandoque ad bonum quandoque ad malum, sicut opinio se habet ad verum et falsum. Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum. Et ideo ut discernatur virtus ab habitibus qui semper se habent ad malum, dicitur qua recte vivitur; ut autem discernatur ab iis qui se habent quandoque ad bonum quandoque ad malum, dicitur qua nullus male utitur. Itaque virtus nequit esse principium actus mali; potest autem esse obiectum actus mali, ut si quis de sua virtute superbiret.

329. Divisio. Virtutes sicuti habitus multipliciter dividuntur. Nempe:

1. *In naturales et supernaturales,* attendendo ad causam efficientem.

2. *In simpliciter et secundum quid.* Virtus *simpliciter* est illa quae potentiam rationalem inclinat ad honestam operationem et ex se hominem simpliciter, seu in ordine morali, bonum facit; *secundum quid* vero potentiam inclinat in bonum suum, quin tamen actus eiusdem sit necessario honestus, v.c. scientia.

3. *In intellectuales et morales.* Duplici sensu potest intelligi haec divisio: *a)* attendendo ad *subiectum* virtutis: sic quaelibet virtus quae est in intellectu est intellectualis; moralis vero quae est in voluntate; hoc sensu prudentia non est virtus moralis; *b)* attendendo ad *obiectum* virtutis, sic habitus tendens in verum vocatur virtus intellectualis; tendens vero in bonum honestum—sive directive sive exsecutive—vocatur virtus moralis.

Virtutes intellectuales: aliae sunt *speculativae:* sapientia, scientia, intelligentia; aliae *practicae:* ars et prudentia.

A. De virtutibus moralibus

330. Definitio. Virtus moralis definitur *habitus operativus bonus.*

1. *Habitus:* ad indicandum genus virtutis, reliqua verba indicant differentiam specificam.

2. *Operativus:* non ergo entitativus.

3. *Bonus:* hoc nomine intelligendum est bonum honestum; secus applicari posset haec definitio cuilibet virtuti, etiam secundum quid.

331. Origo. 1. *Initium sumunt a natura,* nam intellectus naturaliter inclinatur ad verum, voluntas vero ad bonum; constat etiam experientia, complexione corporis et diversa dispositione potentiarum, alios pronos esse ad fortitudinem, alios vero ad temperantiam...

2. *Perfectio earum* diversimode operatur secundum diversas ma-

terias et diversas circumstantias; acquiritur per frequentationem actuum. Nam cum sit non a natura, non restat nisi ut sit aut infusa aut acquisita; infusio non pertinet ad ordinem naturalem; ergo virtutum perfectio intra limites naturales, non nisi per repetitionem actuum potest declarari.

332. Proprietates. Duae potissimum numerari solent:

a) *Mediocritas* qua ab utroque vitio extremo aeque recedere debeat;

b) *Connexio:* quae respicit solas virtutes perfectas. Perfecta vero est virtus qua homo, quocumque eventu occurrente, in proprio virtutis bono persistit. E contra virtus est imperfecta cum inest homini per modum mobilis dispositionis, ipsumque non in quibuscumque eventibus sibi subiicit.

333. Necessitas. Homo ad perfecte operandum indiget virtutibus. Dicimus ad perfecte operandum; nam potentia rationalis etiam absque habitu potest absolute actum moraliter bonum facere, v.c. avarus potest dare eleemosynam.

Ut autem homo perfecte operetur non sufficit ut semel actum aliquem bonum eliciat, sed requiritur ut constanter, prompte et delectabiliter hoc efficiat; aliis verbis ad hoc requiruntur habitus boni seu virtutes.

Sunt necessarii habitus boni: *a)* ad *uniformitatem* in operationibus, nam quae e sola operatione pendent facile immutantur, nisi fuerint stabilita aliqua habituali operatione; *b)* ad *promptitudinem* in operatione: nam nisi potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum oportebit, prius quam ponat operationem, de ipsa operatione inquirere et considerare; *c)* ad *delectationem* in operatione: nam cum habitus sit quasi nova natura, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit, et per consequens delectabilem, nam convenientia est causa delectationis.

B. De virtutibus cardinalibus

334. Quattuor sunt virtutes quae cardinales appellantur, quia super ipsas, quemadmodum super cardinem motus ostii, aliae virtutes fundantur, atque in iis tota vita moralis quodammodo vertitur, eo quod in singulis materiis, quod est maximum et difficillimum praestant, ita ut reliquae virtutes ipsis tamquam secundarie subiiciantur. Hae virtutes sunt *prudentia, iustitia, fortitudo* et *temperantia.* Pauca de singulis dicamus.

1. *De prudentia.*

335. Definitio. Definiri solet "*Recta ratio agibilium*"; vel definitione aliquantulum enucleata: *Habitus perficiens intellectum practicum ad recte statuendum per modum imperii, quid in quovis particulari casu tamquam honestum sit agendum, vel tamquam turpe fugiendum.*

1. *Habitus perficiens intellectum practicum;* quo denotatur eius subiectum, ratione cuius est virtus intellectualis.

2. *Ad recte statuendum per modum imperii:* proprius prudentiae actus est praecipere.

3. *Quid in quovis particulari casu:* quo prudentia differt ab scientia morali, seu Ethica, quae versatur circa necessaria, seu circa rationes universales, ad quam pertinet universale iudicium de agendis, v.c. furtum est vitandum; ad prudentiam vero spectat iudicium de agibilibus singulis prout sunt nunc agenda.

4. *Tamquam honestum sit agendum, et tamquam turpe fugiendum:* quo denotatur prudentiae obiectum, tum *materiale*, agibilia seu actus humani, qui in ipso operante consistunt, quo prudentia differt ab arte, quae respicit factibilia, quae in exteriori materia constituuntur; tum *formale* veritas et rectitudo practica. Prudentia suum obiectum primo et essentialiter respicit sub ratione veri practici, secundario et consequenter sub ratione boni.

Itaque prudentia *ratione subiecti* est virtus intellectualis; sed *ratione obiecti* est virtus moralis; immo est omnium virtutum moralium auriga, utpote eis praescribens medium inter excessum et defectum.

336. Actus prudentiae. Sunt tres: scl.: 1. bene *consultare* seu inquirere quaenam media, quaenam circumstantiae requirantur, ut opus honeste fiat; 2. *iudicare* de mediis inventis; 3. *praecipere,* movendo scilicet virtutes morales ad exercitium eorum, quae diligenter deliberata et firmiter iudicata sunt. Hic tertius actus est prudentiae maxime proprius; siquidem primus et secundus potius ad partes potentiales prudentiae pertinent.

337. Partes prudentiae. 1. INTEGRANTES seu virtutes prudentiam adiuvantes sunt *octo,* videlicet: *memoria* seu recordatio praeteritorum; *intelligentia* seu cognitio praesentium; *providentia* seu consideratio futurorum; *docilitas* seu promptitudo capescendi aliena consilia (hae quattuor iuvant ad usum prudentiae in consultando et iudicando); *solertia* seu prompta inventio medii convenientis; *ratio* seu promptitudo unum ex altero colligendi (hae duae iuvant ad prudentiam acquirendam) *circumspectio* seu consideratio circumstantiarum; *cautio* seu cura vitandi mala et impedimenta quibus opus vitari aut impediri posset (hae duo conferunt ad exsecutionem operis).

2. SUBIECTIVAE seu species prudentiae sunt duae: prudentia *personalis* seu monastica, per quam homo se ipsum regit; *gubernatrix,* qua regit alios; quae iterum subdivitur in oeconomicam, civilem, militarem...

3. POTENTIALES seu virtutes annexae numerantur tres: *eubulia* seu habitus recte consultandi; *synesis* seu habitus recte iudicandi secundum regulas communes; *gnome* seu habitus recte iudicandi ex principiis altioribus praeter communes regulas, iuxta mentem tamen legislatoris.

338. Vitia opposita. 1. *Per defectum:* opponitur *imprudentia,* sub qua continentur *praecipitatio, inconsideratio, inconstantia* et *negligentia.*

2. *Per excessum* seu potius falsa specie prudentiae: *falsa prudentia carnis,* quae ingeniose quaerit media ad finem malum; *astutia,* quae ad finem sive bonum sive malum excogitat mala media; hanc autem astutiam exsequitur *fraus* per facta, et *dolus* principaliter per verba; *nimia sollicitudo* temporalium et futurorum.

2. *De iustitia.*

339. Definitio. 1) *Late* designat complexum omnium virtutum.
2) *Stricte* definitur: *Constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi;* quae definitio potest optime ad hanc magis accuratam reduci: *Habitus inclinans voluntatem ad ius suum cuilibet alteri secundum aequalitatem tribuendum.*

1. *Habitus inclinans voluntatem:* quo denotatur huius virtutis subiectum. Non enim dicimur iusti ex hoc, quod aliquid recte cognoscimus, sed ex hoc quod aliquid recte agimus; proximum autem principium actus est vis appetitiva, et quidem rationalis seu voluntas.

2. *Cuilibet alteri*: nimirum iustitia est ad alterum, seu perficit hominem relate ad alios homines; per hoc differt a virtutibus quae hominem in se ipso perficiunt, ut v.c. temperantia.

3. *Ius suum:* quo denotatur iustitiae obiectum; *materiale* est illud omne quod alter tamquam suum moraliter sibi vindicare potest; potest esse res quaelibet, v.c. pecunia, actio, vel etiam omissio. *Formale* est ratio debiti seu specialis honestas quae relucet in eo quod unicuique suum reddatur.

4. *Secundum aequalitatem* i.e. secundum accuratam mensuram inter illud quod alteri tribuitur et illud quod alteri tamquam suum debetur.

340. Medium iustitiae est medium rei. I.e. iustitia tantum dat alteri quantum praecise ei debetur. Hoc medium rei est aliunde etiam medium rationis, quia recta ratio exigit ut unicuique suum reddatur, et ideo in iustitia salvatur ratio virtutis moralis.

In aliis autem virtutibus medium non accipitur secundum proportionem unius rei ad alteram, sed solum secundum comparationem ad ipsum subiectum. Ita v.c. medium temperantiae non est praecise determinata cibi quantitas, sed modo maior modo minor, prout recta ratio dictat operanti convenire, spectata personae qualitate. Hinc medium rei ubique et semper idem est, e contra medium rationis variabile est.

341. Partes iustitiae. 1. INTEGRANTES: duae assignantur nempe habitus *faciendi* bonum alteri debitum; et habitus *declinandi* a malo alteri nocivo.

2. POTENTIALES seu virtutes adiunctae numerantur *octo:* quae cum iustitia conveniunt in eo quod sint ad alterum, ab illa vero differunt in eo quod vel debitum non reddunt ad aequalitatem, vel in alio non supponunt ius, ideoque important debitum non iuridicum, sed solummodo morale in honestate fundatum, quod ab altero stricte exigi nequit.

a) *Debitum ad aequalitatem reddere nequeunt: religio* erga Deum; *pietas* erga parentes et patriam; *observantiam* erga superiores et personas dignitate praecellentes.

b) *Debitum iuridicum non important: veracitas; gratitudo* erga benefactores; *vindicatio* seu honesta iurium defensio debitaeque poenae inflictio; *liberalitas; affabilitas* seu amicitia; *aequitas* seu epiqueia.

3. SUBIECTIVAE seu species iustitiae. Classica et antiquissima est divisio in legalem, distributivam et commutativam, quibus speciebus nostris diebus additur iustitia socialis.

342. 1. *Legalis,* quae etiam *generalis* dicitur, inclinat tum subditos, tum principes ad praestanda omnia quae societati in ordine ad bonum commune debentur. Respicit ergo ius societatis a membris eiusdem exigendi ut praestent quae ad finem societatis necessaria vel praescripta sunt. In principe principaliter et quasi architectonice invenitur; in subditis secundario et quasi administrative; in principe invenitur ius, in subditis officium[3].

343. 2. *Distributiva* inclinat societatem eiusve principem, ut bona et onera communia singulis societatis membris distribuat secundum meritorum ac facultatum proportionem. Respicit ergo ius quod membra societatis perfectae habent ut onera et bona communia convenienti proportione, iuxta merita ac facultates illorum, distribuantur. In subditis est ius, in auctoritate est officium. In hac iustitia non stricta seu arithmetica aequalitas quaerenda est, sed potius proportio geometrica attendenda.

344. 3. *Commutativa* inclinat privatum ad reddendum alteri privato quod ei ex rigoroso iure in proprium commodum debetur. Respicit ius strictum alterius, servando aequalitatem rei ad rem, seu rei redditae ad rem debitam. Viget inter individua de se aequalia et independentia vel inter societatem et membra eiusdem, sed quin attendatur praecise haec ratio superioritatis, vel membri eiusdem. Dicitur commutativa quia regulat maxime contractus, in quibus res commutantur.

Haec vocatur iustitia strictissimo sensu, tum quia in illa perfecta aequalitas quaeritur, tum quia stricta et adaequata alteritas personarum respicitur, dum in legali et distributiva comparatur pars ad totum vel totum ad partem. Ipsa sola ad restitutionem obligat, si laedatur.

345. 4. *Socialis* inclinat tum principem tum membra societatis ad activitates sociales et individuales in bonum commune collectivitatis et in bonum omnium et uniuscuiusque membrorum ordinandas, praesertim ad prosperitatem materialem corporis socialis et ad commoda generalia vitae socialis omnibus membris eiusdem procuranda, ut vivere possint ut personam humanam decet[4].

---

[3] Overbeke, P. M., *De relatione inter ordinem iuridicum et moralem:* EphThLov 11 (1934) 303-307.

[4] Pius XI, *Quadr. anno:* AAS 23 (1931) 196-219 octies usurpat hoc nomen (n. 25,32,24,37,37,41,51); *Div. Redemp.:* AAS 29 (1937) 80-32 ter (n.32,51,52); *Firmissimam Constantiam:* AAS 29 (1937) 193 bis (n.18,19). Deinde haec vox communis facta est in documentis pontificiis.

Disputatur inter auctores utrum iustitia socialis sit specie diversa a tribus aliis speciebus ab omnibus admissis, an vero identificetur cum aliqua ex ipsis, ita ut hoc nomine non novus conceptus iuridicus, sed antiquus solummodo exprimatur. Auctores vero in diversas abeunt sententias.

a) Generatim auctores scholastici sustinent esse eamdem iustitiam *generalem* seu *legalem* alio nomine appellatam; ita Noguer, *La encícl. Quadr. anno. Texto y coment.* v.2 apend.1 p.256ss; Rutten, *La doctrina social de la Iglesia* c.4 p.61ss; Gemmel, I., *Die iustitia in der Lehre des hl. Thomas:* Schol 12 (1937) 204-228; Besiade, Th., *Iustice sociale:* RevScPhTh 7 (1913) 513-517; Gz. Cordero, *En busca de una definición. ¿Qué es justicia social?:* IlustrClero 32 (1939) 374-381) 33 (1940) 51-60.

b) Alii vero existimant iustitiam socialem simul *cum legali et cum distributiva* identificari; ita Vila Creus, *Manual de orient. sociales* p.100ss; Urdanoz, *La justicia legal y el nuevo orden social:* CiencTom 65 (1943) 1-11; 67 (1944) 200-233; Schuster, I. B., *Das Verhältnis von iustitia legalis und distributiva*

346. Discrimen inter quattruplicem iustitiam. *Sola commutativa verificat conditiones* ad perfectam iustitiam requisitas, nempe alteritatem, debitum strictum, aequalitatem; ipsa etiam sola obligat ad restitutionem, si laesa fuerit.

347. Vitia opposita: Iustitiae legali opponitur contemptus boni communis; *distributivae* acceptio personarum; *commutativae* opponuntur variae iniuriarum species quibus laeduntur iura alterius, furtum, calumnia...; sociali opponitur egoismus, et effrenata cupiditas divitiarum.

3. *De fortitudine.*

348. Definitio. Est *habitus moderans appetitum sensitivum irascibilem in quibuscumque arduis laboribus et periculis, praesertim mortis, sustinendis et aggrediendis.*

1. *Habitus moderans appetitum sensitivum irascibilem:* quo denotatur eius subiectum.

2. *Quibuscumque arduis laboribus et periculis*: quo denotatur fortitudinis *obiectum materiale; remotum* sunt res arduae, praesertim pericula mortis; *proximum* sunt ipsae passiones, timores et audaciae, quas moderando et cohibendo intra limites rationis continet. Specialis illa honestas quae in animi firmitate et constantia continetur est *obiectum formale.*

349. Actus. Duplex est: *aggredi* nempe et *sustinere;* quorum prior honorabilior et splendidior apparet; sed alter, ut difficilior, re ipsa praestantior est; ad hunc actum pertinet martyrium.

350. Partes. 1. SUBIECTIVAE fortitudinis secundum quod est specialis virtus non possunt assignari, eo quod non dividatur in multas virtutes specie differentes, quia est circa materiam valde specialem.

2. INTEGRANTES et POTENTIALES simul sunt quattuor, scilicet: *fidutia, magnificentia, patientia, perseverantia.* Sunt integrantes quatenus versantur circa ipsam materiam fortitudinis, nempe pericula mortis: potentiales quatenus versantur circa materias minus difficiles.

351. Vitia opposita. 1. PER DEFECTUM: *ignavia,* quae est defectus in audendo; *timiditas,* quae est excessus in timendo.

---

zur iustitia socialis in Q. A. nit besonderer Berücksichtigung der Lehre von H. Pesch: Schol 11 (1946) 225-242; BRUCCULERI, *La giustizia sociale*: CivCatt (1936,1) 353-364); (1936,2) 111-123.

c) Alii tenent iustitiam socialem esse *specie diversam* ab aliis, ita ut hoc verbo conceptus iuridicus relative recens exprimatur, qui lente, ut fructus copiosae doctrinae in materia sociali, efformatus sit. Ratio est quia obiectum, subiectum, fundamentum et terminus huius iustitiae non perfecte cum aliis identificantur. Pro hac sententia, quam probabiliorem existimo, inter alios militant ROCARIES, *Dossiers de l'Action Populaire* 25-10-1938; MESSNER, *Staatslexicon* t.4 c.1664ss; DONAT, *Ethica* 1 n.377; 2, n.72; GANDÍA, *La justicia social. Estudio filosófico de su concepto:* RazFe 115 (1938) 42-63; ELORDUY, E., *La justicia social y las ganancias:* RazFe 119 (1940) 331-344.

d) Alii denique existimant iustitiam socialem esse *genus,* quod inveniri debet in reliquis tribus speciebus, ita ITURRIOZ, *Lo social de la justicia:* FomSoc 2 (1947) 395-408.

2. PER EXCESSUM: *nimia audatia* seu *temeritas,* quae est excessus in audendo; *intimiditas,* quae est defectus in timendo.

4. *De temperantia.*

352. Definitio. Est *habitus moderans appetitum sensitivum concupiscibilem circa delectationes corporales, praesertim circa delectationes tactus et gustus.*

1. *Habitus moderans appetitum sensitivum concupiscibilem*: quo denotatur eius subiectum.

2. *Circa delectationes corporales, praesertim tactus et gustus:* quo denotatur temperantiae *obiectum materiale; remotum* sunt cibus, potus et venerea; *proximum* sunt delectationes ex illis rebus profluentes, quae prae ceteris vehementiores sunt, et ideo indigent speciali virtute, qua debitam moderationem accipiant. Specialis illa honestas quae relucet in illo moderamine, iuxta naturam rationalem, est *obiectum formale.*

Partes. 1. INTEGRANTES sunt duae, *honestas* et *verecundia.*

2. SUBIECTIVAE numerantur quattuor: *abstinentia,* quae versatur circa cibum; *sobrietas,* quae est circa potum inebriantem; *castitas,* quae versatur circa venerea, ea excludendo vel debite moderando; *pudicitia,* quae castitati subordinatur et praecipue externa respicit.

3. POTENTIALES numerantur quinque: *continentia,* quae refrenat motus concupiscentiae, ne voluntas vincatur; *humilitas,* quae moderatur appetitum gloriae; *mansuetudo* seu *clementia,* quae moderatur motum irae tendentis in vindictam; *modestia,* quae moderatur motus exteriores; *moderatio,* quae spectat res exteriores, et omnia superflua respuit et nimis exquisita non exquirit.

353. Vitia opposita. 1. PER DEFECTUM opponitur *insensibilitas et stupor,* quo quis delectationes sensuum, maxime tactus et gustus, ita aversatur, ut iis uti renuat, quando et quantum oportet.

2. PER EXCESSUM opponitur *intemperantia,* qua quis quaerit delectationes sensibiles, maxime tactus et gustus, praeter rationis dictamen.

ARTICULUS III

DE VITIIS

354. Definitio. *Vitium* definiri potest: *habitus malus mentis, quo male vivitur et nemo bene utitur*[5].

Distinguitur a peccato, siquidem est habitus ad peccandum inclinans; e contra peccatum est actus ex vitio promanans, aut vitium generans. Saepe tamen haec duo nomina confunduntur.

Repugnat naturae rationali. Sicut enim proprium virtutis est fa-

[5] De singulis vitiis optime agit S. THOMAS, in 2-2, et quidem *de superbia et inani gloria,* q.162,132; *de gula,* q.148; *de luxuria,* q.153,154; *de avaritia,* q.118; *de acedia,* q.35; *de invidia,* q.36; *de ira,* q.158; 1, q.46-48, Cf. praeterea SUÁREZ, *de passionibus,* d.4; TOCAFFONDI, *Phil. mor.,* p.222ss.

cultatibus humanis bene uti totamque vitam secundum ordinis rationis componere, ita ex adverso proprium vitii est facultatibus humanis abuti ordinemque rationis corrumpere. Hinc omne vitium utpote rationi repugnans, est contra naturam hominis, in quantum homo est. Praeterea aliqua vitia sunt contra naturam hominis, etiam quatenus animal est.

355. Vitia capitalia. Ex quibusdam vitiis iterum alia promanant, ex quibus praecipua numerantur septem. Nam appetitus inordinate movetur vel ad consequendum aliquod bonum vel ad fugiendum aliquod malum.

BONUM QUOD HOMO INORDINATE APPETIT triplex est:

1. *Bonum animae* ex sola apprehensione intellectuali appetibilitatem habens, sicut excellentia honoris et gloriae; et hoc bonum inordinate prosequitur *inanis gloria.*

2. *Bonum corporis* pertinens aut ad conservationem individui, sicut cibus et potus; quod inordinate prosequitur *gula;* aut ad conservationem speciei, sicut venerea, quod inordinate prosequitur *luxuria.*

3. *Bonum exterius,* scilicet divitiae, quod inordinate prosequitur *avaritia.*

CAPUT V

De Lege

357. Praenotanda. Vidimus hucusque quid sit bonum quid malum morale, tam obiective, quam subiective seu formaliter.

Nihil autem diximus de obligatione servandi ordinem moralem. Etsi enim iudicia rationis, quatenus bonum et malum discernunt aliquam impropriam obligationem importent, non tamen exhibent strictam seu propriam, qua scilicet, etiam reluctans, voluntas ordini morali ligatam se sentiat. Huiusmodi obligatio imponitur per voluntatem alicuius superioris, ordinis conservationem absolute praecipientis, violationem vero absolute vetantis.

Verbo: norma antea statuta est tantum constitutiva moralitatis; nunc volumus statuere normam praeceptivam, haec autem norma est duplex, alia obiectiva seu *lex,* alia subiectiva seu *conscientia.*

Ideo agemus in primis de lege, deinde de conscientia.

Ordo autem tractationis hic erit: primum definitionem legis in genere trademus, eiusque divisiones praecipuas; deinde ad legem aeternam probandam gressum faciemus; tertio loco statuemus exsistentiam legis naturalis; postea immorabimur in studio effectus formalis legis, seu obligationis; quinto loco consequentia legis perpendemus, nempe sanctionem; sexto agemus de proprietatibus praecipuis legis naturalis, nempe de immutabilitate et universalite eiusdem, denique verba faciemus de lege positiva ut in lege naturali fundata. Hoc modo septem articulis universam doctrinam complectemur.

ARTICULUS I

DE LEGE IN GENERE

S. TH., 1-2 q.90-108; SUÁREZ, *Tract. de legibus ac de Deo legislatore;* BILLUART, *Tract de legibus;* GÜENECHEA, *Principia iuris Politici* t.2 p.5ss; RODRIGO LUCIUS, *Praelectiones theol-morales Comillenses* t.2: *Tract. de legibus;* CATHREIN, *Filos. morale* v.1 p.399ss; BALMES, *El protestantismo comparado con el catolicismo* c.53 (BAC 4,581); RODRÍGUEZ SOTILLO, *La obligatoriedad de las leyes civiles en conciencia:* RevDerCan 1 (1946) 135-171; 669-695; 2 (1947) 676-801.

§ 1. **Definitio legis**

358. 1. ETYMOLOGICA. Etymologia legis est incerta; lex enim venit iuxtas diversos auctores a *legendo* [1] vel a *eligendo* [2], vel a *ligando* [3], vel a sanscrito *lagh,* vel a voce nordica *lög,* vel a diversis adhuc nominibus.

359. 2. VULGARIS. In sensu vulgari lex in genere importat quamdam normam agendi cum quadam obligatione, vel morali vel saltem coactiva.

360. 3. SCIENTIFICA. a) *Sensu latissimo* denotat quamdam mensuram actuum secundum quam inducitur quis ad agendum vel ab agendo retrahitur. In hac acceptione lex comprehendit omnes *leges physicas et morales.*

b) *Sensu minus lato* significat regulam practicam *pro agenti rationali;* in hac acceptione includuntur omnes normae quibus artes diriguntur.

c) *Sensu stricto generico* importat quamcumque normam obligatoriam *actuum humanorum;* quo sensu etiam praeceptum appellatur lex.

361. d) *Strictissime* definitur: *Quaedam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata* [4]. Classica est definitio SUÁREZ: *Commune praeceptum, iustum et stabile, sufficienter promulgatum* [5].

362. DEFINITIONIS EXPLICATIO [6] 1. *Ordinatio*: *active intellecta* prout denotat in legislatore dispositionem tendendi ad finem per media proportionata, quae dispositio in legislatore actum intellectus importat: aliunde cum haec ordina-

[1] S. ISIDORUS, *Etymol.* l.2 c.10; l.5 c.3.
[2] CICERO, *De legibus* l.1 n.6.
[3] S. TH., 1-2 q.90 a.1 c.
[4] 1-2 q.90 a.4.
[5] *De leg.* l.1 c.12.
[6] LOTTIN, O., *La definition classique de la loi:* RevNeoScolPh 27 (1925) 129-144; 243-273; explicatio in sensu thomistico. MARTYNIAK, C., *La definition thomiste de la loi:* RevPhil 1 (1930) 231-250.

tio non mere directiva esse debet, sed talis ut *per se obliget* ad ponenda vel omittenda media, et efficacitas legi nequeat venire nisi a voluntate, importat etiam actum voluntatis.

2. *Rationis*: Duplici modo intelligi potest hoc verbum: *a*) ordinationem illam, de qua locuti sumus, esse formaliter *actum intellectus* ut volunt thomistae; *b*) illam ordinationem seu dispositionem, quae formaliter est actus voluntatis, *conformem rationi* esse debere, ut volunt suareziani.

3. *Ad bonum commune*: Debet in primis in *bonum* tendere, quod re vera sit tale, non solum apparens, secus esset deordinatio. In bonum *commune*, ordinationes enim bonum solummodo privatum respicientes iuxta communem modum loquendi hominum non lex, sed praeceptum dicuntur.

Lex semper dicit ordinem ad societatem, et quidem perfectam, quae sensu stricto, non est nisi Status in ordine naturali, et Ecclesia in ordine supernaturali. Ordinarie tamen, etsi minus proprie, leges appellari solent praecepta generalia Dioecesium, Communitatum religiosarum, regionum autonomarum, municipiorum et aliarum societatum inferiorum, quae quadam autonomia gaudent.

Cum ergo leges communitati ut tali imponantur, haec vero stabilis sit, etiam lex stabilis esse debet. Universalitate igitur boni et stabilitate, lex a praecepto distinguitur, in quo datur etiam ordinatio rationis sed ad bonum particulare, cuius obligatio, mortuo mandante, cessat.

4. *Ab eo qui curam communitatis habet*: Communitas hic intelligitur perfecta, seu illa quae independens est, et ad suum finem consequendum plene sibi sufficit. Cum lex sit norma obligatoria, deducitur neminem legem posse ferre communitati, nisi in ipsam auctoritate polleat. Ad leges condendas requiritur potestas socialis et quidem suprema; haec tamen participari potest ab aliis societatibus et organismis inferioribus, modo detur congrua supremae auctoritati subordinatio.

5. *Promulgata*: Promulgatio legis est eiusdem intimatio seu denuntiatio absoluta et externa, auctoritate superioris facta modo convenienti. Lex enim nequit obligare nisi cognoscatur, et nequit cognosci nisi externe manifestetur. Ad valorem legis non requiritur divulgatio, seu cognitio actualis eiusdem. Illa manifestatio voluntatis superioris debet fieri modis legitimis seu statutis. Obligatio legis non exsistit, etsi aliunde sit nobis cognita, donec sit illo legitimo et statuto modo manifestata [7].

[7] Promulgationem legis necessariam esse omnes prorsus auctores admittunt, si agatur de legibus strictis. Disputatur autem, et non leviter, circa naturam

363. SUAREZIANA DEFINITIO EXPLICATUR. Ex dictis sufficienter constat quomodo intelligatur. Definitio procedit per genus proximum (*praeceptum*), et per ultimam differentiam (reliqua verba).

1. *Praeceptum:* implicat actus voluntatis et intellectus ad illud absque voluntarietate edicendum; eo ipso secernitur a qualibet mera ordinatione consilii, petitionis...

2. *Commune:* Arguit communitatem perfectam, ac legis datorem praeditum iurisdictione necessaria ad illam regendam.

3. *Iustum:* Supponit honestatem et observantiam iustitiae, sive quoad rem praeceptam, sive quoad competentiam et modum praecipiendi.

4. *Stabile:* Denotat durationem propriam legis.

5. *Promulgatum:* Quia manifestatio authentica eiusdem est necessaria.

364. Stadia in lege consideranda. Lex potest considerari: a) *active,* prout est in mente legislatoris; b) *passive,* prout est in mente subditorum; vel in aliquo signo externo, v.c. in scriptura; c) *complete,* prout utrumque stadium complectitur.

365. Requisita ad legem active consideratam. *a)* Quoniam lex ab bonum subditorum dirigitur, legislator debet in primis habere *intentionem* boni communis; qui est actus voluntatis.

b) Ex hac intentione immediate sequitur in intellectu *consultatio* diversorum mediorum proportionatorum ad finem consequendum, et *iudicium,* quo legislator videt talem finem esse societati convenientem eidemque expedire observantiam ipsius.

c) Postea venit ex parte voluntatis *electio* determinatorum mediorum, seu voluntas efficax, qua legislator determinat ut talis finis per talia media concreta obtineatur.

d) Huiusmodi determinationem efficacem voluntatis sequitur *intimatio* illius—fac hoc—subditis determinatis facta, ut ipsi illa media ad illum finem consequendum adhibeant.

366. Quinam actus formalissime legem constituat. Intentio et consultatio absque dubio solummodo remote ad legis constitutionem concurrunt. Circa tres ultimos movetur controversia, in quonam illorum formalissime lex constituatur. Omnes fatentur omnes actus requiri; controversia solum versatur circa hoc; quinam ex illis primas sibi partes in mente legislatoris vindicet, cum de lege decernenda meditatur.

Prima sententia. Existimat primas partes tribuendas esse actui intellectus nempe *iudicio,* quo aliquid iudicatur conveniens societati: *a)* quia lex est dictamen in principe, dictamen vero est actus

---

huiusmodi necessitatis. *a*) Alii enim existimant ad legem pertinere ut *elementum constitutivum eiusdem*; lex enim obligatorie debet dirigere communitatem, quod nequit fieri absque promulgatione ordinationis superioris. Ante promulgationem non habetur lex nisi in fieri, seu in potentia, non in actu. *b*) Alii vero sustinent non requiri nisi ut *conditionem essentialem et insupplebilem.* Nam promulgatio est applicatio legis; iam vero ut aliquid applicari possit requiritur ut prius exsistat, seu prius debet habere iam omnia constitutiva essentialia.

Cf. GÜENECHEA, *Principia Iuris. Politici* 2 n.232ss optime exponentem hanc controversiam.

iudicii; *b)* quia omnes proprietates legis, quales sunt: illuminare, esse regulam et mensuram, iudicio rationis conveniunt, non vero actui intellectus qui sit intimatio, hic enim est impulsivus, non vero manifestativus alicuius veritatis. Defenditur a GULLIELMO PARISIENSE, CONRADO.

Sed hoc iudicium nequit habere efficaciam obligandi, nec moraliter movendi quae sunt necessaria ad legem; praeterea in hac sententia praeceptum et consilium minime differrent, nam consulens habet etiam simile iudicium de actione[8].

Secunda sententia. Existimat primas partes tribuendas esse actui intellectus qui est *intimatio,* quo legislator manifestat subditis suam voluntatem efficacem. Ita in genere omnes thomistae antiqui et hodierni et multi alii non *thomistae*[9], propter has rationes: *a)* quia ordinare, quod est proprium legis, non ad voluntatem, sed ad intellectum pertinet, cum ratiocinationem quandam includat; *b)* quia legis est illuminare et instruere; utrumque vero ad intellectum pertinet; *c)* quia lex est regula quaedam, voluntas autem non est regula, sed potius ipsa ratione regulanda est; *d)* denique quia nullus actus voluntatis assignari potest, qui sit lex.

Tertia sententia. Existimat primas partes actui *voluntatis efficacis* tribuendas esse. Ita generatim *scotistae,* quos sequuntur multi alii auctores antiqui et hodierni[10] iis potissimum moti rationibus: *a)* quia ordinare in finem, quod est proprium legis, ad voluntatem pertinet, cuius obiectum est finis; *b)* quia obligatio natura sua infert intimationem externam, quae ad voluntatem pertinet; *c)* quia compellere et necessitatem imponere non ad intellectum sed ad voluntatem pertinet; intellectus solummodo manifestat necessitatem; *d)* denique quia ante actum efficacem voluntatis nihil est quod obligationem imponat, quidquid vero post talem actum sequatur, non est nisi signum legis iam approbatae et firmatae[11].

Quarta sententia. Praecedentes coniungere volens, statuit utrumque actum iudicium rationis et voluntatis efficacis aequo modo ad rationem legis pertinere. Ita GABRIEL, et alii. Rationes vero hae plus minus enumerantur: *a)* quia lex motionem et directionem requirit; primum vero non nisi a voluntate efficaci eidem provenire potest,

---

[8] Apud SUÁREZ, *De leg.* 1,5,3.

[9] S. TH., 1-2 q.17 a.1; q.57 a.6; q.58 a:4; CAIETANUS, *In 1* q.22 a.1; VALENTIA, *Com. Theol.* t.2 d.7 q.1 p.2; BELLARMINUS, *In 1-2* q.90 a.1 (ined.); SOTO, *De iust.* l.1 q.1; MOLINA, *Concordia* q.23 a.1; *In 1-2* d.2; VÁZQUEZ, *In 1-2* d.49 c.2; d.150 c.4; BILLUART, *De leg.* d.1 a.1.

[10] SCOTUS, *In 1* d.53; *In 3* d.36; S. BONAVENTURA, *In 3* d.17 a.1 q.1; CASTRO, *De potestate legis poenalis* l.1 c.1; MASTRIUS, *De anima* d.8; SUÁREZ, *De leg.* l.1 c.5 n.5-12; ARRIAGA, *De leg.* d.1 s.2; LOSSADA, *Curs. Phil. De anima* d.7 c.5; CASTROPALAO, *Opera Moralia* v.1 t.3 d.1 p.3 n.2; RODRIGO, *De leg.* n.5,349.

[11] Immerito quidam ex hac ratione SUÁREZ accusant ut si ipse legem et ius conciperet ut aliquid mere a voluntate dependens, praescindendo ab ordine obiectivo. Optime exponunt hanc controversiam illamque solvunt in favorem eximii doctoriis: A. AVELINO ESTEBAN ROMERO, *La concepción suareziana de la ley* (Sevilla 1944); GUERRERO, *Sobre el voluntarismo jurídico de Suárez:* Pensamiento, 1 (1945) 447-470; J. DE BLIC, *Le volontarisme juridique chez Suárez:* RevPhil (1930) 213-230; IOMBART, *Le "volontarisme" de la loi d'après Suárez:* NouvRevTheol 59 (1923) 34-44; MESSINEO, A., *Il voluntarismo suareziano:* CivCatt (1949) 630-643; AMBROSETTI, G., *La filosofia delle legi di Suárez* (Roma 1948) p.XVIII-XX. Iterum ergo hanc doctrinam sustinere tribuendum prorsus erit vel crassae ignorantiae in doctrina suareziana, vel malae fidei in illa intelligenda, cum sit tam perspicua.

secundum vero a iudicio rationis, ergo ex utroque actu formaliter lex coalescit; *b)* quia etsi nomen legis complectatur actum intellectus et voluntatis, tamen secundum aliam considerationem tam actus intellectus quam actus voluntatis, sub diversis rationibus, dici potest lex. Iudicium intelligitur non antecedens actus voluntatis, sed subsequens, non tamen per modum actus impellentis, qui iudicium non sit, sed per modum iudicii practici. Hanc sententiam SUÁREZ (*De leg.*, 1,5,11-12) satis probabilem et plausibilem iudicat.

Ex dictis patet nullam ex his sententiis posse efficaciter probari; tertia tamen probabilior mihi apparet.

367. Leges morales sensu improprio. Vocantur ordinarie leges morales quidam modi constantes agendi, necessario ex natura voluntatis humanae provenientes, v.c. nemo gratis fit mendax, nemo libenter fallitur... Hae leges evidenter ad strictas non pertinent, quia non sunt praeceptivae, sed solum factum aliquod indicant; sed neque sunt leges in sensu minus lato, quia observantia illarum a libertate hominum non pendet; homines enim amare veritatem, ideoque falli fugere est aliquid ab arbitrio hominum independens.

Pertinent ergo ad leges in *sensu lato,* seu ad leges physicas; unice morales dicuntur quia ad actus liberos hominum referuntur. Non sunt ergo nisi leges naturales seu physicae voluntatis.

§ 2. Divisio legis

368. Lex potest esse: 1. RATIONE DURATIONIS: *aeterna et temporalis,* prout data ab aeterno vel in tempore concipiatur.

2. RATIONE ILLAM IMMEDIATE INSTITUENTIS: *divina* vel *humana,* prout sit Deus vel aliqua humana auctoritas eiusdem auctor immediatus. *Divina* vero, ratione modi quo promulgatur, subdivitur in *naturalem* et *positivam,* prout ipsi naturae in creatione eiusdem a Creatore imprimatur, vel aliquo positivo actu per revelationem manifestetur. *Humana* etiam subdividitur in *ecclesiasticam* et *civilem,* prout ab auctoritate ecclesiastica vel civili feratur.

3. RATIONE MODI QUO FERTUR: *scripta* vel *usu servata,* prout litteris mandata sit, vel solum traditione vel consuetudine constet.

4. RATIONE MODI OBLIGANDI: a) *Praecipiens* quae inducit ad aliquos actus ponendos, vocatur etiam *affirmativa,* atque obligat semper, i.e. numquam licet actum contrarium ponere; sed non ad semper, i.e. non obligat singulis momentis ad ponendum actum praeceptum; b) *Prohibens,* quae inducit ad quosdam actus omittendos, vocatur etiam *negativa* atque obligat semper et pro semper, i.e. singulis momentis adest obligatio omittendi actum prohibitum; c) *Permittens,* quae facit ut aliquid fieri liceat, negat ergo obligationem ponendi vel omittendi ullum actum, sed si quis illum libere vult ponere, reliqui obligationem habent eidem illud facere permittendi. Obligatio cadit supra reliquos qui actum permissum impedire nequeunt. d) Lex *pure moralis,* seu quae solum obligat sub culpa, seu in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum; e) Lex *pure poenalis,* seu quae obligat solum sub poena; f) Lex *mixta* quae obligat sub culpa et sub poena.

Poena intelligitur in hac vita subeunda, secus omnes leges, quae obligent in conscientia, essent mixtae, cum Deus poenas in alia vita subeundas, decreverit contra infractores legum vere in conscientia obligantium.

369. De lege poenali. Circa leges mere poenales haud parva adest controversia, in primis *circa modum intelligendi* illas; secundo circa *possibilitatem;* denique circa *exsistentiam* earumdem [12].

370. a) *Quoad modum intelligendi illas* quattuor dantur sententiae: 1.ª, dicit ex mente legislatoris obligationem et quidem moralem disiunctive cadere indifferenter vel ad actum vel ad poenam minitatam; 2.ª, affirmat obligationem cadere principaliter in actum, sed ad illum obligando non in conscientia sed solum in foro externo et hypothetice, si deprehendatur quis in infractione; tum datur obligatio moralis ad subeundam poenam; 3.ª, dicit non dari nisi obligationem ordinis externi tam ad actum quam ad poenam, ad primum principaliter, ad secundam hypothetice; 4.ª, sustinet leges mere poenales esse tantum illas quae hoc modo conditionali enuntiantur, ac in illis non dari obligationem moralem ad actum, sed solum ad poenam acceptandam. Secunda sententia probabilior mihi apparet, addendo tamen obligationem ad sustinendam poenam posse esse vel moralem, vel mere iuridicam, prout legislatori placuerit.

371. b) *Quoad possibilitatem.* Non pauci auctores antiqui et nostrorum temporum [13] negant posse dari eo quod importent conceptum contradictorium, cum *lex* ex sua essentia dicat obligationem in conscientia, *poenalis* vero neget illam obligationem. Praeterea lex mere poenalis esset iniusta; nam poena ut sit iuxta debet imponi ob aliquam culpam moralem, quae in hypothesi nulla daretur. Tertio quia obligatio legis provenit non tam ex voluntate legislatoris, quam ex ipsa lege naturali, simul ac legislator aliquid necessarium iudicat ac decernit ad finem communem. Haec vero obligatio est semper in conscientia.

Diximus aliquam obligationem in conscientia in lege mere poenali semper inveniri, nempe ad poenam subeundam. Ad iustitiam poenae sufficit culpa iuridica, quae contrahitur in infractione actus a legislatore prohibiti sub comminatione poenae. Obligationem vero legis immediate ab ipsa voluntate legislatoris provenire minime negandum est. Hinc possibilitas legum mere poenalium *affirmanda est* et ab omnibus fere auctoribus sustinetur.

372. c) Quoad *exsistentiam de facto.* Aliqui recentiores—praescindendo a quaestione de possibilitate—dicunt de facto has leges *non dari* saltem in nostris societatibus; quia obligatio in conscientia cum sit tam propria legis, in omni vera lege adesse dicenda est donec

[12] Vide optime expositam totam hanc quaestionem in RODRIGO, *Tractatatus de Legibus* n.340ss; et in GÜENECHEA, *Principia iuris politici* 2 p.54ss.

[13] BELLARMINUS, *De membris Eccl.* l.3 c.11; *In 1-2* q.96 (ined.); SALAS, *Tract. de leg.* d.15 s.1 n.13; ARRIAGA, *De leg.* d.16 s.3; BRISBOIS, *A propos des lois purement penales:* NouvRevTh 65 (1938) 1072-1074; RENARD, *La theorie des "Leges mere poenales"* (Paris 1929); GUILLET, *Conscience chretienne et justice sociale* p.425ss; PACE, *Le leggi mere penali:* Salesianum 9 (1947) 297-317; 446-486; 10 (1948) 29-42; 163-211.

positive non excludatur a legislatore. Iam vero in hodierna legislatione de exclusione obligationis in conscientia nihil dicitur, cum plerique legislatores illam vel non agnoscant, vel existiment non esse sibi propriam [14].

Generatim vero auctores antiqui et moderni defendunt *exsistere* de facto leges mere poenales. Haec sententia tam communis est, ut fere certa possit appellari [15].

Rationes sunt hae: *a)* Obligatio legis unice et immediate provenit a voluntate legislatoris. Iam vero legislator potest aliquid imponere subditis, ita ut eorum conscientias non liget directe ad faciendum actum imperatum sed solum finem obtinere velit mediante aliqua poena; et de facto hoc modo plerumque condunt leges cum de obligatione in conscientia ipsi non curent sed solum de obligatione iuiridica in foro externo. Determinare vero in concreto, cum legislator in non fecerit, quaenam leges obligent in conscientia, quaenam vero sint mere poenales erit plerumque difficile. Conferri licet criteria aliqua apud auctores [16]. *b)* Alia ratio est praxis quotidiana hominum etiam timoratorum, qui existimant theorice et practice plurimas leges civiles esse mere poenales, seu non obligantes ad actum in conscientia, utique vero ad poenam subeundam.

Rationes vero in contrarium obiici solitae a diversis adversariis optime refelluntur a GÜENECHEA [17].

ARTICULUS II

DE LEGE AETERNA

Thesis 16. Exsistit in Deo lex aeterna

S. TH., 1-2 q.93; SUÁREZ, *De legibus* 1.2 c.1-5.

373. Nexus. Agere incipimus de lege in specie, ac in primis de lege aeterña, quia ab ea, tamquam a suo fonte, ceterae leges dimanant et vim obligandi desumunt. De lege vero aeterna quaeremus in primis eiusdem naturam, deinde exsistentiam.

374. Notiones. LEX AETERNA: a) *In genere*: est quae ab aeterno in Deo exsistit.

b) *Magis accurate*: 1) *Sensu lato*: est actus Dei immanens ab aeterno omnes creaturas a se condendas, sive ratio-

[14] LÓPEZ ULP., *Theoria legis mere poenalis et hodiernae leges civiles:* Periodica 27 (1938) 203-216; 29 (1940) 23-33.

[15] S. THOMAS, 2-2 q.186 a.9 ad 1; SUÁREZ, *De leg.* 1.5 c.4; BILLUART, *De leg.* d.4 a.4; VALENCIA, *De leg.* c.2 punct.3 n.33; SOTO, *De iust. et iure* 1.1 q.6 a.4-5; MEDINA, *In 1-2* q.96 a.4 dub.3; VÁZQUEZ, *In 1-2* d.155 c.2; WERNZ-VIDAL, *Ius Can.* 1 p.165; BALLERINI, *Opus. Th. mor.* 1 n.299; GÜENECHEA, *Princ. Iuris Pol.* 2 n.244ss; RODRIGO, *Tract. de leg.* n.352; R. SOTILLO, *La obligat. de las leyes civiles en conciencia:* RevDerCan 2 (1947) 767-801.

[16] Cf. RODRIGO, *Tract. de leg.* n.247; R. SOTILLO, *La oblig. de las leyes...*; RevDerCan 2 (1947) 767-801.

[17] *Princ. Iur. Pol.* 2 n.247.

nales, sive irrationales, in fines suos convenienter ordinans. In hoc sensu bene a S. THOMA definitur: *ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum* (1-2 q.93 a.1c).

2) *Sensu strictiori,* respicit solum ordinem moralem naturalem, et definiri potest cum S. AUGUSTINO: *ratio vel voluntas divina ordinem moralem naturalem conservari iubens, perturbari vetans*[1].

Ordo in genere idem sonat ac dispositionem plurium secundum aliquam normam; ordo *naturalis* intelligitur dispositio recta operationum creaturarum respectu ultimi finis naturalis earum et respectu finis supremi totius universi. Hic vero ordo naturalis duplex potest esse: a) *Physicus*: si complectatur solum operationes necessarias creaturarum, sive materialium, sive sensitivarum, sive etiam rationalium quoad operationes necessarias; b) *Moralis:* si complectatur solum operationes liberas entium rationalium respectu ultimi finis eorum.

c) *Accuratissime* cum SUÁREZ difiniri potest: *Decretum liberum voluntatis Dei statuentis ordinem servandum, aut generaliter ab omnibus partibus universi... aut specialiter a creaturis intellectualibus quoad liberas operationes*[2]. Ex dictis facile explicatur haec definitio.

375. Status quaestionis. 1. Agitur de exsistentia legis in sensu *stricto* prout dicit relationem ad ordinem moralem qui unice ad philosophiam moralem spectat; etsi argumenta quae afferantur probent etiam exsistentiam legis aeternae in sensu lato.

2. Agitur de lege *active* non vere passive considerata.

3. Quaeritur utrum ab aeterno in Deo exstiterit aliqua ordinatio efficax, cui omnes operationes liberae entium rationalium, cum exsistant, sese accommodare teneantur, ut finem suum ab ipso Deo stabilitum consequantur.

376. Sententiae. 1.ª *Indirecte* negant dari talem ordinationem divinam aeternam, qui exsistentiam Dei adversantur, vel Deum pantheistam fingunt, ut *athei, pantheistae, deistae, materialistae, positivistae, evolutionistae, agnostici, marxistae...* qui omnes statuunt mundum necessaria evolutione moveri, atque activitatem omnem, speciatim humanam explicandam esse extra hypothesim alicuius entis transcendentis, atque Supremi Legislatoris.

[1] *Contra Faustum* 1.22 c.27.
[2] *De leg.* 1.2 c.3 n.5.

2.ª *Directe* idem affirmant etsi Deum agnoscant: THOMASIUS CHRISTIANUS (1655-1728), quia illam iudicat figmentum scholasticorum [3]; IULIUS STHAL [4] (1802-1861), eo quod lex aeterna sit incompatibilis cum libertate divina; AHRENS [5] (1808-1874), eo quod illa admissa, ordo moralis a libera voluntate divina penderet.

3.ª *Nonnulli auctores catholici* negant saltem verbo dari legem aeternam; nam admittere videntur rem, reiiciunt tamen nomen. Concedunt enim in Deo ab aeterno adfuisse rationem practicam efficacem circa gubernationem rerum creandarum, quam tamen nolunt veram legem vocare, sed solum impropriam legem. Sic v.c. BECANUS [6].

4.ª AMOR RUIBAL [7] negat etiam exsistentiam legis aeternae. Dicit enim illud quod nos legem aeternam vocamus non esse nisi normam quandam idealem, directivam, non vero imperativam, quod est omnino essentiale ad legem (p.65); praeterea tales characteres necessitatis et immutabilitatis habere, qui non bene explicari possint, nisi admittendo ontologismum platonicum, seu subsistentiam idearum in seipsis (n.38), denique habere characterem absolutum, cum lex necessario dicat relationem ad actus humanos (p.85).

377. 5.ª *Nostra sententia.* Nos cum unanimi fere consensu omnium auctorum defendimus ut certum dari legem aeternam, etsi concedamus libenter non dari in illa promulgationem passive intellectam, quae in lege externa omnino necessaria est, et ad quam potissimum attendimus cum de lege fit sermo.

Agnoscimus litem inter catholicos, haec vero disputatio nobis videtur de verbo, ut optime ait SUÁREZ [8] et ARRIAGA [9]; nec de vocibus contendendum est; *ut ita simpliciter appelletur, sufficit usus sanctorum et sapientum in tali materia* (SUÁREZ, o.c. 2.1,4).

Non est ergo cur reiiciamus terminologiam iam ab antiquissimis auctoribus receptam; recte ergo, etsi minus proprie, potest illa ordinatio ab aeterno exsistens in Deo, efficax, et immutabilis, lex vocari.

---

[3] *Inst. iurisprud. divinae* 1 c.1 § 31; cf. MEYER, *Inst. Iur. Nat.* 1 p.196.
[4] *Geschichte der Rechtsphil.* p.53 (ed. 1856).
[5] *Natur recht* 1 p.166.
[6] *Summa Theol. Schol.* p.2 tr.3 c.2 q.9 a.4.
[7] *Los problemas fundam. de la Filos. y del Dogma* t.3 c.4.
[8] *De leg.* l.2 c.1 n.4.
[9] *De leg.* d.6 s.2 n.6.

378. Probatur. Lex est ordinatio efficax rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata. *Atqui* in Deo exsistit talis ordinatio efficax respectu ad omnia, maxima vero respectu ad operationes liberas entium rationalium, et quidem ab aeterno promulgata. *Ergo* exsistit in Deo lex aeterna.

Mai.: Ex definitione legis.

Min.: 1) *In Deo exsistit illa ordinatio*: Deus enim est sapiens gubernator rerum omnium, seu omnia dirigit in proprios fines modo naturis rerum accommodato, tamquam Princeps totius mundi (ex Theodicea). In mente vero sapientis gubernatoris debet praeexistere ratio practica gubernationis—secus caece duceretur, non in finem determinatum—. Ergo in mente Dei debet praeexsistere ordinatio rerum in fines suos.

2) *Obligans*: non tantum indicativa; secus gubernatio non esset efficax.

3) *Ab aeterno*: Nam Deus nihil concipit in tempore; quidquid in Deo exsistit ab aeterno exsistit, secus daretur in Illo mutatio.

4) *Ab aeterno promulgata* (ex parte Dei, seu principiative, virtualiter): nam ille omnia posuit quae ad promulgationem erant necessaria, ita ut absque Illius mutatione, detur deinde promulgatio passiva, cum haec sit possibilis, eo quod exsistant creaturae. Ab aeterno enim in Deo exsistit illud decretum directivum omnium actionum creaturarum in fines suos obligationem activam inducens, licet effectum ab aeterno minime sortiatur, quod est proprium divulgationis, non promulgationis [10].

5) *Speciatim respectu ad operationes liberas creaturarum*: Ex dictis, in Deo datur ab aeterno ratio perducendi efficaciter et sapienter omnes res in fines suos. Iam vero modus efficax et sapiens perducendi creaturam rationalem in finem suum non datur nisi per legem moralem seu in sensu stricto intellectam.

Nam ut modus sit efficax debet imponi vera obligatio, secus ad nihil valeret. Quaelibet alia obligatio, quae a legi morali non proveniat v.c. per legem physicam, vel per instinctum caecum, non erit naturae rationali liberae *conveniens;* nam sic periret libertas. Per legem vero moralem salvatur et efficacitas ex parte Dei, et libertas in homine; nam lex moralis imponit veram et strictam obligationem, ita tamen ut libertas physica hominis non pereat.

[10] SUÁREZ, *De leg.* l.2 c.1 n.4 et 9.

379. Corollarium. 1. **Omnes creaturae legi aeternae subiiciuntur.** Patet ex argumento: modus tamen huiusmodi subiectionis est diversus. Nam omnes subiiciuntur gubernationi divinae; creaturae tamen irrationales in suos fines diriguntur per legem aeternam non tamquam formaliter praecipientem et moraliter obligantem sed tamquam per normam ordinantem et moventem, ideo lex aeterna respectu illarum non habet rationem propriae legis. Creaturae vero rationales legem aeternam participant tamquam formaliter praecipientem et moraliter obligantem, seu stricto sensu; rationales creaturae legi aeternae se conformant libere, irrationales vero necessitate physica.

380. 2. **Lege aeterna omnia clarescunt.** Cum lege enim aeterna admirabilis harmonia in universo exsistens patefit. Optime ad rem CATHREIN[11]: "Quod in ordine physico lex attractionis et gravitationis universalis, idem in toto universo est lex aeterna, per quam omnia, quae a Deo exeunt, inter se conspirant et maxima unitate et harmonia ad suum principium reducuntur...; per legem aeternam unitatem harmonicam rerum multitudine et varietate distinctarum modo facillimo, simplicissimo et qui intellectui undequaque satisfacit, philosophia sana explicat".

381. Scholion. Lex aeterna, ideae divinae, Providentia, lex naturalis.

a) *Ideae divinae* sunt exemplar rerum creandarum; etsi non realiter, utique ratione sunt plures. Idea nullam importat obligationem. Est formaliter actus intellectus.

b) *Lex aeterna* versatur circa rerum creandarum gubernationem; est una; importat obligationem, et ideo respicit subditos formaliter qua tales. Est formaliter actus voluntatis; vel intellectus, ut volunt alii auctores, quatenus hic contemplatur modum quo res sunt in proprium finem dirigendae.

c) *Providentia* est quasi exsecutio et applicatio legis; lex aeterna constituit quasi regulas generales, quibus res omnes in suos fines moveri debent; providentia disponit de singulis rebus et operationibus in particulari. Providentia in suo conceptu obligationem non includit.

d) *Lex naturalis* a lege aeterna distinguitur: *a)* ratione *subiecti,* nam lex naturalis subiectatur in creatura rationali, lex vero aeterna in solo Deo; *b)* ratione *extensionis,* nam legi aeternae omnes creaturae subiiciuntur; lex vero naturalis solummodo ad actiones liberas creaturarum refertur[12].

382. Obiectiones. 1. Ab aeterno nullae fuerunt creaturae. *Atqui* ut lex ab aeterno exsisteret, debuissent esse creaturae ab aeterno. Ergo non datur lex aeterna.

Resp. Dist. mai.: in se ipsis exsistentes actu, *conc.;* cognitae a Deo ut certe exstiturae in aliqua temporis differentia, atque ut tales praeordinabiles in finem, *neg. Contrad. min.*

2. Si creaturae non exsistunt actu in se ipsis, nequit dari obli-

[11] *Phil. mor.* n.206.

[12] Cf. SUAREZ, *De leg.* l.2 c.3 n.6-10; BECCANUS, *Summa Th. Schol.* p.2 tr.3 c.2 q.1 n.4-5

gatio. *Atqui* obligatio est effectus formalis legis, qui proinde ab ipsa separari nequit. Ergo ut daretur lex aeterna deberent exsistere creaturae actu ab aeterno.

Resp. Dist. mai.: obligatio active sumpta, *neg.;* passive sumpta, seu ex defectu termini, *conc. Contrad. min.*

3. Lex dicit obligationem; obligatio vero ordinem ad aliquid. *Atqui* nisi exsistat actu quod ordinetur, nequit dari obligatio ordinationis eiusdem in finem. *Ergo* neque obligatio active sumpta, neque lex dari potest nisi exsistant actu creaturae.

Resp. Dist. mai.: ordinem activum in finem, *conc.;* passivum *subd.*: per se ex ratione obligationis a lege proveniente, *neg.;* per accidens ex obligatione proveniente a legislatore humano, *conc. Contrad. min.*

4. Omnis ordinatio importat quamdam relationem inter illud quod ordinatur et illud quod ordinat. *Atqui* nulla datur relatio aeterna inter Deum et creaturas, nisi ab aeterno exsistant creaturae. *Ergo* nisi ab aeterno exsistant creaturae nequit dari neque ordinatio activa in lege aeterna.

Resp. Dist. mai.: ordinatio activa, *neg.;* ordinatio passiva, *conc. Conc. min.* Nam relatio importat depedentiam quamdam, ideo ex parte Dei non datur relatio realis erga creaturas.

5. Ordinatio activa ex parte Dei pendet a creatione; ergo est contingens. *Atqui* quod est contingens, non est aeternum. *Ergo* ordinatio activa non est aeterna.

Resp. Dist. mai.: est contingens quoad actum in se sumptum, *neg.* (est ipse Deus); quoad respectum ad terminum, *conc. Conc. min. Dist. pariter cons.*

6. Promulgatio est de ratione legis. *Atqui* ab aeterno nulla datur promulgatio. *Ergo* non exsistit lex aeterna.

Resp. Dist. mai.: passive spectatae, *conc.;* active, *subd.:* causaliter sumpta, seu in suo actu efficaci, *conc.;* effective seu terminative sumpta, *neg.* vel *subd.:* in lege humana, *conc.:* in divina, *neg. Contrad. min.* (Cf. SUÁREZ, *De leg.* 1,2 c.1 n.9).

7. In legislatore humano soli actus interiores, seu promulgatio causaliter sumpta, non sufficiunt ad legem constituendam. *Ergo* a pari neque in Deo sufficient.

Resp. Conc. ant. Neg. cons. et paritatem; disparitas stat in eo quod legislator humanus suam mentem mutare potest; Deus vero est immutabilis; quod semel statuit in aeternum manet.

ARTICULUS III

De lege naturali

Thesis 17. Exsistit in homine vera lex naturalis, per quam legem aeternam naturaliter participat.

S. Th., 1-2 q.91 a.2; Suárez, *De leg.* l.2 c.6; Billuart, *De leg.* d.2 a.2 et 3; Cathrein, *Fil. morale* v.1 p.411ss; Güenechea, *Principia Iuris Polit.* 2 p.71ss; Bruneteau, E., *De la loi naturelle:* RevPhil 18 (1911) 621-636; 19 (1911) 63-85.

383. Nexus. Ordo postulat ut postquam egimus de lege aeterna active considerata nunc agamus de naturali illius legis manifestatione in mente creata, seu de lege aeterna *passive* spectata, quae lex naturalis vocatur. De hac vero lege naturali videre volumus eiusdem naturam, exsistentiam atque auctorem.

384. Notiones. Lex naturalis.

1. *In actu primo,* seu effective: est *lumen intellectuale naturaliter insitum homini a Deo ut possit cognoscere bonum necessario agendum et malum vitandum.* Est ergo ipse intellectus natura sua inclinatus ad iudicia practica de bono agendo et de malo vitando efformanda.

2. *In actu secundo,* seu formaliter: est *complexus iudiciorum practicorum quibus homo naturaliter cognoscit bonum necessario faciendum et malum vitandum.*

Formaliter ergo consistit in *serie horum praeceptorum* v.c. *parentes sunt honorandi, Deus est colendus, furtum est vitandum...* quatenus naturaliter manifestant voluntatem divinam circa homines.

Descriptive definitur a S. Thoma, ut *impressio* divini numinis in nobis (1-2 q.91 a.2 c), ut *irradiatio* eiusdem (q.93 a.2 c) ut propria *imago eius,* ut *lumen* vultus divini.

385. Vera lex: i.e. non aliquo sensu metaphorico, sed in sensu stricto. Proinde est aliqua norma non solum indicativa, sed praeceptiva, obligativa, communis, imposita a superiore, et sufficienter promulgata.

386. Naturalis. 1. *Ratione fundamenti*: quatenus praecepta, in quibus consistit lex naturalis, fundantur in natura, et necessario sequuntur naturam hominis, saltem rite evolutam et in conditionibus eidem convenientibus.

2. *Ratione promulgationis*: nam nota fiunt hominibus

mediante lumine naturali, absque necessitate revelationis supernaturalis.

387. PARTICIPAT NATURALITER LEGEM AETERNAM: i.e. lex aeterna quatenus refertur ad operationes liberas hominum, fit cognita homini, seu actu promulgatur, per actualia dictamina rationis humanae, quatenus haec intimant homini exsecutionem illius partis legis aeternae, quae ad hominem refertur.

388. Status quaestionis. Tria quaeruntur in thesi: 1.º Utrum exsistat in homine aliqua norma seu ordinatio practica, universalis et obligatoria, consistens in complexu iudiciorum practicorum de bono agendo et de malo vitando.

2.º A quo immediate proveniat vis obligandi huiusmodi normae, characteribus verae legis insignitae.

3.º Utrum denique recte haec norma lex naturalis appelletur.

389. Sententiae. 1.ª *Athei, positivistae, fautores moralis laicae seu independentis, atque innumeri* legistae moderni acatholici, negant exsistentiam huius legis, ac maxime originem divinam eiusdem.

2.ª Magis in concreto omnes *positivistae morales humani,* qui negant discrimen intrinsecum et essentiale inter bonum et malum morale, negant etiam a fortiori exsistentiam horum principiorum universalium obligantium de bono agendo et de malo vitando. Huiusmodi legem naturalem superstitionem quamdam appellant.

Omnes hi exsistentiam in homine horum principiorum practicorum conantur explicare ex influxu sociali, ex educatione, ex legislatione positiva civili. Aliqui horum, etsi verbo admittant exsistentiam alicuius legis naturalis homini immanentis, negant tamen transcendentiam atque originem divinam eiusdem [1].

3.ª Moderni statolatrae omnes: *communistae, fascistae, nacistae,* negant etiam exsistentiam principiorum moralium universalium obligantium, quae non proveniant ab statu. ROSEMBERG ait: *Legale est illud quod homines arii rationale iudicent; non exsistit alia lex praeter illam quae ad honorem germanum inserviat* [2].

[1] Cf. apud SERTILLANGES, *Las fuentes de la creencia en Dios* p.196 bene expositam doctrinam horum auctorum.

[2] ROSEMBERG, *Das Mitum* p.591; cf. POWER, M., *La persecución nazi contra el Cristianismo* p.24. Conferatur: PIUS XI, *Mit brennender Sorge* n.28: AAS 29 (1937) 181; PIUS XII, *Summi Pontificatus* n.14: AAS 31 (1939) 510-537; *Nuntium radiophonicum 24 decembris 1941* n.23.

4.ª Negant etiam hanc legem qui rationis humanae autonomiam in ordine sive morali, sive politico propugnant, et voluntatem humanam autonomam declarant, ut Kant.

5.ª Ex alio capite *traditionalistae* dicunt huiusmodi legem nobis non intimari nisi ope revelationis supernaturalis per traditionem transmissae, non est ergo naturalis ratione promulgationis.

6.ª Amor Ruibal negat etiam legem naturalem esse participationem legis aeternae, dicit illam non esse nisi quasi continuationem legis conservationis naturae; affirmat praeterea in sententia nostra non apparere quomodo lex naturalis a voluntate divina proveniat [3].

7.ª *Aliqui scholastici* dicunt obligationem illorum principiorum, in quibus legem naturalem consistere diximus, non a voluntate aliqua praecipiente immediate provenire, neque a divina, sed ab ipsa natura in se considerata, ex quo sequitur legem naturalem non esse veram legem divinam seu participationem legis aeternae [4].

8.ª *Nostra sententia.* Nos vero cum universa fere schola ut certum sustinemus haec tria: *a*) Adesse in hominibus quemdam complexum praeceptorum circa bonum eidem agendum et malum vitandum quae praecepta exhibent characteres verae legis in sensu stricto.

b) Per haec praecepta Deum hominibus naturaliter communicare illam partem legis aeternae, quae refert exigentias ipsius naturae.

c) Denique recte naturalem hanc legem appellari attendendo non praecise ad auctorem eiusdem, sicut in aliis legibus, sed ad fundamentum—exigentiae naturae—et ad modum promulgationis—ipsum lumen naturale—.

390. Probatur. Exsistunt in homine iudicia practica naturaliter et indubitanter efformata quibus ille agnoscit se ad bonum faciendum et ad malum vitandum adstringi. *Atqui* haec iudicia practica obligativa circa bonum faciendum et malum vitandum sunt: *a*) lex quaedam in sensu stricto; *b*) participatio legis aeternae in homine; *c*) et iure appellantur lex naturalis. *Ergo* exsistit in homine vera lex naturalis per quam participat legem aeternam.

---

[3] *Los problemas fundamentales de la Fil. y del Dogma* t.3 p.70-77,90-113.
[4] Vázquez, *In 1-2* d.97 c.3 n.6; aliique de quibus magis ex professo thesi sequenti agemus.

391. *Mai.* 1. A PRIORI.—*Ex divina sapientia et ex rectissima gubernatione* Dei. Deus reliquas creaturas efficaciter in fines earum movet sese accommodando naturis earum; a fortiori rationalem creaturam in finem eiusdem regere debebit efficaciter in finem proprium etiam modo accommodato naturae rationali ex quo exsurgat necessitas, non physica, sed moralis, i.e. ratione cognita et libere acceptata. Ad hoc vero requiritur ut ipsa natura naturaliter habeat in se illa principia de bono agendo et de malo vitando. Alius modus movendi creaturam rationalem efficaciter in suum finem erit contra libertatem eiusdem.

392. 2. A POSTERIORI.—*Ex interna experientia.* Homo expeditum habens usum rationis indubitanter iudicat quaedam esse bona, quaedam vero mala, et simul necessitatem absolutam experitur vitandi malum et agendi bonum stricte necessarium ad integritatem recti ordinis. Hanc necessitatem categoricam esse ex eo maxime apparet, quod si rationis vocem sequatur internam approbationem et pacem sentiat; si vero dictamina rationis violet remorsus conscientiae atque internam damnationem experiatur, etiam si violatio sit maxime occulta, nec sint iudices humani. Quae omnia manifeste probant exsistentiam in homine illorum iudiciorum practicorum, ab ipsa natura provenientium, de bono agendo et de malo vitando.

393. 3. EX HISTORIA *confirmatur.* Innumeris documentis, etiam antiquissimis, constat homines semper et ubique illa iudicia practica obligatoria habuisse; omnesque vocem illam naturae rationalis ut praeconem alicuius potestatis transcendentis et superioris cognovisse. Hinc apud omnes gentes apparet studium placandi Deum propter scelera commissa, ac cultus erga potestatem remuneratricem boni, et vindicem mali [5].

394. *Min.*: 1. TALIA IUDICIA SUNT LEX IN SENSU STRICTO: Habent enim omnia elementa quae requiruntur ad veram legem in sensu stricto: Sunt enim: a) *ordinationes rationis* manifestantes quid sit bonum, quid vero malum; b) *obligativae,* sentimus enim nos ad illa adimplenda stricte obligari, ut apparet ex interna experientia illorum; c) *universales,* nam valent pro omnibus hominibus omnium temporum, sunt ergo datae ad bonum commune; d) *sufficienter promulgataa,* ut patet ex agnitione illorum principiorum ab hominibus; e) *datae a suprema auctoritate,* nempe a Deo.

395. 2. SUNT PARTICIPATIO LEGIS AETERNAE IN HOMINE: Nam obligatio in ipsis contenta provenit:

a) *Non a nobismetipsis*: Nam analysis interna ipsius in-

[5] Cf. praeclara testimonia apud: Rom. 2,14-16; ARIST., *Rethor.* 1.13; CICERONEM, *Pro Milone* 4,10; *De leg.* 1,2 c.4 diversa testimonia populorum videre etiam licet apud HUBY, *Christus* p.125.688.712;, SCHMIDT, *Manuale di Storia Comparata...* p.228.295.443.447; CATHREIN, *Die Einheit des sittlichen Bewusstsein der Menschheit.* Conclusiones huius praecl. operis habentur apud GIAMMUSSO, L., *L'unita della coscienza morale:* Greg 6 (1935) 226-285.

dicat illam esse omnino absolutam, a nobis independentem, ortam iam a pueritia sponte in nobis sine nobis, provenientem proinde ab aliquo ordine obiectivo, qui sese imponit homini; aliis verbis, indicat illam provenire ab aliquo superiore, et nemo est superior sui. Frequenter est nimis onerosa, a qua libenter vellemus nosmetipsos liberare, et non possumus. Si vero solummodo a nobis proveniret non apparet cur non possemus id facere.

Si vero dicatur obligationem illorum principiorum provenire a necessitate quam natura humana habet se conformandi cum bono honesto, vitandi vero quod est inhonestum; respondemus a consideratione solius naturae humanae, quin ad superiorem aliquem exteriorem accurramus, non apparere obligationem categoricam, nam voluntas humana non necessitatur nisi a bono quod ei proponatur ut undequaque bonum; iam vero illa conformitas vel deformitas cum natura humana non apparet ut undequaque bona.

Illa vero principia non esse fructum allucinationis, phantasiae, timoris vel ignorantiae, clare patet ex eo quod sint clara, indelebilia, constantia, universalia sive quoad tempus, sive quoad personas.

b) *Non a superiore aliquo mundano*: Nam talis est ut eam adimplere debeamus etiam contra omnia decreta principum vel superiorum huius mundi, teste conscientia. Praeterea illa dictamina obligant pariter omnes principes et superiores; iam vero si obligatio proveniret ab ipsis, saltem ipsi non tenerentur. Denique illa obligatio datur non solum ad actus externos, sed etiam ad internos et secretissimos, ad quos auctoritas humana nullo modo potest sese extendere, cum nequeat eorum adimpletionem cognoscere.

c) *Non a superiore aliquo supramundano non divino*: Nam se extendit etiam ad actus secretissimos et mere internos voluntatis; iam vero nulla creatura potest secretissima cordis introspicere, nec habere scientiam actuum humanorum liberorum mere internorum, quia voluntas creaturae rationalis soli Deo subiacet; ipse solus potest in ea operari[6]. Praeterea est absoluta, nulli hypothesi subiecta; iam vero si proveniret ab aliquo angelo vel a qualibet alia creatura, non esset absoluta, sed relativa, nam deberet dependere a Deo. Denique si proveniret ab aliquo alio superiore diverso ab auctore naturae, deberet hoc constare positive; iam vero nullibi constat. Ergo haec est hypothesis omnino gratuita.

d) *Provenit a Deo*: Non restat alia hypothesis. Proinde si illa dictamina immediate a Deo vim obligandi accipiunt,

[6] S. TH., 1 q.57 a.4; *De ver.* q.8 a.13 c; *De malo* q.16 a.8 c.

lex, in qua continentur, est divina. Ergo lex naturalis est participatio legis aeternae divinae.

396. 3. IURE APPELLATUR LEX NATURALIS, ex fundamento et ex medio quo promulgatur: a) *Fundamentum* est ipsa *natura humana*: necessario enim illa principia naturam hominis consequuntur cum haec usum rationis assecuta est; ab exigentiis ipsius profluunt. Illa enim dictamina, ut constat experientia, ab usu rationis sunt inseparabilia, ac tales characteres habent universalitatis, constantiae et ineluctabilitatis, qui manifeste declarent illa provenire a Deo ut auctore naturae. b) *Medium promulgationis* est solum *lumen naturale*: cum enim Deus hominem absque cognitione voluntatis Ipsius circa suas operationes relinquere nequeat—esset enim contra suam sapientiam—si solo lumine naturali illa principia cognosci nequirent, sequeretur revelationem supernaturalem esse debitam hominibus, utpote naturaliter necessaria; iam vero hoc est contra ipsum conceptum supernaturalitatis.

Cum ergo agatur de fundamento et de medio promulgationis omnino determinato et necessario, optime haec lex appellari potest naturalis ad haec attendendo, et non praecise ad auctorem legis.

397. *Potest quis obiicere:* dato facto revelationis supernaturalis et transmissionis cognitionum per educationem et traditionem, nequimus affirmare nos illa principia habere per solum lumen intellectuale naturale, neque fundamentum illorum esse solam naturam humanam; neque illa dictamina esse recta, non orta ex falso aliquo ratiocinio. Proinde non possumus concludere illa principia esse veram legem naturalem.

Resp. Ex characteribus *universalitatis et immutabilitatis* horum principiorum recte concludimus illa fundari in natura et solo lumine naturali possideri, neque sufficere ad illa explicanda revelationem primitivam supernaturalem per educationem et traditionem transmissam. Alia enim etiam primitus revelata, quae ipsam naturam ut unicum fundamentum non habent, decursu temporis, per educationem et transmissionem ipsam paulatim obliterantur et mutantur. Causa ergo sufficiens huius facti universalis et immutabilis debet esse etiam immutabilis et universalis, quae est ipsa natura. Rectitudinem etiam illorum iudiciorum deducimus ex eo quod sint naturalia et ineluctabilia; secus deviatio redundaret in auctorem naturae.

398. Scholion. 1. **Comparatio cum lege aeterna.** Eadem lex dicitur *aeterna* quatenus spectatur in Deo active; et *naturalis* quatenus consideratur in creaturis rationalibus, quae eam passive recipiunt. Eadem lex active considerata est *aeterna;* passive considerata est *temporalis;* lex aeterna est vox Dei ab aeterno prolata, lex naturalis est echo huius vocis in creatura rationali in tempore recepta.

Utraque est divina: aeterna, quia in ipso Deo est; *naturalis,* quia immediate et proxime a Deo fertur, licet in creatura resideat, extra Deum. Sed ratio nostra non fert legem naturalem, solum eam proclamat.

Aeterna est prima et imparticipata; *naturalis* est derivata et participata.

Aeterna ad plura se extendit; *naturalis* est pars legis aeternae; solum sese refert ad actus liberos creaturae rationalis.

Aeterna est prima regula actuum humanorum, sed non proxima et immediata; *naturalis* non est prima regula, est tamen magis propinqua humanae voluntati.

399. 2. Comparatio cum lege positiva. *Differunt* ratione:

a) *Materiae: naturalis* habet pro obiecto proprio solum illa quae sunt intrinsece bona aut mala; *positiva* potest etiam versari circa res natura sua indifferentes.

b) *Auctoris:* obligatio legis *naturalis* oritur immediate ex *necessaria voluntate* Dei conditoris, in hypothesi creationis; obligatio legis *positivae divinae* procedit immediate a *libera voluntate* Dei, et in lege positiva *humana* non nisi mediate a Deo, et immediate a libera voluntate legislatoris humani.

c) *Subiecti: naturalis* est stricte *universalis,* quoad personas, tempus et locum; *positiva* admittit limitationes *contingentes* secundum tempora et loca.

d) *Proprietatum: naturalis* est *immutabilis,* ut in essentialibus exigentiis naturae humanae fundata; *positiva* variari et *mutari* potest.

e) *Promulgationis: naturalis* nullo signo externo manifestatur neque scriptis neque verbis, sed *interne,* ipsa voce naturae, promulgatur; est quasi instinctus rationalis, qui cum ipsa evolutione mentis oritur; *positiva* quodam signo *externo* promulgatur, sive scripto, sive verbis.

400. 3. Comparatio cum synderesi et conscientia morali. *Lex naturalis* est complexus principiorum universalium de bono faciendo et de malo vitando; *synderesis:* est habitus illorum principiorum, seu potentia cum habitu; *conscientia:* est applicatio quaedam legis naturalis ad casum concretum.

401. Obiectiones. 1. Lex naturalis est aliqua ordinatio divina. *Atqui* ordinatio divina est in Deo, non in homine. *Ergo* non exsistit in homine lex naturalis.

Resp. Dist. mai.: active, *conc.;* passive considerata, *neg. Contrad. min.*

2. Lex naturalis passive considerata est potentia humana. *Atqui* potentia humana non potest esse lex. *Ergo* lex naturalis passive considerata non est lex.

Resp. Dist. mai.: invenitur in potentia humana tamquam in aliquo codice, *conc.;* ipsa ratio est lex, *subd.*: si subiective consideratur, *neg.;* si obiective consideretur, i.e. ipsa praecepta obiectiva expressa dictaminibus rationis, *conc. Contrad. min.*

3. Ad veram legem requiritur ut imponatur necessitas absoluta faciendi vel omittendi quod lege continetur. *Atqui* dictamina rationis non continent veram et strictam obligationem, seu necessitatem. *Ergo* dictamina rationis non exprimunt veram legem.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: in suo conceptu confuso, *trans.* vel *conc.;* in suo conceptu claro et distincto, *neg. Dist. pariter cons.*

4. Persaepe dictamina rationis indicant nobis nos teneri ad aliquid ad quod non tenemur et e contra, etiam cum clare et distincte illa perpendimus. *Atqui* si dictamina rationis etiam in suo conceptu claro et distincto, aliquando exprimunt veram obligationem, aliquando non, non possunt ipsa esse vera lex. *Ergo* dictamina illa neque in suo conceptu claro et distincto continent veram legem.

Resp. Dist. mai.: dictamina quae habent characteres universalitatis et immutabilitatis, de quibus egimus, *neg.;* alia dictamina particularia, in quibus influxum exercet vel angusta conscientia, vel falsum iudicium, *conc. Contrad. min.*

5. Praecepta legis naturalis, ex dictis, exsurgunt vi ipsius naturae. *Atqui* quod exsurgit vi ipsius naturae imponit necessitatem et tollit libertatem. *Ergo* praecepta legis naturalis nequeunt esse lex pro homine.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: imponit necessitatem naturae proportionatam, *conc;* aliam, *neg.;* tollit libertatem, si illa necessitas non sit proportionata naturae, *conc.;* secus, *neg. Dist. pariter cons.*

6. Effectus proprius legis est imponere vinculum et necessitatem. *Atqui* vinculum et necessitas sunt contraria libertati. *Ergo* cum datur necessitas etsi proportionata naturae, tollitur libertas.

Resp. Dist. mai.: vinculum et necessitatem physicam, *neg.;* moralem, *conc. Contrad. min.*

7. Si exsisteret lex naturalis esset a natura hominis inseparabilis. *Atqui* nulla lex exsistit inseparabilis a natura hominis. *Ergo* non exsistit lex naturalis.

Resp. Dist. mai.: saltem in actu primo remoto, *conc.;* etiam in actu primo proximo et in actu secundo, *neg. Contrad. min.*

8. Nulla lex appellatur a modo promulgationis eiusdem. *Ergo* neque haec lex dicenda est naturalis, a modo quo promulgatur.

Resp. Dist. ant.: cum modus promulgandi etiam est mutabilis et pendet ab electione legislatoris, *conc.;* cum modus est determinatus per essentiam ipsam legis et est immutabilis. *neg. Dist. pariter cons.* Praeterea haec lex appellatur naturalis non solum a modo promulgationis, sed etiam ratione fundamenti et materiae.

9. Sola natura non sufficit nec ad promulgationem, nec ad fundamentum legis naturalis: nam ideo data est revelatio supernaturalis, quia lumen rationis ad cognitionem praeceptorum divinorum non satis erat; et Deus absolute liberrimus est in suis praeceptis imponendis; et sicut haec posuit, potuisset non ponere illa vel ponere alia. *Ergo* sola natura, non sufficit neque ad promulgationem legis neque ut fundamentum necessarium eiusdem.

Resp. Dist. ant. Quoad 1.ª partem: data est revelatio supernaturalis eo quod ratio non sit stricte sufficiens ad cognoscenda praecepta naturalia, *neg.;* ut melius et facilius cognoscantur, *conc.;* praeterea revelatio supernaturalis datur etiam ut cognoscantur alia praecepta quae non sunt naturalia sed positiva. Quoad 2.ª partem: Deus est liber in creando vel non creando, *conc.;* posito decreto creandi est liber in imponendis illis quae essentialiter conveniunt vel disconveniunt naturae humanae, *neg. Dist. pariter cons.*

10. Non datur lex propria et praeceptiva absque voluntate ali-

cuius praecipientis. *Atqui* lex naturalis non nititur voluntate alicuius praecipientis. *Ergo* lex naturalis non est proprie lex praeceptiva.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

11. *Prob. min.:* Lex naturalis formaliter consistit in dictaminibus rationis quibus cognoscimus quid agendum, quid necessario vitandum sit. *Atqui* haec dictamina independenter et antecedenter ad quamlibet voluntatem etiam divinam sunt intrinsece necessaria, atque obligant ad agendum vel omittendum quod in illis exprimitur. *Ergo* lex naturalis non nititur, quoad obligationem eiusdem, voluntate alicuius praecipientis; proinde non sunt vera lex.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: independenter a voluntate divina et antecedenter ad illam haec dictamina exprimunt aliquam bonitatem vel malitiam, sed incompletam, *conc.;* completam, *neg.;* obligant stricta obligatione et absoluta, *neg.;* obligatione imperfecta, *conc. Dist. pariter cons.*

12. *Atqui* independenter a voluntate divina continent malitiam completam et obligant stricta obligatione. *Prob.:* in suppositione quod nulla lege divina prohiberetur quod illis dictaminibus exprimitur illud tamen necessario deberet fieri aut omitti eo quod contrarium sit contra naturam rationalem. *Ergo* independenter a voluntate divina continent strictam obligationem.

Resp. Neg. suppositum: illa suppositio est impossibilis et absurda; et ab impossibili sequitur quidlibet. Sed supposita hypothesi ut possibili ad summum hoc sequeretur quod in actu deformi naturae, non prohibito, adesset aliqua indecentia, quae indecentia, seu malitia philosophica, esset omnino diversa a malitia actus, qui est contra legem[7].

ARTICULUS IV

DE PRINCIPIO COGNOSCITIVO OBLIGATIONIS LEGIS NATURALIS

Thesis 18. Obligatio perfecta legis naturalis unice agnoscitur ex voluntate divina cognita.

SUÁREZ, *De leg.* 1.2 c.5-6; VÁZQUEZ, *In 1-2* d.97 c.3 n.6; d.150 c.3 n.22; BILLOT, *De Deo Uno et Trino* ed. 7.ª p.49-52; *La providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale du salut:* Etudes 164 (1920) 392-395; NIVARD, *Ethica* p.113ss; *Responsabilité:* DAFC; GÜENECHEA, *Princip. Iuris Pol.* v.2 p.78ss; CATHREIN, *Fil. morale* v.1 p.422ss; HELLÍN, *Theol. Natur.* p.428ss; MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Theol. Natur.* p.101ss; DESCOQS, *Theol. Natur.* 1 p.444-523.

402. Nexus. Demonstravimus ad aliquas operationes ponendas, ad alias vero omittendas nos moraliter obligari. Circa hanc obligationem quaeri potest: a) *quid sit,* quod apparebit ex notionibus; b) utrum *exsistat,* quod probatum fuit thesi praecedenti, nam lex et obligatio sunt termini sibi respondentes; c) *a quo procedat,* quod etiam probatum fuit thesi praecedenti, cum diximus auctorem legis naturalis esse Deum; obligatio enim provenit ab auctore legis;

---

[7] Cf. SUÁREZ, *De leg.* 1.2 c.6 n.11; SCHIFFINI, *Phil. mor.* 1 p.98s.

d) quale sit *principium cognoscitivum* eiusdem, seu quandonam homo primo cognoscat se ad aliquid perfecte obligari. Hoc ultimum volumus potissimum in hac thesi investigare.

403. Notiones. OBLIGATIO *in genere* importat necessitatem ad aliquid. Potest considerari:

1. ONTOLOGICE: est *necessitas moralis, intentionalis, absoluta, servandi ordinem moralem, imposita a superiore absoluto.*

a) *Necessitas*: seu impositio, coactio, ut sonat ipsum nomen: *obligare.*

b) *Moralis*: non physica, non per coactionem aut vim extrinsece illatam cuius incapax est voluntas, si physice libera maneat; nec per determinationem intrinsecam voluntatis, utcumque concipiatur.

c) *Intentionalis*: seu voluntati imposita a conscientia propter perspectam necessariam connexionem inter actionem et finem necessario obtinendum.

d) *Absoluta*: seu categorica, inconditionata. Exprimitur imperio absoluto: *fac hoc; devita illud,* quamvis omnia mala ab aliquo sint sustinenda.

e) *Ordinem moralem servandi*: seu ponendi actiones necessario bonas, et vitandi omnes malas. Unde non datur proprie obligatio cum agitur de medio necessario ad finem liberum; vel de medio non necessario ad finem. Si enim finis est liber nequit absolute imponi medium ullum. E contra ordo moralis et media necessaria ad illum absolute imponuntur.

f) *Imposita a superiore absoluto*: voluntas enim nequit ligari nisi a superiore, et nequit absolute ligari nisi a superiore absoluto.

2. PSYCHOLOGICE: est perceptio subiectiva ligaminis seu necessitatis.

404. DIVISIO. 1. *Perfecta*: est illa quae ligat absolute tam psychologice quam ontologice seu in ordine obiectivo. Habetur tantum si cognoscatur ratio sufficiens obligationis.

2. *Imperfecta*: duplici ex capite: *a*) vel quia absolute ligat solum subiective (ex falso iudicio) non vero obiective; *b*) vel quia obligatio non est absoluta sed tantum hypothetica, etiam subiective considerata.

405. LEX NATURALIS: intelligitur in actu secundo, prout complectitur complexum principiorum de bono agendo et de malo vitando.

Reliqua verba patebunt melius in expositione diversarum sententiarum.

406. Status quaestionis. 1. Postquam thesi praecedenti directe probavimus obligationem legis naturalis ontologice seu obiective non posse provenire nisi a divina voluntate; nunc in probanda directe quaestione logica seu in ordine cognitionis immorabimur.

Generatim auctores, praesertim antiqui, directe ordinem ontologicum considerant, et indirecte solvunt quaestionem de ordine logico. Directe vero considerare ordinem logicum propter modernas controversias, maxime post KANT, habet momentum speciale.

Quaestio etenim in moderna philosophia morali versatur utrum initium in ea habendum sit a facto psychologico obligationis, ut immediate nobis evidente, ita ut totus processus in schola inverti debeat; an vero huiusmodi factum non sit ita evidens.

2. Quaerimus ergo utrum nos possimus experiri seu cognoscere nos esse *perfecte* obligatos ad illa quae exprimuntur praeceptis legis naturalis antequam cognoscamus illa nobis imponi a voluntate divina.

3. Quaestio applicationem specialem habet in casu àthei; in hypothesi enim quod quis Deum non agnoscat, neque obligationem perfectam moralem posset in se ipso experiri.

4. Notemus nos agere de cognitione obligationis perfectae. Ultro concedimus hominem persaepe in se ipso aliam obligationem imperfectam posse experiri, quin ad voluntatem divinam accurrere debeat sed ex aliis motivis obiectivis.

407. Sententiae. Ad duas classes praecipuas reducuntur, quae deinde in alias diversas subdividuntur. *Alii* enim obligationem ut aliquid obiective profluens ex *ipsa natura rationali* concipiunt, vel adaequate, vel saltem in signo priori ad quamlibet regulam seu legem eidem impositam a Deo; ii consequenter non requirunt cognitionem praeviam voluntatis divinae ad agnitionem obligationis perfectae.

Alii e contra, etsi concedant in natura rationali aliquod fundamentum ad hanc obligationem inveniri, imperfectam obligationem vocare solent, ipsam vero obligationem strictam obiective a sola Supremi legislatoris voluntate, illum ordinem naturalem necessario sanciente, repetendam existimant; ex iis vero aliqui credunt nos posse experiri seu cognoscere per-

fectam obligationem antequam cognoscamus saltem clare voluntatem a qua imponitur, alii vero cognitionem claram voluntatis divinae praeviam requirunt.

408. 1.ª SENTENTIA KANT. Sustinet doctrinam de autonomia voluntatis. Aperte *negat:* 1) legem moralem quamlibet esse participationem legis altioris; 2) hominem vinculo aliquo morali a se ipso non imposito ligari posse; 3) expresse dependentiam hominis a Deo quoad auctoritatem legiferam.

E contra *docet:* 1) legem moralem unice a dictamine rationis practicae autonomae repetendam esse, excluso quolibet principio extrinseco auctoritatis; 2) rationem humanam esse sibi ipsi legislatricem, et voluntatis autonomiam esse principium omnium legum moralium; 3) voluntatem nullum praeceptum accipere posse quod a propria ratione non dimanet, si vult libertatem incolumem servare. In tantum enim voluntas libera manet, in quantum ipsa aliquid sibi imperat sibique obedit.

Lex vero sic a ratione constituta est absoluta reverentia digna, adeo ut ad eius vocem etiam "audacissimus malefactor contremiscere et ab ea quasi se abscondere cogatur". Igitur lex a ratione lata sese imponit proprio titulo independenter a quolibet externo legislatore, et a valore obiectorum quae iniungantur; quodlibet aliud motivum actionis humanae excludendum est a moralitate[1].

Ex doctrina ergo kantiana principium unicum et adaequatum obligationis est in ordine obiectivo imperativum categoricum rationis autonomae et in ordine cognitionis perceptio huiusmodi impositionis.

Hanc theoriam rationalisticam innovarunt omnes *utilitaristae, solidaristae, positivistae..*, qui omnes negant obligationem ullo modo a Deo provenire.

409. 2.ª SENTENTIA VÁZQUEZ. Quamdam affinitatem cum praecedenti habet. Sustinet independenter a Dei voluntate (non autem ab Eiusdem essentia et ratione, hinc essentiale discrimen inter hanc et praecedentem doctrinam) obligationem legis naturalis formaliter et immediate consistere *obiective* in nexu necessario convenientiae vel disconvenientiae aliquorum actuum cum natura rationali qua tali, et subiective in perspicientia huiusmodi nexus ab intellectu.

Iuxta hanc sententiam sunt aliqui actus quos natura rationalis exigit ut essentialiter sibi conformes, alios vero ut essentialiter deformes reiicit. Unde dictamen rationis tales actus voluntati proponens, eam moraliter stricta et perfecta obligatione constringit, quin ad exsistentiam et ad cognitionem praedictae obligationis ulla voluntatis divinae tales actus prohibentis vel praecipientis cognitio praerequiratur; hos vero actus, cum exsistunt, voluntas divina necessario approbat vel reprobat.

Hanc sententiam sustinet maxime VÁZQUEZ[2], et quamvis non tam

[1] KANT suam doctrinam relate ad obligationem potissimum exponit in iis duobus operibus: *Fundamentos de la metafísica de las costumbres;* trad. esp. a G. MORENTE (Madrid 1933), et *Crítica de la razón práctica;* trad. esp. a MIÑANA y G. MORENTE (Madrid 1913).

[2] VÁZQUEZ, *In 1-2* d.97 c.3 n.6; d.150 c.3 n.22.

clare etiam MOLINA[3], SOTO[4]. ARRIAGA[5], ELTER[6], aliique antiqui et hodierni.

410. 3.ª Doctrinam similem amplecti videtur GERDIL[7], cum dicit obligationem ex essentiali rerum ordine provenire; sed praecedentem sententiam complet cum relatione actuum ad ultimum finem. Ait enim: "Duplex verae et propriae dictae obligationis fundamentum erui potest: unum petitum ex actionis convenientia cum propria perfectione, quam cum homo consequitur, se ipsum intime approbat, sibi ipsi placet, seque dignum laude ducit; alterum petitum ex actionis convenientia cum ea cumulata felicitate, quae omnem dolorem, molestiam taediumque excludit", i.e. cum beatitudine seu ultimo fine.

Unde obligatio ex duplici fonte oritur: vel ex natura rationali—ut in sententia praecedenti—vel ex convenientia actionis cum ultimo fine intrinseco hominis.

Hoc modo plus minusve opinantur etiam: TAPARELLI[8], aliique auctores moderni.

411. *N. B.* Ex auctoribus qui ut defensores huiusmodi doctrinae citari solent illam multi minime defendunt. Dicunt enim aliquam utique obligationem naturam rationalem imponere, quod et nos fatemur; haec vero obligatio est tantummodo imperfecta, ordinis aesthetici non vero perfecta et stricta obligatio moralis. Faciliter in hoc sensu interpretati possunt, v.c. ARRIAGA, SOTO, TAPARELLI, VAN DER AA...

412. 4.ª SENTENTIA ALIORUM SCHOLASTICORUM. Alii admittentes principium ontologicum obligationis perfectae unice in voluntate divina inveniri, existimant tamen cognitionem eiusdem ad experiendam veram et strictam obligationem moralem minime requiri, cum illam etiam qui Deum non agnoscat vel de illo non cogitet experiri posset. Non eo quod in nobis sint ideae ullae innatae de bono faciendo vel de malo vitando, sed quia testimonium conscientiae est quasi echo vocis seu voluntatis divinae, naturaliter per intellectum speculativum hominem in verum inclinantis.

Iuxta hos auctores ex cognitione obligationis perfectae in nobis habita independenter a cognitione saltem clara Dei, ad cognitionem claram Ipsius assurgere possumus, cum sit unica causa sufficiens ontologica illius perfectae obligationis.

Hanc sententiam sustinent DESCOQS[9], MARTÍNEZ DEL CAMPO[10], aliique auctores.

413. 4.ª *Nostra sententia.* Nos vero defendimus ut certum contra Kant, et ut probabilius contra alios auctores scholasticos, nos non posse cognoscere nos esse *perfecte* obliga-

[3] *De iust. et iure* tr.1 d.4 n.1 Cf. DÍEZ ALEGRÍA, *El fundamento ontológico de la obligación en Ign. Martins y en Luis de Molina:* Pens 7 (1950) 5-29.
[4] *De iust. et iure* l.1 q.4 a.2.
[5] *In 1-2, De leg.* d.7 s.1 n.1.
[6] *Comp. Phil. mor.* p.50ss.
[7] *Instit. Phil. moralis* d.3 s.3
[8] *Ensayo de Derecho nat.* v.1 n.94ss.
[9] *Theol. nat.* 1 p.455-523.
[10] *Theol. naturalis* ed. 2.ª p.101ss.

tos ad servandum ordinem moralem, nisi prius cognoscamus Deum talem ordinem statuisse, ac absolute a nobis velle ipsius observantiam. Ultro concedimus nos posse, independenter a cognitione voluntatis Dei, experiri sensum *alicuius* obligationis moralis, quae tamen ab intellectu nullo modo rationabiliter categorice posset imponi voluntati, antequam ille videat fundamentum capax sustinendi illam obligationem, quod fundamentum non est nisi ens supremum illud determinate exigens a nobis.

Hanc sententiam existimamus longe communiorem apud auctores, ac nominatim defenditur a S. THOMA[11], S. BONAVENTURA[12], SUÁREZ[13], LUGO[14], BILLUART[15], MACKSEY[16], MEYER[17], NIVARD[18], GÜENECHEA[19], BILLOT[20], MONNIER[21], CATHREIN[22], ut tantum aliquos nominem.

414. Probatur. 1. *Ex dependentia morali absoluta obligationis.* Obligatio perfecta, quam lex naturalis importat, nequit in concreto cognosci nisi ut relatio dependentiae moralis absolutae. *Atqui* relatio dependentiae moralis absolutae *a*) nequit percipi antecedenter ad cognitionem voluntatis divinae, *b*) hac vero cognita plene intelligitur. *Ergo* obligatio perfecta legis naturalis unice agnoscitur ex voluntate divina cognita.

Mai.: Nam se cognoscere sub tali obligatione est se cognoscere moraliter et absolute dependentem, cum illa obligatio absoluta se praebeat ut aliquid obiectivum, necessario et absolute impositum voluntati aliunde physice liberae.

Min.: *a*) Nam terminus correlativus sufficiens relationis dependentiae absolutae, cum dependentia absoluta supponat supremum superiorem ita voluntatem ligantem ut nemo possit se ab illo vinculo liberare, nequit esse alius quam voluntas divina, cuius infinita excellentia exigit absolutam subordinationem.

b) Cognita divina voluntate, exsistit iam in voluntate hu-

[11] 2 *Dist.* q.3 a.3 ad 3; *De verit* q.17 a.3; 1-2 q.100 a.1 ad 1.
[12] 2 *Dist.* 39 a.1 q.3.
[13] *De leg.* l.2 c.6 n.7.
[14] *De Incarn.* d.5 s.3.
[15] *De leg.* d.2 a.2.
[16] *Ethica* p.115ss.
[17] *Inst. Iur. Nat.* 1 n.223.
[18] *Ethica* p.113-135.
[19] *Princ. Iuris Pol.* 2 p.78-93.
[20] *De Deo Uno* p.49-52; *Le providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale de salut:* Etudes 164 (1920) 384-404; 165 (1920) 515ss.
[21] *L'existence de Dieu et l'obligation morale:* RevPhil 25 (1914) 354-371.
[22] *Filos. morale* 1 p.422ss.

mana determinatio vel ad actum obedientiae—imputabilem ad praemium—vel ad offensam Dei—imputabilem ad poenam—, in quo obligatio moralis consistit. Nam offensa consistit praecise in substractione honoris debiti personae determinatae; substractio vero honoris debiti supponit Dominum esse invitum in illa substractione; nequit vero esse invitus si non infringatur praeceptum eiusdem et ante infractionem talis voluntatis debet cognosci exsistentia voluntatis invitae.

415. 2. *Ex principio connexionis cum fine.* Obligatio perfecta legis naturalis nequit admitti, nisi agnoscatur: *a*) finis absolute ratione sui prosequendus; *b*) necessitas se determinandi bene moraliter ad hunc finem assequendum. *Atqui* ante cognitionem voluntatis divinae neutrum agnoscitur. *Ergo* antecedenter ad voluntatis divinae cognitionem non cognoscitur obligatio perfecta.

Mai.: Nam ratio obiectiva omnium determinationum voluntatis est finis ideoque admitti nequit necessitas absoluta se determinandi nisi ob finem: *a*) absolute ratione sui prosequendum; *b*) qui talem determinationem exigat.

Min.: *a*) Non finis absolute ratione sui prosequendus: nam talis finis non est nisi Deus, ante cognitionem Dei non agnoscitur talis finis.

b) Non necessitas se determinandi bene moraliter ad hunc finem consequendum: nam necessario non exigitur observantia ordinis moralis nisi haec requiratur ad vitandam displicentiam et offensam Dei, quod non cognoscitur nisi cognoscatur Deum velle observantiam ordinis moralis [23].

416. Scholion. 1. De morali independenti seu laica. Kant innumeros assecutus est asseclas inter recentiores philosophos. Hi enim, innixi principio kantiano de autonomia morali, reiiciunt omnem moralem quae principium obligationis extra ipsum hominem quaerat. Homo enim iuxta ipsos, bonum facere, vel malum vitare debet non propter spem praemiorum aut timorem poenarum, nec propter hominum aestimationem aut reprobationem, sed unice quia interne experitur hoc facere debere.

Reiiciunt pariter omnem obligationem moralem exterius impositam. Aliqui et ipsum imperativum categoricum renuunt, ac obligationem moralem consistere dicunt in quodam iuramento spontaneo quo homo sese ligat ad faciendum quod est sibi conforme, ad vitandum vero contrarium, quin tamen ad illud detur vera et stricta obligatio. Iuxta aliquos unusquisque habet obligationem faciendi bonum propter motiva quae ipsi videantur iusta.

---

[23] Optime totam hanc rem declarat BILLOT, *De Deo Uno et Trino* p.49-52; et in Etudes 164 (1920) 392-395.

Haec ergo moralis omnino a Deo praescindit, negando Illum esse ultimum finem et creatorem hominis, normam supremam moralitatis, principium obligationis et sanctionis, auctorem legis naturalis; ac proclamando hominem et societatem prorsus a Deo independentes.

Patet ex dictis, huiusmodi doctrinam esse erroneam in omnibus suis placitis; ipsamque destruere moralitatem. Quaecumque enim motiva proponantur ad statuendam veram et strictam obligationem moralem, praeter voluntatem divinam, carent valore[24].

417. 2. **De obligationis imperfectae principio.** Praeter perfectam obligationem, de qua egimus, quae est absoluta et obiectiva, exsistit alia obligatio imperfecta, seu necessitas de facto in ordine morali aliquid faciendi vel omittendi, tamen vel non absoluta, vel non obiectiva. Ad hanc experiendam non est necesse ad voluntatem divinam recurrere, imponitur enim propter alia diversa motiva; v. c. propter conformitatem cum natura rationali qua tali, propter necessitatem servandi ordinem essentialem rerum, propter necessitatem cooperandi ab bonum societatis, a qua tanta bona accepimus, propter propriam dignitatem servandam... Hanc obligationem imperfectam omnes experiuntur et profitentur, etsi ad cognitionem Dei non pervenerint. Importat etiam determinatas consequentias, v. c. reatum poenae, etsi non aeternae, et aliquam displicentiam divinam.

Si utramque obligationem inter se comparamus videmus in utraque eamdem essentiam inveniri, nempe ordinem sese naturae rationali imponentem diversa tamen ratione.

Exsistit ergo in nobis aliqua obligatio, ex necessitate conformandi actus nostros cum recto ordine exorta; haec vero obligatio imperfecta per cognitionem voluntatis divinae perficitur; et roboratur divina sanctione.

418. 3. **De peccato philosophico**[25] 1) Quid sit. In omni peccato duplex malitia distingui potest: alia contra naturam rationalem, alia vero contra legem divinam. Prima vocari solet peccatum philosophicum, secunda vero peccatum theologicum.

Peccatum ergo philosophicum est actus humanus naturae rationali qua tali disconveniens; peccatum autem *theologicum* est actus humanus offensivus Dei, quia est contra divinam voluntatem.

419. 2) Momentum quaestionis. Haec duplex malitia *de facto* inseparabilis est, nam omnia quae sunt contra naturam rationalem qua talem lege naturali a Deo prohibentur. Quaestio unice agitari potest in ordine intentionali, seu utrum in mente agentis utraque malitia inseparabiliter semper exsistat, ita ut semper ac apprehendatur malitia contra naturam rationalem qua talem, apprehendatur etiam malitia contra Deum; an vero possit aliquis actum ponere cognoscendo illum ut naturae disconvenientem, quin tamen sciat a Deo prohiberi.

Quaestio potissimum agitatur propter atheos, non enim videtur repugnare invincibilis Dei ignorantia in homine habente usum rationis

[24] Cf. Cathrein, *Fil. morale* v.1 p.427ss; Minteguiaga, *La moral independiente* c.8 p.133-151; c.12 p.211-228; c.14-17 p.246-304.

[25] Beylard, H., *Le peché philosophique:* NouvRevPhil 62 (1935) 590-616; 671-698; Deman, *Peché:* DTC 12,261ss; Hellín, *Theol. nat.* p.254 et 268.

saltem per breve tempus; si vero intra hoc tempus quis actionem contra naturam rationalem qua talem committeret, peccato philosophico peccaret, non autem theologico.

420. 3. SENTENTIAE. *a*) Aliqui existimant peccatum philosophicum esse *absolute impossibile*, eo quod credant prorsus repugnare quod quis apprehendat aliquid ut naturae rationali contrarium, ac proinde vitandum, quin simul saltem in confuso, advertat illud esse etiam contra voluntatem ordinatoris naturae rationalis; seu aliis verbis quin simul advertat illud esse prohibitum ab auctore naturae; quo in casu saltem in confuso illa actio esset etiam contra superiorem naturae rationalis, contra eius voluntatem, ac proinde offensa Illius, seu peccatum theologicum.

Ait BILLUART: "dato quod quis posset ignorare invincibiliter ad breve tempus Deum esse, hoc ipso quod peccaret, cognosceret esse Deum quia cognosceret se peccare contra legem naturalem, consequenter contra Auctorem legis, sicque in ipsa cognitione legis cognosceret saltem implicite Legislatorem. Et hinc colliges non posse dari peccatum mere philosophicum, id est quod sit contra solam rationem et non contra Deum nec eius offensa" [26]. Similiter VIVA [27], BILLOT [28], qui iudicat hominem non agnoscentem Deum neque notionem boni et mali habere posse, MENDIVE [29], ac multi alii auctores.

421. *b)* Alii vero dicunt hominem habentem usum rationis posse invincibiliter exsistentiam Dei per accidens ignorare diu vel saltem per breve tempus; ita v.c. URRABURU [30], DESCOQS [31], HELLIN [32], sequentes scholasticos antiquos insignes v.c. ARRIAGA [33], aliosque magnos auctores. Cum ergo possit dari ignorantia Dei in homine qui habeat usum rationis expeditum quamvis *raro*, non apparet ulla repugnantia in eo quod ille homo apprehendat aliquam actionem ut contrariam naturae rationali qua tali, et ut talem ponat; quo in casu commiteret peccatum philosophicum, minime vero theologicum. Quod utique *raro accidere poterit*. Quae doctrina mihi praeferenda videtur.

Neque haec doctrina ut damnata ab Ecclesia habenda est [34], a qua damnatur utique hoc accidere posse *frequenter*, vel in illo qui cum iam cognoscat Deum actu de Illo non cogitet; non vero posse accidere *raro*, in eo qui invincibiliter Deum ignoret.

Atheus vero, dum ignorantia invincibilis Dei perduret, non potest perfectam obligationem experiri. Haec vero ignorantia solummodo durare potest donec nulla adsit occasio vel motivum dubitandi ac reflectendi supra rationes ad cognitionem Dei perducentes; cum vero adest occasio inhoneste agendi datur iam motivum reflectendi; et si adhibet moralem diligentiam perveniet ad cognitionem Dei, et cognoscet actionem contra naturam esse etiam contra voluntatem ordinatoris naturae.

---

[26] *De peccatis* d.1 a.2 *in fine*.
[27] *Damnatarum Thesium Theol. trutina* t.1 pars 3 p.371 (ed. Patavii 1732).
[28] *De Deo Uno* p.49-52.
[29] *Ethica* n.240.
[30] *Theodicea* 1,181-190.
[31] *Theol. Nat.* 2,445ss.
[32] *Theol. Nat.* p.268ss.
[33] *In 1-2, De act. hum.* d.19 s.10 n.44-47.
[34] DB 1290.

422. Obiectiones. 1. Argumentum fundatur in impossibilitate cognoscendi dependentiam ab aliquo, antequam cognoscatur terminus correlativus a quo quis dependeat. *Atqui* non requiritur cognoscere prius terminum a quo quis dependet ut cognoscatur dependentia. *Ergo* ad cognitionem obligationis non requiritur cognitio voluntatis divinae [35].

Resp. Conc. mai. Neg. min.

2. *Prob. min.* Sicut ex contingentia rerum probamus exsistentiam Dei; a pari ex exsistentia dependentiae demonstramus exsistentiam superioris a quo quis dependet. *Atqui* ad probandam contingentiam rerum non requiritur ut prius cognoscatur Deus. *Ergo* a pari ad cognoscendam dependentiam non requiritur ut prius cognoscamus voluntatem divinam.

Resp. Conc. mai. Conc. min. Sed *nego paritatem.* Nam contingentia non est terminus relativus; solum significat indifferentiam ad exsistentiam, quae optime cognoscitur ex ipsa natura rei; dependentia vero est terminus formaliter relativus.

3. Hoc praeceptum: *bonum est faciendum, malum est vitandum* continet veram obligationem. *Atqui* hoc cognoscitur independenter a cognitione voluntatis divinae. *Ergo* et obligatio cognoscitur.

Resp. Dist. mai.: si sumatur reduplicative, ut praeceptum, *conc.;* si vero sumatur simpliciter ut aliquod enuntiatum in ratione merae honestatis, *subd.:* aestheticam, *conc.;* stricte perfectam, non cognita voluntate divina, *neg. Contrad. min.*

4. Ante cognitionem voluntatis divinae natura rationalis exigit stricta obligatione, media absolute necessaria ad finem ultimum consequendum. *Atqui* ante cognitionem voluntatis divinae cognoscit natura rationalis hoc medium absolute necessarium esse bonum facere et malum vitare. *Ergo* etiam non cognita voluntate divina hoc enuntiatum est vere obligans stricta et morali obligatione.

Resp. Dist. mai.: Exigentia decentiae, *conc.;* exigentia stricta morali, *neg.,* ante cognitum Deum nequit homo cognoscere finem ultimum qui absolute a natura exigatur. *Contrad. min.*

5. Si non exigeretur a natura stricta necessitate conformitas cum ipsa posset quis licite contra ipsam agere. *Atqui,* etiam ante cognitionem voluntatis divinae, absurdum est posse aliquem licite agere contra naturam. *Ergo* exigitur a natura stricta necessitate, ante cognitionem voluntatis divinae, conformitas cum ipsa.

Resp. Dist. mai.: licite, positiva liceitate, *neg.;* ad hoc requiritur praeceptum positivum illud approbans; liceitate negativa, *subd.:* ita ut etiam tunc dedeceret fractio illius quod a natura postulatur, *conc.;* secus, *neg. Decet* quod est conforme cum natura rationali qua tali; *dedecet* quod est cum ipsa deforme; *licet* quod est secundum legem; *non licet* quod est contra legem.

6. Quod natura sua quemquam decet vel dedecet exhibet finem absolute prosequendum stricta obligatione, ex sola sui consideratione. *Ergo* etiam independenter a voluntate divina, quod natura sua decet vel dedecet aliquem est obligatorium stricta obligatione.

Resp. Dist. mai.: absolute prosequendum stricta obligatione ante praeceptum divinum, *neg.;* obligatione decentiae, *conc. Contrad. min.*

[35] Cf. GÜENECHEA, *Principia Iuris politici* v.2 p.89ss; NIVARD, *Ethica* p.132; HELLÍN, *Theol. Nat.* p.251-256.—In contrarium vero: ELTER, *Compendium Phil. moralis* p.58ss; DESCOQS, *Theol. Nat.* 1 p.517-523.

7. De facto ad posse valet illatio. *Atqui* sunt multi qui expresse dicunt se experiri in se ipsis strictam obligationem moralem, et tamen negant Deum. *Ergo* ad strictam obligationem cognoscendam non requiritur cognitio voluntatis divinae.

Resp. Conc. mai. Ad min.: 1) nego in primis posse dari atheos inter illos qui habent usum rationis sufficienter evolutum, saltem per longum tempus; 2) in hypothesi quod darentur, tunc negamus illos experiri veram et strictam obligationem moralem; daretur in illis quaedam necessitas seu obligatio imperfecta, non vero categorica et absoluta, nam careret fundamento.

8. Praeceptum alicui personae impositum nequit illam ligare nisi praesupponatur illam esse prius subditam praecipienti. *Atqui* subiectio supponit iam obligationem. *Ergo* datur obligatio ante praeceptum superioris.

Resp. Dist. mai.: subditam i.e. inferiorem, *conc.;* subditam reduplicative, *neg. Contrad. min.:* supponit praeceptum seu obligationem possibilem, *conc.;* actualem *subd.:* subiectio reduplicative sumpta, *conc.;* subiectio sumpta ut inferioritas, *neg.* Multi sunt physice inferiores et non sunt ligati praecepto. Si Deus non daret praeceptum, esset Dominus generis humani, sed non haberet iurisdictionem actualem, sed solum possibilem. Dominium physicum et iurisdictio non sunt idem.

9. Principium saepe repetitum *nemo se ipsum ligat* non est verum. Nam qui facit votum aut contractum init, contrahit veram obligationem. *Atqui* illa obligatio voti vel contractus a se ipso alicui imponitur. *Ergo* potest quis se ipsum ligare stricta obligatione.

Resp. Dist. mai.: ponit conditiones necessarias ad obligationem strictam, *conc.;* ponit causam strictae obligationis, *neg. Contrad. min.*

10. Admissa sententia theseos tollitur necessarium discrimen inter legem naturalem et positivam; immo tollitur ratio sufficiens cuiusquisque obligationis moralis. *Atqui* necessario debet admitti discrimen inter legem naturalem et positivam et ratio sufficiens obligationis moralis. *Ergo* thesis nequit admitti.

Resp. Neg. mai.

11. *Prob. mai.:* Essentiale discrimen inter legem naturalem et positivam nequit haberi nisi ratione diversi principii formalis utriusque. *Atqui* iuxta doctrinam theseos principium formale legis naturalis est idem ac legis positivae, nempe voluntas divina. *Ergo* in sententia theseos tollitur discrimen essentiale inter legem naturalem et positivam.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: voluntas divina, sed in lege naturali hypothetice necessaria, et in positiva omnino libera, *conc.;* eodem modo, *neg.*

12. Quod lex praecipiat necessario vel libere, non tangit praeceptum in ratione praecepti, sed solum habitudinem eius ad voluntatem divinam. *Atqui* in utroque casu praeceptum qua tale eamdem formalem rationem habet. *Ergo* differentia quoad modum non attingit formale principium legis naturalis et positivae.

Resp. Neg. mai.: nam haec differentia attingit ipsam rationem formalem praecepti.

13. Obligatio pendet ab hoc principio: *Deo praecipienti paren-*

dum est. Atqui hoc principium non pendet a voluntate Dei. *Ergo* obligatio non pendet a voluntate Dei.

Resp. Dist. mai: obligatio legis positivae, *trans.;* legis naturalis *neg. Contrad. min.:* non pendet quoad obligationem imperfectam i.e. quoad intrinsecam honestatem, *conc.;* quoad obligationem perfectam, *subd.*: si intelligatur per modum praecepti absoluti et actu iam obligantis, *neg.;* si solum hypothetice intelligatur per modum principii mere speculativi, *conc.*

ARTICULUS V

DE SANCTIONE LEGIS NATURALIS

§ 1. **De exsistentia, natura et tempore sanctionis**

Thesis 19. Exsistit legis naturalis sanctio (I); in hac quidem vita non nisi insufficiens et imperfecta (II); in futura vero sufficiens et perfecta (III); in ultimi finis consecutione vel amissione sita (IV).

Cf. S. TH., 1-2 q.87 a.1-5; 3 CG, c.140-145; MINTEGUIAGA, *La moral independiente* c.14-20; CATHREIN, *Fil. morale* v.1 p.464ss.

423. Nexus. Explicatis legis naturalis exsistentia, natura, eiusdemque effectu formali, restat ut nunc agamus de attributo generali legis, quod est sanctio. Legem sancire idem sonat ac illam inviolabilem sive sanctam reddere. Volumus determinare eiusdem exsistentiam, naturam intimam, tempus in quo habeatur, et durationem ipsius. Duabus thesibus his omnibus quaestionibus responsum dabimus.

424. Notiones. SANCTIO. DEFINITIO: In genere denotat id quo lex fit sacra, seu inviolabilis. Potest considerari active vel passive:

a) *Active* est decretum legislatoris, quo praemia vel poenae statuuntur pro observantibus vel transgredientibus legem. b) *Passive* est ipsum praemium vel poena stabilita. *Poena* vero est malum physicum inflictum propter malum morale; *praemium* autem est bonum physicum concessum propter bonum morale.

425. DIVISIO: a) *Interna* quae ex natura ipsius actionis procedit v.c. remorsus conscientiae, tranquillitas animae; b) *Externa* quae a causa extrinseca procedit, v.c. mulcta pecuniaria; c) *Sufficiens* (efficax, perfecta) qua ex se valet impellere voluntatem ad observandam legem. Potest esse: *absolute* si pro omnibus hominibus et pro omni casu valet;

relative: si pro certis personis, adiunctis casibus solummodo valet; d) *Insufficiens* (inefficax, imperfecta) quae ad observantiam legis non impellit voluntatem in difficilioribus adiunctis.

N. B. Conceptus *perfectae vel imperfectae* sanctionis desumitur potius ex proportione inter sanctionem et meritum vel demeritum.

426. Finis: Triplex assignari potest: a) *incitatio* ad ordinem moralem servandum, per comminationem praemiorum vel poenarum; b) *retributio* debita pro merito vel demerito, complendo hoc modo vel reparando ordinem per exsecutionem sanctionis; c) *emendatio delinquentis.* Duo priores fines sunt primarii; tertius est secundarius et accidentalis, ideoque plerumque potest negligi.

427. *Reliqua verba* constant e thesibus praeteritis, v.c. *vita praesens* vel *futura, lex naturalis, ultimus finis.* Ultimus finis intelligitur intrinsecus seu beatitudo.

428. Status quaestionis. Agitur de sanctione *passive* sumpta, et de sanctione naturali, seu de illa quae secundum ordinem naturalem a Deo constitutum custodiam vel violationem legis consequitur; praescindimus ab iis, quae revelatio supernaturalis nos docet.

Thesis habet *quattuor partes*: In *prima* quaeritur utrum detur sanctio legis naturalis; in *secunda* qualis detur in hac vita; in *tertia* agitur de sanctione in alia vita; denique in *quarta* investigatur in quo consistat in concreto sanctio sufficiens in alia vita habenda.

429. Sententiae. 1.ª Non admittentes exsistentiam alterius vitae consequenter negant sanctionem in altera vita; sed ii ipsam legis naturalis exsistentiam negare solent; ut *Metempsychosistae, et plerique rationalistae.* Auctores heterodoxi nullam aliam sanctionem legis admittunt, nisi quae in hac vita habeatur.

2.ª *Stoici, Kantiani, evolutionistae, rationalistae,* negant quamlibet sanctionem legis eo quod admissa sanctione destrueretur moralitas.

3.ª Nominatim Guyau moralem aliquam proclamat omni prorsus sanctione destitutam [1].

[1] *Esquisse d'une morale sans obligation ni sanction* (ed. 20, Paris 1930); cf. Minteguiaga, *La moral independiente* p.347ss.

4.ª *Nostra sententia.* Defendimus ut omnino certum cum omnibus auctoribus theistis haec quae clare enuntiantur in thesi.

Probatur. 1.ª Pars. Exsistit legis naturalis sanctio.

430. 1. *Ex divinis attributis.* Attributa divina postulant sanctionem legis naturalis. *Ergo* datur.

Antec.: a) *Sapientia,* sine illa enim gubernatio divina nequiret esse suavis et efficax; b) *iustitia,* quae exigit ut praemia et poenae condigna dentur pro custodia vel violatione suae legis; c) *sanctitas,* quae non potest indifferenter se habere erga virtutem et vitium, aequo amore bonos et malos prosequendo, quod accideret si lex naturalis sanctione non firmaretur; d) *maiestas,* quae postulat ut si quis eam practice contempserit ad eamdem cognoscendam sanctione reducatur.

431. 2. *Ex efficacia divinae legis.* Lex sanctione destituta caret robore convenienti ad subditos fortiter impellendos ad sui observantiam. *Atqui* Deus, sapientissimus gubernator, non potest condere legem convenienti robore destitutam ad sui observantiam fortiter urgendam. *Ergo* exsistit legis naturalis sanctio.

Mai.: Homines generatim non moventur ad honeste agendum sola pulchritudine virtutis aut turpitudine vitiorum; sed indigent alicuius commodi vel damni excitatione ut patet experientia; aliunde necessitas physica ad legis observantiam nequit admitti ut contraria libertati.

2.ª Pars. 1. Exsistit aliqua sanctio in hac vita.

432. *Ex experientia.* In hac vita plura bona physica cum virtutis exercitio, plura vero mala cum exercitio vitii coniunguntur. *Ergo* datur etiam in hac vita aliqua sanctio legis naturalis.

Antec.: a) Aliqua *essentialiter* i.e. ut affectus talium actionum habentur, v.c. habitus boni vel mali, iucunditas actus boni, remorsus, tranquillitas animi.

b) Alia *connaturaliter,* i.e. ipsa constitutione compositi humani habentur, v.c. temperantia vires corporis ac valetudinem conservat, e contra vitium non raro corpori nocet et mortem accelerat.

c) Alia *moraliter,* i.e. ex recto modo opinandi hominum, v.c. bona fama, honores, amicitia virtutem consequi solent, e contra mala fama vitium.

d) Alia *socialiter*: prosperitas enim societatis ex virtute

civium, interitus e contra e vitio eorumdem evenire solet, teste historia [2].

2. **Insufficiens et imperfecta.**

433. *Ex defectu proportionis et efficacitatis.* In hac vita sanctio legis nec habet proportionem nec efficacitatem. *Ergo* est insufficiens et imperfecta.

Antec.: a) *Non adest proportio*: maior sanctio in hac vita consistit in angoribus conscientiae, qui si non penitus extingui, possunt tamen magnopere minui, ut experientia constat, ita ut quo quis magis legem naturalem violet, minus tales angores et remorsus experiatur. E contra in viris probis non semper datur maior interna approbatio conscientiae.

b) *Non est efficax*: sunt enim casus in quibus observantia ordinis naturalis postulat amissionem honoris, iacturam bonorum propriorum et familiae, ipsam vitam. Haec vero efficaciter urgeri nequeunt qualibet sanctione huius vitae. Etiam extra hos casus extraordinarios experientia constat sanctionem legis naturalis insufficientem esse in hac vita ad pugnam quotidianam contra pravas cupiditates superandam [3].

3.ª Pars. Sufficiens et perfecta in vita futura.

434. *Ex providentia divina.* Providentia divina exigit legis naturalis perfectam et sufficientem sanctionem. *Atqui* in hac vita non datur. *Ergo* debet dari in vita futura.

Mai.: Cum Deus serio velit legis naturalis fidelem observantiam, debet velle etiam media apta ad illam urgendam. Iam vero sanctio insufficiens non est medium aptum, cum non sit capax obtinendi effectum intentum; alia vero media, quin tollant libertatem, non dantur. Sanctio vero sufficiens et perfecta est medium aptum quia efficaciter movet, quin tollat libertatem.

4.ª Pars. In ultimi finis assecutione vel amissione sita.

435. *Ex efficacitate sanctionis.* Sanctio absolute sufficiens illa est quae efficaciter in omni hypothesi homines ad observantiam eiusdem movere valet. *Atqui* talis est sola hypothetica consecutio vel amissio perfectae beatitudinis. *Ergo* sanctio perfecta et sufficiens legis naturalis alterius vitae

[2] Cf. MINTEGUIAGA, *l.c.* p.262ss.
[3] Cf. MINTEGUIAGA, *l.c.* p.271ss.

consistit in assecutione vel amissione beatitudinis perfectae.

Mai.: Ex definitione sanctionis sufficientis et perfecte efficacis.

Min.: Agens solo intuitu boni proprii supremi et perfecte satiantis impellitur ad mortem vel ad mala omnia etiam gravissima subeunda antequam ordinem moralem transgrediatur. *Atqui* unice beatitudo perfecta est tale supremum bonum proprium plene naturam humanam satians. *Ergo* sola hypothetica consecutio vel amissio beatitudinis perfectae est sanctio sufficiens et perfecta.

436. Scholion. 1. Quandonam incipiat sanctio in alia vita. Ratio sibi derelicta nequit cum certitudine probare, utrum statim post mortem necne; etsi valde rationi sit consentaneum ut statim post mortem incipiat praemium vel poena legis naturalis; hoc tamen certo constat ex revelatione[4].

437. 2. **Utrum addatur sanctio aliqua accidentalis.** In thesi praescindimus etiam a quaestione utrum assecutioni vel amissioni beatitudinis sint adiungenda alia praemia vel poenae *accidentalia;* ex sola ratione probabile apparet, sed non omnino certo demonstrari potest; ex revelatione etiam certo constat[5].

438. Obiectiones. 1. *Contra primam partem.* 1. Sanctio mali auget malum—nam est malum physicum additum malo morali—; sanctio boni corrumpit bonum—nam inducit ad agendum propter praemium—. *Ergo* sanctio legis reiici debet.

Resp. Neg. antec. In sanctione mali sunt utique duo mala, sed ex cuius synthesi resultat aliquod bonum, scilicet restauratio ordinis. Sicut in corpore humano corruptio alicuius membri est aliquod malum, amputatio eiusdem est etiam aliquod malum; nemo tamen concludet: ergo amputatio membri non debet fieri. Si malum morale non sanciretur malo physico non daretur utique aliquod malum physicum particulare, sed adesset aliud malum universale, scilicet deordinatio, quod est malum Dei. Negatur pariter agere propter praemium esse malum.

2. Agere spe praemiorum, vel metu poenarum ab actione retrahi est modo imperfecto agere. *Atqui* sanctio nos induceret ad hunc modum imperfectum operandi. *Ergo* non exsistit sanctio legis naturalis in praemiis vel poenis physicis consistens.

Resp. Dist. mai.: modo positive imperfecte, *neg.;* negative imperfecto seu minus perfecto, *subd.:* si excludantur alia motiva actionis, *conc.;* si illa non excludantur, et illis hoc motivum superaddatur, *neg. Contrad. min.* Natura hominis ita est constituta ut indigeat hoc stimulo proprii boni ad operandum; ideo hic modus operandi non solum non est malus sed est positive bonus.

3. Est positive malum quod tollit observantiae legis rationem meriti. *Atqui* cum lex observatur propter praemium vel poenam

[4] Cf. Martínez Gómez, *¿Qué hay sobre el infierno?* (Madrid 1936) p.97ss
[5] Cf. Martínez Gómez, *o.c.* p.53-57.

aufertur ab observantia eiusdem ratio meriti. *Ergo* operari propter praemium et poenam est positive malum.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si in observantia legis explicite excludatur omnis respectus ad legem, *conc.;* si respectus ad legem non excluditur, *neg. Dist. pariter cons.*

4. Qui propter praemium vel poenam operatur in loco virtutis et officii collocat proprium commodum, ac in loco moralitatis utilitatem. *Atqui* hoc est positive malum. *Ergo* qui operatur propter praemium vel poenam positive male operatur.

Resp. Dist. mai.: ut antea: si excludatur omnis respectus ad legem, ita ut quis solummodo in operatione attendat ad propriam utilitatem, *conc.;* si vero hoc non accidat, ut explicatum est, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

5. Qui facit quod facere debet, nihil meretur. *Atqui* qui legem naturalem observat facit quod facere debet. *Ergo* nihil prorsus meretur, ac proinde non datur praemium pro observantia legis naturalis.

Resp. Dist. mai.: propter legis observantiam nihil meretur, *conc.;* propter voluntatem legislatoris, qui tale praemium promisit illis qui legem observent, ad compensandum obsequium etsi debitum acceptum, *neg. Contrad. min.*

2. *Contra secundam partem.* 6. In hac vita vitia etiam maxima, coniunguntur cum maxima felicitate et voluptate; e contra virtutes, etiam heroicae, coniunguntur cum miseria. *Atqui* si in hac vita daretur sanctio legis naturalis contrarium deberet accidere. *Ergo* in hac vita nulla exsistit sanctio legis naturalis.

Resp. Dist. mai.: vitia... cum felicitate apparenti, quae tamen revera maximis doloribus et angoribus laborat, *conc.;* cum vera felicitate, *neg.;* contrarium vero accidit in virtute. *Contrad. min.*

7. Inobservantia legis persaepe plures affert utilitates, tum sibi, tum familiae v.c. abundantiam bonorum, pacem, prosperitatem socialem...; e contra observantia legis contra haec omnia plerumque volvitur. *Ergo* vitia plerumque in hac vita coniunguntur cum vera felicitate, e contra virtutes cum infelicitate; proinde in hac vita non datur sanctio, neque imperfecta legis naturalis.

Resp. Dist. antec.: et illa eveniunt per se, seu ratione sui, ex inobservantia vel observantia legis, *neg.;* per accidens, *subd.:* ita ut simul, si virtus constanter colatur, et vitium vitetur, plura bona virtus, plura vero mala vitium inseparabiliter afferat, *conc.;* secus, *neg. Dist. pariter cons.*

8. In hac vita mali et boni aeque vexantur malis et incommodis, et eodem modo participant e bonis. *Atqui* si daretur sanctio etsi imperfecta legis naturalis in hac vita, haec aequalitas non deberet dari. *Ergo* etiam si constanter colatur virtus observantia legis non affert per se sanctionem.

Resp. Dist. mai.: vexantur aeque malis essentialiter connexis cum vitio, vel participant aeque bonis essentialiter connexis cum virtute, *neg.;* malis vel bonis connaturaliter vel moraliter, vel socialiter connexis, *subd.:* aeque vexantur vel deprimuntur, vel gaudent, *neg.;* ita ut mali sine solatio premantur, boni vero cum solatio conscientiae, cum pace, spe et hoc modo facilius illa mala ferant, *conc. Contrad. min.*

Bona praeterea huius vitae pro malis habent rationem praemii pro illis bonis actionibus quas aliquando ponunt, nam in alia vita

pro illis non erit retributio; pro bonis vero mala huius vitae habent rationem punitionis pro malis actionibus, quas habent.

9. Boni saepe scrupulis et angoribus torquentur, mali e contra saepe remorsum conscientiae non sentiunt, sed e contra pace fruuntur. *Atqui* ex dictis, haec sunt quae coniunguntur essentialiter cum observantia vel inobservantia legis. *Ergo* nulla sunt bona vel mala quae essentialiter coniunguntur cum exercitio virtutis vel vitii.

Resp. Dist. mai.: torquentur vel non sentiunt perpetuo, *neg.;* aliquando, *conc. Conc. min. Dist. pariter cons.*

10. Constat exemplis bona huius vitae, v.c. honorem, gloriam, divitias aliaque eiusmodi etiam ipsam vitam compensare. *Ergo* datur perfecta sanctio legis naturalis in hac vita.

Resp. Dist. antec.: compensare semper et apud omnes, *neg.;* apud aliquos et in quibusdam circumstantiis, *conc. Dist. pariter cons.*

11. Amissio vel assecutio beatitudinis in altera vita non est etiam sanctio sufficiens, nam non valet ad inducendos homines semper et in omni circumstantia ad observantiam legis naturalis. *Ergo,* si hoc requiritur ad sanctionem sufficientem, neque in alia vita datur sanctio sufficiens legis naturalis.

Resp. Dist. ant.: ex natura ipsius sanctionis, *neg.;* ex eo quod homines leviter illam considerant, vel culpabiliter iudicant illam non dari, vel ex abusu suae libertatis, *conc. Dist. pariter cons.* Sanctio non debet destruere libertatem hominis.

§ 2. De inaequalitate et duratione sanctionis

Thesis 20. Poenae et praemia alterius vitae non erunt pro omnibus aequalia (I); utraque vero aeterna (II).

S. Th., 3 CG c.142-144; Suárez, *De vitiis et peccatis* d.7 s.3; Minteguiaga, *La moral independiente* p.328ss; Cathrein, *Fil. morale* 1 p.473ss; Beraza, *De novissimis* p.473ss; Martínez Gómez, *¿Qué hay sobre el infierno?* p.43ss; Rondet, H., *Les peines de l'enfer:* NouvRevTh 67 (1940) 397-427; Richard, *Enfer:* DTC 5,458ss; Michel, *Feu de l'enfer:* DTC 5,2196-2239; *Mitigation des peines:* DTC 10,1997-2009.

439. Nexus. Videre volumus nunc utrum sanctio perfecta alterius vitae sit in primis aequalis pro omnibus, et secundo per quod tempus durare debeat.

440. Notiones. Poena est malum physicum inflictum propter malum morale.

Praemium est bonum physicum concessum propter bonum morale.

441. Aeternum: a) *Proprie* definitur quod essentialiter durat sine initio, sine fine, ac sine successione; iuxta classicam definitionem Böethii dici solet: *interminabilis vitae tota si-*

mul et perfecta possessio. Haec aeternitas non datur nisi in Deo.

b) *Improprie* est quod sine termino a parte post duraturum est. Hoc sensu intelligimus aeternum in thesi.

442. Status quaestionis. 1. Thesis habet duas partes. In prima volumus videre utrum detur inaequalitas poenarum et praemiorum an vero omnes prorsus idem recipiant nec in illa est difficultas specialis.

2. In *secunda* agitur de *duratione sanctionis;* et volumus videre utrum sit aeterna. Non est etiam difficultas pro admittenda aeternitate praemiorum; omnes enim qui admittunt immortalitatem animae ultro hoc concedunt; neque illi qui animae immortalitatem infitiantur movent difficultates speciales contra aeternitatem praemiorum. Aliunde sequitur ex ultima parte theseos praecedentis et ex proprietatibus beatitudinis perfectae, quae in suo conceptu aeternitatem eiusdem dicit. Ideo potissimum in thesi agimus de demonstranda *aeternitate poenarum.*

3. *Circa aeternitatem poenarum* distinguere debemus quid doceat fides, quid vero ratio sola demonstret. *Fides* docet legis transgressores aeternis suppliciis cruciandos esse. Quae vero ad suppliciorum naturam spectant—si amissionem visionis divinae excipiamus—non sunt de fide. Tamen Ecclesia doctrinam profitetur sustinentem impios igne etiam materiali torqueri [1].

4. Quaestio proponitur philosophice et volumus videre utrum possit sola ratio *demonstrare* aeternitatem poenarum.

5. Oportet distinguere ad maiorem claritatem quaestionem *iuris* et quaestionem *facti. Quaestio iuris* est utrum aeternitas poenarum a sola ratione cum certitudine nobis manifestetur tamquam *regula generalis,* iuxta quam poenae de se sint aeternae futurae, nisi Deus in casu speciali aliquem damnatum absolvat. *Quaestio facti* est utrum ratio cum certitudine cognoscat poenas in omni casu infligi aeternas, seu Deum numquam, nec per modum exceptionis, damnatum ullum a poena liberare.

443. Sententiae. *Circa aeternitatem poenarum.* 1.ª Aliqui indirecte illam negant, nempe qui negant immortalitatem ani-

[1] Cf. MICHEL, *Feu de l'enfer:* DTC 5,2196-2239; MARTÍNEZ GÓMEZ, *o.c.* p.56.

marum; alii dicunt animas esse potius destruendas quam in aeternum puniendas v.c. VASCONCELOS [2].

2.ª Inter illos qui admittunt immortalitatem, negant tamen in altera vita poenas futuras aeternas, discrimen datur in explicatione:

a) Aliqui affirmant, post aliquam privationem beatitudinis, plus minusve longam, huic privationi succedere pro omnibus assecutionem eiusdem, sic v.c. *millenaristae;* b) Alii dicunt privationi succedere aliam novam vitam, quae denuo suam mereatur sanctionem, sic v.c. *metempsychosistae, spiritistae.*

3.ª Aliqui concedunt de iure poenas debere esse aeternas, nulla ratione probabili salutem sperandam; tamen per gratuitam Dei misericordiam et per intercessionem beatorum *aliquando* poenarum remissionem concedi posse, saltem si abstrahamus a revelatione [3].

4.ª Inter catholicos sunt auctores qui, etsi admittant factum aeternitatis poenarum ex fide, dicunt tamen argumenta ex sola ratione naturali non esse probativa; ideo solent proponere thesim modo negativo, i.e. non potest probari aeternitatem poenarum repugnare [4].

5.ª *Nostra sententia.* Nos defendimus sola ratione naturali demonstrari—quamvis argumenta non sint omnino apodictica—poenas non tantum de iure, sed etiam de facto esse aeternas, seu Deum nullam de facto exceptionem facere in lege imponente aeternam sanctionem transgressoribus divinorum praeceptorum.

Probatur. 1.ª Pars: Poenae et praemia erunt inaequalia.

444. 1. *Ex sapientia divina.* Sapiens legislator debet non solum per praemia attrahere ad bonum et per poenas a malo retrahere, sed etiam debet allicere bonos ad meliora, et malos a peioribus retrahere. *Atqui* Deus hoc non faceret, si poenae pro malis et praemia pro bonis essent pro omnibus aequalia. *Ergo* poenae et praemia alterius vitae erunt inaequalia.

445. 2. *Ex iustitia distributiva.* Iustitia distributiva postulat ut praemia et poenae distribuantur secundum meritum et dignitatem. *Atqui* haec nec in omnibus bonis, nec in omni-

---

[2] *Etica* 2.ª ed. (Méjico 1939) p.254-259.
[3] Cf. ALONSO GETINO, *Del gran número de los que se salvan* ed. 2 p.313ss.
[4] Cf. BERAZA, *De novissimis* n.1077-1084; MICHEL, *Mitigation des peines:* DTC 10,1997-2009; MARTÍNEZ GÓMEZ, *o.c.* p.147.

bus malis sunt aequalia. *Ergo* neque praemia et poenae debent esse aequalia.

446. Dices: In assecutione vel amissione beatitudinis—quae est praemium et poena essentialis—nequit dari inaequalitas, nam totalis debet dari in omnibus.

Resp. Datur utique aequalis possessio vel amissio seu privatio beatitudinis *extensive*, sed non aequalis *intensive*, quae pendet a maiori vel minori cognitione boni possessi vel amissi, a cognitione facilitatis ad illud assequendum, etc.[5].

2.ª Pars. *a*) **Praemia erunt aeterna.**

447. *Ex definitione beatitudinis.* Perfecta sanctio pro observantia legis naturalis est assecutio beatitudinis perfectae. *Atqui* beatitudo non est perfecta nisi sit aeterna. *Ergo* praemium pro observantia legis naturalis debet esse aeternum.

Mai.: Ex thesi praecedenti (n.435).

Min.: Ex definitione beatitudinis perfectae, quae debet excludere omne malum, proinde etiam anxietatem, incertitudinem circa illam, errorem.

b) **Poenae erunt aeternae** (argumenta saltem suasiva).

448. *Ex efficacitate et perfectione sanctionis.* Sanctio legis naturalis in vita futura habenda debet esse absolute efficax et perfecta. *Atqui* non erit absolute efficax et perfecta nisi poena infligenda transgressoribus eiusdem sit aeterna. *Ergo* poena in altera vita debet esse aeterna.

Mai.: Ex thesi praecedenti (n.434); sanctio enim non efficax non est sanctio vera.

Min.: a) *Sanctio efficax* ex definitione est illa quae ex se vim habet ad avertendum hominem quemlibet a violatione legis naturalis in omni casu et pro omni hypothesi. Nisi vero sanctio malorum sit aeterna non haberet hanc vim. Nam spectata cupiditate hominum et exigua vi qua mala remota et invisibilia alterius vitae hominem movere solent, poena finita, etsi durissima, non esset stimulus sufficiens ad avertendum illum a violatione legis, ut patet experientia; nam poena finita etsi teterrima, ut est poena purgatorii, non multum movet homines, ut eos retrahat a peccato.

[5] Cf. BILLUART, *De peccatis* disp.7 a.4 § 1 pet.3; MARTÍNEZ GÓMEZ, *o.c.* p.161.

Pulchre S. HIERONIMUS: "Finge quotlibet annos, et tempora duplica et infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis, praeteritum omne pro nihilo est. Quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus" (In Io., c.3).

b) *Sanctio perfecta* est illa quae servat proportionem inter offensam et poenam. Nisi vero detur poena aeterna non servatur proportio inter offensam Deo illatam per violationem legis naturalis et poenam. Nam offensa Dei est aliquo modo, i.e. relative, infinita, cum magnitudo offensae dimetiatur a distantia inter offendentem et offensum. Ergo, ut detur proportio inter offensam et poenam, poena debet esse etiam aliquo modo infinita; data limitatione hominis poena non potest esse infinita nisi duratione. Ergo debet esse duratione infinita, seu aeterna.

N. B. Ita probatur quaestio *iuris*. Quaestio vero *facti* quia non habemus rationem ullam ad statuendam exceptionem in lege et quia contrarium esset contra legem ipsam [6].

449. DICES: 1. Privatio beatitudinis utpote privatio obiecti infiniti, etsi sit per tempus limitatum, esset iam poena aliquo modo infinita, scilicet obiective. *Ergo* hoc sufficit ut detur proprortio inter offensam et poenam, quin requiratur poena aeterna [7].

Resp. Neg. ant. Nam illa privatio est aliquod malum creaturae, non Dei; proinde est malum aliquod simpliciter et undequaque finitum. Ergo privatio alicuius boni infiniti, si sit tantum temporalis, non est poena relative infinita.

450. 2. Si magnitudo offensae dimetienda est semper e persona offensa, sequitur peccatum veniale, utpote contra Deum, esse etiam offensam aliquo modo infinitam, ac proinde mereri etiam poenam aeternam. *Atqui* nemo est qui hoc admittat. *Ergo* offensa, ex eo quod sit contra Deum, non ideo est relative infinita, nec proinde meretur poenam aeternam.

Resp. Peccatum veniale analogice tantum convenit cum peccato mortali in ratione offensae divinae; non est offensa divina nisi secundum quid, vel quia non datur plena advertentia, vel plenus consensus, et tunc actus non est perfecte humanus; vel quia materia tam levis est ut in existimatione morali pro nihilo reputetur [8]. Etsi re vera Deo displiceat, Eum non absolute, sed solum secundum quid offendit, cum ordinem ab ipso stabilitum non perturbet etsi eidem aliquatenus adversetur [9].

Aliqui catholici dixerant peccatum veniale de se habere etiam malitiam secundum quid infinitam, ideoque mereri poenam aeter-

[6] Cf. MARTÍNEZ GÓMEZ, *o.c.* p.146.149.
[7] SUÁREZ, *De vitiis et pec.* d.7 s.3 n.7.
[8] Cf. GIMÉNEZ FAJARDO, *Propiedades del pecado venial:* ArchTheolGran 7 (1944) 55-123.
[9] Cf. Haec omnia optime apud SUÁREZ, *De vitiis et pec.* d.2 s.5 n.7-15.

nam, ex Dei tamen benignitate non puniri tali poena; quod tamen nullo modo potest sustineri.

451. 3. Ratio praecipua ad statuendam poenam aeternam est quia secus sanctio legis naturalis non esset sufficiens. *Atqui* neque ipsa poena aeterna est sanctio sufficiens. *Ergo* ex hoc capite nequit statui poena aeterna.

Resp. Dist. mai.: ex parte legislatoris, qui non proponeret motivum vere sufficiens ad avertendum hominem a violatione legis, *conc.;* ex parte hominum, qui ex levitate non considerant illud motivum, et sua libertate abutuntur, *neg. Contrad. min.*[10].

452. Obiectiones. 1. Inter poenam et culpam debet dari proportio. *Atqui* inter poenam aeternam et culpam, quae uno brevissimo temporis spatio committitur, non datur proportio. *Ergo* poenae pro peccato non erunt aeternae.

Resp. Dist. mai.: proportio temporis, *neg.;* meriti seu iustitiae, *conc. Contrad. min.* Neque in humanis servatur proportio temporis, sic v.c. homicidium uno momento commissum plectitur incarceratione perpetua vel morte.

2. Poena aeterna est simpliciter infinita. *Atqui* transgressio legis non implicat malitiam simpliciter infinitam, sed solum secundum quid. *Ergo* inter poenam aeternam et culpam non servatur proportio iustitiae.

Resp. Neg. mai.: nam est infinita solum secundum quid, scilicet secundum durationem a parte post.

3. Poena aeterna opponitur fini ultimo creationis, qui est beatitudo hominis. *Atqui* quod opponitur fini ultimo creationis nequit admitti. *Ergo* poena aeterna non est admittenda.

Resp. Dist. mai.: fini absolute ultimo, *neg.;* relative ultimo, seu secundario et hypothetico, *conc. Contrad. min.* Finis absolute ultimus creationis, i.e. gloria Dei, semper obtinetur, etiam in hominibus in aeternum damnatis.

4. Nequit admitti sanctionem legis naturalis consistere in aliquo quod sit contra finem sanctionis. *Atqui* poena aeterna esset contra finem sanctionis. *Ergo* poena aeterna non est admittenda.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

Prob. min.: Finis sanctionis seu poenae est emendare delinquentem, vel eum a peccato retrahere *Atqui* poena aeterna hunc finem non consequitur. *Ergo* poena aeterna est contra finem sanctionis.

Resp. Dist. mai.: finis secundarius, *conc.;* finis primarius et unicus, *neg.;* hic est restauratio ordinis, et inclinatio ad illum servandum. *Contrad. min.*

5. Finis primarius potest obtineri per conversionem peccatoris. *Atqui* ad hoc non requiritur poena aeterna. *Ergo* finis primarius sanctionis obtineri potest absque poena aeterna.

Resp. Dist. mai.: dum peccator est in via, *conc.;* postquam obstinate pervenit ad terminum probationis, *neg. Conc. min. Dist pariter cons.*

6. Divina sapientia exigit ut ordinet hominem ad gloriam divinam extrinsecam procurandam modo eidem connaturali, i.e. per liberam actionem potius quam per coactam passionem poenae aeter-

10 Cf. MARTÍNEZ GÓMEZ, *o.c.* p.148.

nae. *Ergo* modus restaurandi ordinem per poenam aeternam non decet sapientiam divinam.

Resp. Dist. ant.: ut illo modo ordinet, dum homo est in statu viae, *conc.;* postquam obstinate pervenit ad terminum, *neg. Dist. pariter cons.*

7. Deus est infinite bonus, misericors et clemens. *Atqui* nequit cum his attributis divinis conciliari aeterno supplicio damnare infelices peccatores. *Ergo* poena aeterna, etiam in statu termini, repugnat cum attributis divinis.

Resp. Dist. mai.: ita ut simul sit infinite sapiens, iustus, et sanctus, *conc.;* ita ut sit solum clemens et misericors, *neg. Contrad. min.*

8. Deus, plectens poenis aeternis creaturam, delectaretur illis suppliciis aeternis. *Atqui* delectari suppliciis aeternis alicuius creaturae est contra clementiam divinam, etiam si sumatur simul cum reliquis attributis. *Ergo* poena aeterna est contra clementiam divinam, etiam sumptam simul cum reliquis attributis.

Resp. Dist. mai.: delectatur, quatenus ordinem laesum restituunt, *conc.;* quatenus praecise crutiant, *neg. Contrad. min.*

9. Etsi supponamus peccatorem re vera poenam aeternam mereri, illamque plerumque peccatores pati, nihil obstat, quominus Deus ex indulto gratuito vel ob motiva nobis ignota, aliquando poenam aeternam condonet post diuturnam punitionem, ut plerumque accidit in iustitia humana. *Ergo* nequit asseri poenam de facto futuram esse aeternam.

Resp. Neg. ant. Nam obstant: 1) sapientia et sanctitas divina; Deus enim numquam revocat decreta a se data; 2) lex generalis, cum non habeantur rationes ad statuendam exceptionem.

10. Sanctio sufficiens legis naturalis haberetur cum anihilatione peccatoris; cum aliunde anihilatio notam crudelitatis a Deo melius arceat, haec statuenda est ut sanctio sufficiens legis naturalis. *Ergo* poena aeterna reiicienda est.

Resp. Anihilatio: *a)* est contra naturam hominis; ergo non est admittenda; *b)* frustraret totaliter intentum divinum in creatione, scilicet obtinere gloriam extrinsecam a creaturis; *c)* non esset poena sufficiens et absolute efficax, sed contra, iuxta illud impiorum: *edamus et bibamus, cras enim moriemur.*

11. Poena gravissima non incurritur nisi cognoscatur. *Atqui* sunt multi—sive individua, sive populi universi—qui non cognoscunt poenam aeternam. *Ergo* saltem ii non subibunt poenam aeternam.

Resp. Dist. mai.: nisi cognoscatur, i.e. nisi agens cognoscat se propter actionem positam dignum esse poena gravissima, *conc.;* praecisse dignum tali poena determinata, *neg. Contrad. min.*

12. Sanctio sufficiens haberetur si proponatur homini correctio in altera probatione; tunc obtineretur restauratio ordinis, et salva essent omnia attributa divina. *Ergo* non est admittenda poena aeterna.

Resp. a) Assertio est omnino gratuita, non datur ratio sufficiens ad illam secundam probationem; *b)* Quamplurimi differrent suam emendationem ad alteram vitam et tunc actum esset de ordine morali in vita praesenti.

ARTICULUS VI

DE PROPRIETATIBUS LEGIS NATURALIS

§ 1. De universalitate legis naturalis quoad promulgationem

Thesis 21. Praecepta generaliora legis naturalis ab homine expeditum usum rationis habente invincibiliter ignorari nequeunt.

S. TH., 1-2 q.94 a.4 et 6; *De veritate* q.16 a.3; SUÁREZ, *De legibus* l.2 c.8; RODRIGO, *Tractatus de legibus* n.577ss. CATHREIN, *Fil. morale* v.1 p.480ss; DESCOQS, *Theol. Nat.* 2,442-525; HELLÍN, *Theol. Nat.* p.268.

453. Nexus. Vidimus exsistentiam, essentiam, et essentiale legis naturalis attributum, nempe sanctionem. Restat ut aliqua dicamus de proprietatibus eiusdem. Duas praecipuas considerabimus, nempe perspicuitatem et immutabilitatem.

454. Notiones. PRAECEPTA LEGIS NATURALIS. Tres classes praeceptorum in lege naturali distingui possunt:

1.ª *Generalissima*: sunt illa suprema principia practica, e quibus tamquam a principiis per se notis, derivantur reliqua alia praecepta per modum conclusionis vel deductionis. Sunt principia clarissima, fere evidentia, et pauca omnino: v.c. *bonum est faciendum, malum vitandum; serva ordinem; quod tibi non vis alteri ne facias.*

2.ª *Generaliora*: complectitur praecepta quae ex primis principiis facili et obvia deductione derivantur cum applicantur: a) *ad relationes* hominis cum Deo, cum proximo, cum se ipso, v.c. *parentes sunt honorandi; Deus est colendus; temperantia est servanda;* b) *ad actus* determinatos, v.c. *non est occidendum; non adulterandum; non calumniandum; pacta sunt servanda.* Ad hanc classem pertinent in genere praecepta decalogi praeter tertium, quod, quatenus determinat speciale tempus sanctificandum, est potius positivum non naturale.

3.ª *Particularia*: sunt omnia alia a praecedentibus, mediantibus conclussionibus remotioribus et non ita evidentibus deducta. Sunt omnino particularia et concreta; maior et profundior ad illa cognoscenda requiritur reflexio, v.c. *indisolubilitas matrimonii; unitas eiusdem; prohibitio vindictae privatae; illiceitas absoluta suicidii vel duelli; malitia intrinseca mendacii.*

Nomine praeceptorum *generaliorum* intelligimus generalissima et generaliora.

455. USUS RATIONIS EXPEDITUS. Ut quis usum rationis expeditum habeat requirimus ut habeat *facultatem* rationis non solum in actu primo remoto (facultatem iudicandi, ut est in infantibus) sed etiam ut illam habeat in *actu primo proximo*. ita ut in actum secundum facile possit transire. Hoc vero potest impediri vel ex defectu organismi, ut fit in amentibus, vel ex defectu educationis, cum modus connaturalis evolvendi usum rationis sit educatio. Ex defectu educationis non solum individua aliqua determinata, sed forte etiam integra tribus, possunt non habere expeditum usum rationis, quo in casu comparari deberent infantibus vel amentibus.

Sunt auctores qui nimis extendant defectum usus rationis ob carentiam educationis in rebus moralibus, ita ut includant in hoc numero non solum pueros grandioris aetatis, v.c. YABEN[1], sed etiam homines in aliis disciplinis valde versatos, v.c. BILLOT[2]. Haec tamen opinio in sua amplitudine solet reiici.

456. IGNORANTIA: est carentia scientiae debitae. Potest esse: 1) *Vincibilis*: si potest deponi; 2) *invincibilis;* si non potest deponi; *physice invincibilis* si nullo modo potest deponi; *moraliter invincibilis,* si adhibita morali diligentia, illa nempe quam homines prudentes solent ponere in rebus similibus, deponi nequit. Invincibilis semper est *inculpabilis;* vincibilis vero est *culpabilis,* si adsit obligatio deponendi illam et non deponatur.

457. Status quaestionis. Certum est *per se* legi naturali universalitatem ratione promulgationis competere, seu ipsam notam esse debere omnibus illis, quibus data est, quoad omnia sua praecepta; cum enim a sapientissimo legislatore feratur, credendum est ipsam in mente humana sufficienter promulgatam esse.

Attamen variis de causis contingere potest, etiam sufficienti promulgatione facta, legem naturalem a subditis ignorari. Inde oritur quaestio: *possunt legis naturalis praecepta ignorari? in qua mensura in praesenti statu naturae?* En quaestio quam solvere volumus.

---

[1] YABEN, H., *La suerte de los infieles que viven bien:* RevEccle 7 (1935) 651-668; hic auctor retrotrahit usum rationis requisitum ad peccatum, tam apud baptizatos, quam speciatim apud infideles usque ad annum 15-20.

[2] BILLOT, *La providence de Dieu et le nombre infini d'hommes en dehors de la voie normale de salut:* Etudes 164 (1920) 384ss; 165 (1920) 514ss.

Agitur in thesi de homine vivente in societate et convenienti usu rationis praedito, non ergo agimus de illis individuis vel forte etiam tribubus, quae naturae rationalis degeneratione ad bestialem fere barbariem prolapsa sunt. Nihil mirum si in hac naturae rationalis degradatione lex naturalis etiam quoad praecepta generaliora invincibiliter ignorari possit [3].

458. Sententiae. Non datur diversitas in hac quaestione. Affirmamus ergo hominem habentem usum rationis evolutum non posse ignorare absque culpa propria praecepta primae et secundae classis legis naturalis. Ignorantia inculpabilis quoad haec praecepta potest dari in illis qui ex defectu organismi vel educationis ut infantes in sensu morali sunt habendi.

Admittimus dari posse ignorantiam moraliter vincibilem, proinde culpabilem, saltem si per longum tempus protrahatur.

Circa praecepta tertiae classis admittimus ignorantiam inculpabilem etiam per totam vitam, maxime quoad unum vel aliud praeceptum; difficilius quoad omnia praecepta simul in eodem subiecto.

459. Probatur. *Ex natura ipsa horum principiorum.* Generaliora praecepta legis naturalis sunt prima et communissima; ac illa quae obvie a primis deducuntur, cum applicantur ad relationes generales hominum erga Deum, erga alios, erga se ipsos, vel ad actus particulares. *Atqui* haec praecepta nequeunt ab homine utente ratione evoluta invincibiliter ignorari. *Ergo* generaliora praecepta legis naturalis ab homine expeditum usum rationis habente invincibiliter ignorari nequeunt.

Mai.: Ex definitionibus traditis.

Min.: a) PRAECEPTA PRIMAE CLASSIS: sunt tam evidentia ut:

1) *De facto a nullo homine ignorentur*: omnes enim populi, ut documentis historicis constat, illa praecepta de bono faciendo, vel de malo vitando; de recto ordine servando... cognoverunt.

2) *Neque ignorari possint*: tanta enim evidentia menti proponuntur ut ad illa cognoscenda non requiratur nisi habere usum rationis practicae; sunt in ordine practico quod prima principia in ordine speculativo, v.c. *totum est maius*

[3] Cf. BALMES, *Filos. elem. Ideología pura* c.16-17 n.209-231 (BAC 3,288-294).

sua parte; idem non potest simul esse et non esse, ad quae cognoscenda sufficit habere usum rationis. Sic in casu sufficit habere intellectum practicum evolutum ut quis agnoscat Deum Creatorem praecipientem observantiam illorum praeceptorum.

3) *Esset contra divinam sapientiam,* si haec praecepta possent ignorari; tunc enim remaneret homo absque possibilitate naturali bonum faciendum et malum vitandum cognoscendi, seu perveniendi in suum ultimum finem; nam homo non habet alium modum naturalem congruentem perveniendi ad suum ultimum finem, quam cognitionem naturalem recte agendorum, et haec cognitio naturaliter haberi nequit nisi procedendo per deductiones a praeceptis generalissimis. Iam vero si haec praecepta generalissima ignorari possent non haberet homo unde illas conclusiones practicas legis naturalis deduceret, cum aliunde ad observantiam legis naturalis teneatur, nam ex hypothesi habet usum rationis expeditum.

b) PRAECEPTA SECUNDAE CLASSIS quae exprimunt *relationes generales hominum* tam obvie et faciliter ab illo qui habeat rationem evolutam deducuntur, ut etiam ignorari nequeant. Nam si evidens est hominem secundum rationem vivere debere, immediate et obvie sequitur eum debere Deum adorare, honorare parentes...; ad hoc deducendum non requiritur nisi ut cognoscat relationes, quae exsistere debent inter ipsum et Deum, parentes... quas faciliter cognoscet—in conditionibus normalibus vitae—, vel ex experientia (relationes erga parentes, erga proximos) vel omnino obvia reflexione (relationes erga Deum).

Si quis ponatur in conditionibus anormalibus vivens, v.c. ab infantia in silvis, omnino a commercio hominum remotus, tunc relationes illae ignorari possent, et consequenter illa praecepta secundae classis; tunc vero ignorantia proveniret ex defectu evolutionis rationis propter defectum educationis.

Idem dicamus de *applicationibus ad casus particulares.* Ex praecepto, v.c. secundae classis *nemini malum inferendum* est, evidentia immediata sequitur ergo *tu non potest occidere, nec bona alterius auferre, nec calumniari...*

Si aliquando haec praecepta ignorari videntur, illa ignorantia fundatur in pravis persuasionibus, vel consuetudinibus, vel in negligentia in sequendis dictaminibus conscientiae, ac cum mala educatione coniungitur; proinde non est inculpabilis. Culpa diversa erit in illis qui primo pravam consuetudinem introduxerunt, ac in

illis qui, consuetudine introducta, errorem per educationem hauserunt; in iis enim per aliquod tempus ignorantia potest esse inculpabilis, scilicet usque dum dubium oriatur de liceitate talis actionis determinatae, seu usque dum perveniant ad usum rationis sat evolutum.

Aliquando vero, cognito praecepto, error adesse potest circa modum illud in praxim deducendi.

460. Scholion. 1. **Praecepta particularia inculpabiliter ignorari possunt.** Nam a praecedentibus derivantur per conclusiones remotiores, quae indigent subtiliore consideratione. Sunt vero homines qui propter exiguam educationem, vel propter statum et circumstantias quibus vivunt, etsi usum rationis sufficienter evolutum habeant, huiusmodi subtiles considerationes facere inculpabiliter nequeunt.

461. Dices: Haec *ignorantia* redundaret in Deum creatorem et legislatorem, qui non sufficienter providit promulgationi legis naturalis quoad partem eiusdem.

Resp. Redundaret in Deum, si Ipse omnia necessaria non posuisset. Ipse vero omnia posuit; ex parte enim Dei non requiritur nisi ut omnibus potentiam dederit faciliter perveniendi in conditionibus normalibus, et posita cooperatione aliorum hominum, ad cognitionem omnium praeceptorum. Aliunde oportebat divinam sapientiam non omnia usque ad minima determinasse ut homines spontanee propriae perfectioni morali cooperarentur, et ut praecepta melius unicuique adaptari possint; quod Deus dependere fecit a causis secundis, quae culpabiliter munus suum neglexerunt.

462. 2. **De quibusdam factis historicis**[4]. Quae ex historia populorum contra thesim citari solent, re penitius examinata, illam confirmant. Demonstrant enim praecepta generaliora legis naturalis ab omnibus cognita fuisse, etsi in concretis rerum adiunctis erronee quandoque applicata, v.c. apud aliquos populos mos fuit parentes senescentes e medio tollere; apud alios certis conditionibus mendacio uti; furta et latrocinia committere, aliaque similia, considerando has actiones ut moraliter bonas. In iis vero casibus non datur, ut primo intuitu apparet, ignorantia legis naturalis circa haec praecepta generaliora, sed solum mala interpretatio illorum.

Illae enim actiones non semper et ex natura sua licitae putantur, sed solum quibusdam in circumstantiis, in quibus apparent ut relative licitae, v.c. mors parentibus senescentibus infertur, ut in vita futura feliciores in perpetuum evadant, falso enim credebant homines in futura vita illum statum habituros quem, dum a vita decessissent, haberent. Furta et latrocinia solum contra inimicos licita habentur; ergo signum est tales actiones e natura sua non licitas haberi.

Praeterea errores, qui plerumque citantur, pertinere solent ad praecepta tertiae classis, in quibus diximus invincibilem ignorantiam

[4] Cf. Optime Brunetéau, E., *La loi naturelle. Discussion d'une difficulté:* RevPhil 19 (1911) 63-85; Cathrein, *Fil. morale* 1 p.485-491.

dari posse. Si praeceptum aliquod secundae classis ad tempus in aliquo populo obscuratum fuit, historia populorum manifeste probat talem ignorantiam esse vincibilem.

463. Obiectiones. 1. Non repugnat attributis divinis dari amentes. *Ergo* neque dari ignorantes legem naturalem invincibiliter, etsi habeant usum rationis expeditum

Resp. Neg. parit. Si ignorantia invincibilis proveniret solum ex defectu promulgationis, sumus enim in hypothesi hominis habentis usum rationis sufficienter evolutum, defectus redundaret in Deum. Praeterea talis homo teneretur ad observantiam legis, sed illam non posset observare.

2. Leges particulares possunt ignorari. *Ergo* et universales.

Resp. Neg. parit. Ignorantia legis particularis suppleri potest per ratiocinationem, deducendo illam ex principiis generalioribus. Ignorantia vero praeceptorum generaliorum nequiret suppleri; nam non esset undenam deducerentur.

3. Historia teste multi ignoraverunt praecepta generaliora legis naturalis, v.c. illiceitatem suicidii, homicidii, furti. *Ergo* haec praecepta possunt ignorari.

Resp. Data fuit responsio in scholio secundo.

§ 2. De immutabilitate legis naturalis

Thesis 22. Lex naturalis tum intrinsece tum extrinsece est immutabilis mutatione propria.

S. TH., 1-2 q.94 a.4 et 5; SUÁREZ, *De leg.* 1.2 c.13-16; VALENTIA, *In 1-2, De leg.* d.7 q.4 p.6; BILLUART, *De leg.* d.2 a.4; CATHREIN, *Fil. morale* v.1 p.491ss; RODRIGO, *Tractatus de legibus* n.582.

464. Nexus. Vidimus legis naturalis universalitatem ratione promulgationis; restat ut videamus immutabilitatem eiusdem, quae est alia praecipua proprietas.

465. Notiones. LEX NATURALIS: intelligitur *complexus principiorum stricte obligantium de bono agendo et malo vitando,* quae ex natura oriuntur ac solo lumine rationis cognoscuntur.

466. IMMUTABILE *in genere*: est quod *mutationem non admittit.* MUTATIO intelligi potest: a) *generica,* transitus rei alicuius ab uno statu in alium. b) *Stricta,* transitus rei ab uno statu in alium, ita ut remaneat in utroque statu aliquid commune.

467. MUTATIO LEGIS: 1. *Stricta*: habetur cum aliqua pars legis aufertur sive aliquid novi eius loco ponatur sive non; vocatur *derogatio.*

2. *Generica,* cum lex tota aufertur, nihil de ea remanendo; vocatur *abrogatio;* non est stricta mutatio, quia nihil commune remanet in utroque statu.

3. *Generalissima,* cum, manente lege ut antea erat, aliqua persona particularis eximitur ab obligatione eiusdem; vocatur *dispensatio;* pariter non est stricta mutatio, nam lex remanet ut erat antea; quid simile accidit in *suspensione,* nam tunc datur dispensatio generalis et diuturnior.

468. Divisio mutationis: a) *Intrinseca,* si lex ex se ipsa, mutatis adiunctis, fit inutilis vel nociva; tunc desinit esse lex, quia non est iam ad bonum commune; b) *extrinseca* si indicitur a superiore seu legislatore per derogationem, abrogationem, vel dispensationem; c) *propria* cum, remanente eadem materia, lex cessat; d) *impropria,* cum vel aliquid superadditur legi, vel mutatur materia eiusdem, ita ut desinat iam esse obiectum legis.

469. Status quaestionis. Cum agitur de mutatione legis naturalis, lex intelligenda est: 1) *Secundum obiectum formale* ipsius, sic v.c. praeceptum prohibens furare formaliter vetat non tale aut tale obiectum materiale alicuius auferre, sed arripere alienum contra voluntatem *domini ipsius.* Si vero in aliquo casu Supremus Dominus rerum, transferat dominium ex uno domino in alium, tunc ablatio illarum rerum non erit furtum, nec proinde requiritur dispensatio huius praecepti legis naturalis ut illa actio non sit mala. 2) *Secundum sensum completum et adaequatum,* non secundum formulas abreviatas quibus saepe exprimitur, v.c. deposita sunt reddenda domino rationabiliter petenti, non occides iniuste...

470. Tria genera actionum distinguere oportet contra legem naturalem; aliquae enim sunt malae:

a) *Propter intrinsecam indolem* illarum v.c. blasphemia; hae semper sunt malae ex sua natura.

b) *Propter aliquas circumstantias,* ita ut mutatis circumstantiis possint esse aut bonae aut malae, v.c. occisio hominis, quae ut sit mala requirit ut sit *iniusta.* Deus non potest dare licentiam ut quis alium iniuste occidat; sed ob sapientes suas rationes potest vel Ipse per se hominen occidere, cum habeat supremum dominium in creaturas; vel suam potestatem alteri transmittere ut alium occidat; tunc, cessante iniustitia cessat malitia actionis, et consequenter prohibitio

illius. In iis casibus non datur dispensatio legis; sed solummodo mutatio impropria ipsius, eo quod mutetur materia [1].

c) *Propter periculum naturaliter connexum* cum illis. Si illud auferri vel minui potest, illae actiones possunt evadere bonae vel malae. *Duplex autem periculum* ex talibus actionibus oriri potest: *directum* pro generalitate saltem casuum, sic v.c. poligamia generatim nocet familiae; *indirectum*, ob difficultatem determinandi casus ubi periculum directum absit, et ob inclinationem hominum ad removendas a se ipsis severas obligationes; ideoque ille ex cuius auctoritate lex efficaciam habet, sibi reservat ius determinandi quandonam tale periculum absit, v.c. divortium. Haec reservatio evidenter non est applicanda actionibus quae tantum sunt minus conformes dignitati humanae, v.c. servituti [2].

In iis vero omnibus casibus datur solum mutatio impropria legis, mutando materiam, quo desinit esse obiectum legis.

471. Quaerimus ergo in thesi utrum aliqua praecepta legis naturalis possint desinere obligare eo quod decursu temporis vel ob circumstantias desinant esse in bonum hominum, vel saltem ex dispensatione propria Dei agendo ut Legislator.

472. Sententiae. Relictis acatholicis, qui profitentur relativismum moralem, inter catholicos datur diversitas in intelligenda quaestione.

1.ª *Positivistae morales divini*, cum omne discrimen inter bonum et malum unice a voluntate libera Dei derivent, dicunt legem naturalem, quoad omnia sua praecepta, esse mutabilem per voluntatem divinam; ita OCCAM, NOMINALES, DESCARTES.

2.ª SCOTUS [3] ac *scotistae non pauci*, dicunt praecepta quae immediate respiciunt relationes hominis erga Deum esse immutabilia; alia autem generatim posse mutari a Deo per dispensationem proprie dictam.

3.ª DURANDUS dicit praecepta *negativa* esse indispensabilia excepto praecepto de occisione innocentis; *affirmativa* vero esse dispensabilia a Deo.

4.ª AMOR RUIBAL [4] affirmat legem naturalem a Deo posse proprie mutari.

5.ª *Nostra sententia.* Cum universa fere schola, de-

---

[1] Cf. SUÁREZ, *De leg.* l.2 c.15 n.13.
[2] Cf. SUÁREZ, *De leg.* l.2 c.15 n.18-19.
[3] SCOTUS, *In 3* d.37 q.un.; Cf. SUÁREZ, *l.c.* n.6-10.
[4] *Los probl. fundam. de la Fil. y del Dogma* 3 p.71.

fendimus legem naturalem quoad omnia sua praecepta esse prorsus immutabilem mutatione *propria,* tam ab *intrinseco* quam ab *extrinseco,* et hoc ultimum etiam ex potentia Dei absoluta, a fortiori ex parte hominum. Haec sententia est *communis et certa.* Nominatim defenditur a S. THOMA[5], SUÁREZ[6] atque ab omnibus posterioribus auctoribus.

N. B. Forte sit lis de verbo cum illis qui admittunt mutationem legis, ut optime ait ARRIAGA[7].

473. Probatur. Lex naturalis versatur circa actiones natura sua bonas vel malas. *Atqui* lex quae versatur circa actiones natura sua bonas vel malas est tum intrinsece tum extrinsece immutabilis. *Ergo* lex naturalis est tum intrinsece tum extrinsece immutabilis mutatione propria.

Mai.: Materia legis naturalis consistit in actionibus quae essentialiter conveniunt vel disconveniunt cum natura rationali.

Min.: a) *Intrinsece*: nam praescriptio vel prohibitio talium actionum numquam potest fieri inutilis vel nociva, quia variatio temporum vel consuetudinum non mutat *essentialem* constitutionem hominis; et lex naturalis, quae essentiales exigentias naturae rationalis tuetur, non potest fieri irrationalis nec nociva; ad hoc requireretur ut ipsa natura humana mutaretur.

b) *Extrinsece*: Deus non potest non velle ut homo vitet quae intrinsece inhonesta sunt, et faciat illa quorum omissio est intrinsece mala; hoc enim exigunt sanctitas eius infinita et reliqua attributa, quae non possunt ordinem ab aeterno conceptum et sancitum perturbare. Bonitas proinde vel malitia harum actionum circa quas lex naturalis versatur, antecedenter ad voluntatem divinam datur; ideo semper manet immutabilis.

474. Obiectiones[8]. 1. In legibus positivis, sive divinis sive humanis, legislator potest dispensare. *Ergo* a pari in lege naturali Deus poterit dispensare.

Resp. Conc. ant. Neg. cons. et parit.; inter legem positivam et naturalem non datur paritas, quia lex naturalis necessario datur, positiva vero libere.

---

[5] 1-2 q.94 a.5; q.100 a.8.

[6] *De leg.* l.2 c.13-16 agit egregie de hac re.

[7] *De leg.* d.8 n.3.

[8] Cf. SUÁREZ, *De legibus* l.2 c.13-16; BILLUART, *De legibus* d.2 a.4; MACKSEY, *Ethica* p.120-133; SCHIFFINI, *Philos. moralis* v.1 p.266.

2. *Leges physicae* sunt naturales et necessariae. *Atqui* leges physicae mutationes quandoque patiuntur a Deo factas. *Ergo* lex naturalis mutari potest.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Nam leges physicae cum miraculo proprie non mutantur mutatione propria, sed simpliciter effectus, qui pro illo qui non bene perspicit causas ibi intervenientes dari deberet, suspenditur, destruitur vel augetur nova activitate divina. Leges physicae sunt conditionatae, proinde si non ponuntur conditiones requisitae, non datur effectus, nec ideo est exceptio legis, sicut lex naturalis non mutatur cum homo violat illam sed solum privatur suo effectu. In utroque casu lex manet immutata, et, stante natura, immutabilis est.

3. Ut fert effatum lex positiva legem naturalem corrigit et perficit. *Atqui* non faceret hoc nisi illam mutaret. *Ergo* de facto lex naturalis moralis mutatur.

Resp. Dist. mai.: illam explicando, vel aliquid addendo, *conc.;* illam mutando propria mutatione, *neg. Contrad. min.*

4. In vetere testamento legimus Deum dispensasse ab aliquibus praeceptis legis naturalis, v.c. a praecepto homicidium prohibente, ut iudaici possent occidere etiam viros innocentes, et infantes; a praecepto vetante furtum, ut aufferrent bona aegyptiorum; ab indissolubilitate matrimonii; ab unitate eiusdem... *Ergo* de facto lex naturalis potest mutari mutatione propria, seu dispensatione.

Resp. In casu de *occisione* aliorum agitur non de vera dispensatione legis; in his casibus Deus intervenit non ut Legislator, sed ut Dominus Supremus vitae et mortis, qui propter rationes specialissimas, v.c. ad vitandam idololatriam, disponit mediantibus hominibus de vita aliorum.

Similiter in casu de *bonis aegyptiorum* Deus transtulit suum dominium circa illas res in iudaeos, qui proinde, absque dispensatione legis, potuerunt illa bona arripere, non enim erat invitus Dominus illorum.

In casu de *poligamia* et de *divortio*, Deus removendo pericula connaturaliter cum illis actionibus coniuncta sive ex parte prolis, sive ex comparte, mutavit materiam legis; ideoque illae actiones licitae evadere potuerunt absque dispensatione propria legis.

ARTICULUS VII

De supremo praecepto legis naturalis

Thesis 23. Primum praeceptum legis naturalis est hoc: bonum faciendum et malum vitandum est.

S. Th., 1-2 q.94 a.2; *In Meth.* c.22 (ed. Rom. 14.65ss); Liberatore, *Ethica* c.3 n.99ss; Toccafondi, *Phil. moralis* p.250ss.

475. Notiones. *Praeceptum primum:* aliquod generale effatum, obligationem exprimens absolutam, quod implicetur in quolibet alio praecepto legis naturalis, et ad quod tamquam ad communem formulam cetera legis naturalis praecepta reducantur.

476. *Bonum:* intelligitur quod est *intrinsece* bonum. Non enim est quaestio de quocumque bono, sed solum de illo quod naturae rationali qua tali intrinsece convenit, quod idem est ac bonum *necessarium,* non vero liberum, seu tale cuius omissio est intrinsece mala.

477. Status quaestionis. In speculativis exsistit unum summum principium, indemonstrabile, quod est principium contradictionis: *idem non potest simul esse et non esse,* in quo omnia alia principia fundantur et ad quod ultimatim omnia alia reducuntur. Nunc volumus videre utrum etiam in practicis exsistat aliquod praeceptum summum ex quo reliqua omnia possint deduci, et in quod cetera praecepta legis naturalis resolvantur; in casu vero affirmativo, volumus scire quale sit tale praeceptum.

478. Sentientiae. 1.ª KANT ut primum praeceptum legis naturalis proponit hoc: *sic age ut lex quam voluntati praestituis, valere possit pro norma generali operandi.*

DAMIRON proponit plenam evolutionem facultatum. FITCHTE, omnimodam independentiam in morali, et in iure illud principium: *dilige te ipsum super omnia, et alia omnia propter te*[1].

2.ª Aliqui, ut NIVARD[2], distinguunt inter praeceptum cognitum imperfecte obligans et praeceptum obligans perfecte; et dicunt primum praeceptum cognitum unde imperfecta obligatio oritur, esse illud enuntiantum in thesi; praeceptum vero perfecte obligans esse: *ama Deum ut finem absolute ultimum.*

3.ª *Nostra sententia.* Communiter vero proponitur ut primum praeceptum illud enuntiatum in thesi. Sensus vero illius est homini nihil incumbere nisi facere bonum, i.e. in suis operationibus non debere operari nisi bonum, numquam vero malum. Quod valet tam de positione actus quam de eius omissione, nam sive homo operetur sive ab operatione abstineat semper debet modo conformi naturae rationali qua tali agere.

479. Probatur. *Ex characteribus huius praecepti.* Illud haberi debet ut primum praeceptum legis naturalis, quod sit simplicissimum, universalissimum, reductive ultimum ac communis ratio ceterorum praeceptorum. *Atqui* praeceptum assignatum *bonum est faciendum, malum vero vitandum* tales characteres exhibet. *Ergo* hoc est primum praeceptum legis naturalis.

Mai.: a) *Simplicissimum:* nam quo generalior est aliqua notio eo maiori simplicitate gaudet; ergo praeceptum universalissimum debet esse simplicissimum; b) *Universalissimum:* nam debet continere reliqua quae in ceteris praeceptis legis naturalis complectuntur; c) *Reductive ultimum:* nam si haberet aliud praeceptum ad quod reduci posset, iam non esset primum et absolutum; d) *Communis ratio ceterorum:* secus non esset aptum ad unitatem illis impertiendam; et lex naturalis, etsi plura praecepta contineat, una tamen est eo quod omnia praecepta in unum praeceptum possunt revocari.

Min.: a) Est *simplicissimum* in conceptu, nam respicit obiectum voluntatis sub respectu quo haec ad suum obiectum fertur, nempe sub respectu boni; et bonum est primum quod cadit sub ratione

[1] Cf. TOCCAFONDI, *Phil. mor.* p.252ss.
[2] *Ethica* p.142.

practica (1,2, q.94, a.2). *b)* Est *universalissimum,* seu complectitur reliqua praecepta; nihil enim a Deo praecipitur quod sub notione boni non contineatur, nihil vero prohibetur quod sub notione mali non cadat. *c)* Est *reductive ultimum,* nam quamvis ex eo ratio desumi possit ceterorum praeceptorum, quae homini dantur, tamen ad rationem de ipso reddendam, non est necesse afferre ullum aliud praeceptum; si quis enim quaerat cur bonum sit faciendum, malum vero vitandum, aliud respondere nequimus nisi hoc: quia homini convenit bonum, malum vero disconvenit, quod quidem non est novum praeceptum aferre, sed idem alio modo enuntiare. *d) Ratio communis ceterorum praeceptorum:* Deus enim cetera quae in lege naturali continentur, praecipit aut prohibet quia aut bona aut mala sunt.

480. Scholion. Utrum sit principium per se notum. Per se notae stricte sunt illae propositiones in quibus praedicatum est de ratione subiecti et ex notione subiecti erui potest. In principio vero *enuntiato bonum est faciendum, malum vitandum,* praedicatum non est de ratione subiecti nec ex eo erui potest. Multa sunt bona quae non sunt praecepta seu facienda obligatorie; mala vero sunt quidem omnia fugienda, tamen ex ipsa ratione mali obligatio erui non potest. Quomodo ergo homines perveniunt ad notionem obligationis saltem confusam?

Respondeo hominem *naturaliter inclinari* ad bonum sibi secundum naturam conveniens et naturaliter horrere contrarium; hinc statim exsurgit iudicium; malum vitandum et bonum faciendum, in quantum eius omissio est mala. Hoc iudicium est omnino evidens. Nemo sanae mentis quaerit num debeat fugere quae *sibi sunt mala.* In hoc tamen iudicio nondum videtur contineri notio obligationis proprie dictae et perfectae, quae a superiore legislatore procedat, secus enim dicendum esset, exsistentiam Dei ut supremi legislatoris nobis evidentem esse. Facile autem ad eam pervenitur. Scit enim homo se naturam cum suis inclinationibus non habere a se, sed ab alio; praeterea omnia circa se videt esse ordinatissima, ex quo facile colligit etiam se debere esse ordinatum, et quia res omnes sunt ordinatae ab alio, etiam se ex alterius, scilicet auctoris naturae, voluntate debere esse ordinatum, et se non posse hunc ordinem laedere vel malum facere, quin auctorem naturae offendat[3].

481. Obiectiones. 1. Praecepta legis naturalis in homine se habent sicut principia speculativa in scientiis. *Atqui* principia speculativa prima in scientiis sunt plura. *Ergo* in ordine practico etiam debent esse plura prima praecepta.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: sunt plura prima principia, i.e. principia per se nota, *conc.;* plura non reductibilia ad unum, *neg. Dist. pariter. cons.*

2. Primum praeceptum legis naturalis, ex dictis, debet esse universalissimum, facillimum cognitu... *Atqui* praeceptum assignatum non habet has proprietates, cum sint tot tamque sapientes homines, qui illud negent. *Ergo* primum praeceptum legis naturalis non est illud assignatum in thesi.

---

[3] CATHREIN, *Philosophia moralis* n.234; cf. FRINS, *De actibus humanis* 2 n.71-72.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Discrepantia horum auctorum, qui in suis elucubrationibus ipsam evidentiam negant, non multum nobis movere debet; et ipsi in sua vita practica sicut ceteri homines sentiebant[4].

ARTICULUS VIII

DE LEGE NATURALI UT FUNDAMENTO LEGIS POSITIVAE

482. Nexus. Absolutis praecipuis quaestionibus quae ad legem naturalem spectant, ordo postulat ut aliqua dicamus de *lege positiva,* quatenus haec cum lege naturali connectitur. De hac ergo lege positiva breviter volumus videre: 1) quid sit; 2) utrum sit possibilis vel etiam necessaria; 3) utrum a lege naturali pendeat quoad suam vim obligandi; 4) denique quaenam sint essentiales conditiones eiusdem[1].

483. 1. Quid sit lex positiva. a) *Sensu lato:* est quaelibet lex libera voluntate legislatoris condita, et aliquo signo externo promulgata, non solo lumine rationis.

b) *Sensu magis proprio:* illa lex quae versatur circa actiones, quae seclusa tali lege obligatoriae non essent, per illam vero fiunt necessariae. In hoc sensu lex positiva definiri potest: *ordinatio rationis legi naturali conveniens, indeterminata a lege naturali determinans, ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.*

1) *Ordinatio rationis:* ut dictum est in explicatione legis in genere (n.362).

2) *Legi naturali conveniens:* illa ordinatio in legislatore positivo debet esse vera, proinde secundum rectam rationem, et consequenter secundum legem naturalem.

3) *Determinans indeterminata a lege naturali:* his verbis denotatur legem positivam sensu proprio acceptam, versari quatenus *prohibentem* circa actiones natura sua indifferentes, quas prohibendo reddit malas; quatenus *praecipientem* circa actiones natura sua indifferentes vel etiam bonas non necessarias, quas praecipiendo facit obligatorias, v.c. lex de tributis, de abstinentia a carnibus certis diebus, de caelibatu sacerdotum.

484. 2. Quomodo differat a lege naturali. 1) *Ratione auctoris:* auctor legis naturalis est solus Deus ut auctor naturae; auctor legis positivae potest esse vel Deus vel homo.

2) *Ratione materiae:* lex naturalis immediate unice praecipit actiones bonas necessarias ad conservationem ordinis naturalis, prohibet actiones huic ordini intrinsece repugnantes; lex positiva saepe prohibet idem ac lex naturalis (divortium, blasphemiam, furtum) extendi vero potest ad res indifferentes, vel ad bonas non necessarias.

3) *Ratione indolis:* lex naturalis, in hypothesi quod exsistant creaturae, est necessaria, universalis pro omni homine, et immutabilis; lex vero positiva libere fertur; potest esse universalis (lex

---

[4] Cf. LIBERATORE, *Ethica* p.114ss.
[1] Cf. S. THOMAS, 1-2 q.91 a.3; q.95-96; SUÁREZ, *De legibus* l.1 c.9; l.3.

evangelica) vel particularis (lex hispanica, gallica...); potest esse immutabilis de facto (evangelica) vel mutabilis (lex mosaica, passim lex humana).

485. 3. De necessitate legis positivae. Necessitas legis positivae non est intelligenda ita ut si singulae leges positivae necessariae forent; nam lex positiva fertur *libera* voluntate legislatoris; necessitas ergo intelligitur de legislatione positiva generatim accepta.

Lex positiva, sive divina, sive humana, sive ecclesiastica, sive civilis, *est necessaria,* quia:

1) *Lex naturalis non est satis nota:* nam etsi sit satis perspicua quoad generaliora principia, quoad conclusiones vero remotiores saepe est valde obscura. Ergo necesse est ut lex positiva illas conclusiones remotiores auctoritative explicet et hominibus imponat, ut unitas in agendo servetur, quae unitas necessaria est ad pacem et ordinem socialem, v.c. illiceitas duelli, divortii...

2) *Lex naturalis non est satis determinata:* nam etsi multa clare determinet, quoad alia vero nihil determinate statuit, quae tamen determinari indigent ad vitam socialem, v.c. lex naturalis dicit cives debere conferre in bonum commune, non vero dicit modum quo id debeat fieri, v.c. tali vel tali quantitate tributorum, quod determinandum est pro unoquoque casu a lege positiva; idem dicamus de poena infligenda malefactoribus. In hoc sensu lex positiva non est nisi determinatio legis naturalis.

3) *Lex naturalis in terris non est sufficienti sanctione munita:* etsi utique in vita futura habeat sanctionem sufficientem; multi tamen homines sunt adeo protervi ut a delictis non se abstineant nisi ex metu poenarum temporalium. Ipsa societas in terris suum finem attingere non posset, nisi delicta illorum hominum per poenas temporales coerceret.

Iis igitur potissimum rationibus lex positiva est necessaria in terris pro vita sociali. Si homo solitarie viveret, tunc non requireretur lex positiva. Quoniam tamen homo natura sua est socialis, lex positiva necessaria est.

4) *Quoad promulgationem* legis naturalis lex positiva est *moraliter necessaria,* non ex exigentia, sed ex indigentia naturae lapsae, ut homines facilius, clarius, et securius legem naturalem cognoscant.

486. 4. Lex naturalis est fundamentum legis positivae. Non quaeritur utrum lex positiva obliget, sed quinam sit fons unde eius vis obligativa dimanet. Neque quaerimus quinam sit fons immediatus obligationis, nam evidens est obligationem immediate ex voluntate legislatoris immediati profluere; solum quaeritur *fons mediatus* obligationis legis positivae; hunc vero dicimus esse legem naturalem, in qua ultimatim quaecumque lex positiva fundatur.

Duplici autem modo lex positiva in lege naturali fundari potest; tamquam *in causa,* tamquam *in conditione neccesaria.*

1) *Positiva divina* praesupponit legem naturalem tamquam *conditionem necessariam;* nam homo tali legi positivae divinae se obligatum existimat, quatenus antecedenter, adeoque naturaliter, intelligit Deo obediendum esse etiam cum aliquid praecipit praeter vel supra ordinem naturalem. Idem dicamus de lege *ecclesiastica.*

2) *Positiva civilis* a lege naturali pendet tamquam a sua *causa*

efficiente, a qua vim obligandi accipit; et tamquam a sua causa *exemplari,* cui conformari debet ut sit recta.

a) *Lex positiva civilis accipit suam vim obligandi a lege naturali:* patet ex conceptu obligationis, quae in uno concipi nequit sine correlativa auctoritate in alio. Iam vero nullus homo *ex se* auctoritatem habet, nam auctoritas fundatur in dominio, quod per se soli Creatori competit, non hominibus, qui naturaliter aequales sunt et independentes. Ut ergo lex civilis moraliter obligare possit haec duo principia requiruntur: 1) ordinem naturalem a Creatore statutum exigere ut in societate sint qui praecipiant et qui obediant; 2) naturaliter debitum esse hunc ordinem servare, proinde legitimis superiobus praecipientibus obediendum esse.

b) *Lex positiva, ut recta sit, conformari debet legi naturali:* patet ex natura legis quae essentialiter est ordinatio rationis in bonum commune. Cum lex naturalis sit participatio legis aeternae, per quam Deus universa creata in bonum commune totius universi dirigit, huic fini supremo debet convenire bonum a lege civili intentum; secus a ratione boni deficeret.

487. QUOMODO PROCEDANT LEGES POSITIVAE A NATURALI. *Per modum conclusionis,* v.c. lex prohibens homicidium concluditur ex praecepto naturali *nemini faciendum esse malum;* per *modum determinationis,* v.c. lex statuens poenam trium annorum incarcerationis pro fure, determinando legem naturalem *malefactores sunt puniendi.*

Lex positiva mere humana, etsi a naturali derivetur, tamen non obligat iure divino naturali neque transgressio eiusdem est proprie contra legem naturalem; quia lex pure humana immediate procedit a potestate humana, etiam ut formaliter illam constituente.

488. 5. **De conditionibus essentialibus legis positivae ut sit valida.** Quaestio non procedit de lege positiva divina, cum sit essentialiter recta [2]; solum agimus de lege *positiva humana.* Extra controversiam est leges humanas vere et in conscientia obligare posse [3]; tamen non omnis ordinatio humana, etsi quadam forma legali sit induta, eo ipso est valida lex; sed requirit determinatas conditiones, quibus si careat, non erit vera lex, nec consequenter *ex se* ullum valorem obligativum habebit, etsi multi legistae vel iuristae tam antiqui quam moderni contrarium dicant.

489. *Conditiones potissimae sunt:* 1) HONESTAS (ex parte materiae): seu ut cum nulla lege altiori pugnet, neque naturali, neque positiva. Si cum lege naturali repugnet, evidens est illam ordinationem esse invalidam, cum enim omnis obligatio a voluntate divina tandem oriatur, repugnat nos a Deo obligari libere ad aliquid per legem positivam et simul ab eadem re arceri necessario per legem naturalem. Si pugnet cum lege positiva altiori—ecclesiastica vel civili—patet etiam, quia legislator inferior non habet potestatem praescribendi quae superior vetuit vel e contra.

2) IUSTITIA: a) *Ex parte finis: exigit ut cedat in bonum commune* ut patet ex ipsa definitione legis. Legislator humanus eatenus aucto-

---

[2] SUÁREZ, *De leg.* l.1 c.9 optime agitat quaestionem de conditionibus legis positivae.

[3] RODRÍGUEZ SOTILLO, *Obligatoriedad de las leyes civiles en conciencia:* RevDerCan 1 (1946) 135-171.669-695; 2 (1947) 676-801.

ritatem habet quatenus communitatem dirigit in bonum commune, hic est enim finis societatis. Si ergo lex promovet finem privatum, neglecto bono communi, eo ipso est invalida.

b) *Ex parte auctoritatis: requirit legitimam potestatem,* tam respectu subditorum, quam respectu materiae[4]. Hinc invalidae sunt leges civiles datae ab illo qui non habet iurisdictionem civilem vel quae dantur in homines non sibi subditos; vel circa materiam sibi non subditam.

c) *Ex parte formae:* postulat ut onera secundum aequalitatem proportionis subditis imponantur, secus violatur ius illorum qui plus ceteris gravarentur.

3) Possibilitas non solum physica sed etiam moralis, i.e. lex non debet esse nimis onerosa et difficilis generalitati membrorum societatis; illa enim a paucis observaretur, ideoque non cederet in bonum commune. Itaque *ordinarie et per se* a legislatore humano nequeunt praecipi actus nimis difficiles; sed *extraordinarie,* i.e. urgente necessitate boni communis actus difficiliores, immo cum ipso periculo mortis, imponi possunt.

Etiam hoc potest accidere *per accidens,* i.e. posita aliqua hypothesi, pendente a libera subditorum electione, v.c. lex de caelibatu perpetuo pro iis qui libere sacros ordines suscipere velint.

490. Licet legem iniustam observare? a) *Si iniustitia proveniat ex parte materiae:* non licet, si sit contra legem naturalem; si vero sit solum contra legem positivam superiorem generatim licebit, si secus sequeretur grave incommodum; leges enim positivae generatim cum gravi incommodo non obligant; excipe casus in quibus ex observatione illius contemptus Dei, vel religionis sequeretur, tum enim etiam cum gravi incommodo abstinendum esset ab actione per legem positivam iniustam impositam.

b) *Si iniustitia proveniat vel ex defectu auctoritatis, vel* ex *parte finis* aut ex *defectu formae,* tunc, etsi de se illa lex non obliget, subditus poterit illi parere, dummodo iniustitiae non cooperetur. Aliquando *per accidens* aderit obligatio praestandi id quod lex iniusta praecipit, eo quod neglectu legis maiora mala sequerentur; quo in casu obligatio provenit ab ipsa lege naturali haec maiora mala vitare praecipiente.

In dubio vero de iustitia legis aut de eiusdem honestate *standum est pro lege;* tunc quia legislator habet altius ius et illud possidet, tum quia regitur altiori consilio, et rationes universales, subditis occultas, habere potest; tum denique quia alias subditi nimiam licentiam non parendi legibus sumerent, quia vix possunt dari leges tam iustae, quae ab aliquibus per rationes apparentes in dubium revocari non possint.

---

[4] Balmes, *El Protest. comparado con el Catol.* t.4 c.54 (BAC 4,597ss); Belanguer, *Une loi injuste oblige-t-elle en conscience?* Etudes (1902) 465ss; 630ss; Oddone, A., *La resistenza alle leggi injuste secondo la dottrina catholica:* CivCatt (1944) 328-336.

CAPUT VI

De conscientia

491. Nexus. Lex, quae est norma obligativa nostrarum actionum, in se ipsa considerata est norma remota, quae applicatione aliqua, ut effectum producat, indiget. Haec vero applicatio in homine fit mediante cognitione rationali eiusdem legis, nemo enim de facto ligatur aliquo praecepto nisi mediante scientia illius.

Haec scientia per conscientiam habetur, quae proinde est *norma immediata practica* nostrarum actionum, ipsa enim actionibus vinculum legis immediate applicat. De hac conscientia nunc agere debemus.

Etsi maximi sit momenti in materia morali efformatio conscientiae posita tamen subordinatione quam philosophia theologiae morali servat, cum ibi omnia quae ad conscientiae efformationem pertinent luculenter exponantur, ne eadem repetantur, pauca omnino dicemus.

Posita definitione ac traditis divisionibus conscientiae, videbimus in primis quomodo conscientia sit legitima norma practica agendi, deinde vero quomodo, stante dubio speculativo, conscientia practice certa formari possit.

ARTICULUS I

De necessitate conscientiae certae

Thesis 24. Ad honeste agendum requiritur (I), et sufficit (II) conscientiae dictamen ultimo-practicum moraliter certum de honestate propriae operationis.

Cf. S. Th., 1 q.79 a.13; 1-2 q.19 a.5 et 6; *De veritate* q.17; Suárez, *De bon. et mal. act. hum.* disp.12; Ballerini-Palmieri, *Opus. Theol. Mor.* v.1 tr.2; Astrain, *Historia de la Compañía de Jesús en la asistencia de España* t.6 p.119ss; Chollet, *Conscience:* DTC 3, 1157-1174; Moisant, *Conscience:* DAFC.

492. Notiones. Conscientia. Definitio. 1. *Etymologice* idem est ac *cum scientia.*

2. *Realiter* sumitur quadruplici acceptione: *a*) Pro cognitione quam anima de se ipsa ac de actibus suis habet; haec est conscientia *psychologica; b*) Pro ipsa *anima,* ut cum loquimur de conscientia munda vel immunda; *c*) Pro cognitione habituali primorum principiorum moralitatis, quae etiam *synderesis* vocatur; in hoc sensu est aliqua *proprietas intellectus,* qua hic magna cum facilitate prima principia moralitatis cognoscit; vocatur etiam ratio speculativa; *d*) In sensu morali, de quo nos agimus.

3. *In sensu morali* definitur: *iudicium practicum de moralitate alicuius actionis, seu applicatio dictaminum rectae rationis ad casus particulares determinatos* (ratio practica).

493. Divisio. Multipliciter dividi potest conscientia, sive spectemus ipsam operationem, sive conformitatem cum veritate obiectiva, sive statum intellectus. Potest nempe conscientia esse:

1. Relate ad operationem: a) *Antecedens* cum iudicium versatur circa actionem aliquam ponendam; tunc conscientia *munere ducis* fungitur. Illud iudicium, legem ad aliquem casum particularem applicando, praecipit, prohibet, suadet aut permittit, prout sit lex.

b) *Consequens*: cum iudicium versatur circa actionem iam positam; tunc conscientia *munere ducis et testis fungitur*.

494. Strictissimo sensu *conscientia est iudicium ultimo-practicum rationis circa actionem in concreto ut hic et nunc ponendam;* proinde antecedens.

Obtinetur hoc iudicium ope alicuius syllogismi, expressi vel taciti, in quo *maior* est aliquod principium generale, *minor* vero actionem hic et nunc ponendam cum illo principio generali legis comparat; *conclusio* vero, quae proprie appellatur conscientia, pronuntiat hoc vel illud hic et nunc a nobis faciendum vel omittendum esse[1], v.c.

Mendacium est illicitum (principium generale legis naturalis).

Atqui haec responsio a te danda est mendacium (applicatio principii).

Ergo haec responsio est tibi illicita (iudicium conscientiae propriae dictae).

N. B. Haec deductio aliquando fit spontanee et citissime, aliquando maiori labore; pendet a gradu claritatis et evidentiae quo maior et minor syllogismi habeantur in mente uniuscuiusque.

495. 2. Relate ad conformitatem actionis cum obiectiva rei veritate: a) *Vera* quae conformatur cum obiectiva rei veritate.

b) *Erronea* quae non conformatur cum obiectiva rei veritate; *vincibilis*, si error deponi posset, sive physice sive etiam moraliter; *invincibilis*, si error deponi nequeat.

c) *Recta* si recte concluditur ex praemissis, sive veris, sive invincibiliter erroneis. Potest ergo conscientia esse recta et simul erronea.

496. 3. Relate ad statum intellectus: *a*) *Certa* cum quis iudicat absque formidine de veritate oppositi. Potest esse

[1] Cf. Noble, H.-D., *Le syllogisme moral:* RevScPhTh 10 (1921) 560-564.

metaphysice, physice, moraliter stricte, moraliter late, prout motivum in quo nitatur sit metaphysice, physice, moraliter stricte, vel moraliter late necessarium.

b) *Probabilis* cum quis assentitur alterutri ex iudiciis contradictoriis, sed cum formidine de veritate oppositi.

c) *Dubia* cum animus haeret anxius inter duo iudicia et neutri assentitur. *Dubium* potest esse: *Positivum,* si adsunt rationes graves ad dubitandum; *negativum,* si non adsunt graves rationes ad dubitandum; *iuris,* si versatur circa exsistentiam vel non exsistentiam legis; *facti,* si versatur circa aliquem actum in particulari, utrum nempe comprehendatur sub lege necne; *speculativum,* si spectat actionem in abstracto; *practicum,* si spectat actionem tamquam hic et nunc ponendam, unde cum omnibus conditionibus etiam subiectivis, v.c. cum tali ignorantia, et omnibus perpensis... [2].

d) *Perplexa* cum animus anxius manet inter actionem et omissionem actionis, ideo quod existimet in utroque adesse peccatum; reducitur ad conscientiam dubiam.

497. 4. RELATE AD MODUM HABITUALEM IUDICANDI:

a) *Scrupulosa* si ex levibus rationibus solet apprehendere culpam ubi non est.

b) *Tenera* si accurate etiam minimos defectus advertere solet; sed illos, ut sunt, iudicando.

c) *Laxa* si absque motivo sufficienti se iudicat immunem ab obligationibus. Vocatur etiam *temeraria.*

498. Dictamen ultimo-practicum. Dictamen conscientiae potest esse:

1. *Ultimo-practicum*: si versatur circa actionem ut hic et nunc ponendam. Vocatur etiam *proxime-practicum,* vel *practico-practicum, v.c. haec res non est mihi auferenda, quia est furtum.*

2. *Remote practicum*: si versatur circa actionem secundum se et in universali consideratam. Vocatur etiam *speculative-practicum; v.c. furtum est vitandum.*

499. IUDICIUM MORALITER CERTUM: est illud quod ponitur absque formidine oppositi propter motivum moraliter necessarium. Haec certitudo moralis potest esse:

1. *Stricta*: si excluditur *possibilitas moralis* oppositi,

[2] Conscientia dubia proprie non est dictamen conscientiae, ideo solum reductive ad conscientiam pertinet, cum non sit nisi privatio dictaminis, et privationes ad illa a quibus privant reduci soleant.

v.c. iudicium quo iudico hodie commissa esse plura peccata mortalia in mundo [3].

2. *Lata*: si excluditur solum vera *probabilitas*, non autem possibilitas moralis oppositi, v.c. iudicium quo iudico temporibus normalibus currum ferreum hora signata perventurum vel personam in altare sacrum offerentem esse re vera sacerdotem. Datur cum non dantur motiva gravia ad contrarium suspicandum, adsunt vero ad ponendum iudicium [4].

500. Honeste agere: idem est ac bene moraliter operari.

501. Status quaestionis. Simplex est: investigatur nempe qualis conscientia antecedens requiratur, ut quis possit bene moraliter operari.

Agitur ergo de conscientia antecedenti et recta, et de dictamine ultimo practico.

502. Sententiae. 1. Datur uniformitas inter omnes auctores. Affirmamus ergo hominem, ut possit bene moraliter operari, certum esse debere, certitudine excludente omnem *probabilitatem* oppositi, rectitudinis propriae operationis. Nequit ergo quis recte operari cum conscientia probabili, a fortiori cum conscientia dubia. Hoc igitur *requiritur*.

2. Sed hoc *sufficit*; proinde non est necessaria certitudo moralis stricta, excludens omnem *possibilitatem moralem* oppositi, a fortiori igitur non est necessaria certitudo physica.

3. Si casus theoretice dubius sit, formanda est conscientia ope alicuius principii reflexi—quod thesi sequenti videbimus—ut quis conscientiam certam acquirat, secus abstinendum ei est ab operatione.

Probatur. 1.ª Pars. Requiritur dictamen conscientiae moraliter certum.

503. Illud ad honeste agendum requiritur sine quo homo non vitaret malum quantum in se est. *Atqui* sine dictamine conscientiae ultimo—practico moraliter certo non vitaret homo malum quantum in se est. *Ergo* ad honeste agendum requiritur dictamen conscientiae ultimo—practicum moraliter certum de honestate actionis.

Mai.: Adest obligatio vitandi malum adhibita morali dili-

[3] Cf. Balmes, *El criterio* c.4 § 9-10 (BAC 3,569-572).
[4] Cf. Optime Pius XII, *Allocutio ad auditores* S. R. R. 1-X-1942: AAS 34 (1942) 338ss. Cf. Versio hispana: *Ecclesia* 17-X-1942 p.11ss.

gentia, ita ut nemo possit voluntarie periculo legem moralem violandi se exponere. Haec est enim mens aperta auctoris legis, secus practice nulla esset obligatio.

Min.: Si quis non habet certitudinem practicam prudentem et tamen vult actionem, prout hic et nunc est, etsi probabiliter mala, non curans deponere dubium, voluntarie et conscie admittit periculum violandi legem, seu Deum offendendi. Non ergo sufficienter vitat malum quantum in se est, qui negligenter inquisitionem omittit, qua dubium deponeret. Agens ergo cum dubio practico facit id quod rationabiliter iudicat esse peccatum et offensam Dei, proinde virtualiter peccatum vult.

2.ª Pars. Sufficit dictamen certum certitudine lata.

504. Illud ad honeste agendum sufficit quod supponit hominem fecisse diligenter quod in se est ad malum vitandum. *Atqui* dictamen conscientiae ultimo—practicum moraliter certum certitudine morali lata supponit hominem diligenter fecisse quod in se est ad malum vitandum. *Ergo* ad honeste agendum sufficit dictamen conscientiae ultimo—practicum moraliter certum certitudine lata de honestate propriae actionis.

Mai.: Aliud enim ab homine exigere esset absurdum.

Min.: Stricta certitudo moralis saepe impossibilis est in actibus humanis, qui circa contingentia et variabilia versantur. Si certitudo moralis lata non sufficeret, postquam homo moralem diligentiam adhibuit ad dubium deponendum, tunc vita moralis impossibilis, onus intolerabile, et magnum supplicium fieret. Plerumque esset suspendenda voluntatis determinatio, et rueret axioma illud fundamentale in ordine morali: *facienti quod est in se Deus non denegat suam gratiam.*

505. Scholion. De obligatione efformandi conscientiam. Conscientia non solum recta et certa, sed *de se* debet etiam esse *vera,* seu debet sese conformare cum obiectiva realitate. Hoc vero supponit adesse cognitionem obiectivam obligationis. Hinc concluditur adesse etiam obligationem instruendi formandique conscientiam. Sicut iudices habent veram obligationem cognoscendi leges iuxta quas debent iudicare, sic conscientia habet obligationem cognoscendi praemissas e quibus iudicare debet, seu deducere conclusiones in vita practica.

Haec vero obligatio est relativa, proportionata capacitati, aetati, mediis uniuscuiusque; omnibus tamen sufficiens cognitio principio-

rum moralium necessariorum praecipitur, secus homo nequiret dicere se fecisse quantum in se est, ad malum vitandum[5].

Haec conscientiae efformatio nostris diebus est maxime necessaria, cum magnopere a plerisque negligatur.

ARTICULUS II

DE MODO DEPONENDI DUBIUM PRACTICUM

Thesis 25. Cum de licito vel illicito agitur licet sequi opinionem certo probabilem de honestate actionis, relicta aeque probabili vel probabiliore.

ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús en la asistencia de España* t.6 p.119ss; LEHMKUHL, *Theol. mor.* 1,156ss; *Probabilismus vindicatus;* BALLERINI-PALMIERI, *Opus. Theol. Mor.* v.1,156ss; NOLDIN, *Summa Theol. Mor.* t.1 n.228-257; CATHREIN, *Phil. moralis* n.258ss; HARMIGNIE, P., *Notes sur les probabilisme:* RevNeoScolPh 21(1921) 41-58; LÓPEZ, ULP., *Thesis probabilismi ex St. Thoma demonstrata:* Periodica 25 (1936) 38-50; 157-170; 26 (1937) 17-33; *Quo vertitur probabilismus?:* Periodica 31 (1942) 12-30; BRISBOIS, ed., *Pour le probabilisme:* EphThLov 13 (1936) 74-97; DE BLIC, *Probabilisme:* DAFC 4,301-340; DEMAN, *Probabilisme:* DTC 13,417-619 (est probabiliorista); JANSSENS, ed., *Notes sur la consciense doutesse* RevNeoScolPhil 22 (1920) 287-309; *Reponse a un plaidoyer probabiliste:* RevNeoScolPh 23 (1921) 267-289 (Probabiliorista); Ami du Clergé (1900) 369-374; 417-423; 481-484; 545-549; 609-615; 721-727; 753-757; 801-805 (1901) 433ss.

506. Nexus. Vidimus necessario requiri conscientiam moraliter certam de honestate propriae operationis ut quis possit bene moraliter agere.

Plerumque vero non habemus illam certitudinem. Quid ergo tunc nobis faciendum? En quod volumus videre thesi praesenti.

507. Notiones. OPINIO PROBABILIS: illa est quae innititur motivo solido et gravi; seu quae ob gravia motiva assensum viri prudentis, quamvis cum formidine oppositi, valet extorquere. Potest esse probabilis:

1. *Intrinsece* si fundatur in rationibus ex ipsa re deductis.

2. *Extrinsece* si fundatur in auctoritate doctorum.

Utraque vero potest esse *absolute* vel *relative* talis, prout in se ipsa inspiciatur, vel in comparatione cum opposita.

508. RELATIVE PROBABILIS potest esse: 1. *Probabilior*: si innitatur gravioribus rationibus, vel ab excellentioribus doctoribus defendatur; 2. *Aeque probabilis*: si rationes vel doc-

---

[5] *Optime de hac re* BALMES, *Filos. elem., Etica* c.15 sec.3.ª n.120 (BAC 3.140-141).

tores pro utraque parte sint aeque vel fere aeque graves; 3. *Minus probabilis*: si minus gravibus rationibus vel doctoribus innitatur.

509. Opinio tuta: dicitur illa quae periculum excludit peccandi saltem formaliter; *tutior,* illa quae magis tale periculum excludit; *minus tuta,* quae minus excludit periculum peccandi, quam eius opposita.

Potest accidere ut opinio tutior sit minus probabilis, et ut minus tuta si probabilior, prout opinio favens legi vel libertati innitatur debilioribus rationibus vel e contra; si vero opinio est vere probabilis non desinit esse tuta.

510. Cum de licito vel illicito agitur: i.e. cum ex actionis positione vel omissione nihil aliud sequitur quam ut actio sit moraliter bona vel mala, v.c. dubito utrum hic cibus sit caro necne, proinde utrum possim illum manducare die abstinentiae. E contra agitur de *validitate,* v.c. si dubito utrum hoc sit aqua naturalis necne ad baptismum conficiendum cum illo.

In primo exemplo ex actione posita vel omissa nullus alius effectus sequitur quam moralitas actionis; in altero vero sequitur baptismum re vera esse validum, si aqua est naturalis, vel invalidum, si aqua non est naturalis, ac proinde consecutio vel amissio beatitudinis in baptizando. Cum agitur de validitate actionis semper sequenda est pars tutior.

511. Igitur doctrina probabilismi *applicari nequit* cum agitur: 1, *de medio necessario* ad salutem aeternam, v.c. utrum aliquis sit baptizatus necne; 2, *de valore sacramenti,* nisi defectus suppleatur ab ecclesia, vel necessitas urgeat, et impossibilis sit alius modus procedendi; 3, *de periculo damni* temporalis aut spiritualis, sive proprii, sive alieni, quod praecavere aut impedire teneamus ex iustitia aut ex caritate, v.c. utrum haec medicina sit nociva; utrum haec lectio sit mihi mala necne.

512. Licet sequi. Non igitur datur obligatio sequendi probabilismum, solummodo dicimus eum, qui hoc systema sequi velit honeste operari; qui velit sequi opinionem tutiorem melius operabitur; non tamen adest obligatio sequendi opinionen tutiorem neque probabiliorem.

513. Status quaestionis. 1. Non quaeritur utrum sufficiat ad recte operandum iudicium *ultimo practicum* tantum

probabile de honestate operationis. Diximus enim thesi praecedenti tale iudicium moraliter certum prorsus requiri.

2. *De se* etiam iudicium *remote* practicum certum esse debet; nam requiritur conscientia non tantum recta, sed etiam vera, seu conformis cum ordine obiectivo; proinde semper ac sit possibile certitudinem etiam speculativam de honestate operationis acquirere cogimur.

3. Nunc vero agitamus hanc quaestionem: ille qui in dubio remote practico versatur de honestate positionis vel omissionis alicuius actionis, quid facere debet ut recte operetur?

4. Responsio patet ex dictis; necessario debet acquirere prius certitudinem de honestate operationis, adhibendo moralem diligentiam ad illud dubium depellendum et sibi conscientiam certam comparandam. Si nequeat illud deponere, neque possit differre operationem, tutior pars eidem eligenda est; sicilicet, si dubium sit an actio sit honesta necne, actio omittenda est; si dubium versetur circa honestatem omissionis actionis, actio ponenda est.

5. Quomodo vero poterit quis dubium deponere et conscientiam certam acquirere? Duobus modis: a) *Directe*: expellendo dubium speculativum, a quo dubium practicum procedit, v.c. examinando bene praemissas, consulendo auctores, interrogando viros peritos.

b) *Indirecte*: cum dubium speculativum, etiam adhibita morali diligentia, ut saepe fit, depellere nequeat, tunc dubium practicum de honestate operationis deponere poterit indirecte, scilicet vi quorumdam principiorum generalium, quibus conscientiam certam reflexam obtineri poterit. Ope horum principiorum iudicare poterit cum morali certitudine, licitum esse agere, etiam manente dubio speculativo de honestate actionis. Quaenam sint haec principia est quod in thesi investigatur.

6. Agitur in thesi potius quam de dubio facti *de dubio iuris* i.e. de casu in quo *facta debita diligentia,* adhuc remanet dubium circa exsistentiam, vel circa extensionem, vel circa obligationem legis alicuius in casu aliquo particulari. Dubium enim facti, etiam si tunc doctrina probabilismi applicari valeat, potius solvitur per alia principia iuridica, ut sunt, v.c. *in dubio melior est conditio possidentis; probabilis impletio legis positive probata sufficit ut legi certae—saltem extra materiam iustitiae—satisfactum sit; factum non praesumitur, sed probandum est,* et alia similia.

7. Ut patet agitur tantum de casu in quo dubium versetur circa *liceitatem vel illiceitatem* actionis non vero de casu in quo agatur praeterea de validitate vel invaliditate. Nam tunc extra controversiam est semper partem tutiorem sequendam esse. Neque est exceptio in applicatione systematis; nam in iis casibus non agitur de aliqua lege dubia, sed de lege certa et clara obtinendi nempe determinatam realitatem obiectivam, quae in discrimine minime adduci potest.

8. Quaestio ergo est haec: Non constat mihi certo de exsistentia alicuius legis, vel obligationis; sed serio dubito de illis; consequenter serio dubito de obligatione ponendi vel omittendi aliquem actum determinatum. Possum in primo casu omittere, vel ponere in secundo illum actum absque peccato?

514. Sententiae. 1.ª *Tutiorismus absolutus* affirmat obligationem adesse sequendi semper opinionem tutiorem, seu faventem legi vel obligationi dummodo contraria non sit *certa;* ita *iansenistae.*

2.ª *Tutiorismus mitigatus* dicit tutiorem partem esse eligendam quamdiu contraria non sit *probabilissima;* hoc systema valde simile est praecedenti.

3.ª *Probabiliorismus* iudicat opinionem minus tutam tunc solum licite nos amplecti posse, cum sit *probabilior* quam contraria; ita GONET, THYRSUS GONZÁLEZ, BILLUART, ac multi *thomistae.*

4.ª *Aeque probabilismus* tenet opinionem minus tutam non posse aliquem sequi nisi cum haec sit saltem *aeque probabilis* quam contraria. Ita RASSLER, A. MAYR, et generatim *Redemptoristae.*

5.ª *Probabilismus* sustinet opinionem minus tutam licite quemquam sequi posse, dummodo illa sit *vere et solide probabilis,* quamvis sit minus probabilis quam contraria. Ita communiter auctores.

6.ª *Compensationismus*: ad hoc ut recte quis probabilismo uti possit requirit causam proportionate gravem *compensantem* scilicet periculum cognitum vulnerandi legem; ita v.c. PRIIMMER, LEHU.

7.ª *Laxismus* putat opinionem minus tutam licite quemquam amplecti posse, etiam si sit solummodo *tenuiter vel dubie probabilis.*

Ex his systematibus tutiorismus absolutus et laxismus ab

Ecclesia sunt damnata, tutiorismus mitigatus et probabiliorismus hodie vix habent defensores [6].

515. *Nostra sententia.* Nos dicimus cum facta diligentia convenienti non *possimus acquirere* certitudinem speculativam de honestate operationis, nos posse honeste operari, dummodo iudicium de honestate nostrae operationis *sit vere, solide et certo* probabile; neque causam proportionate gravem ad hoc requirimus. Asserimus probabilismum valere sine ulla exceptione cum agitur solum de licito vel illicito. Defendimus nostram sententiam ut *certam* certitudine morali lata, qualis ad honeste operandum requiritur. Ideo, debita reverentia auctoritati extrinsecae auctorum sententias contrarias tenentium, existimamus rationes illorum nullum habere valorem.

516. Probatur. Lex dubia non obligat. *Atqui* lex contra quam militat vera et solida probabilitas est lex dubia. *Ergo* lex contra quam militat vera et solida probabilitas non obligat, ac proinde licite quis potest illam derelinquere.

Mai.: Lex nequit immediate voluntatem obligare, sed ad hoc requiritur ut ipsa lex et obligatio eiusdem voluntati proponatur per cognitionem ipsius legis; ergo solum lex cognita potest voluntatem obligare. Iam vero quamdiu intellectus prudenter dubitat de exsistentia legis, cognoscit dubium circa ipsam legem et obligationem inquirendi in eius exsistentiam, sed ipsam legem non cognoscit; ergo cum lex est dubia positive non potest intellectus proponere voluntati obligationem circa ipsam.

Min.: Certitudo et solida et vera probabilitas de eadem veritate se mutuo excludunt; cum ergo opinio pro libertate contra legem est vere et solide probabilis, lex non potest esse certa; nihil vero interest utrum haec opinio solide et vere probabilis sit minus, an aeque vel magis probabilis, modo sit vere et solide probabilis.

517. Corollarium. 1. Hoc modo recte conscientia certitudinem moralem de liceitate propriae operationis obtinere potest. Tunc enim ita argumentatur: Illa actio contra legem est *certe licita* pro qua militat opinio vere et solide probabilis; nam lex dubia non obligat. *Atqui* pro hac actione *certe* militat solida et vera opinio probabilis.. *Ergo* haec actio est *certe* licita. In hac vero argumentatione omnia sunt certa.

[6] Cf. Optime diversa systemata apud NOLDIN, *Summa Theol. Nat.* 1 n.228-257.

2. Licet sequi opinionem vere et solide probabilem contra quamcumque legem, sive humanam, sive divinam; nam principium illud: *lex dubia non obligat* valet pro omni lege.

518. Obiectiones. 1. Non licet contra legem agere. *Atqui* qui probabilismum sequitur agit contra legem. *Ergo* non licet sequi probabilismum.

Resp. Dist. mai.: certam, *conc.;* probabilem seu dubinam, *neg. Contrad. min.*

2. Principium iuridicum affirmat: *in dubio standum esse pro parte tutiore. Atqui* pars tutior est agere pro lege, non pro libertate. *Ergo* contra legem dubiam non licet agere.

Resp. Dist. mai.: in dubio ultimo practico, *conc.;* in dubio remote practico, *subd.:* si agitur de validitate, *conc.;* si de licito solum, *neg. Conc. min. Dist. partiter cons.*

3. S. Thomas (*De veritate* q.17 a.3 c.) dicit sufficere notitiam probabilem legis ad hoc ut quis teneatur iuxta ipsam operari. *Atqui* in casu probabilismi datur notitia probabilis legis, nam datur dubium probabile ipsius. *Ergo* etiam in dubio remote practico, etsi agatur solum de licito, non licet operari nisi iuxta legem.

Resp. Dist. mai.: dicit sufficere quamlibet cognitionem vel probabilitatem exsistentiae legis, *neg.;* requirit veram et certam cognitionem ipsius, *conc. Contrad. min.*

4. Cum agitur de aliquo fine certo obtinendo non licet uti probabilismo. *Atqui* cum datur cognitio probabilis exsistentiae legis datur finis necessario obtinendus, nempe conformitas cum lege. *Ergo* sufficit cognitio probabilis exsistentiae legis ut detur obligatio operandi iuxta ipsam.

Resp. Dist. mai.: si agitur de valore actionis, *conc.;* si solum de liceitate, *neg. Contrad. min.*

5. Non est rationale, proinde est inhonestum, ita operari ut quis in sua operatione quod est minus probabile, et ut tale cognoscit, praeferat illi quod est magis probabile. *Atqui* hoc facit qui probabilismo utitur. *Ergo* etiam si solum agatur de liceitate actionis nequit quis licite uti probabilismo.

Resp. Dis. mai.: praeferat i.e. existimet illud esse probabilius, seu maiori aestimatione dignum, *conc.;* iudicet habere eumdem valorem, i.e. nullum, ad obligationem gignendam, *neg. Contrad. min.*

6. Praeferre sententiam minus probabilem contra legem patefacit viam ad violationem legis. *Atqui* patefacere viam ad violationem legis idem est ac ipsam legem in discrimen adducere. *Ergo* probabilismus in discrimen adducit ipsam legem ac consequenter moralitatem.

Resp. Dist. mai.: ad violationem legis certae, *neg.;* legis dubiae, *subd.:* ad violationem materialem, postquam diligens inquisitio facta fuit ad dubium deponendum, et ex amore propriae libertatis quae sancta est, nec ei limites sunt imponendi nisi cum certo de illis constet, *conc.;* sine illis rationibus, *neg. Contrad. min.*

7. Systema probabilismi nequit gignere conscientiam certam, quae necessaria est ad operandum; nam illa certitudo proveniret ex syllogismo in quo una praemissa non est nisi probabilis. *Atqui* ex syllogismo in quo una praemissa non est nisi probabilis, conclusio non potest esse nisi probabilis. *Ergo* systema probabilismi nequit gignere conscientiam certam, quae est necessaria ad operandum.

Resp. Dist. mai.: probabilis in syllogismo directo, *conc.;* in reflexo, *neg.* Nam in syllogismo reflexo omnes praemissae sunt certae. *Conc. min. Dist. partiter cons.*

8. Illa conclusio nequit esse nisi probabilis etiam in syllogismo reflexo, contra quam sunt aliae sententiae etiam vere probabiles. *Atqui* contra probabilismum, sunt aliae sententiae quae sunt etiam probabiles. *Ergo* probabilismus, etiam in syllogismo reflexo nequit gignere certitudinem.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Nam aliae sententiae, venia debita earum defensoribus, non habent ullam probabilitatem intrinsecam; quae difficultas eodem modo urget adversarios, et apud ipsos eamdem habet responsionem.

9. Illae sententiae nituntur hoc noto principio; *cum in occursum veniunt duae sententiae, altera probabilis, probabilior altera, a probabiliore sententia elidi seu destrui sententiam probabilem tantum. Atqui* hoc principium est verum. *Ergo* illae sententiae habent probabilitatem intrinsecam.

Resp. Conc. mai. Neg. min. dummodo sententia probabilis sit vere et solide probabilis.

CAPUT VII

De iure in genere

Cf. S. Th., 2-2 q.57 a.1; Suárez, *De legibus* l.1 c.2 et 17; Lugo, *De iust. et iure* d.1; Vermeersch, *Quaest. de iustitia* n.4ss; Meyer, *Inst. Iuris Nat.* v.1 n.430ss; Cathrein, *Filosofía del Derecho* (Madrid 1941); *Filosofia morale* v.1 p.544ss; Mendive, *Ethica et Ius. Nat.* p.157ss; Nivard, *Ethica* p.175ss; Fourneret, *Droit:* DTC 4,1831-1836; Luño Peña, *Derecho natural* (Barcelona 1947) p.9ss; Van Overveke, P. M., *De relatione inter ordinem iuridicum et moralem:* EphThLov 11 (1934) 289-346.

519. Nexus. Praecedentibus capitibus de se completus est tractatus philosophiae moralis generalis; consequenter alteram partem incipere deberemus, in qua principia generalia, antea exposita, ad praecipua genera actionum moralium applicantur.

Cum tamen in hac applicatione plura, quae generaliora sunt et ceteris fere communia inveniantur, opportunum videtur haec in tractatu generali colligere, qui cum et ipse generalis sit ad moralem generalem iure pertinet. In hoc ergo capite illa omnia includuntur quae ad quaestionem de iure et officiis in genere pertinent [1].

Accedit quod rectitudo plurimarum actionum humanarum non solum ex comparatione ad hominem agentem eiusque finem accipi debeat, sed etiam ex relatione ad ceteros quibuscum vivit. Hinc fit ut hae actiones non solum bonae aut malae evadant sed praeterea iustae vel iniustae. Oportet ergo generaliora principia iusti et iniusti exponere, sicuti antea generaliora principia boni et mali exposita sunt.

[1] Aliqui auctores praeferunt in morali speciali haec generica de iure includere; cum tamen omnes idem dicamus, non est cur in hac parva differentia, potius pedagogica, discutienda immoremur. Cf. in partem contrariam Gafo, O. P., apud *Ciencia Tomista* 3 (1911) 275.

Caput ergo praesens in hac iusti et iniusti generali consideratione versabitur.

In primis *definitionem* iuris trademus; deinde eiusdem *naturam et proprietates;* tertio loco speciatim considerabimus *exsistentiam* iuris naturalis eiusdemque *relationes* cum moralitate; denique *divisiones* iuris exponemus, agendo maxime de *iure gentium* tam in acceptione antiquorum scholasticorum, quam in hodierna.

Momentum huius tractationis maximum est, cum conceptus iuris ex praecipuis sit totius philosophiae moralis, ab ipso enim pendent omnia quae deinde dicantur.

ARTICULUS I

DE NOTIONE IURIS

520. Notio iuris *practice* est ex notissimis vitae socialis. Homines enim saepe de iure loquuntur, ita ut vita socialis universa iure imbuatur, actus iuridici passim et absque reflexione in vita quotidiana ab omnibus exercentur; paucae ergo sunt notiones hac iuris notione clariores. Cum tamen de definitione tradenda agitur, non parva difficultas invenitur.

521. Definitio. 1. *Etymologica* [2]. Etymologia iuris est incerta. Venit enim iuxta diversos auctores vel a sanscrito *jug,* vel a *iussu,* vel a *iusto,* vel a diversis aliis verbis. Communius sustinetur venire a *iusto.*

Sed quomodocumque se res habeat, certum utique est ius valde connexum esse cum idea iustitiae, cum rectitudine, quod maxime apparet ex linguis vernaculis, in quibus idea iustitiae, rectitudinis, hoc praecise verbo exprimitur, v.c. *derecho, diritto, direito, droit, recht...* quibus in omnibus servatur radicale *rect,* verbi latini rectum.

522. 2. *Vulgaris.* In conceptu vulgari ius semper significare videtur aliquid rectum, seu cum aliqua regula seu norma concors, cui homines sese accommodare debent. Praeterea involvit aliquid non ordinis physici, sed ordinis suprasensibilis, aliquam scilicet potestatem moralem. Est ergo *aliquid homini eiusque exigentiis consentaneum, et quidem non in ordine materiali sed in ordine suprasensibili.*

523. 3. *Scientifica.* Conceptus scientificus est ipse vulgaris magis reflexus et determinatus. Dantur tres acceptiones scientificae aeque propriae iuris:

---

[2] Cf. LUÑO PEÑA, *Derecho natural* p.10.

a) APPLICATUM REBUS (pro antiquis, et generatim pro scholasticis *ius obiectivum*) denotat aliquod debitum, et accipitur pro obiecto iustitiae, ac definiri solet: *res quae alteri debetur ut sua.* Quoniam vero iustitia stricto sensu accepta non est nisi iustitia commutativa, ius stricte est obiectum iustitiae commutativae, seu debitum titulo iustitiae commutativae. Sic loquimur *de iuribus iudicis, magistri, medici, stolae.* Latiori sensu vocatur etiam ius debitum iustitiae legalis, socialis et distributivae, et etiam virtutis religionis et obedientiae [3].

b) APPLICATUM NORMIS (ab antiquis et generatim ab scholasticis *ius praeceptivum* vocari solitum, a modernis tamen ius *obiectivum*) [4] sumitur pro *lege;* sive pro singulis legibus, sive pro collectione generali omnium legum, sive solum pro aliqua specie legum. In hoc sensu loquimur de *iure romanorum, de iure hispano, de iure canonico...*

c) APPLICATUM PERSONIS (Ius *dominativum,* vel *subiectivum* appellatum) significat *facultatem moralem aliquid faciendi,* exigendi, vel possidendi.

524. Originaria acceptio iuris. Ius primario applicabatur rebus, ac idem erat ac iustum, seu obiectum iustitiae. Quoniam vero res, quae alteri debentur, determinari solent normis obiectivis certis et fixis, i.e. legibus, translata est significatio ad ipsas leges; denique quoniam ille cui aliquid ut suum pertinet facultatem moralem in ipsum habet translata est significatio ad ipsam moralem potestatem significandam [5].

ARTICULUS II

DE IURE SUBIECTIVE SUMPTO

525. Tertia acceptio iuris frequentius usurpatur ac generatim subintelligitur in philosophia morali, nisi aliud dicatur; illam proinde vocare possumus ius stricto sensu; et quo melius intelligatur volumus illam ulterius explicare.

[3] In ac acceptione utuntur ordinarie vocabulo ius S. THOMAS ac scholastici classici. Cf. GRANERIS, G., *La moralità del diritto di fronte alla dottrina di S. Tomaso:* RivFilNeosc 32 (1940) 138-149.

[4] Cf. CASTÁN TOBEÑAS, *Las diversas escuelas jurídicas y el concepto del derecho* (Madrid 1947) p.20ss; CATHREIN, *Filos. del derecho* p.52-72; MESSINEO, A., *I diritti della persona nello stato nazionale:* CivCatt (1939,4) 305-307.

[5] VERMEERSCH, *Quaestiones de Iustitia* n.11 p.10 ordinem inversum tenendum esse existimat.

Thesis 26. Ius prout applicatur personis recte definitur: potestas moralis in rem suam.

526. Definitionis explicatio. 1. *Potestas:* i.e. facultas; hoc verbo ius ab officio distinguitur; officium implicat obligationem; ius vero facultatem libere obstringendi alterum in proprium obsequium vel liberam facultatem aliquid agendi.

2. *Moralis:* non mere physica, quae non constituit ius; sic latro, etsi potestatem physicam habeat pecuniam a viatore auferendi, non tamen ius ad illud habet. Potestas moralis denotat aliquid esse possibile in ordine spirituali, quodque exercetur mediante intellectu et voluntate; quae potestas a lege, saltem naturali, conceditur, ideoque ab omnibus agnosci debet; ex quo sequitur potestatem iuris esse inviolabilem.

Iuri in aliqua persona in reliquis officium respondet talem potestatem agnoscendi. Dicere ergo: *habeo ius*, idem est ac dicere: *hoc possum quin aliis denegem quod illis debetur, et nemo potest me ab hoc impedire, quin ipse deneget mihi, quod mihi debetur.*

3. *In rem:* nomine rei intelligitur quidquid personae alicui utilitatem vel gloriam afferre possit, v.c. actio, omissio, obiectum, servitium.

4. *Suam:* hoc verbum significat obiectum iuris ad subiectum speciali modo ordinari, seu cum illo specialiter connexum esse, vi cuiusdam connexionis, vel exigentiae sive physicae sive moralis, vi cuius illud subiectum ceteris omnibus est praeferendum in usu talis rei [6].

Quilibet ergo ius habet in illa quae speciali et determinato modo sunt ad illum ordinata, ita ut alios ab illis rebus excludere possit.

527. Rectitudo definitionis probatur. Ex universali *modo loquendi*

Ab omnibus iure suo frui dicitur ille qui potestatem moralem aliquid *possidendi* habet, seu *excludendi* alios ab usu illius rei circa quam ius habet; vel qui habet potestatem moralem aliquid *exigendi,* v.c. solutionem alicuius debiti; vel denique qui habet potestatem aliquid *agendi,* v.c. deambulandi per viam publicam. Omnes etiam hanc potestatem moralem circa aliquid ut inviolabilem habent, ita ut reliqui illam revereri debeant.

528. Scholion. 1. Cui competat strictius praedicta definitio. *Competit* iuri respondenti iustitiae commutativae; faciliter tamen iuribus respondentibus iustitiae legali, distributivae, et sociali adaptari potest. Sic ius respondens iustitiae *legali* definiri potest: *facultas moralis communitatis perfectae a suis membris exigendi ea quae ad suum finem sibi sunt necessaria;* ius vero respondens iustitiae *distributivae: potestas moralis membrorum communitatis perfectae ut habita proportione non maiora eis onera imponantur quam eorum vires ferre possint, et de bonis communibus pro ratione meriti accipiant;* ius vero respondens iustitiae *sociali: potestas moralis singulorum hominum ut ex bonis materialibus sibi ad vitam sufficientia accipiant.*

---

[6] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.1 s.1 n.5-6.

529. 2. **De elementis relationis iuridicae.** Ius consistit in relatione quadam, in qua distinguere opportet: a) *subiectum* seu personam, quae iure praedita est; b) *titulum* seu *fundamentum,* quod est factum vi cuius aliquid specialem cum aliquo connexionem habet; c) *terminum,* qui duplex esse potest: *personalis,* scilicet persona illa in qua est officium iuri correspondens; et *materialis,* scilicet materia circa quam ius versatur; v.c. si Petrus vi promissionis ius habet accipiendi a Paulo mille pessetas, Petrus est subiectum iuris, Paulus est terminus personalis, mille pessetae sunt terminus materialis, denique promissio est titulus iuris. Terminus materialis, et personalis possunt coincidere, sic v.c. homo est terminus materialis et personalis iuris divini.

530. 3. **Quid prius ius an officium.** *Prioritas intelligitur non temporis, sed naturae.* 1. *Respectu ad Deum* semper est prius ius in Deo, omnia enim officia et omnes obligationes erga Deum a supremo iure divino proveniunt.

2. *Respectu ad homines* opus est distinctione; a) *in ipsa persona* officium est anterius iuri, nam ante iura habemus obligationes, ius enim essentiale hominis erga media necessaria ad ultimum finem provenit ab stricta obligatione tendendi in illum a Deo imposita; b) *inter diversas personas* ius est anterius obligatione.

531. 4. **De fundamento iuris.** Omnia iura humana resultant: a) *ex ordinatione hominis in finem libere et personaliter assequendum;* b) *et ex natura eiusdem sociali.*

Homo enim natura sua et divina voluntate ordinatur in finem ultimum libere assequendum propriis actibus moralibus. Non igitur ad modum animalium aliis tamquam medium subordinatur, ut per eos suum finem obtineat, sed e contra ab aliorum arbitrio plene independens est et eiusdem dignitatis ac reliqui. Ex hoc capite merito dici potest hominem sibi ipsi finem esse. Ex quo sequitur ipsum ius inviolabile habere ut omnes hanc suam dignitatem et independentiam revereantur.

Homo praeterea ut finem suum assequatur consortio aliorum indiget, ideoque natura sua et divina voluntate in societate vivere debet, maxime in societate domestica, civili et religiosa. Ex quo sequitur homines non solum esse independentes et inter se aequales, sed simul partes societatis, ideoque auctoritati alicuius subesse debere, sunt enim tamquam membra cuiusdam organismi, inter quae mutuae relationes iuridicae intercedere debent.

Hoc est fundamentum potissimum totius ordinis iuridici; ideo recte dici potest rationem iuris stare in protegenda libertate singulorum contra incursiones aliorum.

532. 5. **De fine iuris.** Finis iuris respondentis:

1. *Iustitiae commutativae* est *libertas et independentia* cuiusque in suis bonis; ad hoc enim requiritur hocque natura sua obtinere potest; ergo ad hoc ordinatur. Ius ergo non libertatem coarctare sed e contra illam defendere contendit.

2. *Iustitiae legali est bonum communitatis perfectae* protegere ad hoc necessarium est ut ipsa ius habeat exigendi a suis subditis quae ad finem communem sunt necessaria.

3. *Iustitiae distributivae est membra communitatis tueri* in suis

bonis contra ipsam communitatem, ut onera et bona communia debita proportione distribuantur.

4. *Iustitiae sociali* est omnibus individuis media necessaria ad vitam, iuxta destinationem naturalem horum mediorum, procurare.

Finis remotus horum omnium est *ordinem socialem* constituere ac conservare, ut omnes quae sua sunt quiete possideant et congrue fines proprios prosequantur[7].

ARTICULUS III

DE PROPRIETATIBUS IURIS: DE COACTIVITATE

Thesis 27. Ius generatim est coactivum (I); coactivitas tamen (II) et a fortiori actualis cogendi possibilitas (III) non constituit essentiam iuris. Porro norma secundum quam discernitur utrum ius aliquod sit coactivum necne est necessitas coactivitatis ad bonum societatis (IV).

Cf. MEYER, *Inst. Iuris Nat.* v.1 p.374ss; CATHREIN, *Filos. morale* t.1 l.8 c.2 p.2; *Filos. del derecho* p.81ss.

533. Nexus. Posita notione iuris, speciatim iuris subiective intellecti, transitum facimus ad considerandas eiusdem proprietates. Tres praecipue numerantur: obligatorietas, universalitas et coactivitas. De obligatorietate et universalitate nihil speciale addendum; quae enim dicta sunt agendo de legis naturalis obligatione et universalitate, universalitati et obligatorietati iuris etiam conveniunt. Agemus ergo nunc de alia iuris proprietate, nempe de coactivitate.

534. IUS (cf. n.523): maxime intelligitur ius pro facultate morali.

535. GENERATIM: i.e. ordinarie, plerumque, persaepe.

536. COACTIVUM: est quod potest adhibere coactionem. *Coactio* vero in genere est recursus ad vim physicam ad vincendam aliquam resistentiam.

537. COACTIVAS: est facultas moralis adhibendi vim physicam ad urgendam observantiam vel reparationem iuris. Haec coactivitas potest considerari:

[7] Cf. CATHREIN, *Filos. del Derecho* p.73-81.

1. *In actu primo*: facultas moralis adhibendi vim physicam, quatenus per circumstantias liceat et fieri possit.

2. *In actu secundo*: possibilitas actualis adhibendi vim physicam ad cogendum alium. Coactivitas in actu secundo addit supra coactivitatem in actu primo quod adsint *media* ad illam actualem faciendam.

Duplex coactio in iure distinguenda est: 1) alia consistens in obligatione *morali* qua ius a lege firmatur ad exigendum obsequium alienae voluntati; 2) alia vero reponenda in facultate morali ad vim physicam exercendam ut ius indemne servetur. Prima non est quid novum iuri superadditum, sed est proprietas intrinseca ipsius; secunda vero est utique quid eidem superadditum; in thesi agitur de hac secunda coactivitate.

538. ESSENTIA: intelligitur id sine quo aliquid vel cogitari, vel exsistere nequit, prout agatur de essentia metaphysica, vel de physica tantum.

539. Status quaestionis. 1. Evidens est *convenientia* possibilitatis adhibendi vim physicam ad iuris observantiam urgendam vel ad illius reparationem postquam laesum fuerit; hoc omnes admittunt neque difficultatem habet. E contra nimis necessitas huiusmodi coactivitatis, exaggeratur ut si ipsa essentiam iuris constituat.

2. Neque quaestio in thesi est utrum *coactio actualis* seu effectiva ad essentiam iuris pertineat; hoc enim manifeste negandum est; secus qui a latronibus expoliaretur, si actu iniuriam repellere vi physica nequiret, iure ad sua bona careret.

3. Quaestio proinde restringitur ad necessitatem coactivitatis sive in actu primo sive in actu secundo; seu quaeritur utrum ius verum essentialiter secum ferre debeat vel possibilitatem actualem adhibendi vim physicam (coactivitas in actu secundo), vel saltem facultatem moralem ad illam (coactivitas in actu primo), etsi aliquando per accidens illam adhibere nequeat.

540. Sententiae. In *prima parte* non datur diversitas sententiarum:

1.ª In *secunda*, primus qui affirmavit coactivitatem pertinere ad essentiam iuris videtur THOMASIUS (1655-1728) protestans, qui iura perfecta et imperfecta distinguit, iuxta con-

nexionem necessariam vel non cum vi physica. Postea KANT camdem doctrinam professus est, asserens ius et potestatem cogendi idem esse, ita ut nullum detur ius absque tali vi coactiva [1].

2.ª Post KANT *multi iuristae*—omnes heterodoxi—, coactivitatem ad essentiam iuris pertinere defendunt ut: IHERING, JELLINECK qui dicit coactivitatem esse normam iuris; KOHLER asserens ordinem iuridicum et ordinem coactivum idem esse; DEL VECHIO, STAHL, LASSON, affirmantes ius esse essentialiter coërcibile: STAMMLER pro quo normae iuridicae absque vi physica sunt quid contradictorium. Multi iuristae moderni hanc sustinent sententiam, ideo definitio iuris ab ipsis prolata omnino falsa est [2].

Notemus tamen hos auctores generatim non agnoscere alia iura quam *leges.*

3.ª Haec doctrina, quae speculative a praedictis auctoribus sustinetur, *practice* profitetur a multis hominibus tam privatis quam publicis, et a guberniis quae existimant se habere ius ad illa omnia ad quae propria vis physica se extendat; reliquos vero sive privatos sive nationes nulla iura habere, si illa vi physica defendere non possint.

4.ª Aliqui auctores catholici, ut MEYER (v.1 n.77, 489ss.), quem sequuntur RODRÍGUEZ DE CEPEDA, QUINTANA, MENDIVE, quadam obscuritate loquuntur, si vero attente legantur, doctrinam in thesi propositam sustinent.

5.ª *Nostra sententia.* Nos cum omnibus auctoribus scholasticis ac cum parte sana iuristarum defendimus ut omnino certum: *a*) in prima parte ius plerumque habere facultatem moralem et actualem possibilitatem vim physicam adhibendi; *b*) in *secunda* coactivitatem in actu primo ad essentiam iuris non pertinere; *c*) in *tertia* hoc ipsum a fortiori dicendum esse de coactivitate in actu secundo; *d*) in *quarta* denique normam ad discernendum quandonam alicui iuri coactivitas competat, esse necessitatem huiusmodi coactivitatis ad bonum societatis.

Probatur. 1.ª Pars: Ius generatim est coactivum.

541. *Ex fine iuris.* Illud generatim iuri pertinere dicendum est sine quo inviolabilitas iuris in hac vita communiter

[1] *Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre:* Einleitung, § E.

[2] Cf. CATHREIN, *Filos. del Derecho* p.83ss; CASTÁN, *Las diversas escuelas jurídicas y el concepto del derecho* p.88ss.

esset vana. *Atqui* inviolabilitas iuris in hac vita communiter esset vana, si generatim ius non esset coactivum. *Ergo* ius generatim est coactivum.

Mai.: Ius conceditur ad aliquem effectum generaliter obtinendum in hac vita, secus esset inefficax et inutile. Finis autem iuris quem generaliter obtinere intendit, ut dictum est, in libertate et independentia hominum in suis bonis obtinendis reponendus est, vel in bono communi protegendo.

Min.: Spectata natura hominum, innumeris cupiditatibus et inordinatis passionibus vitiata, sine coactivitate ius non obtineret finem suum; homines enim, etsi non sint essentialiter et universaliter mali, sunt tamen proni in malum, et bona vitae sibi procurarent meliori quo possint modo, etiam iura aliorum transgrediendo. Sufficit videre quid accidat, etiam cum iura sint generatim coactiva; quid ergo eveniret si non fuissent?

2.ª Pars. Coactivitas in actu primo non constituit essentiam iuris.

542. *Eo quod dentur vera iura absque illa.* Coactivitas ad essentiam iuris non pertinet, si dari possunt vera iura absque coactivitate. *Atqui* dantur de facto vera iura absque coactivitate. *Ergo* coactivitas non pertinet ad essentiam iuris.

Mai.: Sine elementis essentialibus nequit dari res aliqua.

Min.: a) *Si pro lege sumatur*: Lex est norma obligans ad aliquid; exsistentia huius normae non pendet a coactivitate, sed solum a manifestata voluntate efficaci et rationali superioris, seu legislatoris. Coactivitas legis non est nisi facultas statuendi et infligendi sanctionem ad urgendam iuris observantiam externam. *Ergo* supponit legem perfecte constitutam, et non est nisi aliqua proprietas subsidiaria iuris.

b) *Si sumatur pro facultate morali*: Coactivitas praesupponit ius in aliquo circa aliquam rem, et consequenter obligationem in aliis illud ius reverendi, et non est nisi proprietas subsidiaria iuris.

c) *In iuribus iustitiae distributivae* deficit illa vis coactiva; si haec iura ab auctoritate violantur nequeunt generatim vi physica reparari, quia remedium esset peius; vi enim physica contra auctoritatem insurgere esset prorsus anarchicum. In iis ergo iuribus non datur coactivitas in actu primo neque ut aliquid subsidiarium.

d) *Sunt etiam iura strictissima,* respondentia iustitiae

commutativae, quae plerumque natura sua coactioni non sunt obnoxia, v.c. ius ad famam, si interne laedantur ab aliis; tamen omnes habent ius strictum ut non iudicentur mali absque motivo, neque actibus mere internis.

3.ª Pars. Multo minus actualis cogendi possibilitas.

543. 1. *Ex parte praecedenti.* Si coactivitas in actu primo non pertinet ad essentiam iuris, multo minus ad illam pertinebit possibilitas actualis vim physicam adhibendi; haec enim supponit praecedentem.

544. 2. *Ex absurdis quae ex doctrina contraria sequerentur.* *a*) Tempore alicuius perturbationis generalis, vel belli, vel anarchiae, eo quod tribunalia, v.c. essent impotentia, vel deesset vis publica, omnes leges iuridicae cessarent; non enim esset actualis possibilitas cogendi infractores iuris.

b) Similiter contra aliquem tyrannum omnia iura cessarent, eo quod contra ipsum non esset possibilitas adhibendi vim physicam.

c) Tunc non exsisteret nisi ius fortioris... et fortiores nunquam possent violare iura aliorum, nam alii simpliciter contra illos non haberent iura, v.c. senex, infans.

DICES: Sed in iis casibus saltem adest coactio legalis seu possibilitas ad tribunalia accurrendi.—*Resp.*: 1) Ita est, sed eo ipso fatendum est iura ante illum recursum exsistere, proinde hanc legalem coactionem ad essentiam iuris non pertinere. 2) Praeterea cum non adsunt tribunalia, vel cum ipsa tribunalia corrupta sunt—quod non raro accidit—negandum erit illo in casu exsistere iura? 3) Si vero homines extra societatem essent, nulla haberent iura?

4.ª Pars. Norma discretiva est bonum commune.

545. *Ex fine iuris.* Coactivitas iuris nequit fini eiusdem repugnare, qui est in primis bonum commune, seu efficere ut vita socialis possibilis evadat. *Atqui* coactivitas fini iuris repugnaret si pro libitu ad ius urgendum coactivitate uti liceret non habito respectu ad ordinem et tranquillitatem societatis. *Ergo* norma ad discernendum quandonam aliquod ius sit coactivum necne est bonum commune societatis.

Mai.: Finis iuris est protegere libertatem et independentiam singulorum intra societatem, ac societati procurare ea quae necessaria sunt ad bonum commune procurandum.

Min.: Aliquando vindicatio iuris alicuius esset contra bonum commune, v.c. cum agendum esset contra ipsam auctoritatem publicam.

546. Corollarium. Subiectum coactionis activae. Intra societatem *generatim* solum ad ipsam auctoritatem publicam coactionem adhibere pertinet et ad hunc praecise finem illa necessaria intelligitur. Nam si privatis pro libitu ad vim physicam recurrere liceret de ordini sociali actum esset, ac cito bellum omniun contra omnes haberetur. In casibus vero *exceptionalibus* individua privata vi physica sua iura defendere possunt, cum scilicet recursus ad publicam auctoritatem non sit possibilis eo quod periculum immineat; hoc enim postulat publica securitas et bonum commune.

547 Obiectiones. 1. Ius necessario debet consequi finem suum. *Atqui* ex dictis in prima parte sine coactivitate non potest consequi finem suum. *Ergo* ius necessario est coactivum, seu coactivitas ad eius essentiam pertinet.

Resp. Dist. mai.: generatim, *conc.; semper,* ita ut nec per accidens nequeat illum non consequi, *neg. Contrad. min.* Ergo coactivitas non pertinet ad essentiam, sed est solum proprietas ordinaria iuris.

2. Si coactivitas non pertineret ad essentiam iuris debitum iustitiae non differret a debito morali, vel a praeceptis artis. *Atqui* differt debitum iustitiae a reliquis debitis. *Ergo* coactivitas est de essentia iuris.

Resp. Neg. mai.: Nam a praeceptis artis differt eo quod debitum iustitiae vere obliget; a debito morali eo quod debitum iustitiae sit praecise ad *rem suam.*

3. Non est proprietas iuris quod non competit semper et omni iuri. *Atqui* coactivitas physica non competit omni iuri. *Ergo* coactivitas non est proprietas iuris.

Resp. Dist. mai.: proprietas in sensu stricto, *conc.;* in sensu minus stricto, *neg. Contrad. min. Dist. pariter cons.*

4. Nullo modo est proprietas iuris quod non competit ei cui competit ius. *Atqui* coactivitas non competit ei cui competit ius, sed auctoritati publicae. *Ergo* coactivitas nullo modo est proprietas iuris

Resp. Conc. mai. Dist. min.: ipsa coactivitas non competit, *neg.;* exercitium coactivitatis non semper competit ei cui ius competit, *conc. Dist. pariter cons.*

5. Nequit esse penes auctoritatem publicam quod est penes personas privatas. *Atqui* de facto coactionem exercere est penes privatas personas quarum ius periclitatur. *Ergo* exercitium coactionis per se non est penes auctoritatem publicam.

Resp. Dist. mai.: quod per se est penes personas privatas, *conc.;* quod per accidens est, si recursus ad auctoritatem publicam non sit possibilis, *neg. Contrad. min.*

6. Atqui exercitium coactionis per se est penes privatas personas. *Probo:* Coactionem exercere per se pertinet ad illum cuius ius periclitatur. *Atqui* privata persona est subiectum cuius ius periclitatur. *Ergo* ad privatas personas per se pertinet exercitium coactionis.

Resp. Dist. mai.: si in societate civili constituta hoc non esset contra bonum commune, *conc.;* secus, *neg. Conc. min. Dist. pariter, cons.* Sumus in casu pugnae iurium, et ius minus cedere debet.

ARTICULUS IV

DE EXSISTENTIA ORDINIS IURIDICI NATURALIS

Thesis 28. Admittendus est ordo iuridicus naturalis independenter a quacumque lege positiva validus.

CATHREIN, *Filos. del Derecho* p.106-268; *Filos. morale* v.1 p.569ss; MEYER, *Inst. iuris nat.* v.1 p.437ss; ZAMAYOS, *El primer fundamento del Derecho:* AcEspañola 16 (1936) 346ss539ss; 17 (1936) 22ss; DARBELLAY, I., *Le droit naturel et le droit positiv de la societé politique:* RevThom 44 (1946) 540-575; CASTÁN TOBEÑAS, *En torno al derecho natural:* Universidad 2 (1940) 204-255; URDANOZ, *Vitoria y el concepto del derecho natural:* CiencTom 72 (1947) 229-280; LENER, S., *La certezza del diritto e il diritto naturale nel quadro dell'odierna crisi mondiale:* CivCatt (1950,1) 370-383; (1950,2) 149-167.400-415.

548. Nexus. Ex dictis sufficienter constat exsistentia ordinis iuridici in ipsa natura fundati et voluntate divina constituti. Cum tamen multi iuristae, positivismum profitentes omneque divinum et supramundanum inficiantes, hoc negare contendant ideo expresse hanc doctrinam pertractamus.

Aversio iuristarum recentiorum contra ius naturale duobus potissimum modis proditur: *a)* negando exsistentiam iuris naturalis; *b)* separando ordinem iuridicum ab ordine ethico seu morali. Contra hunc duplicem errorem agemus. In prima thesi contra illos qui negant exsistentiam iuris naturalis; in secunda vero contra illos qui ordinem iuridicum a morali separare contendunt.

549. Notiones. ORDO IURIDICUS: est complexus iurium, officiorum et legum iuridicarum. Potest esse *positivus, naturalis et completus,* prout a lege positiva, vel naturali proveniat, vel et positivum et naturalem complectatur.

550. ORDO IURIDICUS NATURALIS: est ergo complexus iurium, officiorum et legum iuridicarum ab ipsa natura provenientium, et quae per ipsam naturalem rationem cognoscuntur.

551. Status quaestionis. Omnes admittunt exsistentiam ordinis iuridici positivi.

Quaestio solummodo movetur circa ius naturale, i.e. utrum praeter ius positivum detur etiam ius naturale.

In sermone vulgari utique legi naturali tribuuntur *officia* quae iubent unicuique dare quod suum est, non calumniari, non furari, ordinem civilem servare...; et similiter *iura,* v.c. ad vitam, ad honorem, ad proprietatem, ad famam... Qui ius naturale defendunt haec omnia valida esse affirmant, seu habere verum valorem obligativum antecedenter ad quam-

cumque legem positivam. Qui vero ius naturale recusant talia iura et officia valida esse negant antequam aliqua lege positiva sanciantur.

Quaeritur ergo: antecedenter ad quamcumque legem positivam et ad quamlibet consuetudinem humanam exsistunt aliqua vera iura et officia etiam in sensu stricto seu iustitiae commutativae respondentia, cui in aliis, etiam in ipsa auctoritate suprema, respondeat verum officium reverendi illud ius?

552. Sententiae. 1.ª *Positivistae iuridici* negant exsistentiam ordinis iuridici naturalis, atque statuunt ut unicum fontem iurium et officiorum vel Statum et auctoritatem civilem (Hobbes, Bentham...); vel aliquod *pactum* expressum vel tacitum (Rousseau); *vel legem et consuetudinem populorum* (*Schola historica*) [1].

2.ª *Schola historica,* cuius fundator fuit Savigny (1779-1861) habetque ut philosophum principem Stahl (1802-1861) innumeros saec. XIX asseclas habuit, neque nostris temporibus desunt, qui huiusmodi doctrinam profiteantur, maxime inter auctores germanos. Hi auctores totum ius hauriunt ex duplici fonte historico, nempe ex lege civili et ex consuetudine, ita ut consuetudo prioritatem habeat. Admittunt aliquas normas altiores, quibus ius conforme esse debeat, quas, dicunt, antiqui philosophi ius naturale vocare consueverant. Hae tamen normae non sunt ius validum, sed solum ideale quoddam iuris; si vero aliquando ius positivum illis adversetur, non ideo desinit esse verum et validum ius [2].

3.ª Nostris diebus multi auctores positivismum iuridicum profitentur, aliqui apertis verbis, v.c. Stammler, Loening [3], alii, etsi hoc nomen recusent re tamen vera illum admittunt, ut v.c. Del Vecchio.

4.ª Theoretice et practice *nacistae* germani, et *fascistae* itali, doctrinam iuridicam Hegelianam sequentes, similiter omnes *socialistae* et *communistae* alia iura non agnoscunt nisi quae ab Statu deriventur [4].

---

[1] Cf. Cathrein, *Filos. del Derecho* p.106-121.

[2] Cf. Cathrein, *Filos. del Derecho* p.130-131; Meyer, *Inst. Iur. nat.* 1 p.440ss.

[3] Cathrein, *Filos. del Derecho* p.145-159.

[4] Cf. Pius XI, *Mit brennender Sorge* n.28; *Summi Pontif.* n.14; *Divini Redempt.* n.10; *Propositiones* 6.ª et 8.ª ex damnatis a S. Congr. de Sem. die 13 Aprilis 1938; Pius XII, *Alloc. ad Prael. auditores S. R. R.* 13 Nov. 1949: AAS 41 (1949) 604ss; Messineo, A., *Diritti della persona nello stato nazionale:* CivCatt (1939,4) 307-309.

5.ª *Nostra sententia.* Nos vero defendimus antecedenter ad quamlibet legem Status, vel consuetudinem populorum, vel pactum inter homines, et in genere independenter a quolibet facto positivo dari aliqua vera iura in quolibet ex conceptibus quibus hoc nomen sumi potest, quibus iuribus respendet in reliquis, non excepto ipso Statu, verum officium reverendi illa.

Haec doctrina, prorsus certa, sustinetur ab omnibus catholicis, ac hodie etiam ab omnibus fere iuristis non catholicis; positivistae enim iuridici in dies decrescunt [5].

Probatur. Sufficit probare exsistentiam *aliquorum iurium* naturalium; consequenter probatum habebimus officia illis respondentia ac legem eadem imponentem esse etiam naturalia.

553. 1. *Ex conceptu primario iuris.* Ius primario significat iustum i.e. rem alteri debitam ut suam ex iustitia. *Atqui* sunt multa quae independenter a quacumque lege positiva, solum vi legis naturalis, ex iustitia alii possunt vocare sua. *Ergo* exsistit verum ius naturale independenter a quacumque lege positiva validum.

Mai.: est definitio iuris in acceptione primaria et strictissima.

Min.: a) *Hominem* posse vocare *sua*: vitam, membra, libertatem, fructus laboris... provenit non ex lege positiva sed ex sola ordinatione Creatoris, qui haec dona homini tribuit ut illis libere in suum commodum uti possit. Unusquisque ergo habet verum ius in haec omnia; reliqui autem verum officium reverendi illa iura, et quidem ex iustitia commutativa; ideo homicidium, calumnia, furtum etsi nulla lege positiva vetarentur, ut iniuriae ab omnibus haberentur.

b) *Societatem civilem* posse etiam vocare *sua aliqua*, independenter a lege positiva, patet eo quod sit societas naturalis, ex voluntate divina exsistens; proinde ex eadem voluntate divina debet habere media ad suam exsistentiam et finem necessaria. Haec vero media nequeunt consistere nisi in iure societatis a suis membris postulandi illa quae ad finem suum sibi sint necessaria. Ergo societas habet hoc ius et subditi officium illi respondens vi ipsius legis naturalis et independenter a quacumque lege positiva.

554. 2. *Ex nexu necessario inter ius et officium.* Qui habet aliquod officium naturale eo ipso habet ius ad media necessaria ad

[5] Cf. LE FUR, *Précis de Droit internationel* p.172.

illud adimplendum. *Atqui* Deus per legem naturalem homini imposuit multa officia. *Ergo* eo ipso accepit ab ipso Deo per legem naturalem multa iura.

Mai.: Secus Deus voluisset finem et non dedisset media necessaria ad illum.

Min.: Deus per legen naturalem hominibus imposuit, v.c. officium colendi Deum, reverendi parentes, eos iuvandi, servandi propriam vitam...

555. 3. *Ex necessitate iuris naturalis ut fundamentum iuris positivi.* Si nullum ius naturale exsisteret, neque ius ullum positivum exsistere posset. *Atqui,* fatentibus omnibus, exsistit ius positivum. *Ergo* et ius naturale exsistere debet.

Mai: Nam cum auctoritas fert primam legem civilem iam debet habere ius ad illam ferendam, et subditi officium eidem obediendi. Undenam vero auctoritas tale ius habet? Si respondeas a pacto vel a conventione aliqua, iterum quaero undenam illud pactum vel illa conventio vim habeat? cur teneamus pactis vel conventionibus stare? Si non admittatur ius naturale et principium iuridicum naturale *pacta sunt servanda,* impossibile erit verum pactum inter homines inire. Ergo tandem aliquando ad ius naturale devenire debemus ad ius positivum fundandum.

556. 4. *Ex necessitate iuris naturalis ad fundandum ius internationale.* Exsistit ius internationale. *Atqui* ius internationale sine iure naturali ut fundamento dari nequit. *Ergo* exsistit ius naturale.

Mai.: Saeculis transactis negabatur; hodie vero nullus est iurista qui illud negare audeat.

Min.: Obligatio iurium internationalium provenire nequit ex voluntate Statuum, sed solum ex ipsa natura. Nam singuli Status obligare nequeunt ad talia iura observanda neque se ipsos, cum nemo se ipsum obliget; neque alios Status, nam singuli sunt omnino independentes. Praeterea si tantum voluntas Status ratio obligationis esset, ab hoc iure servando ipse Status semper posset se ipsum dispensare, et desinente voluntate obligante, desineret ipsum ius [6].

557. 5. *Ex absurdis.* Si non daretur ius naturale haec absurda haberemus:

a) Nullam legem positivam, vel saltem nullam consuetudinem, posse esse iniustam; etsi praescriberetur ab ipsis, v.c. adulterium, homicidium, traditio patriae.

b) Posse quemquam sine iniuria ad libitum tractari, occidi, mutilari... si lex vel consuetudo haec permitterent, ut in populis barbaris.

c) Homines extra societatem civilem degentes nullum habere ius, proinde illos posse occidi absque iniuria.

558. Obiectiones. 1. Ius naturale est indeterminatum. *Atqui* ius indeterminatum non est verum ius. *Ergo* ius naturale non est verum ius.

Resp. Dist. mai.: quoad principia generaliora, *neg.;* quoad par-

[6] Cf. Le Fur, *Précis de Droit internationel* n.345.

ticularia, *subd.:* quoad aliqua, *conc.;* quoad omnia, *neg. Contrad. min.*

2. Est indeterminatum quod est incertum et obnoxium interpretationibus subiectivis. *Atqui* ius naturale quoad omnia est incertum et obnoxium interpretationibus subiectivis. *Ergo* ius naturale quoad omnia est indeterminatum, ac proinde non verum ius.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: ius naturale prout intelligebatur saec.. XVIII et etiam nunc ab aliquibus auctoribus, *conc.;* verum ius naturale de quo nos agimus, prout in conscientia universali viget, *subd.:* quoad principia generaliora, *neg.;* quoad particularia, *subd.:* quoad aliqua, *conc.;* quoad omnia, *neg. Dist. pariter cons.*

3. Si exsisteret ius naturale, ut dictum est, deberet esse immutabile. *Atqui* omnia iura socialia quae exsistunt obnoxia sunt mutationibus iuxta varium culturae statum. *Ergo* ius naturale non exsistit.

Resp. Dist. mai.: quoad principia generaliora, *conc.;* quoad particularia quae legibus civilibus determinari debent, *neg. Contrad. min.*

4. Si ius naturale esset verum ius possent iudices ad illud legitime recurrere ad solvendas lites. *Atqui* iudices nequeunt ad ius naturale recurrere ad solvendas lites. *Ergo* ius naturale non est verum ius.

Resp. Dist. mai.: possent ad illud recurrere ad diiudicandum utrum leges sint iustae an non, *conc.;* ad diiudicandas praecise lites, *neg.* Nam ad hoc non sunt constituti, sed ut solvant lites iuxta leges positivas civiles. *Contrad. min.* Iudices ergo, possunt et debent ad ius naturale recurrere ad videndum utrum lex aliqua sit iusta necne; si vero non sit iusta debent munus iudicis recusare.

5. Ius est coactivum. *Atqui* extra societatem nullum ius est coactivum. *Ergo* ius naturale non est verum ius nisi a lege positiva sanciatur.

Resp. Ex thesi praecedenti patet solutio. *Dist. mai.:* generatim, *conc.;* semper, *neg.* Coactivitas non est de essentia iuris. *Contrad. min.:* posita societate generatim *exercitium* coactivitatis ad societatem pertinet, *conc.;* ipsa coactivitas iuris a societate provenit, *neg.* Extra societatem vero darentur vera iura, et tunc ipsum exercitium coactivitatis illorum ad privatos homines pertineret.

6. Finis iuris est ordinare relationes sociales hominum. *Atqui* haec ordinatio ab auctoritate civili procedit. *Ergo* etiam omnia iura ab ipsa procedunt.

Resp. Dist. mai.: tunc extra, tunc intra societatem civilem, v.c. intra familiam, inter individua, *conc.;* solum intra societatem civilem *neg. Contrad. min.* Sed neque omnes relationes sociales intra societatem ab auctoritate civili creantur; aliquando auctoritas socialis solum applicat ius naturale.

7. Ius—facultas moralis inviolabilis—necessario supponit hominem constitutum in societate civili. *Atqui* tunc ius oritur semper ex lege positiva. *Ergo* non datur ius naturale.

Resp. Dist. mai.: supponit coexsistentiam realem vel possibilem aliorum, *conc.;* vinculum sociale inter eos, ac proinde leges civiles, *neg. Contrad. min.*

ARTICULUS V

De relatione inter ordinem iuridicum et moralem

Thesis 29. Ordo iuridicus est pars universi ordinis moralis ac necessario eidem subordinatur (I); proinde reiicienda est separatio ordinis iuridici ab ordine morali (II).

Meyer, *Inst. Iuris nat.* v.1 p.391ss; Cathrein, *Filos. del Derecho* p.268-286; *Filos. morale* p.621ss; Leclerq, *Leçons de Droit naturel* v.1 p.20ss; Overbeke, *De relatione inter ordinem iuridicum et moralem:* EphThLov 11 (1934) 289-346.

559. Nexus. E sententia essentiam iuris in coactivitate externa reponente facilis fit transitus, ne dicam necessarius, ad separationem iuris a moralitate, ita ut ius et moralitas duos campos omnino inter se independentes constituant. Falsitatem huiusmodi doctrinae praesenti thesi ostendere volumus, ac statuere talem separationem nullo modo admitti posse. Momentum huius quaestionis nemo est qui non videat.

560. Notiones. *Ordo iuridicus:* est complexus iurium, officiorum et legum iuridicarum, quo mediante ordinatio membrorum inter se et cum societate ac simul protectio personarum in hac ordinatione obtinetur.

Constituitur: 1. *Materialiter tum iuribus subiectivis* personarum quarum iura sunt protegenda, tum obiectis debitis aliis ex iustitia.

2. *Formaliter* vero *legibus* quibus declaratur et definitur.

561. Divisio: Potest esse: 1. *Naturalis,* si fundatur in natura atque ab ea procedit. 2. *Positivus,* si fundatur ac procedit a legibus positivis.

562. Ordo moralis: 1. Sensu latiori, comprehendit omnem activitatem liberam et consciam hominis. Est proinde *ordinatio omnium actionum humanarum—quaecumque eae sint—quatenus activitate libera procedunt cum advertentia ad normam moralitatis.*

2. *Sensu strictiori* est ordinatio illarum actionum humanarum quae ad hominem aliquem ut privatum spectant, *seu ordinatio actuum hominis qui cum aliis hominibus relationem non habent.*

563. Subordinatio: est ordinatio unius ad aliud. Duplex esse potest: 1. *Transcendentalis* seu directa; viget inter illa quorum unum

sua principia ab altero accipit, sicque *ab intra* ex principiis receptis dirigitur, v.c. municipium et provincia relate ad Statum. 2. *Praedicamentalis* seu indirecta quae viget inter illa, quorum unum, in eadem specie et ordine cum alio, ab hoc alio *extrinsece* limitatur; hoc modo Status subordinatur Ecclesiae.

564. Status quaestionis. 1. Agimus de ordine iuridico positivo humano, in quo posset dari contradictio, nam in iure naturali et positivo divino est prorsus impossibilis,

2. Quaeritur utrum ordo iuridicus positivus humanus et ordo moralis ita habeant sphaeras inter se diversas ut una cum alia nullam habeat relationem, et utrum possit exsistere aliquod validum ius quamvis ordini morali adversetur.

565. Sententiae. 1.ª Doctrina in thesi proposita ab omnibus auctoribus defendebatur usque ad saec. XVIII, etiamsi saec. XVI GROTIUS semina separationis iacuerit. Saec. vero XVIII THOMASIUS [1] (1655-1758) scientiam iuris ut partem philosophiae propriam et a moralitate seiunctam ab eaque distinctam pertractare coepit. Ex hoc tempore non pauci iuristae scholasticos accusaverunt quod confunderent ius et moralitatem et aliqui omnimodam separationem unius ab altera statuerunt.

566. 2.ª **Sententia kantiana.** Qui vero hanc doctrinam magis adlaboravit procul dubio fuit KANT. Praecipua principia philosophica kantiana de iure ad haec reduci possunt:

a) Statuit ut fundamentum doctrinae principium omnimodae et *absolutae independentiae* hominis. Quo innixus distinguit in homine duplicem independentiam seu libertatem: internam et externam, cum duplici legislatione, una interna et pure morali, altera externa ac stricte iuridica.

Libertas interna, seu independentia voluntatis a motivis empiricis, eiusque autonomia, respicitur ac defenditur a lege pure morali rationis autonomae, quae, praeter actiones internas et externas quas praecipit, etiam exigit motivum actionum, nempe ut ex sola reverentia erga legem internam agatur, secus actio esset legalis sed non moralis.

Libertas externa protegitur a lege externa stricte iuridica. Haec libertas externa, unicum ius originarium hominis, per se limite caret. Cum tamen libertas illimitata unius cum simili libertate aliorum stare non possit, principium coexsistentiae exigit uniuscuiusque libertatem ita restringi ut cum libertate aliorum coexsistere queat.

b) Posito hoc fundamento ex illo deducit KANT: 1. *Definitionem* iuris, quod est complexus earum conditionum sub quibus libertas externa unius cum aliorum libertate, secundum legem universalem libertatis, harmonice coexsistere potest. 2. *Principium generale*

[1] *Fundamentum iuris naturae et gentium* 1 c.4 § 87.

iuris: quaelibet actio est iusta, si accepta pro agendi regula, libertas uniuscuiusque cum libertate aliorum, secundum regulam generalem libertatis, coexsistere potest. 3. *Legem generalem iuridicam:* ita exterius age ut usus tuae libertatis cum libertate aliorum, sesundum regulam generalem libertatis, coexsistere possit[2].

Cum igitur ius nihil sit nisi complexus conditionum sub quibus libertas externa unius cum libertate aliorum coexsistere possit, sequitur requiri mutuam hominum conventionem, quae illas conditiones determinet, et auctoritatem coactivam, qua libertas externa singulorum in favorem libertatis omnium restringatur, et quae tueatur iura quae ex iure originario libertatis externae, secundum principium coexsistentiae, deriventur.

Status ergo civilis est postulatum rationis, qui simul cum auctoritate coactiva iuridice ex pacto sociali humano derivatur. Ante Statum civilem dantur quidem iura acquisita provisoria, non tamen peremptoria, quae solum a legibus civilibus oriuntur.

Quoniam vero unicus fons obligationis moralis est ratio autonoma, quae libertatem internam respicit, hinc lex et officia iuridica utpote rationi autonomae extranea et libertatem externam respicientia, nullam vim moraliter obligantem per se habent, sed solum vim physice coactivam. Unde et ipsa facultas iuridica stricte dicta nihil ethicum admixtum habet et omnino confunditur cum potestate coactiva. Admittit quidem KANT officium iuridicum posse habere vim moralem, si scilicet ratio autonoma praecipiat idipsum quod materialiter officio iuridico congruit.

c) Hinc clare apparet quomodo ordo iuridicus ab ordine morali *differat:* 1. *Fonte:* ordo iuridicus procedit a legislatione externa; moralis vero a legislatione interna. 2. *Fine:* pro uno libertas externa, pro alio libertas interna. 3. *Obiecto:* pro uno actiones externae, praescindendo a motivo; pro alio actiones et internae et externae, sed ex sola reverentia erga legem internam. 4. *Obligatione:* pro uno necessitas hypothetica; pro alio necessitas absoluta.

567. 3.ª *Schola historica* aliquo modo utrumque ordinem connectere voluit, sed, media via haesitans, in contradictionem venit. Ex una namque parte ordinem iuridicum in morali a Deo statuto fundari docuit, illique necessario conformari debere. Ex altera tamen parte contendit ordinem iuridicum esse validum, etsi opponatur ordini morali, quo sequitur ordinem iuridicum ab ordine morali simul pendere et non pendere.

568. 4.ª *Nostra sententia.* Nos dicimus ordinem iuridicum ab ordine morali separari non posse, sed eidem necessario subordinari debere vel intrinsece, si intelligatur in sensu lato; vel saltem extrinsece, si intelligatur in sensu strictiori.

Non tamen ideo dicimus cum illo perfecte confundi. *Nam distinguuntur:* 1. *Distinctione reali inadaequata,* seu non mutua; nam ordo moralis in sensu latiori complectitur omnia iura et officia hominis

[2] KANT, *Rechtslehre* (Ed. Hartenstein) 5,30ss.

erga Deum, erga alios, erga se ipsum; ordo vero iuridicus non nisi officia hominis erga alios; datur ergo inter utrumque ordinem illa distinctio quae viget inter hominem et animam rationalem, vel inter circulos concentricos e quibus minor repraesentet ordinem iuridicum, maior vero ordinem moralem; ideo omnis actus iniustus est etiam malus moraliter; sed non omnis actus moraliter malus est etiam iniustus.

2. *Distinctione logica seu rationis;* nam illa omnia praecepta quae in circulo minori includuntur et ideo ad utrumque ordinem pertinent, adhuc possunt ratione ad invicem distingui: a) *ratione finis,* et considerari ut moralia, quatenus mediantibus illis actus dirigi debent in suum finem ultimum; et ut iuridica quatenus referuntur ad ordinem socialem; b) *ratione denominationis,* actus enim humani quatenus sese accommodant vel non ad ordinem socialem et ad praecepta iuris dicuntur iusti vel iniusti; illi ipsi actus quatenus sese accommodant vel non naturae rationali qua tali dicuntur boni vel mali.

Haec sententia est omnino certa.

Probatur 1.[a] Pars. Ordo iuridicus est pars ordinis moralis.

569. 1. *Ex conceptu ordinis moralis.* Ordo moralis universus comprehendit quidquid requiritur ut activitas libera hominis secundum omnem respectum sit bona seu recta. *Atqui* in hoc includitur etiam ordo iuridicus. *Ergo* ordo iuridicus includitur ut pars in ordine morali.

Mai.: Nam ad ordinem moralem pertinet omnis activitas libera et conscia hominis.

Min.: Homo natura sua est socialis proinde ea, sine quibus societas humana conservari nequit, sunt homini qua tali naturaliter convenientia seu moraliter bona. Huiusmodi est v.c. *unicuique dare quod suum est et ab iniuriis se abstinere.* Iam vero hoc ipsum, seu dare unicuique quod suum est et ab iniuriis se abstinere, v.c. non committendo homicidium vel furtum, vel contractus rite initos servando est strictissimum officium iuridicum, quod qui violat, violat ordinem iuridicum.

570. 2. *Ex conceptu iuris.* Ius significat vel iustum, vel legem, vel facultatem moralem. *Atqui* secundum has tres significationes pertinet ad ordinem moralem. *Ergo* ordo iuridicus est pars universi ordinis moralis.

Mai.: Ex notionibus antea traditis de iure (n.523).

Min.: a) *Sumptum pro iusto* est obiectum formale iustitiae, quae est una ex praecipuis virtutibus moralibus. Iustitiam exercere est actus moralis.

b) *Sumptum pro lege* pertinet ad legem naturalem, vel ab ea derivatur, sive per modum conclusionis, sive per modum

determinationis. In utroque casu obligat obligatione stricta morali, nec potest violari, quin peccatum committatur, et homo a fine ultimo se avertat. Est ergo pars ordinis moralis.

c) *Sumptum pro facultate morali* significat aliquid alicui esse possibile in ordine spirituali, ita ut alii habeant strictum officium illud permittendi, nec impedire possint quin violent iustitiam et peccent. Est ergo etiam pars ordinis moralis.

2.ª Pars: Reiicienda est separatio ordinis iuridici a morali

571. 1. *Eo quod non distinguat ius subiectivum a iure praeceptivo.* Omnia quae KANT dicit de iure sese referunt ad legem humanam; et si sibi constare velit, debet negare exsistentiam iuris subiectivi, nam hoc est aliqua facultas moralis, cui in reliquis respondet obligatio conscientiae; KANT vero negat ius esse aliquid morale.

572. 2. *Ex multiplici falsitate qua laborat doctrina kantiana. Falsum est: a)* Auctoritatem civilem non posse imponere, saltem generatim, veram obligationem *in conscientia.* Nam etsi lex iuridica de se postulet actionem externam, neque per se possit praescribere motivum internum, ad hanc actionem externam ponendam potest in conscientia obligare.

b) Hominem se ipsum *obligare* imperativo categorico ad illas actiones externas ex recto motivo ponendas; nam haec obligatio provenit mediate vel immediate a lege naturali, seu a Deo auctore naturae.

c) Legislationem externam ordini morali *contrariam* esse posse; nequit enim dari obligatio ad rem malam.

d) Finem ordinis iuridici, seu externae legislationis, esse efficere ut omnes *aequali libertate* externa fruantur. Nam finis legis civilis est bonum commune societatis protegere; hoc autem bonum non consistit in aequali libertate omnium, et multo minus in ea sola.

573 *N. B.* Circa asserta vero kantiana de fonte, fine, obiecto, et obligatione utriusque ordinis, notemus: a) *fontem iuris,* etsi remotum, esse etiam legem naturalem; b) *finem* ordinis moralis esse etiam libertatem externam sed non aequalem; c) *obiectum* ordinis moralis comprehendere etiam actiones externas; d) *obligationem* strictam in conscientia in utroque ordine dari.

574. Corollarium. Reiicienda ergo est divisio Philosophiae Moralis in *Ethicam et Ius naturae:* nisi nomine Ethicae intelligatur ordo moralis in sensu strictiori, prout complectitur solummodo actiones liberas quae spectant hominem ut privatum; *nam Ius Naturae,* si accipitur pro doctrina de ordine iuridico naturali, est pars *Ethicae.*

575. Obiectiones. 1. Officia iuridica coactione physica extorqueri possunt. *Atqui* officia moralia non possunt tali vi extorqueri. *Ergo* ordo iuridicus non est moralis.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: officia moralia non iuridica non possunt vi extorqueri, *conc.;* officia moralia iuridica, *subd.:* non potest extorqueri vi physica in illis intentio interna, *conc.;* non

potest extorqueri vi physica adimpletio externa officii moralis, *neg.* *Dist. pariter cons.*

Haec obiectio suponit praecise quod probandum est, nempe esse aliqua officia iuridica, quae non sunt moralia; secus conclusio logica esset: ergo aliqua officia, quae sunt moralia et simul iuridica, possunt vi physica extorqueri.

2. Officia moralia consistunt praecise in intentione, qua aliquid fit, nempe ex reverentia erga legem. *Atqui* ex concessis haec intentio interna nullo modo potest vi physica extorqueri. *Ergo* officia moralia non possunt ullo modo vi physica extorqueri.

Resp. Neg. min. Probavimus praeter moralitatem subiectivam exsistere etiam moralitatem obiectivam, provenienten ex obiectis et ex circumstantiis, quae consistit in conformitate obiecti actus cum natura rationali qua tali. Haec vero conformitas externa potest vi physica extorqueri.

3. Ius est obiectivum. *Atqui* moralitas est aliquid subiectivum. *Ergo* ordo iuridicus non est moralis.

Resp. Dist. mai.: si intelligatur pro iusto, aut pro lege, *conc.;* si pro facultate morali, *subd.:* habet fundamentum obiectivum in lege, *conc.;* non inest in subiecto, *neg. Contrad. min.:* moralitas est aliquid mere subiectivum, *neg.;* subiectivum cum fundamento obiectivo, *conc.* Sed proprie non est comparatio inter ius et moralitatem, nam ius est facultas aliqua moralis, moralitas vero modus quo actus a deliberata ratione procedit.

4. Aliquando ius se extendit ad actionem inhonestam. *Atqui* non posset se extendere ad actionem inhonestam si in ordine morali includeretur. *Ergo* ordo iuridicus non includitur in ordine morali.

Resp. Neg. mai.

5. *Prob. mai.:* proprietarius alicuius domus habet ius expellendi e domo sua tempore hiemis pauperem matrem cum filiis, pretium locationis non solventem. *Atqui* haec actio, etsi iusta, non esset honesta. *Ergo* aliquando ius se extendit ad actionem inhonestam.

Resp. Neg. antec. Nam illud ius quod proprietarius haberet nisi mulier in illa necessitate esset, in conflictu venit cun alio iure superiori mulieris et cedere debet. Illa ergo actio non esset exercitium iuris, sed abusus. Aliud est quod homines illum abusum coactive non impediant, nam plerumque non solent attendere nisi ad iura positiva.

ARTICULUS VI

DE PRAECIPUIS DIVISIONIBUS IURIS ET OFFICII

§ 1. De divisionibus iuris

A. IURIS PRAECEPTIVI DIVISIONES

CATHREIN, *Filos. morale* v.1 p.642ss; *Phil. moralis* n.304ss; MEYER, *Inst. Iur. nat.* v.1 n.569ss.

576. Ius praeceptivum dividitur sicut ipsa lex: 1) In praeceptivum, prohibitivum, permissivum, puniens; aeternum, temporale; divinum, humanum de quibus antea egimus (cf. n.368).

577. 2) IUS HUMANUM subdividitur in: a) *Publicum:* quod ordinat relationes membrorum cum societate et quod immediate intendit bonum commune. Subdividitur in *ecclesiasticum* et *civile.* Rursus subdividitur in *politicum, administrativum* et *poenale.*

b) *Privatum:* quod ordinat relationes membrorum societatis inter se, immediate intendens bonum privatorum, mediate bonum commune. Subdividitur in *ordinarium* et *speciale,* prout relationes ordinarias civium, v.c. contractus, proprietatem, vel speciales relationes alicuius classis, v.c. militare, regat.

c) *Nationale:* est quod regit relationes membrorum eiusdem nationis.

d) *Internationale:* quod regit relationes inter Status. Potest esse: *publicum,* si regat relationes Statuum qua talium inter se in bonum commune, vel *privatum* si regat relationes membrorum diversarum nationum inter se in bonum privatorum.

e) *Strictum:* intelligitur lex scripta intellecta secundum rigorem verborum.

f) *Aequum:* est lex scripta intellecta non secundum rigorem verborum sed secundum exigentias iustitiae naturalis et secundum intentionem legislatoris moderatam et correctam per circumstantias. Haec interpretatio mentis legislatoris solummodo locum habet cum lex scripta, secundum rigorem verborum intellecta, nec iustitiae naturali nec intentioni legislatoris responderet. Tunc locus est epikeiae.

g) *Scriptum:* est quod formaliter expressa voluntate legislatoris introductum fuit.

h) *Consuetudinarium:* quod legitima consuetudine introductum fuit. Legitima intelligitur consuetudo, si est: *rationabilis,* i.e. non repugnans legi naturali, et utilis bono communi; *diuturna,* seu per tempus plus minusve longum et continuum, non facile determinabile, perdurans; *communis seu generalis,* i.e. a maiori et meliori parte communitatis servata. Tunc consuetudo vim legis accipit a consensu vel legali, vel tacito legislatoris. Consuetudo potest vel legem aliquam introducere, et tunc requiritur, praeter notas praedictas, ut positive cedat in bonum commune, vel legem aliquam abrogare ad quod sufficit ut non sit bono communi nociva[1].

---

[1] Cf. DOLHAGARAY, *Coutume:* DTC 3,1988-2006.

578. 3) Dividitur etiam in: a) *Positivum:* comprehendit id quod alteri debetur solummodo ex lege aliqua positiva, sive divina, sive humana.

b) *Naturale:* complectitur illa iura quae alicui debentur independenter a lege positiva, v.c. non furari, non adulterare...

c) *Ius gentium,* in quo determinando specialis adest difficultas.

B. De iure gentium

Suárez, *De leg.* 1.2 c.17-20; Cathrein, *Filos. del Derecho* p.168ss; *Filos. morale* v.1.648; Noguer, *Cuestiones candentes sobre la propiedad y el socialismo* p.147ss; Schiffini, *Phil. mor.* v.1 p.380ss; Ives de la Brière, *Droit naturel et droit de gens:* ArchPhil 12,1 (1936) 137ss; Vlissingen, *De evolutione definitionis iuris gentium* (Roma 1940); Donellus, *Opera omnia* v.1 c.7; Legaz Lacambra, *La fundamentación del derecho de gentes en Suárez:* RevEspDerInt 1 (1948) 11-44; Lottin, O., *Le droit naturel chez Saint Thomas et ses prédécesseurs:* EphThLov 1 (1924) 369-388; 2 (1925) 32-54.345-367; 3 (1926) 155-176; Dabin, J., *La notion du droit naturel et la pensée juridique contemporaine:* RevNeoScolPhil 30 (1928) 418-461; Lener, S., *Il ius gentium come diritto commune e il diritto naturale:* CivCatt (1948,1) 489-504.

579. Notio. Non uno modo apud auctores intelligitur; inde variae oriuntur confusiones. Oportet ergo determinare quid apud diversos auctores ius gentium significet.

a) *Apud iuriconsultos romanos:* significat illam partem iuris publici (proinde positivi) quae continet exigentias rationales, quaeque quoad substantiam per conclusionem derivatur e praeceptis iuridicis naturalibus universalibus. Ius proinde gentium pertinet partim ad ius naturale—quoad materiam—; partim ad ius positivum —quoad modum—. Ad ius gentium pertinent iuxta hos auctores, leges positivae prohibentes v.c. furtum, adulterium, homicidium..., nam ante prohibitionem positivam illarum actionum adest obligatio omittendi illas, quia sunt prohibitae etiam a lege naturali.

Numeratur inter ius publicum humanum; dividunt enim ius romanum, i.e. ius habens valorem publicum apud populum romanum in ius gentium et ius civile. Ius civile pro ipsis est ius nationale romanum; ius vero gentium est pars iuris romani habens valorem apud omnes populos. Habet proinde vim iuridicam positivam, quia Romae publice recognitum et sancitum est ut ius, sed etiam habet vim a lege naturali, quia apud omnes populos recognitum est.

Complectitur ergo partem iuris nostri naturalis, et quia re vera publice recognitum et sancitum est a lege publica, ideo vocatur etiam ius positivum humanum. *Quoad rem tamen est pars iuris naturalis.*

580. b) *Apud antiquos scholasticos.* Scimus generale criterium ad distinguendum ius naturale a positivo esse originem immediatam eiusdem, quod interpretationem strictiorem vel minus strictam admittit.

Antiqui scholastici dividunt ius omne in positivum et naturale.

Ad naturale pertinent tantum illa quae homini ex natura rei absolute conveniunt qualia sunt tum prima principia moralia tum conclusiones sive proximae sive remotae quae inferuntur ut homini absolute convenientes; illae vero conclusiones quae homini non absolute conveniunt, sed secundum rationem, v.c. utilitatis, aequalitatis, moralis necessitatis... ita ut humano consilio et condicto subiaceant, iuris naturalis non dicuntur.

Ad positivum secundum ipsos pertinent quaecumque proxime aliquo hominum consilio vel condicto introducta sunt. Quoniam haec possunt plus minusve iuri naturali esse propinqua, ideo *ius positivum dividunt in ius gentium et civile:*

1. *Ius gentium* est illud quod ab omnibus vel fere ab omnibus gentibus similiter est constitutum, ideoque, quia commune est omnibus fere gentibus, ut quid medium invenitur inter ius naturale et civile. Ad naturale proxime accedit, quia omnibus fere gentibus est commune, ab illo vero diversificatur, quia naturale a gentibus non est constitutum, utique vero ius gentium. Hoc modo intellectum ius gentium *comprehendit ea quae a lege naturali sicut conclusiones ex principiis derivantur,* non tamen tanquam homini ex natura rei absolute convenientia, sed tantummodo secundum convenientiam moralem, si non pro omnibus et singulis hominibus, utique vero pro tota societate; ac proinde aliquo modo ex humano condicto. Ad hoc vero non requiritur specialis institutio vel pactum, sed sufficit ut ratio naturalis communiter dictet illa habere aequitatem. Exemplum classicum ab ipsis prolatum est proprietas bonorum. Hoc ius non dicitur naturale, quia hoc solum imponit quae intrinsece, proinde absolute et in omni hypothesi, sunt bona vel mala.

2. *Ius civile*—quod varium esse potest pro diversis nationibus—etiam ex iure naturali oritur, non tamen sicut conclusio ex principiis, sed per modum determinationis.

Ius gentium horum auctorum a *naturali differt* obiecto, fine, proprietatibus, principio immediato obligationis, denique modo sese evolvendi. Differt pariter a *iure civili* fonte, extensione, firmitate.

581. c) *Apud scholasticos hodiernos.* A saeculo XVIII auctores, omissa illa distinctione iuris in naturale et gentium, quae apud antiquos invenitur, utrumque ius nomine iuris naturalis comprehendunt, ius gentium antiquorum plerumque appellando ius naturale minus strictum seu secundarium. Consequenter ius positivum apud hos auctores inter limites arctiores constringitur. Hic modus loquendi communis nostris temporibus dicendus est.

Ratio ad hanc mutationem est duplex: 1) *Prima* fundatur in *intima connexione* et mutua compenetratione inter ius naturale et gentium antiquorum, ex quo non paucae difficultates oriebantur, cum non facile esset utriusque iuris campum stricte delimitare; 2) *Secunda* desumitur ex consideratione duplicis respectus quo natura humana ut fundamentum legis naturalis invenitur, nempe quatenus constituit individuum aliquod, et quatenus constituit partem seu membrum societatis, ad quam homo naturaliter destinatur.

Hinc sequitur illa omnia, quae, etsi singulis individuis ex natura rei seu secundum absolutam rationem non conveniant, eisdem tamen quatenus sunt membra societatis sint necessaria, iuri naturali adnumerari debeant, ac proinde communitati qua tali naturaliter sint praecepta.

Neque obstat quominus in his aliqua cooperatio humani consilii vel condicti requiratur, utpote quae haec sit tantum quasi instrumentalis, non vero positive legifera.

Apud hos ergo scholasticos, quos nos prorsus sequemur:
1. *Nomine iuris naturalis* intelliguntur omnia quae a lege naturali ut conclusiones necessariae derivantur.

2. *Nomine iuris civilis*, solummodo veniunt leges Status omnino libere a legislatoris voluntate provenientes.

3. *Nomine iuris gentium*, quod potius vocant ius *internationale*, intelliguntur omnes leges et dispositiones humanae, quae non sunt conclusiones legis naturalis tamen sunt tam convenientes, rationales, et naturae humanae conformes, ut fere omnes populi in ipsis consentiant per pacta internationalia.

Elucet ergo apparens *tantum adesse discrimen* inter doctrinam veterum scholasticorum et hodiernorum, cum illi affirment ius gentium esse positivum, hodierni vero naturale. Idem omnes *quoad rem* tenent, etsi in nominibus detur discrepantia[2].

Haec vero terminologia scholasticorum recentiorum omnino praeferenda videtur, quia clarior est, et quia melius vitat confusiones.

C. Iuris subiectis divisiones

582. Dividitur in: a) *Perfectum*, quod 1) aliquando idem sonat ac *ius coactivum*, facultas enim moralis ad aliquid incompleta plerumque censetur cum coactivitate caret; 2) alias dicitur ius cui *officium certum et determinatum* correspondet; 3) *alias intelligitur ius cui respondet officium iustitiae commutativae.*

b) *Imperfectum*, etiam intelligitur vel ius *non coactivum;* vel ius cui *obligatio non certa* et determinata correspondet; vel ius correspondens *aliis speciebus iustitiae*, vel aliis virtutibus.

c) *Iurisdictionis* est facultas dirigendi alios praecipiendo, vetando... sive in eorum bonum proprium sive in bonum commune.

d) *Proprietatis* sensu lato est ius aliquid agendi vel exigendi in proprium commodum seu utilitatem. Hoc vero ius potest esse:

1. *Ratione subiecti*: a) *personale*, quod alicui personae directe, et per se competit; b) *reale*, quod alicui personae competit indirecte, ratione nempe alicuius rei, v.c. ius patronatus alicui fundo inhaerens.

2. *Ratione connexionis cum subiecto:* a) *alienabile*, seu quod homo potest abdicare; b) *inalienabile*, quod homo non potest abdicare, v.c. ius ad vitam. Utrum vero aliquod ius sit alienabile vel non constabit e necessitate eiusdem ad essentialia officia hominis implenda.

3. *Ratione tituli*: a) *connatum* (congenitum, originarium) illud quod homini competit vi ipsius exsistentiae; b) *adventitium*, quod ei competit vi alicuius facti ab exsistentia diversi.

4. *Ratione causae promixae*: a) *scriptum*, seu quod in lege scripta fundatur; b) *consuetudinis*, quod iusta consuetudine fundatur; c) *naturale*, quod alicui lege naturali competit; d) *positivum*, quod hominis competit lege positiva seu libera voluntate, sive Dei, sive hominum.

5. *Ratione obiecti: ad personas* (ius mutuum matrimoniale inter coniuges), *et ad bona seu res* quae immediate habent valorem pecunia mensurabilem. Hoc vero ius ad bona potest esse: a) *in re*, quo quis immediate sibi subiectam et obligatam habet rem aliquam,

[2] Cf. Meyer, *Inst. Iuris nat.* 1 p.573ss.

ita ut illam ubique sibi vindicare possit ut suam; b) *ad rem* quo quis habet sibi obligatam et devinctam non ipsam rem, sed personam aliquam, a qua potest rem vindicare v.c. si quis promisit mihi aliquando certam domum, habeo iam ius ad domum, sed nondum habeo ius in domo; peracta vero donatione ius ad rem transit in ius in re.

6. *Ius in re,* de quo generatim fit sermo, potest esse: a) *perfectum*—dominium perfectum vocari solet—quod tunc habetur cum facultas quam quis circa rem habet, sese extendit ad omnem usum eiusdem, nisi per accidens lege prohibeatur.

b) *imperfectum*—dominium imperfectum vocari solet—, quod potest plures species habere nempe: a) *ius directum,* si quis habet ius disponendi de rei substantia, v.c. illam immutando vel alienando, salvo iure usus et fructuum, cum hoc ius sit penes alium; hoc ius competit proprietario alicuius rei alteri commodatae; b) *ius utile,* si quis habet ius utendi re aliqua in propriam utilitatem, salva substantia rei et forte etiam salvis fructibus eiusdem; hoc ius competit illi qui locatione accipit aliquam rem; c) *ius fruendi,* seu percipiendi ut proprios fructus rei; plerumque cum iure utendi coniungitur; d) *ius servitutis,* ius alicui rei adhaerens accipiendi a re aliena aliquod commodum; e) *ius pignoris* (hypotheca) seu rem alienam sumendi vel vendendi pro solutione alicuius debiti.

Dominus simpliciter seu proprietarius solus ille dicitur qui vel habet dominium perfectum rei, vel saltem dominium directum.

§ 2. De notione et divisionibus officii

583. Notio. Omni iuri correspondet officium aliquod. Officium vero potest sumi *abstracte,* et tunc idem est ac obligatio moralis ad aliquid; vel *concrete,* tunc vero idem est ac actio aliqua vel omissio ad quam quis tenetur.

584. Divisio. 1. *Ratione tituli* dividitur in connatum, adventitium, naturale, positivum (sicut ius).

2. *Ratione termini* discerpitur in officium erga Deum, erga proximum, erga se ipsum; erga bruta nulla dantur officia.

3. *Ratione respectus ad ordinem iuridicum* dividitur in *iuridicum* seu quod ex iustitia alteri debetur; vel *ethicum,* seu quod non debetur ex iustitia; omnia officia erga se ipsum sunt mere ethica.

§ 3. De conflictu iurium et officiorum

585. 1. *De collisione iurium* persaepe in vita loquimur, attamen illa iurium *collisio non est obiective realis,* sed solum apparens. Nam omnis lex est essentialiter ordinatio rationis; omnis obligatio legis dimanat ultimatim a voluntate divina. Ergo collisio et conflictus iurium et officiorum non est nisi quaedam illorum *subordinatio,* quae forma sensibili repraesentatur ut si quaedam adesset pugna, in qua vis maior vincit minorem.

2. *Praevalet semper* illud ius vel officium quod *moraliter for-*

tius est, i.e. illud suam vim moraliter obligantem retinet quod est fortius, alterum vero vel omnino disparet, vel saltem suspenditur.

3. *Criterium ad diiudicandum* quodnam ius vel officium sit fortius hoc tradi potest: a) *pro officio* attendatur potissimum: 1) *ad legem* a qua derivatur; ex hoc capite officia naturalia positivis, negativa affirmativis, iuridica pure moralibus ceteris paribus praeferenda sunt; 2) *ad materiam:* bonum commune praevalet privato, bonum maius minori; 3) *ad terminum:* eo praestantius est officium quo intimior, universalior ac magis necessaria est eius relatio inter subiectum et terminum officii; ex hoc capite officia erga Deum ceteris omnibus praestant, secundum locum tenent officia erga nosmetipsos.

b) *Pro iure* respiciendum nobis potissimum est: 1) *ad legem* a qua derivatur; hinc lex civilis potest moderari, minime vero subvertere legem naturalem; 2) *ad materiam:* sic ius ad vitam praevalet iuri ad bona fortunae, ideo qui in extrema necessitate versatur ex bonis alienis sumere potest quae sibi necessaria sint; 3) *ad titulum:* quo nobilior est titulus eo excellentius est ius; sic iura connata praecellunt iuribus acquisitis.

586. *N. B.* Hae regulae sunt generales; non paucas tamen exceptiones admittere possunt, propter diversitatem adiunctorum; ideo valde ardua est harum regularum ad casus concretos applicatio.

ARTICULUS VII

DE SUBIECTO IURIS

587. Ius in relatione quadam consistere diximus, in qua considerari debent subiectum, fundamentum, terminus et materia. De fundamento iuris aliqua diximus exponentes notionem iuris; de materia et termino agere debemus in parte speciali philosophiae moralis; restat ut aliqua dicamus in genere de subiecto iuris[1].

588. *Deum* esse subiectum iuris evidens est, eo quod Ipse dominium perfectissimum habeat in omnes creaturas.

Homines habere iura, et quidem *omnes,* infantibus et amentibus non exceptis, est etiam nimis evidens, nec in controversiam venire potest.

589. *De brutis* animalibus solummodo quaestio ab aliquibus movetur, utrum et ipsa possint esse subiectum iurium. Quod quidem omnino negandum est; bruta enim animalia, quaecumque illa sint, subiectum iuris esse nequeunt; ideoque homines erga illa nullis proprie dictis officiis adstringuntur. Rationes vero sunt eae:

a) Ius est facultas moralis; iam vero moralitas solum naturae rationali competit. Ergo bruta non habent ulla iura.

b) Nequit esse subiectum iuris nisi illud quod sit capax patiendi iniuriam. Iam vero bruta nequeunt iniuriam pati, quia ne-

[1] Cf. CATHREIN, *Filos. morale* v.1 p.666ss.

queunt cognoscere ius, ideoque non possunt esse invita seu velle retinere ius suum. Ergo ex hoc capite etiam eisdem non competit ius.

c) Ius conceditur ad tuendam libertatem et independentiam circa rem suam. Iam vero bruta non habent neque libertatem neque independentiam. Ergo neque iura habere possunt.

d) In creaturis semper ius respondet alicui officio in ipsis. Cum bruta nullum officium habere queant, sequitur illa neque ullum ius posse habere.

590. *Habet tamen homo officia aliqua mere ethica circa bruta* animalia. Ideo homo in usu brutorum sicut in usu aliarum rerum peccare potest.

Nam Deus bruta hominibus non concessit ut crudelitatem cum ipsis exerceant, sed solummodo ut illis convenienter utantur. Cum ergo homo sine rationabili utilitate in bruta saevit actionem *recto ordini repugnantem ponit,* ac proinde moraliter inhonestam, *etsi brutis non sit iniuriosa.* Praeterea crudelitas in bruta exercita animum crudelem in ipso homine gignit, quod etiam recto ordini obstat [2].

591. *De vivisectione brutorum.* Ex dictis sequitur vivisectionem brutorum, dummodo intra limites verae utilitatis contineatur, *moraliter licitam esse.* Vivisectionem intelligimus quodlibet experimentum dolorosum in bruto animato, sive fiat per sectionem, sive per adustionem, sive per venenum, sive per vim electricam, sive per quodcumque aliud medium. Haec operatio brutis acutissimos dolores inferre potest; plurimi ea abuti possunt animalia ex animi feritate vel ex levitate torquendo, vel solum ex curiositate sine rationali utilitate.

Horror vivisectionis apud multos in falso sentimentalismo, qui non iudicium rationis sed sensuum impressionem sequitur, fundatur. Si vero vivisectio contineatur intra limites verae utilitatis humanae ad vitandos abusos retinenda est.

Ratio est manifesta: quilibet usus utilis brutorum est licitus, si nulli aliunde officio repugnet, quia bruta homini concessa sunt ut eisdem in proprium commodum utatur. *Atqui* vivisectio brutorum potest re vera esse utilis hominibus, et aliunde non repugnare ulli officio hominis. *Ergo* vivisectio brutorum moraliter licita esse potest.

Utilitas vivisectionis clare patet in medicina, in arte chirurgica, quae magnum incrementum in salutem hominum ope praecise vivisectionis habuerunt. Neque aliunde ulli officio repugnat; non erga Deum ut patet, quia Ipse usum utilem brutorum hominibus concessit; neque erga alios homines, dummodo animalia in quibus fit vivisectio sint propria; neque erga bruta, cum officia erga bruta non habeamus; neque erga vivisectionem exercentem, si modo praedicto instituatur.

[2] Cf. FERRETI, *Inst. Phil. moralis* 2 p.49-56.

L I B E R I I

Philosophia moralis specialis

592. Praenotanda. Aggredimur secundam partem philosophiae moralis, in qua principia generalia tam moralia quam iuridica ad diversas et particulares relationes hominis sive individuales sive sociales applicare debemus.

Tres sectiones in hac parte considerari possunt; *in prima* agitantur relationes individuales hominis relate ad Deum, ad se ipsum, et ad alios homines ut particulares; *in secunda* omnia exponuntur quae ad quaestionem oeconomico-socialem pertinent; *in tertia* perpenduntur relationes sociales hominis, familiares, civiles, internationales, in iis enim tribus magnis societatibus homo invenitur.

En proinde divisiones et subdivisiones generales huius secundae partis.

SECTIO I

Moralis specialis individualis

CAPUT I

De officiis hominis erga Deum

593. *Latiori sensu* omnia hominis officia sunt erga Deum ex duplici capite: 1) quia omnia mediate vel immediate a Deo imponuntur; 2) quia omnia hominem in finem suum ultimum—Deum—ordinant.

Stricto tamen sensu officia erga Deum solummodo illa intelligimus quae directe et immediate hominem in Deum ordinent. Haec vero officia reducuntur ad amorem, spem, religionem; sub hoc nomine intelligendo etiam obedientiam, gratitudinem et fidelitatem.

Etsi haec sint potissima hominis officia, de ipsis tamen nec verbum fere dicimus, eo quod in theologia tam morali quam speculativa late exponuntur. Nunc enuntiare sufficiat praecipua officia, theologiae amandando uberiorem illorum expositionem ac probationem[1].

---

[1] S. Th., 2-2 q.81-86; 3 CG c.119; Cathrein, *Phil. moralis* n.327ss; *Filos. morale* v.2 p.5-58; Ferreti, *Inst. Phil. mor.* v.2 p.99ss; Nicoláu, *Sacrae Theol. Summa* t.1 *De revelatione christiana* p.67-82.

1. Homo ergo, etiam spectato ordine mere naturali, tenetur á Deo in primis *sperare* beatitudinem cum auxiliis ad eam necessariis, Deumque super omnia *diligere*. Tenetur praeterea, ipsa lege naturali, ad *cultum* Deo exhibendum, tum internum, tum externum ut abunde in theologia probatur.

2. Positis iis strictissimis officiis hominis erga Deum manifeste deducitur ex illis:

a) *Religionem non fundari in sensibilitate,* neque in mera utilitate quam societati afferre possit, sed in certissimis veritatibus religiosis, quae essentiales relationes hominis erga Deum enuntiant.

b) *Ut hominem simpliciter probum nullo pacto esse habendum* illum qui legem naturalem in iis gravissimis officiis erga Deum contemnat, ut homo irreligiosus facit[2].

c) *Reiiciendum omnino esse indifferentismum religiosum practicum* ut manifeste legi naturali repugnantem[3].

d) *Religionem naturalem esse unam* eamdemque pro omnibus hominibus quantum ad essentialia, cum unum idemque sit fundamentum eiusdem, nempe natura rationalis.

e) *Reiiciendam esse moralem independentem* seu laicam, cum a Deo praescindat.

3. Ex dictis sequitur etiam obligatio, quam quisque habet convenientem et proportionatam instructionem religiosam acquirendi, ut rite illa officia erga Deum possit adimplere; hoc est etiam gravissimum officium quod omnibus incumbit.

CAPUT II

De officiis hominis erga se ipsum

594. Cum homo necessitate naturae se ipsum amet, solum modus amandi se sub praecepto cadit, ne inordinatio admittatur. Amor autem sui ipsius potest versari: *a*) circa animam; *b*) circa corpus; *c*) circa bona externa.

1) *Officia circa propriam animam* reducuntur ad perfectionem intellectus et voluntatis, ut Deum bene cognoscat, Eumque amet, quo pacto ultimum finem suum obtinere poterit; ut vero hoc homo assequatur, tenetur illa impedimenta removere quae huiusmodi cognitionem et amorem Dei impedire possint, ideoque debet passiones voluntati subiugare, ut imperio rationis obedire assuescant[1].

2) *Officia hominis circa bona externa* consistunt in hoc quod homo rebus externis utatur prout eum ad finem ultimum consequendum iuvent, proinde ad adimpletionem reliquorum officiorum, quae habet; seposito hoc respectu ad ordinem moralem, temporalem prosperitatem quaerere homo non tenetur, immo generatim melius erit illam negligere. Bona externa intelliguntur non solum divitiae, sed etiam honor, libertas externa, omniaque illa quae non

[2] MINTEGUIAGA, *La moral independiente* p.113ss.
[3] RICHARD, *Indifférence:* DTC 7,1580-1594.
[1] BALMES, *Etica* c.15 n.111-112: BAC 3,137-141; CATHREIN, *Phil. moral* n,340ss; *Filos. morale* v.2 p.59-68.

ad ipsam personam intrinsece pertinent, sed ei tamquam adiuncta accedunt.

3) *Officia circa corpus:* praecipuum est obligatio illud conservandi, quae duplicem respectum habet; a) *negativum* homo nempe nequit se ipsum occidere; b) *positivum* scilicet homo tenetur vitam et sanitatem servare. De his officiis nobis speciatim agendum est, et primum quidem de officio negativo hominis circa corpus proprium, deinde de officio positivo.

ARTICULUS I

De officio negativo hominis circa corpus suum

Thesis 30. Suicidium legi naturali repugnat.

S. Th., 2-2 q.64 a.5; Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.1; Macksey, *Ethica naturalis* p.288ss; Ferreti, *Inst. Phil. mor.* v.2 p.224ss; Leclerq, *Leçons de droit naturel* v.4 p.1.ª p.13-76; Michel, *Suicide*: DTC 14,2739-2749; Oddone, A., *Il rispetto delle vita:* CivCatt (1947,3) 289-300; *Il suicidio: cause e rimendi:* CivCatt (1947,3) 512-523.

595. Notiones. *Suicidium*: est *directa sui ipsius occisio privata auctoritate facta.*

1) Occisio: Actio mortis effectiva seu quae vita propria privet.

2) Directa: cum mors in se ipsa est volita seu intenta, sive ut medium ad aliquem finem per ipsam obtinendum, sive ut finis; sive positive hoc fiat, i.e. actione directe occisiva; sive negative, i.e. omittendo positionem actionis necessariae ad conservationem vitae. In occisione directa voluntas *directe quaerit* mortem voluntarie et libere. Opponitur occisioni indirectae.

Indirecta: cum quis alium finem intendens actionem ponit ex qua concomitanter vel consequenter propriam mortem secuturam praevidet, quam tamen non vult, sed solum permittit. Mors est effectus per accidens et indirecte a voluntate procedens.

3) Privata auctoritate: ponendo actionem occisivam non iussione vel inspiratione certa Dei, neque ex mandato auctoritatis iudicialis ad exsequendam iustam mortis sententiam contra ipsum prolatam, sed assumendo directe ipse homo responsabilitatem propriae mortis, sibi arrogando dominium supra propriam vitam.

Ad argumentum necesse est praeterea ut recolantur notiones *dominii* supremi, directi et utilis circa res (cf. n.582).

596. Status quaestionis. 1. Non est quaestio utrum pro *libitu,* i.e. absque ulla ratione possit quis sibi mortem inferre; nimis clarum est hoc non licere, cum sit contra insitam naturae humanae tendentiam ad sui conservationem.

2. Neque quaeritur utrum possit homo se ipsum interficere si manifesta *Dei voluntas* intercedat; tunc enim homo, cum de re aliqua disponeret consentiente ipsius domino, bene ageret. Haec vero voluntas Dei deberet homini *certo et clare* manifestari.

3. Neque quaerimus utrum possit homo se ipsum occidere, si *iuste damnatus* ad mortem iudex hoc eidem praeciperet. Certum est hominem ad mortem iuste damnatum *non teneri* ad se ipsum occidendum, etsi hoc eidem iudex praecipiat; utrum vero hoc *ei liceat* controvertitur.

Aliqui cum LUGO[2] *negant* hoc licite fieri posse, quia iudex non potest nisi punitionem praecipere, quam nequit reus in se ipsum exercere, cum sit actus iustitiae vindicativae, quae in alios est exercenda.

Alii vero *affirmant* hoc licitum esse, si agatur de medio quod non inducat magnum horrorem ut v.c. mediante potatione veneni, maxime si hoc fiat ad mortem atrociorem vitandam.

Alii vero, et recte ut mihi videtur, hoc affirmant de quocumque medio agatur sive hoc fiat ad vitandam mortem atrociorem, sive non. Ratio est quia iudex potest designare ministrum iustitiae, et tunc designat ipsum reum, ita, v.c. VITORIA, VÁZQUEZ, ARAGÓN[3]... Ceterum veritas theseos eadem prorsus manet sive in hoc casu licitum sit sese occidere sive non, tunc enim, qui sententiam iudicis exsequeretur, non privata sed publica auctoritate hoc faceret.

4. *Agitur de suicidio directo,* nam indirectum accedente iusta et proportionata causa potest esse licitum, valde meritorium, et actus heroicus caritatis. Sed tunc intentio non fertur directe in propriam mortem sed in bonum, cui per accidens, mors propria coniungitur.

597. Sententiae. 1.ª STOICI profitentur: "Sapientem posse a vita quandoque migrare se ipsum occidendo, si gravissimis praematur augustiis et existimet hoc facinus esse medium

[2] *De iust. et iure* d.10 s.1 n.11.
[3] Cf. S. A. DE LIGORIO, *Th. mor.* 1.3 n.369; BALLERINI-PALMIERI, *Opus. Theol. mor.* 2 n.861.

virtuti consentaneum, v.c. fortitudini, vel pietati erga patriam"[4].

2.ª Posteriori tempore suicidium ut actum licitum habuerunt HUME, MONTESQUIEU, BENTHAM, SCHOPENHAUER, PAULSEN, NIETZSCHE, DURKHEIM... qui omnes vitam considerare solent ut beneficium aliquod, cui unusquisque, cum eidem grave fiat, libere renuntiare potest.

3.ª *Increduli et athei* generatim tenent suicidium esse medium legitimum obtinendi liberationem a miseriis huius vitae et aliquando esse actum fortitudinis eximiae.

4.ª Praxis suicidii in honore habetur apud *Iapones*, qui sat frequenter exercent operationem appellatam *harakiri* sese ventrem aperiendo. In reliquis nationibus non raro etiam suicidium habetur maxime inter *homines negotiorum;* crebrius inter *duces exercitus.*

Etiam apud homines alicuius instructionis religiosae haec falsa persuasio viget liceitatis suicidii quibusdam in casibus maxime ad se liberandos ab infamia, vel a morte atrociori. Ideo apud ephemerides, aliunde recti iudicii, laudantur nonnumquam suicidia ab illis ob similia motiva perpetrata[5].

598. 5. *Nostra sententia.* Nos ut omnino certum defendimus suicidium directum prohiberi a lege naturali, consequenter semper esse illicitum, nec adesse ullam rationem propter quam legitimari possit.

In thesi agitur de malitia *obiectiva* suicidii, nihil vero de subiectiva affirmantes; potest enim ab aliquibus existimari ob errorem invincibilem in aliquibus circumstantiis id licitum esse.

599. Probatur. *Ex violatione dominii supremi et exclusivi Dei in vitam hominis*[6].

Homo se ipsum occidendo privata auctoritate: *a*) exercet actum dominii supremi; *b*) in rem non suam; *c*) absque licentia domini ipsius. *Atqui* hoc est contra legem naturalem. *Ergo* suicidium est contra legem naturalem.

Min.: Lex naturalis prohibet iura aliorum violare; qui autem disponit de re alterius absque licentia domini ipsius huiusmodi iura violat.

---

[4] SÉNECA, *Epistolae,* 58 et 70.

[5] *Pro numero suicidiorum* cf. NOGUER, *El suicidio en España:* RazFe 39 (1914) 322-338; BUOMBERGER, *La crisis de nuestra cultura y las leyes eternas* (Cádiz 1942) p.13; *Anuario estadístico de España* (1947) p.175. In Hispania in qua proportionaliter numerus suicidiorum est minor quam in aliis nationibus, anno 1945 perpetrata fuerunt 1592; in Gallia 10.000; in mundo 100.000.

[6] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.1 n.2ss.

Mai.: a) *Exercet actum dominii supremi*: nam destruit vitam, et destructio alicuius rei est actus supremus dominii.

b) *In rem non suam*: Nam dominus simpliciter alicuius rei ille est in quem res tamquam ad finem directe et immediate est destinata (ex definitione dominii supremi). Iam vero vita hominis directe et immediate est ordinata non ad ipsum hominem, sed ad Deum.

Et quidem *Deus est dominus exclusivus* vitae hominis: cum enim Deus ex se sit dominus vitae hominis, ut alii possint habere condominium in illam requireretur ut illud haberent per communicationem dominii a Deo factam. Talis vero communicatio, etiam supponendo Deum posse suum dominium circa vitam propriam homini communicare, quod Lugo aperte negat [7], deberet constare. Hoc vero non constat.

c) *Absque licentia domini ipsius*: a) *expressa* nullibi constat. Praeterea si haberetur iam homo non disponeret de vita sua propria auctoritate, ac consequenter illa actio non esset suicidium; essemus ergo extra quaestionem. Ergo ad summum potest invocari tacita Dei licentia. b) *Certo praesumpta* solum daretur si occisio propria esset necessaria ad assecutionem alicuius rei certo a Deo postulatae; nam qui vult finem vult etiam media ad illum necessaria. Iam vero propria occisio numquam est medium necessarium ad assecutionem alicuius rei *certo* a Deo postulatae.

Non ut vitentur mala gravissima, praeter peccatum formale: nam haec omnia mala, quaecumque sint: dolores, infirmitates, infamia... possunt a Deo intendi ad diversos fines, v.c. ad probationem hominis, ad satisfactionem pro peccatis, ad exercitium virtutis, ad exemplum ceterorum.

Non ad vitandum peccatum formale: ad hoc enim numquam erit necessaria propria mors, nam absque illa potest semper homo, gratia Dei adiutus, vitare peccatum, consensum voluntatis in illud non praestando, sine quo numquam potest adesse peccatum formale.

600. Corollarium. Ergo homo *non est proprietarius* vitae suae, sed solum administrator eiusdem et gubernator. Disponere vero de substantia rei alicuius solummodo ad proprietarium pertinet. De vita ergo hominis unice Deus potest disponere ad quem pertinet, et finem servitii vitae humanae, cum velit, statuere et tempus retributionis determinare; duplex enim dominium Dei distinguendum est, aliud exclusivum, quale datur in vitam hominis, aliud vero non

[7] *De iust. et iure* d.10 s.1 n.9.

exclusivum quale datur in reliquas res huius mundi, in quas etiam homini verum dominium directum, etsi subordinatum, concessit.

601. Scholion. De vi aliorum argumentorum. Argumentum desumptum *ex caritate* quam unusquisque sibi debet supponit thesim iam probatam, vel secus non est validum in sua generalitate; nisi enim nobis aliunde constaret suicidium semper esse illicitum, sunt casus in quibus esset potius actus caritatis, v.c. post confessionem bene peractam rationabiliter potest quis suspicari se in statu gratiae inveniri; si ergo in illo statu moriatur in caelum aditurum. E contra si in vita perduret, multis et gravissimis periculis expositus, valde timendum sibi erit se condemnaturum. Ergo in hoc casu non esset contra propriam caritatem sese occidere; nisi supponendo iam suicidium esse graviter illicitum (cf. LUGO, l.c., n.4ss).

Similiter argumenta desumpta *ex damno illato societati vel familiae,* non probant pro omni casu. Multoties enim suicidium non modo non afferret ullum damnum societati civili vel familiae, sed e contra multa bona et magnam tranquillitatem portaret, v.c. si ageretur de homine pernicioso, de bibulo incorregibili, de dilapidatore bonorum familiae[8]... Praeterea qui in societate non viveret posset licite se ipsum occidere.

602. Obiectiones. 1. Conforme est legi naturali beneficiis renuntiare. *Atqui* vita est aliquod beneficium a Deo homini concessum, et suicidium non est nisi renuntiatio eiusdem. *Ergo* suicidium non est contra legem naturalem.

Resp. Dist. mai.: beneficio concesso primario in nostram utilitatem, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

2. Illiceitas suicidii desumeretur ex iniustitia. *Atqui* nulla datur iniustitia in suicidio. *Ergo* licite possumus renuntiare vitae nosmetipsos occidendo.

Resp. Dist. mai.: contra Deum, *conc.;* contra nosmetipsos vel societatem, *neg. Contrad. min.*

3. Iniustitia supponit violationem iuris alterius. *Atqui* suicida nullum ius Dei violat. *Ergo* in suicidio nulla datur iniustitia neque contra Deum.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

4. Suicida disponit ad placitum de aliqua re sua se ipsum occidendo. *Atqui* qui disponit ad placitum de aliqua re sua nullius ius violat. *Ergo* suicida nullum ius Dei violat.

Resp. Dist. mai.: de aliqua re circa quam habet dominium directum, *neg.;* tantum dominium utile, *conc. Contrad. min.*

5. Ille habet dominium directum circa aliquam rem in cuius finem vel utilitatem res est ordinata. *Atqui* vita hominis ad ipsius utilitatem est ordinata. *Ergo* homo habet dominium directum circa propriam vitam.

Resp. Dist. mai.: directe et immediate est ordinata, *conc.;* quocumque modo, *neg. Contrad. min.*

6. Omnes res materiales sunt ordinatae in gloriam Dei. *Atqui* non obstante hac primaria ordinatione earum homo habet dominium

[8] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.1 n.3; BALMES, *Etica* c.15 n.131ss: BAC 3,145ss.

directum circa ipsas. *Ergo* non requiritur ut res sit ordinata in utilitatem illius qui habet dominium directum circa ipsam.

Resp. Dist. mai.: proxime et immediate, *neg.;* mediate et remote, *conc. Contrad. min.*

7. Deus nobis concedit omnia quae sint necessaria ad vitanda peccata. *Atqui* aliquando ad vitandum peccatum est necessarium se ipsum occidere. *Ergo* in aliquibus circumstantiis Deus communicat homini suum dominium circa vitam propriam ut se ipsum occidat.

Resp. Dist. mai.: ad vitanda peccata formalia, *conc.;* ad vitanda peccata solum materialia, *neg. Contrad. min.*

8. Cognitis propria fragilitate, vehementia tentationum, et medio quo quis vivere debet, certo quis scire potest se consensurum peccato nisi se ipsum mortem inferat. *Atqui* in hoc casu suicidium est medium necessarium ad vitandum peccatum formale. *Ergo* etiam ad vitandum peccatum formale suicidium aliquando est medium necessarium.

Resp. Dist. mai.: si solum quis attendat ad propriam fragilitatem, ad vehementiam tentationum... et non ad specialia auxilia Dei eidem *certo* danda, si illa serio et humiliter petat, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

9. Teste experientia quis potest scire se in talibus adiunctis constitutum, etiam recursu ad orationem meliori quo potest modo habito, semper peccato consensum praestitisse. *Atqui* in tali circumstantia certum est, etiam supposito auxilio speciali Dei, suicidium esse medium necessarium ad vitandum peccatum formale. *Ergo* etiam supposito speciali auxilio Dei suicidium aliquando potest esse medium necessarium ad vitandum peccatum formale.

Resp. Dist. mai.: etiam recursu *sufficienti* ad Deum, quem *certo potest* habere, *neg.;* recursu insufficienti, *conc.* Secus illa actio non esset peccatum formale cum non esset in manu hominis ab illa abstineri. *Contrad. min.*

10. Heroes saguntini, numantini, et multi alii qui se ipsos occiderunt, ne caderent in manus inimicorum, non modo non vituperantur sed e contra magnopere laudantur propter illam actionem. *Atqui* hi non possent laudari propter hanc actionem, si suicidium non esset actus virtutis. *Ergo* suicidium est actus virtutis.

Resp. Dist. mai.: laudantur propter illam fortitudinem mere physicam et naturalem, quae plerumque includitur in suicidio, vel propter alias virtutes quas supponit, *conc.;* propter fortitudinem moralem ipsius actionis, *neg. Contrad. min.*

11. Aliqui sancti et virgines se ipsos occiderunt, et propter hanc actionem moraliter laudantur, immo inter martyres numerantur, v.c. Sta. Apolonia. *Atqui* non laudarentur neque inter sanctos computarentur si ille actus non fuisset actus virtutis moralis, et quidem heroicus. *Ergo* in suicidio datur actus fortitudinis non mere physicae sed moralis.

Resp. Dist. mai.: laudantur ob materialem illam actionem, *neg.;* ob formalem, positam scilicet vel divina inspiratione, vel errore invincibili, *conc. Contrad. min.*

12. Suicidium est actus fortitudinis. *Atqui* actus fortitudinis est laudabilis. *Ergo* materialis actus suicidii est laudabilis.

Resp. Dist. mai.: fortitudinis moralis, *neg.;* physicae, *subd.*: non bene ordinatae, *conc;* bene ordinatae, *neg. Contrad. min.*

13. Suicida solum quaerit remedium malis quae patitur. *Atqui* quaerere remedium malis quae quis patitur est actus bene ordinatus. *Ergo* suicidium est actus fortitudinis bene ordinatae.

Resp. Dist. mai.: medio licito, *neg.;* medio illicito, *conc. Contrad. min.*

14. Licitum est minus malum eligere ad vitandum maius. *Atqui* suicida minus malum eligit ad vitandum maius. *Ergo* suicidium est licitum.

Resp. Dist. mai.: si agatur de malis physicis, *conc.;* si de moralibus, *neg.* suppositum, nam numquam est medium necessarium. *Contrad. min.* Suicida eligit minus malum physicum ad vitandum maius malum physicum, *neg.;* eligit malum morale ad vitandum maius malum physicum, vel morale, *conc.*

15. Praeceptum non sese interimendi venire potest in conflictum cum alio praecepto superiori. *Atqui* in casu conflictus praeceptorum minus semper debet cedere praecepto superiori. *Ergo* potest eligi suicidium ad vitandum maius malum morale.

Resp. Dist. mai.: si esset affirmativum, *conc.;* cum vero sit negativum, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

603. Scholion. 1. De suicidio indirecto. Difficultas in hac materia stat in determinando quandonam agatur de suicidio directo, quandonam vero de indirecto.

a) Ad hoc vero *in primis* consideranda *est natura ipsarum actionum. Quaedam* enim actiones ex ipsa sua natura praescindendo a circumstantiis, quae accidentaliter eisdem adiunguntur, tales sunt ut vera et propria causa mortis propriae sint habendae, v.c. laqueo se suspendere, caput obtruncare, gladium in pectum inferre, scopletum in caput explodere... In iis omnibus manifesta est directa sui occisio. *Aliae* vero actiones a sua natura non sunt eiusmodi, tamen *per accidens* in circumstantiis in quibus ponuntur, illis actionibus vita in discrimen adducitur, vel certo vel saltem valde probabiliter; hae omnes actiones mortem propriam indirecte afferunt.

b) Secundo loco consideranda est *ratio ponendi vel permittendi tales actiones.* Aliquando enim nulla exsistit causa ut actiones huiusmodi exerceantur, e contra earum omissio ad communem et ordinarium modum propriae vitae tuendae moraliter pertinere censentur. Tum manifestum est hominem qui temere se gerit merito dici veram et directam causam, si non physicam saltem moralem suae mortis, v.c. si quis facile declinare potest hostem destricto gladio se invadentem, temere tamen et absque iusta causa eum spectat, praevidens se fore interenturum, hic merito censetur sui ipsius occisor.

Aliquando e contrario talia sunt adiuncta ut omissio similium actionum vel sit summopere difficilis et praeter ordinariam curam quam viri prudentes adhibere solent de propria vita, vel privationem alicuius boni summi momenti importet, v.c. communem patriae salutem, vel heroicum virtutis exercitium... pro cuius assecutione merito vita asperni potest. In hoc casu applicanda est doctrina de actione cum duplici effectu, ut videamus quandonam licet ponere causam ex qua effectus bonus et malus sequatur.

In genere dicere possumus actionem aliquam ut suicidium *directum* considerandam esse, cum talis sit ut primum mortem pro-

priam producat, ut *mediante* morte alius effectus posterior obtineatur.

Suicidium *indirectum* tunc solum licitum est cum adsint causae graves et proportionatae ad assecurandum vel consequendum aliquod bonum maius, vel saltem aequale vitae propriae. Haec vero bona sunt: servitium divinum, bonum aliorum vel collectivitatis saltem aequale vitae propriae; tunc licita erit actio illud bonum intendens et mortem propriam permittens ac quibusdam in casibus potest esse obligatoria.

Ratio est quia tunc datur conflictus inter duo praecepta legis naturalis, alterum servandi vitam, alterum v.c. salvandi patriam pro milite in bello v.c. in *torpedo humano*[9], vel sustentandi familiam pro patre, qui laboribus extraordinariis et periculosis incumbit, vel assistendi aegrotis in morbo contagioso pro medico vel pro sacerdote...; quibus in casibus semper praeceptum maius, debet praevalere[10].

604. 2. **De quibusdam modis specialibus suicidii.** A) De euthanasia[11]. Sic vocatur modus procurandi moribundis placidam et tranquillam mortem absque doloribus; ad hoc vero obtinendum usurpatur morphium vel alia similis medicina ad provocandam insensibilitatem. Hoc vero fieri potest vel ab ipsis infirmis vel a familiaribus eiusdem vel a medicis. *Estne licita haec praxis?*

a) Si dosis morphii *tanta sit* relate ad vires aegroti, ut mortem inferat, per se patet illam actionem habendam esse ut directam occisionem, proinde graviter illicitam.

b) Si vero *sit exigua* ita ut solum dolores mitiget quin tamen usu rationis infirmum privet non erit graviter illicita.

In praxi dantur casus difficiles, propter dolores *extraordinarios,* quos aegrotus pati potest, cum vero periculo proximo desperationis, ad quam vitandam non ita clare apparet esse illicitam breviationem aliquam vitae rationalis, si aliunde infirmus ad mortem sit bene dispositus.

605. B) De ieiunio mortifero (huelga de hambre). Est modus specialis quo quis potest se ipsum occidere, negative i.e. non manducando. Multum disputatum fuit de hac quaestione. Mihi haec videntur tenenda:

a) Si quis per tale ieiunium mortiferum mortem propriam causare vult, ut ex ea odium resultet contra inimicos, contra patronos... tunc ieiunium esset graviter illicitum, etsi quis iniuste detineatur, aut iniustas conditiones laboris subeat, quia tunc ageretur de suicidio directo, nam mors directe intenderetur, ut ex illa tamquam ex aliquo medio alius effectus bonus obtineatur.

b) Si quis vero *iustam damnationem* patitur, vel iustis conditionibus laborat, tunc illicitum erit etiam illud ieiunium incipere, debet enim iustam poenam subire, vel iustis conditionibus contractus laboris stare.

---

[9] Cf. Fz. Regatillo, *Torpedo humano:* SalTerrae 33 (1945) 48ss.

[10] Cf. Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.1 n.48.54, ubi multa exempla affert suicidii indirecti; Noldin, *Summa Theol. mor., De praeceptis* n.326.

[11] Cf. G. Payen, *De ontología médica* n.203-204; Pinan y Malvar, *El homicidio piadoso:* RevCienJurSoc (1919) 81-101; Oddone, A., *L'uccisione pietosa:* CivCatt (1950,1) 245-257.

c) Si vero quis *iniuste* in carcere detinetur, vel iniustas conditiones laboris subit, et per tale ieiunium *inceptum* prudenter sperat se obtenturum esse liberationem ab illa iniustitia vel salutem patriae vel meliores conditiones laboris... hoc ieiunium *incipere* licitum esse potest propter motivum proportionaliter grave, *dummodo* paratus sit ieiunium interrumpere, cum grave periculum immineat. Illud vero ieiunium usque ad mortem perducere graviter illicitum videtur, nam mors propria intendi videtur ut *medium* ad effectum bonum obtinendum.

606. C) DE EXPOSITIONE PERICULO MORTIS. Illicitum etiam est, absque ratione sufficienti, sese periculo mortis exponere. Haec vero actio erit plus minusve gravis quo periculum sit maius vel minus, et quo maior vel minor sit ratio sufficiens permittendi tale periculum. Periculum *proximum* vitae adest cum ex actione aliqua valde probabile est ut mors sequatur, etsi aliqua spes effulgeat illam evadendi. E contra periculum erit *remotum* si ex actione illa raro aut non frequenter mors sequatur. Hoc, ut patet, est aliquid relativum, nam quod pro homine in arte aliqua versato, v.c. in agitatione taurorum[12], in funambulismo... est periculum remotum aut nullum, pro alio non ita in illa arte perito erit periculum proximum. Causae excusantes sunt necessitas tam physica quam moralis et exercitium virtutis. Ex causa gravi licitum erit sese exponere periculo etiam proximo vitae; ad periculum remotum excusandum sufficit causa levis.

Ludum seu pugnam *boxeo* cognominatam ut graviter illicitam iudico, si de illa agatur quae a professionalibus habetur, et prout ab ipsis geritur, cuius finis est competitorem usu rationis privare, vel saltem eumdem usque ad impotentiam pugnis reducere; nam 1) periculum mortis non remotum in ipsa est; 2) facultates mentales in his hominibus decursu temporis ita minuuntur et ordinarie hebetes fiant propter tot et tam terribiles ictus maxime in capite acceptos; 3) ipsa pugna valde dedecet hominem, cum eiusdem finis sit terribilibus ictibus hominem usu rationis privare vel aliquid simile ex adversario obtinere.

Si vero agatur de pugna, ut nonnumquam in Universitatibus vel Collegiis habetur, ad fortitudinem corporis obtinendam quin ictus sint tam potentes, non ita graviter illicita iudicanda est, quamvis videtur omnino proscribenda.

Spectatores vero, nisi ipsi sint cooperatores, vel in ipsis ictibus delectentur, facilius a gravi peccato excusabuntur[13].

607. D) DE MUTILATIONE, AC IN SPECIE DE STERILIZATIONE[14]. 1. *Directa* proprii corporis *mutilatio* aliquo modo malitiam suicidii participat. Membra enim corporis etiam dominio Dei unice subsunt,

---

[12] Cf. PEREDA, *Los toros ante la Iglesia y la Moral* (Bilbao 1945).

[13] Cf. ARROYO, *El boxeo ante la moral:* IlustrClero 37 (1944) 346-537; 373-378; PEREDA, *Las lesiones del boxeo en su aspecto jurídico:* RazFe 82 (1928) 49ss.146ss; *Otra víctima del boxeo:* RazFe 93 (1930) 289ss; STEINHAUS, *Un crimen legal: el boxeo:* Selectiones del Readers Digest (1950) agosto 34-37.

[14] Cf. PIUM XI, *Casti connubii* n.41s; *Concil. Archidioc. Friburgi-Brisgau 1933:* DocCathol (nov. 1933) col.818; PAYEN, *Deontología médica* n.360ss; GUCHTENEERE, *La limitación de la natalidad* c.4; PUJIULA, J., *La eugenesia ante la Iglesia y ante la ciencia:* RevIntSoc n.2-3 (1943) p.113-153; MICHEL, *Mutilatión:* DTC 10,2509ss.

circa quae homo non habet nisi dominium utile, cum homini donata sint a Deo ad servitium divinum sicut ipsa vita. Tamen quia homo administrator corporis et vitae est, cum membra toti corpori subordinari debeant, mutilatio membrorum aliquando permissa est cum nempe ad conservationem totius corporis vel ad sanitatem, illa mutilatio sit necessaria aut valde utilis; hoc enim ad sapientem et providum administratorem pertinet.

Principium enuntiatum de mutilatione quaestionem nostris temporibus valde agitatam evocat, quaestionem scilicet de sterilizatione.

608. 2. *Sterilizatio* generatim sumpta est operatio, aliunde facilis, qua quis arte medica facultate generativa privatur. Varias ob causas in praxim deducitur; ad arcendam prolem propter paupertatem vel commoditates, ad vitandos partus difficiles; ad homines anormales et pravae indolis privandos facultate transmittendi sua vitia posteris; ad poenam malefactoribus infligendam...

Sterilizatio potest fieri: *a)* vel auctoritate privata et omnino libere; *b)* vel ab *auctoritate publica* imposita, et quidem dupliciter, vel *in poenam* contra malefactores, vel absque culpa ob rationes quae dicuntur *eugenicae*. Breviter pauca dicamus de iis omnibus modis.

a) *Sterilizatio voluntaria privata auctoritate facta* est gravis mutilatio naturae humanae, quae omnino interdicta est a lege naturali, et sicuti quaelibet alia gravis mutilatio naturae unice licita evadit, cum illa operatio sit necessaria ad sanandos graves morbos hominis, in primis corporales, forte etiam quosdam morbos physicos, velut gravis anomalias sexuales, si hac ratione aliquando sanari possint. Reliquae aliae rationes quae ad illam legitimandam afferuntur nullius sunt valoris. Prohibita est eadem ratione, qua prohibetur suicidium, scilicet quia homo non habet dominium directum suorum membrorum, sed solum dominium utile. Sterilizatio est mutilatio gravis, etsi faciliter ac sine dolore fieri possit, gravior quam se privare ab aliquo brachio, vel pede, vel oculo, nam per ipsam homo se privat in perpetuum potestate transmittendi vitam.

b) *Sterilizatio per auctoritatem civilem imposita*. 1. Ob *rationes, quae dicuntur eugenicae*, quaecumque sint, non mediante proinde culpa, quae poenam cruentam mereatur, est omnino *illicita*, quia auctoritas civilis nullam habet potestatem directam in innocentes ad illos occidendos vel mutilandos cum homines non sint media ad salutem aliorum, vel ad publicam prosperitatem, sed habeant propriam dignitatem personalem omnino intangibilem. Status ergo non potest cives obligare ad sterilizationem faciendam, neque potest legem de illa ferre, neque illam permittere ex consensu civium.

2. *Ut poena propter delicta quae cruentam sanctionem mereantur*, etsi non ita clare appareat illam ratione iniustitiae repugnare (cum enim possit poenam capitalem applicare, eadem ratione videtur aliam poenam minorem, qualis esset sterilizatio) tamen etiam in hoc casu poena *non conveniens* moribus videtur et *inutilis* ratione habita poenae; esset enim parum dolorosa, et potius quam poena aliquod praemium pro multis ut liberius suis vitiis indulgere possint, absque periculo procreationis. Pius XI (*Casti connubii*, n.41) hunc casum excipit a prohibitione, sed neque affirmat esse licitum. Moralistae vero generatim denegant Statui facultatem hanc poenam infligendi.

ARTICULUS II

De officio positivo conservandi vitam et sanitatem

609. Officium positivum circa vitam et sanitatem reducitur ad gravem obligationem illas conservandi, *quae generatim,* non se extendit nisi ad remedia ordinaria, non vero ad extraordinaria.

Extraordinaria seu quae sine relativo gravi incommodo adhiberi nequeunt, censentur:

a) *Quae sunt nimis dispendiosa;* quod ut patet, est aliquid relativum. Qui haec remedia extraordinaria non adhibet, etsi absolute possit, non est causa directa propriae mortis, sed illam solummodo permittit propter rationes proportionate graves; hoc vero, ut dictum est, non est illicitum [15].

b) *Quae sunt nimis dolorosa.* Hoc remedium pariter est valde relativum; hodie tamen per narchotica multum sunt diminuti dolores in operationibus chirurgicis, ita ut vix dici possit ex hoc capite remedium extraordinarium operatio chirurgica, si a peritis fiat. Attamen vis imaginationis est incredibilis, et ipsa aliquibus insuperabilem horrorem operationibus chirurgicis infundit.

c) *Quae sunt nimis verecunda:* ex hoc capite remedium extraordinarium erit pro aliqua persona piissima, maxime si de virginibus et de monialibus agatur, operatio in qua quaedam partes corporis medicis aut chirurgis alterius sexus sint manifestandae et ab ipsis contrectandae; extraordinarium etiam esset remedium si aliquis ab aliis furare aliquid deberet ad conservandam vitam...

Dicimus generatim ad haec remedia extraordinaria homines non teneri. Sunt autem casus extraordinarii, in quibus ad illa obligatio sese extendere potest, v.c. si agatur de persona valde necessaria ad societatem, vel ad bonum commune, ratione muneris quo fungitur.

610. *Remedia ordinaria adhibendi* omnes strictam habent obligationem. Nam vita et sanitas a Deo nobis donatae sunt tamquam medium necessarium ad servitium divinum et ad adimpletionem nostrorum officiorum. Haec vero media ex natura sua agent conservatione positiva ex nostra parte. Ergo Deus qui vult nos habere illa media, vult etiam curam nostram positivam de illis. Media ordinaria non adhibere idem est ac mortem directe sibimetipsi inferre.

611. De ascetismo morali et religioso. Ex doctrina exposita, male applicata, nonnulli concludunt praxim macerationum et mortificationum a viris probis adhibitam reiiciendam esse, atque ascetismum damnant ut plagam quamdam humanitatis.

Haec doctrina, quae ab hedonistis in praxim deducitur, et ubique regnat, etiam defensores theoreticos invenit maxime in Germania, duce Nietzsche, et late difusa est ab scriptoribus nacistis. Quae omnia originem habent, in eo quod omnino ignorent ascetismum religiosum, eiusdemque naturam et finem. Existimant enim illum consistere in voluntaria corporis castigatione, ac in extenuatione virium corporalium ac salutis propter contemptum vitae, voluptatis

[15] Cf. Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.1 n.36.

et naturae ipsius cum instintibus suis et propter amorem naturalem doloris.

Ascetismus tamen religiosus est valde diversus. Illa enim omnia corpori afflictiva, quibus asceta utitur, obtinere intendunt perfectam obedientiam ac subiectionem corporis spiritui, purificationem peccatorum, ac assimilationem cum Iesu-Christo crucifixo. Propter has rationes austeritates non solum licitae sunt, sed etiam laudabiles, tametsi forte per eas corporis vires aliquantulum imminuantur, et ipsa vita paululum abbreviari possit. Nam vita et sanitas corporalis debent postponi bonis ordinis spiritualis; si vero ad lucrum temporale obtinendum, cum illud sit necessarium, ut diximus, potest quis illis laboribus incumbere, quibus vita corporalis aliquantulum vel notabiliter abbreviabitur, a fortiori hoc licitum erit cum sit necessarium vel valde conveniens ad vitam spiritualem servandam et augendam [16]. Excessus tamen damnabiles in hac re dari possunt.

Aliunde qui ascesim christianam damnant, maiores austeritates multoties admittunt ob fines omnino damnablies, v.c. ob modum vestiendi, ob deportes, ob praxim seu consuetudines sociales [17].

CAPUT III

De mutuis officiis hominum inter se

ARTICULUS I

De officio generali amoris erga proximum

Thesis 31. Homo lege naturali tenetur proximum amare sicut se ipsum.

S. Th., 2-2 q.23-26; *Semaines sociales de France* (Paris 1928), *La loi de la charité;* speciatim cursum Mg. Besson, *La revelation de la charité,* par N. S. J.; et M. Julien, *Comment ouvrir les ames a l'intelligence de la loi de la charité.*

612. Nexus. Officia nostra erga alios possunt esse aut pure ethica, aut iuridica. Sicut amor ordinatus erga se ipsum est radix officiorum omnium erga se, ita amor ordinatus erga proximum est radix reliquorum officiorum non iuridicorum erga illum. Ut vero hic amor erga proximum sit purus et ordinatus fundari debet in ratione et in mutua aestimatione.

613. Notiones. Homo: est suppositum rationale, compositum ex anima rationali et corpore organico. Intelligimus omnem hominem, qui actus vere humanos exercere valeat.

---

[16] Cf. Optime Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.1 n.32-37.

[17] Cf. Baudin, *Morale* p.245ss; Oddone, *A., Il piacere e l'ascetismo cristiano:* CivCatt (1949,1) 379-391.

614. TENETUR: seu habet strictam obligationem moralem; haec autem obligatio ad ordinem pure ethicum pertinet, cui in proximis non respondet ius exigendi.

615. LEGE NATURALI: in sensu antea explicato cum de lege naturali egimus. Hoc praeceptum amoris erga proximum ad praecepta particularia legis naturalis pertinet, quod e generalioribus ratiocinio deducitur.

616. AMOR: in genere idem est ac tendentia in bonum alicuius; potest esse duplex: a) *concupiscentiae* quo in aliquid tendimus ut bonum nobismetipsis; b) *amicitiae* seu benevolentiae, quo aliquod bonum alteri volumus.

Motiva vero huius amoris erga proximum possunt esse diversa; potest enim quis proximum amare vel: a) *propter Deum,* ita ut obiectum formale amoris erga proximum sit ipse Deus, ut est summum et proportionatum bonum naturae humanae (2-2 q.25 a.1c et ad 1); b) *propter se ipsum,* seu propter bonitatem creatam, quae in ipso homine apparet. Agimus de amore erga proximum propter Deum, considerando proximum ut aliquid divinum.

617. PROXIMUM: hoc nomine intelligimus omnes creaturas rationales ad beatitudinem destinatas (2-2 q.25 a.3c); excludendo ab hac obligatione solummodo illos homines qui nullam partem seu amicitiam cum Deo habere possunt, ut sunt damnati (2-2 q.25 a.11c. et ad 2). Sunt ergo proximi diligendi: inimici (2-2 q.25 a.8.c et ad 2); peccatores (2-2 q.25 a.6); homines diversae nationis, alterius religionis, homines inutiles, seu qui nullum commodum bono communi afferre possunt...

618. SICUT SE IPSUM: iis verbis indicatur non aequalitas seu gradus amoris, sed potius similitudo, i.e. dilectio quam homo habet erga se ipsum debet esse norma seu exemplum dilectionis erga proximum, iuxta illud proverbium: *quod tibi non vis alteri ne facias.*

619. Status quaestionis. Patet ex notionibus quid quaeratur; nempe utrum homines debeant amare alios homines necne, et utrum hic amor debeat esse universalis, vel aliqui excludi possent ab illo, denique qua mensura sit intelligendus hic amor.

620. Sententiae. 1.ª *Antiquitus* usque ad Iesum Christum nullibi hic amor universalis erga omnem proximum viguit. Omnes enim gentes inimicos in odio habebant, ac plerique inimicos iudicabant omnes qui non essent ex propria natione. Christianismus autem doctrinam de fraternitate universali per omnes populos propagavit.

2.ª *Nostris temporibus* haec doctrina de amore erga omnem proximum magnopere a plerisque restringitur. Homo enim considerari solet ut medium utilitati aliorum inserviens (doctrina liberalismi), vel neglecta eiusdem personalitate, ut merum instrumentum inserviens prosperitati nationis, stirpis, vel classis. Sunt qui defendere audeant, cum NIETZSCHE et scriptoribus nacistis, prosperitatem et progressum generis humani, et praesertim propriae nationis postulare ut homines physice vel moraliter defectuosi e medio tollantur, vel saltem a propagatione prolis arceantur. Propterea dolent vel damnant quod caritas christiana et institutiones sociales miseris opitulentur ad vitam debilium vel aegrotorum protrahendam; quod ars medica, chirurgica, et hygienica extinctionem infirmorum impediat; e contra laudant magnam parvulorum mortalitatem, morbos contagiosos, miseriam socialem, quia iis mediis debiliores disparent ac solum remanent fortiores et potentiores.

3.ª *Aliqui volunt* ut *ipsa auctoritas* civilis in hunc finem contractus matrimoniales regat, generationem filiorum, qui defectibus hereditariis sint maculati, impediat, educationem secundum regulas selectionis fortiorum dirigat, ius hereditarium, quod conservationi miserorum obstet, statuat; aliqui defectuosos v.c. amentes, schizophrenicos... directe occidendos esse proclamant [1].

---

[1] NIETZSCHE, *Obras completas* (Madrid 1932) t.9 p.17-18 n.734; t.9 p.309 n.2 et 7; HAECKEL, E., apud BOUMBERGER, *La crisis de nuestra cultura* p.118ss; JIMÉNEZ ASÚA, *La autorización para exterminar a los seres desprovistos de valor vital:* RevCienJurSoc 4 (1921) 465ss. Haec doctrina a S. C. S. Of. damnata fuit 2 Dec. 1940: "Quaesitum est ab hac Supr. Sac. Congr.: Num licitum sit ex mandato autoritatis publicae directe occidere eos qui quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent, eamque potius gravare eiusque vigori ac robori obstare censentur... *Negat ve,* cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium" (AAS 32 [1940] 553-554). De praxi huius doctrinae apud nacistas germanos tam in ipsa Germania quam alibi, cf. HLOND, *La persecución de los católicos en Polonia* p.173.184; *Epistolam collectivam episcoporum Germaniae* a.1942,22 martio, II,2; *Propositionem 2.ª damnatam a Sacra Congregatione de Seminariis et Universitatibus,* ex erroribus germanis desumptam; ODDONE, *L'uccissione pietosa:* CivCatt (1950,1) 245-257.

Circa modum agendi aliquorum contra homines nigri coloris in U. S. A.. conferatur ARCONADA, P. M., *Los negros en los Estados Unidos:* Ciud. de Dios 160 (1948) 35-49.

4.ª *Nostra sententia.* Nos vero ut omnino certum defendimus amorem extendi debere ad omnes prorsus homines, quatenus sunt praecise homines, seu nobis similes et beatitudinis capaces, non praecise qua inimici, qua peccatores... quod nobis displicere debet (2-2 q.28 a.6 c et ad 2; et a.8 c). Hoc praeceptum seu obligatio amoris erga proximum intelligi debet: a) *primum negative,* quatenus non licet proximum odisse, seu malum eidem velle; b) *secundo positive,* quatenus bona eidem desiderare, et quantum possimus, facere debemus.

621. Probatur. 1. *Ex dignitate et destinatione omnium hominum.*

Homo lege naturali tenetur se ipsum amare, quia est creatura et imago Dei, ad serviendum Deo Eumque possidendum destinatus. *Atqui* eadem dignitas ac destinatio in reliquis hominibus invenitur. *Ergo* homo tenetur lege naturali proximum sicut se ipsum amare.

622. 2. *Ex coniunctione omnium cum Deo.*

Homo tenetur amare Deum. Ad verum autem amorem spectat non solum amare amicum, sed etiam omnes alios cum amico coniunctos. *Atqui* omnes homines cum Deo sunt coniuncti si reprobos excipiamus. *Ergo* homo tenetur amare omnes proximos.

623. Corollarium. Ex dictis sequitur *etiam inimicos* amandos esse, quia per inimicitiam homines non desinunt habere dignitatem personalem neque destinationem ad Deum possidendum. Amor erga inimicos exigit ut non excludantur a communibus amoris officiis omnibus debitis, etsi specialia officia amoris illis non debeantur.

In hoc amore universali erga proximum *diversi gradus* sunt distinguendi, nam non omnes eodem modo sunt diligendi; quo quis ergo magis proximus noster est maiore dilectione eum prosequi debemus; sic in primis *nosmetipsos* diligere debemus, deinde illos qui *consanguinitate* nobiscum sunt coniuncti: parentes, fratres, reliquos consanguineos; postea illos qui *religione* coniunctiores sunt; speciali etiam modo illos qui nobiscum *eamdem nationem* efformant.

624. Scholion. De amore propriae nationis [2]. Negari nequit homines nostrorum temporum valde ad amorem patrium exaggerandum propendere cum detrimento amoris universalis erga proximos.

---

[2] Cf. PIUS XI, *Caritate Christi* n.4: AAS 24 (1932) 177ss; PIUS XII, *Summi Pontificatus* n.18-22: AAS 31 (1939) 413ss; PLESSIS DE GRENÉDAN, *Patrie:* DAFC; RUCH, *Patrie:* DTC 11,2301-2326; M. BLONDEL, *Patrie et Humanité: Semaine Sociale de France* (Paris 1928) p.364ss; FESSARD, *Pax Nostra* p.22-37; 189-283; BARTHAS, *Evangile et nationalisme* (Paris 1933); ODDONE, A., *Gli odii dei popoli nell'ora presente:* CivCatt (1940,2) 172-180; DE LA BRIÈRE, I., *Le bon et le mauvais nationalisme:* RevPhil 34 (1927) 259-268; CAVALLI, F., *Condizioni dei negri negli Stati Uniti d'America:* CivCatt (1948,1) 371-386.

Licitum utique est ut unusquisque *speciali modo* suam patriam et suos concives diligat, sunt enim nobis coniunctiores quam reliqui multis ex capitibus. Sed etiam amor patrius ordinatus esse debet.

Omnes enim homines reliquarum nationum sunt eiusdem dignitatis ac propriae. Non ergo eo, quo quis ad hanc vel illam nationem vel stirpem pertineat, iam eo ipso ad superiorem speciem humanam pertinet; nec una natio characteristicas naturales praeeminentiae supra alias habet.

Lex amoris qua omnes sicut nosmetipsos amare tenemur eodem modo etiam erga homines aliarum nationum observanda est. Omnes enim homines omnium nationum, utpote eiusdem naturae humanae et ab iisdem parentibus orti et ab Eodem Deo creati, membra sunt eiusdem magnae familiae, essentialiter aequalis dignitatis ac praestantiae et eisdem iuribus humanis gaudent. Exaggeratus amor nationalis non est nisi extensio proprii egoismi [3].

ARTICULUS II

De officiis mutuis circa bona animi

Thesis 32. Mendacium legi naturali repugnat (I); aequivocatio vero et restrictio late mentalis per se illicita non est (II).

S. Augustinus, *De mendacio et contra mendacium:* ML 40,487-518; 518-548; S. Th., 2-2 q.110 a.1-4; Lugo, *De fide* d.4 s.2; Nivard, *Ethica* p.240; Macksey, *Ethica naturalis* p.324ss; Vermeersch, *Restriction mentale:* DAFC 4,1925-1927; *De mendacio et necessitatibus commercii humani:* Greg (1920) 11-40; 425-474; Ledrus, *De mendacio:* Periodica 32 (1943) 5-59.123-171; 33 (1944) 5-61; 34 (1945) 158-209; 35 (1946) 271-274; Godefroy, *Mensogne:* DTC 10,555-569; *L'ami du Clergé* 36 (1914-19) 497-503; Brouillard, P., *Le mensogne:* Etudes 205 (1930) 190-211; Bersani, *De intriseca mendacii deformitate:* DivTh (Pi) 39 (1936) 3-14; Zamnit, N., *Veracitatis natura, et iuris ad illam:* Ang 26 (1949) 250-255; Sortatis, *Morale* p.168.

625. Notiones. Mendacium: est *locutio formalis contra mentem.* Non addimus in definitione *cum intentione fallendi,* ut aliqui faciunt, quia haec verba vel sunt superflua, cum nihil substantiale addant verbis praecedentibus, si agatur de intentione *virtuali;* vel non sunt vera si agatur de intentione *formali,* quae ad mendacium non est necessaria.

626. 1. Locutio: i.e. manifestatio seu expressio ad alios propriorum iudiciorum, quae potest fieri verbis, scripto, signis, factis. Bene distinguenda est:

---

[3] Cf. doctrinam nacistam germanam in hac materia apud Hitler, *Mi lucha* (ed. hispa. Munich) p.1.ª c.11 p.157ss; p.2.ª c.2 p.200-204; optima expositio eiusdem apud Bonnard, R., *El derecho y el Estado en la doctrina nacionalsocialista* vers. hisp. (Barcelona 1950) p.40-45.—Circa hanc quaestionem versatur *Prop. 1.ª Sacrae Cong. de Sem. et Univ.* 13 Abril 1938; cf. etiam Hlond, *La persecución de los católicos en Polonia* p.96.143.152, ubi exponit modum agendi nacistarum cum aliis.

a) *Locutio materialis*: est locutio intellecta iuxta significationem ordinariam seu communem verborum vel iuxta significationem naturalem gestuum, praescindendo a circumstantiis concretis in quibus proferuntur. Sic locutio praescindit a significatione, nam determinatio significationis verborum vel gestuum pendet ex conventione illa adhibentium, haec vero ex circumstantiis concretis debet colligi; nam possunt aliam significationem signis dare quam communiter habent.

b) *Locutio formalis*: est locutio intellecta secundum normas quae significationem verborum vel gestuum determinant, quas appellamus regulas locutionis. Cum vero manifestatio nostrorum conceptuum sit essentialiter quid sociale, una ex praecipuis regulis locutionis procul dubio invenitur in adiunctis concretis in quibus signa ordinantur ad humanum commercium.

Significatio ergo locutionis determinanda est non tantum ex verbis vel signis adhibitis materialiter consideratis seu in significatione ordinaria, quantum ex *circumstantiis,* quae ab audiente cognosci possunt, v.c. a consuetudine, a praecedenti interrogatione, a mente aperta interrogantis, a persona tam interrogata quam interrogante, a necessitate servandi secreti, a materia ipsa de qua fit quaestio, a tempore quo fit interrogatio...

Sic, v.c. cum famuli interrogantur utrum dominus domi inveniatur, quamvis sit, si hora fuerit intempestiva, respondere solent: *non est,* quae tamen responsio *ex consuetudine* significat illa hora dominum visitationes non admittere. Similiter cum ignotus quis alicui pecuniam commodandam petit eidem responderi solet: *non habeo.*

Ex hoc capite a ratione mendacii excluduntur verba nihil significantia, verba obscura, verba sibi secreto prolata... seu illa omnia quae ad manifestandam nostram mentem aliis non ordinantur.

627. 2. CONTRA MENTEM: est locutio quae ex se seu ex intentione loquentis, exprimit negationem iudicii, quod formaliter in mente est.

Mendacium ergo opponitur *veritati morali,* non autem logicae; ideo etsi quis dicat quod veritati logicae non conformetur, non mentitur, si illud quod exprimit cogitationi ipsius sit conforme et e contra. Locutio quae solummodo opponitur veritati logicae, vocari solet falsiloquium, vel mendacium materiale. Ad mendacium ergo requiritur locutio *contraria* men-

ti; non autem est contraria quae non exprimit nisi quoad partem suam mentem.

Triplex falsitas seu deformitas inter mentem et signa illam exprimentia dari potest: a) *materialis* si de facto illud quod enuntiatur est menti deforme; b) *formalis* si datur voluntas efficax adhibendi signum ex opinione loquentis menti contrarium; c) *effectiva* si datur voluntas decipiendi seu in errorem inducendi alterum. Falsitas materialis per accidens abesse potest a mendacio; effectiva pertinet ad complementum eiusdem; sola formalis falsitas ad essentiam mendacii pertinet.

628. ELEMENTA ESSENTIALIA MENDACII. Tria sunt: a) *voluntas* dicendi falsum, seu falsitas formalis; b) locutio vel usus signi ad manifestandum suum iudicium; c) *significatio contraria* iudicio mentis, saltem ex opinione loquentis. Ex iis tribus connaturaliter sequitur *deceptio alterius*, quae tamen ad essentiam mendacii non requiritur sicut nec essentialiter requiritur voluntas formalis decipiendi alterum, quamvis interpretativa, vel saltem virtualis seu in causa, semper sit in vero mendacio, cum qua fere semper coniungitur voluntas etiam formalis.

629. Definitio descriptiva. Ex dictis descriptive definiri potest: *locutio, quae formaliter sumpta, seu secundum regulas locutionis, cum sensu determinato a circumstantiis ab auditore prudente cognoscibilibus, apta est natura sua et non tantum ex imprudentia auditoris ad fallendum.*

630. Divisio. Potest esse: 1. RATIONE SIGNI: *verbale vel reale* prout verbis, aut factis vel signis fiat. Cum quis utitur factis ad mentiendum, mendacium vocatur *simulatio*, cuius species est *hypocrisis*, quae tunc habetur cum quis personam alterius simulat.

2. RATIONE FINIS: a) *Iocosum*: si voluptatis causa profertur. Ad mendacia iocosa, non pertinent fabulae romanenses, neque manifestae exaggerationes, neque illa quae iocando quis dicit, scientibus id audientibus; tunc enim nullum datur mendacium, cum verba non sint manifestativa in illis circumstantiis nostrorum iudiciorum.

b) *Officiosum*: si profertur propter utilitatem propriam vel alienam, v.c. ad avertendum aliquod damnum. Non est confundendum mendacium officiosum cum mendacio *officiali* seu prolato ab officiale aliquo in adimpletione sui muneris, quod potest esse iocosum, officiosum vel perniciosum. Neque

confundendum est cum quibusdam locutionibus, quae secundum hominum conventionem in determinatis adiunctis diversam significationem habent ab illa quam communiter in ordinariis adiunctis habere solent, v.c. *occupatus, foris, non est domi, mulier speciosa...* quae nullum sunt mendacium.

c) *Perniciosum*: si iniuste alicui nocet, i.e. si praeter nocumentum erroris—quod in omni mendacio adest—, infert aliud nocumentum speciale.

3. RATIONE GRAVITATIS, iuxta S. AUGUSTINUM, hoc ordine dispertitur: *a*) mendacium in *doctrina religionis*, seu illud quod potest inducere in errorem religiosum; *b*) quod *nocet alicui et nulli prodest; c*) quod *prodest alteri, ita ut noceat alteri;* d) quod est *purum mendacium*, sola voluptate decipiendi alium; *e*) quod fit *voluptatis* causa seu desiderio placendi de suaviloquio; *f*) quod *nemini nocet*, et habet utilitatem aliquam, v.c. ad salvandam vitam alicuius, vel honorem...

631. AEQUIVOCATIO: est locutio ambigua, seu plures sensus habens, dicitur etiam *amphibologia;* datur cum quis utitur verbis quae ex se habent diversas significationes, ideoque apta sunt ut audiens uno sensu illa interpretetur, cum loquens proferat illa in alio, praevidens auditorem eadem intellecturum diverso sensu.

632. RESTRICTIO MENTALIS: est actus quo verba loquentis ad alium sensum quam ad naturalem et obvium coarctantur seu restringuntur. Potest esse:

a) *Pure seu stricte mentalis*: si sensus loquentis ita est occultus, ut neque homo prudens illum detegere possit. Dicitur pure mentalis quia sensus verborum, ut sit verus, unice potest compleri ab aliquo quod mente tacetur; v.c. si a me quaeratur utrum viderim Matritum et respondeam, utique, subintelligendo *in pictura*. Haec restrictio pure mentalis est purum mendacium.

b) *Late mentalis*: si sensus loquentis ab homine prudenti vel ex ipsa locutione ob suam ambiguitatem, vel ex adiunctis suspicari saltem possit, ita ut non decipiatur. Hominem prudentem intelligimus non illum, qui extraordinario iudicio sit praeditus, sed illum qui normaliter iudicet. Restrictio ergo late mentalis verum sensum loquentis externe exprimit, sed quadam ambiguitate vel obscuritate involutum, ita tamen ut ex adiunctis colligi queat.

633. *N. B.* Hoc tamen nomen *restrictionis mentalis* confusioni ansam praebere potest, ut si verba prolata complenda sint semper ab aliquo quod mente tacetur, ut sint veritati conformia; possunt tamen compleri, ut dictum fuit ab omnibus adiunctis: a qualitate personae, a natura quaestionis, ab adiunctis temporis et loci... ita ut ex illis omnibus responsio plerumque huic alteri vel simili aequivaleat: *nolo de hac re quidquam dicere; de hoc non possum loqui; debes aliunde investigare si vis cognoscere rem...* Responsio enim quaelibet in iis adiunctis non est nisi modus quidam urbanus vitandi proditionem secreti. Hoc vocatur ab aliquibus *fictio materialis locutionis,* nam re vera responsio quaelibet quae detur in iis circumstantiis aequivalet silentio; ut omnes bene sciunt non est nisi quaedam evasio [1].

634. Status quaestionis. Tria potissimum agitantur in thesi praesenti: 1. *In primis* agitur de definitione mendacii statuenda, quae ex ipsis notionibus apparet.

2. Quaeritur *secundo* utrum mendacium sit contra legem naturalem, consequenter utrum in qualibet circumstantia sit prohibitum, an vero in aliquibus adiunctis possit licitum evadere.

3. *Denique* volumus videre quomodo haec duo quae primo intuitu inter se pugnare videntur possint conciliari, nempe non mentiri et non manifestare secretum aliquod quod omnino protegendum est, maxime cum necessario quis loqui debeat, eo quod tacere secreti manifestationi ex adiunctis aequivaleat. De hoc agitur in secunda parte, in qua quaeritur cur illa responsio, quae indubitanter ut licita habetur quaeque speciem mendacii induit, a labe mendacii excusetur.

Quaestio utique difficilis, ad quam dilucidandam multae traditae sunt solutiones.

635. Sententiae. 1.ª Invenimus in primis duas extremas sententias quae statim ut evidenter falsae apparent, nempe sententiam NIETZSCHE et KANT.

NIETZSCHE affirmat mendacium numquam esse malum morale, homines vero generatim non mentiri quia difficilius est dicere falsum quam verum [2].

KANT e contra existimat numquam licitum esse mentem propriam celare, cum nobis loquendum sit, quamvis gravissima mala e nostra locutione proveniant [3].

2.ª PLATO *et platonici,* admittentes mendacium esse locutionem contra mentem, dicunt illud non esse absolute prohibitum; modestum usum mendacii concedunt nobilibus

[1] Cf. LEDRUS, *De mendacio:* Periodica 34 (1945) 169.
[2] *Obras completas* v.3 p.54 n.54.
[3] Cf. apud SORTAIS, *Morale* p.169.

tantum, quia ii soli a nimio et damnabili abusu abstinere possunt.

3.ª *Apud Sanctos Patres* non plenus consensus circa malitiam mendacii invenitur; servant tamen eumdem conceptum seu esse locutionem contra mentem. Aliqui ut ORIGENES mendacium contra hostes vel pro patria et civibus permittit, non vero pro bono particulari; CLEMENS ALEXANDRINUS falsum dicere concedit, cum sit necessarium ad *utilitatem proximi;* CASSIANUS licitum dicit esse mendacium *necessarium.* Ad quam conclusionem perveniunt eo quod non habeant aliud medium servandi secretum nisi mediantibus responsionibus, quae ipsis ut mendacium apparebant. Attamen S. AUGUSTINUS hanc doctrinam magno ingenio perpolivit, atque malitiam intrinsecam mendacii defendit. Post ipsum fere omnes eamdem sententiam sequuntur.

4.ª GROTIUS et PUFENDORF saec. XVI, quos deinde multi alii secuti sunt, diversam solutionem inveniunt. A sensu communi et ab omnibus auctoribus praecedentibus recedentes mutant definitionem mendacii, quod definitum volunt *negationem veritatis debitae*: hoc modo mendacium opponeretur non veracitati sed iustitiae. Cum ergo veritas alicui ex iustitia non debeatur, licet illi quamcumque responsionem dare, quin illa sit mendacium. Hi ergo auctores, potius quam primam partem theseos adversantur secundam; affirmant enim mendacium semper prohibitum esse, sed, posita sua definitione, explicant quomodo aliquae responsiones labe mendacii careant, cum non sint nisi falsiloquia.

Haec sententia saec. XVII-XX placuit etiam quibusdam *scriptoribus catholicis,* inter quos nominare possumus: ANTONIUM A GENUA, BOLGENI, MARTINET, BERARDI, DUBOIS, PIAT, VAN DER VELDEN, SORTAIS [4].

5.ª *Aliqui* accurrunt *ad conflictum iurium* et officiorum. In casibus de quibus agitur existimant dari talem conflictum inter obligationem non mentiendi et, v.c. obligationem salvandi vitam alterius... quo in casu obligatio non mentiendi, utpote minor, cedere debet; mendaciun est malum, prodere secretum est maius malum, ergo seligendum est primum, quod ex necessitate vitandi maius malum salvatur a culpa.

6.ª *Nostra sententia.* Nos vero retinemus in primis notionem mendacii traditionalem, sensui communi consonam, Affirmamus in *prima parte* et defendimus ut certum menda-

[4] *Morale* p.172ss.

cium semper esse illicitum; nec dari posse circumstantiam ullam in qua legitimum esse possit. In *secunda parte* conflictum apparentem inter obligationem servandi secretum et non mentiendi solvimus per restrictiones late mentales; nempe, cum necesse sit veritatem celare, tacere tamen proditioni secreti aequivaleat, ad veritatem tegendam non restat nisi usus restrictionis *late* mentalis vel aequivocationis, quas licitas esse dicimus:

a) *Aliquando,* i.e. non passim, non arbitrarie, non sine ratione sufficienti, sed solum propter graves et proportionatas rationes, cum non sit aliud medium secretum servandi [5].

b) *Sub conditionibus determinatis,* i.e. dummodo auditori *prudenti* possibile sit, si prudenti modo procedat, ex aliqua circumstantia discernere responsionem non esse nisi evassionem locutionis.

c) Dummodo loquens *non intendat* errorem alterius, sed occultationem veritatis non revelandae, ac errorem tantummodo permittat. Hanc explicationem defendimus ut *communiorem* et *longe probabiliorem.*

Probatur 1.ª Pars. Mendacium legi naturali repugnat.

636. *Ex abusu locutionis contra finem naturalem eiusdem.* Intrinsece malum est, proinde contra legem naturalem, abusus alicuius rei naturalis, fini naturali eiusdem repugnans, eumque impediens, maxime si ille finis necessario est obtinendus. *Atqui* in mendacio datur: *a*) abusus alicuius rei naturalis, nempe locutionis; *b*) fini naturali eiusdem repugnans eumque impediens; *c*) et hic finis necessario est obtinendus. *Ergo* mendacium est intrinsece malum, seu contra legem naturalem.

Mai.: Principium frustrationis finis a natura intenti est principium maximi momenti in re morum. Malitia intrinseca stat in frustratione finis adaequati a Deo intenti, atque activitate humana efficiendi. Quali vero sit finis naturalis alicuius rei in fine operis apparet. *Omne illud quod actionem reddit inconvenientem fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur* (S. THOMAS, *Supl.* q.65, a.1).

Min.: a) *Datur abusus locutionis*: quia in illo utitur quis locutione non ad manifestandam sed ad occultandam suam mentem.

[5] ODDONE, A., *Il rispetto della verità:* CivCatt (1940,3) 26-39.

b) *Repugnans fini naturali eiusdem, seu* naturaliter impediens finem naturalem locutionis: nam finis naturalis locutionis *proximus* est nostram mentem exprimere atque illam cum aliis communicare; hic vero finis ut patet, mendacio impeditur. Finis *remotus* est reddere possibilem vitam socialem, naturae humanae convenientem, mediante communicatione mentium; qui finis liceitate mendacii impediretur. Nam de fide et mutua fiducia, proinde de convenienti vita sociali, actum esset, si unquam contra mentem loqui liceret; homines enim sunt tam proni ad mentiendum ut, si aliquando licitum esset mentiri, facile sibi persuaderent talem casum adesse, et audientes perpetuo timere deberent, ne loquens ex gravi causa sive reali sive existimata nunc mentiretur; atque cum illo perpetuo timore mendacii vita socialis conveniens et tranquilla non daretur.

c) *Hic finis est necessario obtinendus*: nam homo est essentialiter animal sociale; ad vitam vero socialem necessario requiritur mutua communicatio, quae absque locutione impossibilis est.

637. *N. B. Vis argumentationis* desumitur non ex eo quod *ex semel facto* mendacio non sit possibilis conveniens vita socialis, sed ex eo quod ex *semel licito,* hoc accideret. Sicut confessio sacramentalis intollerabilis foret non ex *semel fracto sigillo* sacramentali, *sed ex semel licito* illud frangere; vel sicut actum esset de indissolubilitate matrimonii si aliquando ob gravissimas circumstantias *liceret* divortium perfectum, omnes enim existimarent se in illis inveniri.

638. DICES CONTRA ARGUMENTUM. 1. Argumentatio nititur falso supposito, supponit scilicet deformitatem inter locutionem et mentem esse natura sua deordinationem moralem, cum de se non nisi deordinatio physica. Locutio enim duplicem finem habet: unum proximum, qui est manifestare propriam mentem; alterum remotum, qui est inservire ad vitam socialem. Iam vero finis proximus est medium ad finem remotum; proinde conformitas locutionis cum mente accipit suum valorem moralem a fine sociali.

Resp. Ut dictum est, cum egimus de norma constitutiva moralitatis, moralitas *obiectiva* constituitur ex convenientia vel non convenientia obiecti cum natura rationali qua tali adaequate spectata; *formalis* ex libera tendentia voluntatis in tale obiectum. Iam vero libere velle aliquid quod naturam humanam adaequate spectatam dedecet est deordinatio moralis; hoc vero accidit in illo qui deformitatem inter locutionem et mentem appetit.

639. *2.* Sequitur ex argumento intrinsece malum esse omnem usum instrumenti cuiusvis, non secundum finem huiusmodi instrumenti, v.c. usum cultri non ad secandum, sed ad radendum, aciem eiusdem obtundendo. *Atqui* hoc est ridiculum. *Ergo* nulla est vis argumenti.

Resp. Ex argumento sequitur esse intrinsece malum omnem usum instrumenti, seu facultatis *naturalis*, ab ipsa natura ad finem aliquem determinatum concessae, contra *finem naturalem* eiusdem; nihil vero dicimus de usu instrumenti *artificialis*, cuius usus et finis a libera hominis voluntate dependet.

640. 3. Supponit argumentum instrumentum seu facultatem naturalem non nisi unum finem essentialem habere, extra quem nullius licitae utilitatis esse posset. *Atqui* hoc falsum est.

Resp. Argumentum supponit non esse alios fines secundarios licitos qui opponantur fini primario et essentiali facultatis naturalis ad certum finem naturalem ab ipsa natura concessae. Instrumenta vero artificialia utique possunt habere diversos fines principales, arbitrarie ab artifice excogitatos.

641. 4. Saltem sequitur ex argumento intrinsece malum esse abusum cuiuslibet rei vel organi naturalis ad finem diversum a fine naturali eiusdem, v.c. fricare folium vel florem arboris, hoc pacto vegetationem impediendo. *Atqui* hoc est absurdum.

Resp. Si ipsa arbor suis facultatibus et organis sic libere abuteretur esset malum, *conc.;* si vero hoc faciat homo, totius arboris dominus et finis ultimus eiusdem essentiae arboris, etiam si hoc sit contra finem particularem naturalem arboris, *neg.*

2.ª Pars. Aequivocatio et restrictio late mentalis per se illicita non est

642. *Eo quod in eis non detur mendacium.*

Aequivocatio et restrictio late mentalis illicitae essent vel natura sua, vel ex fine remoto aut proximo, vel ex malo effectu permisso. *Atqui* per se inspectae neque ex natura sua, neque ex fine remoto aut proximo, neque ex effectu permisso sunt illicitae. *Ergo* aequivocatio et restrictio late mentalis per se illicita non est.

Mai.: Non apparet ex quo alio capite possit desumi illicitas illarum.

Min.: a) *Non ex natura sua*: quia non sunt locutio contra mentem, nam de facto, sumendo locutionem formalem, i.e. signa manifestativa cum adiunctis, iudicium quod in mente est manifestant.

b) *Non ex fine remoto*: qui est occultatio incompleta et passiva veritatis (seu ex parte auditoris); hoc vero cum adsint rationes graves et obligatio servandi secreti illicitum non est.

c) *Non ex fine proximo*: nam enuntiatio obscura veri, eodem modo non disconvenit naturae, immo aliquando intendi debet.

d) *Non ex malo effectu permisso*: quia deceptio aliorum aliquando licite potest *permitti*, ex principiis voluntarii indi-

recti. Notemus praeterea deceptionem aliorum esse malum aliquod physicum, non morale; quod facilius *permitti* potest quam ipsum malum morale.

643. *N. B.* 1. In aequivocatione et in restrictione late mentali desunt *elementa essentialia mendacii;* nam: *a*) non datur in illis *voluntas dicendi falsum,* verba enim ex adiunctis sunt menti conformia; *b)* datur utique locutio seu usus signi; *c)* sed non datur significatio *iudicio mentis contraria,* saltem ex opinione loquentis, nam locutio formalis, seu cum adiunctis est menti conformis; *d)* datur plerumque proprietas mendacii, seu deceptio; sed illa non pendet a loquente ut a causa per se, sed ab auditore, qui temerarie unum ex sensibus accipit, vel non bene ex levitate adiuncta considerat.

2. Cavendum tamen est ne absque gravi ratione vel sine praedictis conditionibus restrictionibus utamur, tunc enim restrictio non esset late mentalis, sed stricte, quam prorsus reiicimus ut purum mendacium.

644. Obiectiones. Malitia mendacii desumenda est ex nocumento quod afferat fini sociali. *Atqui* mendacium non semper fini sociali nocet. *Ergo* mendacium non semper est illicitum.

Resp. Dist. mai.: tantum aut praecipue, *neg.;* partim, *conc. Trans. min.* etsi etiam distinguenda esset, nempe: semel factum mendacium, *trans.;* semel licitum, *neg. Dist. pariter cons.;* si solum ex nocumento sociali penderet eius malitia, *conc,;* secus, *neg.*

2. Tota ratio locutionis in bono sociali consistit. *Atqui* tunc malitia illius nequit consistere nisi in usu eiusdem contra finem socialem. Ergo malitia mendacii tantum pendet ex eo quod noceat fini sociali.

Resp. Dist. mai.: bonum sociale est id ad quod exercitium facultatis totum ex parte hominis ordinari debet tamquam ad finem proximum, *neg.;* tamquam ad finem remotum, *subd.*: per se, *conc.;* semper, *subd.*: directe ex manifestatione perfecta veritatis, *neg.;* saltem indirecte servata veracitate, et sic fiducia inter homines, *conc. Contrad. min.*

3. Non est illicitum uti aliqua parte corporis, v.c. manibus ad usum diversum a fine proximo naturali eiusdem, v.c. ad ambulandum. *Ergo* a pari non est illicitum uti locutione ad finem diversum a fine proximo naturali eiusdem.

Resp. Conc. antec. Neg. cons. et paritatem. Nam in primo casu aliqua facultas dirigitur non contra sed praeter suum finem naturalem ex motivo rationali, in quo non est deordinatio; nam manus datae sunt homini in servitium ipsius, hic vero videre debet usum rationalem earum. Locutio vero iam determinate ab ipsa natura homini data est in hunc finem determinatum, nempe ad manifestandam propriam mentem aliis, qui finis impeditur mendacio.

4. Supponit argumentum dari relationem *naturalem* inter conceptus humanos et locutionem. *Atqui* non adest talis relatio naturalis inter conceptus humanos et locutionem sed omnia a conventione pendent. *Ergo* in mendacio non datur abusus locutionis contra finem naturalem eiusdem.

Resp. Dist. mai.: inter locutionem materialem et conceptus, *neg.;* inter locutionem formalem et conceptus, *conc. Contrad. min.:* ex

conventione talis significatio tribuitur tali locutioni materiali, *conc.;* statuta significatione, usus locutionis formalis pendet a conventione, *neg.*

5. Ad determinandam significationem locutionis formalis requiritur existimatio hominis prudentis. *Atqui* haec existimatio non est quid praecisum, sed valde indeterminatum. *Ergo* ipsa notio mendacii fit hoc modo vaga et impraecisa.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: non adest regula mathematica ad determinandum utrum auditor fuerit prudens necne, vel utrum circumstantiae sint facile cognoscibiles, *conc.;* non est regula moralis, *neg. Dist. pariter cons.:* non est praecisa ipsa notio mendacii, *neg.;* non semper facile erit determinare utrum talis modus loquendi sit mendacium, *conc.*

Aliud est determinare notas alicuius conceptus, aliud determinare utrum tale obiectum materiale possideat tales notas; ut accidit v.c. in determinando aliquando utrum aliquod ens pertineat ad regnum animale vel ad vegetale, cum tamen conceptus horum sint bene determinati et definiti.

6. Locutio est ad alterum, i.e. ad hominem concretum, exsistentem, cum homo abstractus non exsistat. *Atqui* existimatio hominis concreti est valde variabilis et impraecisa. *Ergo* ad determinandam moralitatem locutionis nequit attendi ad hoc utrum ab homine prudenti circumstantiae possint intelligi necne.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: in accidentalibus, *conc.;* in substantialibus existimandis, *neg.;* sunt enim multa quae de omni homine praedicari possunt, ut constat ex *Psychologia,* v.c. natura et finis intellectus, vel ex *Ethica,* v.c. omnia officia et iura naturalia inter quae ius ad veracitatem; iudicare ergo secundum rectam rationem, in quo prudentiam reponimus, est valde determinatum, et fixum. *Dist. pariter cons.*

7. Sacerdos non cognitus ut talis, interrogatus circa illa quae ad confessionem pertineant, potest celare veritatem loquendo. *Atqui* tunc locutio formalis, i.e. cum circumstantiis cognoscibilibus non conformaretur iudicio mentis. *Ergo* sunt casus in quibus licitum est contra mentem loqui, etsi circumstantiae ab auditore prudenti nequeant cognosci.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si solum deberemus attendere ad circumstantiam personae, *conc.;* si vero adsunt aliae circumstantiae, ut, v.c. natura quaestionis, necessitas probabilis servandi secretum, *neg. Dist. pariter cons.*

8. Aliquando datur necessitas servandi secretum quin ulla circumstantia hoc innuat auditori. *Ergo* vel non semper illicitum est mendacium, vel secretum quandoque laedendum est.

Resp. a) Dari hunc casum vel prudenter vel imprudenter admittis. Si prudenter, concludere debes alios etiam prudentes hoc admittere, ideoque non decipi responsis acceptis. Si imprudenter, ruit obiectio ex defectu prudentiae in audiente.

b) Si hic casus esset semper sat *probabilis,* prudens deberet semper suspicari verba alio sensu intelligi debere, propter fortuitam circumstantiam servandi secretum. Hoc vero incommodum independens aliunde a theoria mendacii, ostendit hanc positionem esse reiiciendam. Si vero agatur de *possibilitate* tunc dicendum erit loquentem, in casu in quo auditor circumstantias non possit prudenter suspicari,

quaerere debere aequivocationem, potius quam restrictionem late mentalem. Practice tamen, maxime rudes et tardioris ingentii, in hoc casu responsionem a se datam iudicare possunt ut illam unicam viam, certo exsistentem, celandi secretum et non mentiendi.

9. Ex dictis colligitur negare veritatem esse vel non esse mendacium prout veritas debeatur vel non audienti. *Atqui* haec est etiam sententia adversariorum. *Ergo* idem dicimus diversis nominibus.

Resp. Dist. mai.: ita ut secundum nos adsit mendacium cum veracitas laeditur, *conc.;* cum praecise iustitia, ut volunt adversarii, *neg.* Pro nobis defectus debiti est una ex circumstantiis mendacium excludentibus, pro adversariis est unica. Pro nobis defectus debiti debet esse ab auditore cognoscibilis, pro adversariis non requiritur. Secundum nos auditor semper habet ius ad veracitatem etsi non semper ad talem veritatem.

10. Restrictio stricte mentalis non violat ius alterius, neque in illa loquens malum alterius intendit, aliunde illud malum quod audienti praeter intentionem fit, est minus malum quam illud quod ex manifestatione veritatis sequeretur. *Ergo* licita est etiam restrictio stricte mentalis.

Resp. Trans. ant. quoad omnia. *Sed neg. cons.;* nam malitia mendacii et restrictionis stricte mentalis stat in usu loquelae cum frustratione finis illius.

11. In casu restrictionis stricte mentalis error est effectus per accidens, nam audiens videre potest adiuncta, et ita errorem vitare. *Ergo* non est illicita.

Resp. Tunc iam non erit restrictio stricte mentalis, sed late mentalis.

12. In restrictione stricte mentali actus qui ponitur est bonus, scilicet defensio iuris nostri, cum duplici effectu, uno bono, scilicet necessitas servandi secretum, altero malo scilicet error alterius. *Atqui* licitus est talis actus. *Ergo* restrictio stricte mentalis non est prohibita.

Resp. Neg. mai. nam actus ipse est locutio contra mentem, qui actus est intrinsece malus.

13. Etiam restrictio late mentalis frustrat finem loquelae, qui est verum manifestare, quod restrictio late mentalis non manifestat. *Ergo* tunc eadem ratione illicita erit ac restrictio stricte mentalis.

Resp. Neg. ant. et ad rationem additam respondeo finem loquelae esse manifestare iudicium quod in mente est, et hoc modo manifestare verum *potestative,* non autem finis eiusdem est manifestare verum etiam effective, nam hoc pendet etiam ex actione et intelligentia audientis. Iam vero restrictio late mentalis manifestat verum, et defectus effectivae manifestationis non provenit nisi ex defectu apprehensionis in audiente.

14. Restrictio late mentalis decipit audientem. *Atqui* non licet decipere audientem. *Ergo* restrictio late mentalis est illicita.

Resp. Neg. mai. Audiens se ipsum decipit, non distinguens iudicium loquentis cum circumstantiis manifestatum.

15. Saltem loquens ponit occasionem deceptionis. *Atqui* hoc etiam est illicitum. *Ergo* restrictio late mentalis, etsi directe non decipiat, est illicita.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si non esset causa sufficiens permittendi talem deceptionem, *conc.;* si adest, *neg. Dist. pariter cons.*

16. Usus restrictionis late mentalis tendit ad destructionem fidei et fiduciae socialis. *Atqui* numquam adest ratio sufficiens ad hanc fiduciam et fidem socialem destruendam. *Ergo* numquam adest causa sufficiens utendi restrictionibus mentalibus.

Resp. Dist. mai.: usus eius ad libitum, *conc.;* usus moderatus, scilicet cum sit necessaria ad servandum secretum iure defendibile, et modo dicto in statu quaestionis, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

17. In illis conditionibus neque restrictio stricte mentalis destrueret fidem. *Ergo* neque et ipsa esset illicita.

Resp. Trans. ant. Sed restrictio stricte mentalis reiicitur propter intrinsecam suam malitiam in frustratione finis operis loquelae.

ARTICULUS III

De officiis mutuis circa integritatem corporis

Thesis 33. Servato moderamine inculpatae tutelae licet cruente se defendere contra iniustam aggressionem usque ad aggressoris occisionem.

Cf. S. Th., 2-2 q.64 a.7; Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.6 et 7; Macksey, *Ethica naturalis* p.301-314; Oblet, *Defense de soi:* DTC 4 227-230; Pelayo de Zamayón, *El derecho a la defensa en caso de agresión permanente:* RevEspTh 2 (1942) 691-726.

645. **Nexus.** Directam alterius occisionem *privata auctoritate* factam—extra casum legitimae defensionis—contra legem naturalem esse nimis evidens est, nec in hoc probando immorabimur. Argumentum allatum ad reiiciendum suicidium a fortiori valet contra homicidium, cui accedit ratio specialis iniustitiae contra proximum. Hoc enim immediate deducitur a praecepto illo generalissimo legis naturalis, *nemini malum faciendum est,* a fortiori mortem hoc praeceptum excludit, cum sit supremum malum.

Haec valent contra quodlibet homicidium privata auctoritate perpetratum—de morte ex publica auctoritate alibi dicendum est—sive mors causetur per positivam actionem destructivam vitae alterius, sive per omissionem actionis ad vitae conservationem necessariam et debitam alicui; et se extendit non solum ad homicidium sic dictum, sed etiam ad infanticidium seu feticidium cum et ipse fetus vitam humanam habeat[1].

Quod dicimus de occisione, debita proportione, intelligendum est de mutilatione, ut iam innuimus agentes de suicidio.

Nunc volumus videre utrum in casu iniustae aggressionis possimus hoc nostrum ius ad vitam defendere usque ad occisionem aggressoris iniusti, si illud sit necessarium.

646. Notiones. Aggressor: in genere dicitur ille qui alterius ius actu invadit aut illud moraliter incipit invadere.

[1] Cf. Gand, M., *Avortement:* DictSoc 2,1441ss.

Aggressor vitae: est qui destructionem vitae alterius actualiter petit. Ad actualem vero petitionem non sufficit mera intentio etiam certo cognita; sed neque illa requiritur necessario; sufficit actuale periculum vitae, etiam per accidens causatum actione aggressoris. Requiritur autem et sufficit paratio mediorum ad vitam nostram destruendam tam *proxima* ut sine actuali nostra defensione vita nostra pericletur [2].

Aggressoris species: a) *Iustus* est ille qui iure petit vitam nostram, v.c. ad exsequendam sententiam iustam contra nos ab auctoritate publica latam. Tali aggressori non licet vi resistere; etsi non prohibeamur a lege naturali ipsum fugere, si possumus.

b) *Iniustus* est qui sine publica aut divina positiva auctoritate vitam alterius petit. Potest esse *formaliter iniustus*, si actus aggressionis sit qua talis humanus, seu voluntarius, et liber; *materialiter iniustus*, si actus aggressionis qua talis sit tantum actus hominis, sed non humanus, v.c. in casu amentiae, ebrietatis, somnii.

647. DEFENSIO: est actio prohibens, ne ius nostrum violetur. Potest esse: a) *Negativa*, si sine resistentia coactiva fiat v.c. per fugam; b) *Positiva*, si fiat per resistentiam coactivam; c) *Necessaria*, si sine illa ius nostrum violabitur; i.e. cum non datur alius modus vitandi conatum aggressionis, saltem sine cessione aliorum iurium alicuius momenti; d) *Non necessaria*, si absque illa defensione ius nostrum incolume servari potest.

648. LICET. Licita defensio sonat hominem habere ius defensionis a lege naturali concessum, sed non dicit illum habere officium seu obligationem utendi illo iure. Homo *per se* non tenetur servare suam vitam nisi mediis ordinariis; defensio vero occisiva alterius est remedium extraordinarium. *Per accidens* potest dari officium illius denfensionis, v.c. si aggressus sit persona publica, cuius vita sit valde necessaria ad vitam vel securitatem publicam, vel si publico decreto aut necessitate publica hoc urgeatur ad iniustos aggressores supprimendos.

649. SERVATO MODERAMINE INCULPATAE TUTELAE. Is verbis classicis indicatur quibus conditionibus defensio vitae cul-

[2] LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.7 n.156ss.

pa careat. Ad hoc requiritur ut defensio contineatur intra limites coactivitatis iuris, nam agitur de vindicando iure aliquo coactive.

Quod ut obtineatur, requiritur in *genere* ut servetur debita proportio inter defensionem et aggressionem, et ut illa defensio sit necessaria.

In specie vero *hae quattuor* conditiones requiruntur:

1. *Actualis aggressio,* saltem moraliter loquendo; non ergo licet occidere aggressorem post aggressionem, si tunc adest iam securitas, hoc enim esset vindicta non defensio; neque sufficit sola voluntas aggrediendi vel insidias esse positas. Difficile est plerumque in praxi determinare quandonam aggressio dicenda sit iam actualis, datis armis modernis ad aggressionem perpetrandam.

2. *Iniusta aggressio* sive formaliter, sive tantum materialiter. Fusius exponemus in scholio doctrinam de aggressione materialiter iniusta, quae casus difficiliores offert.

3. *Necessitas mortis aggressoris* ad propriam defensionem. Alia ergo media, si possibile est, prius sunt tentanda ad defendendum ius proprium. Si absque gravi incommodo possum me defendere fuga, ad hanc generatim tenebor, si sufficit vulneratio plus minusve gravis, hac contentus esse debeo; si adhuc perdurat aggressio, possum usque ad mortem procedere. Haec theorice. Nam *practice,* hodie saltem datis armis et methodis ad occidendum adhibitis, vituperari non potest, qui in necessitate versatus, aliquantulum in coactione se excedit, nam tempore actualis aggressionis neque tempus neque animi tranquillitas adest ad illa adiuncta bene expendenda.

4. *Permissio mortis aggressoris,* non vero eiusdem intentio saltem ut finis. Nam finis intentus unice debet esse propria defensio. Disputatur utrum liceat intendere mortem alterius ut *medium* si illud sit necessarium ad propriam defensionem. S. THOMAS id *negare* videtur, eo quod non sit necessarium hoc ad propriam defensionem (2-2 q.64 a.7c); *affirmant* tamen alii auctores cum LUGO, MOLINA, VÁZQUEZ, LESSIO, eo quod licitum sit intendere totum id quod necessarium est ad vitae propriae defensionem, et aliquando necessaria est mors aggressoris [8]. Hoc secundum videtur mihi probabilius.

650. Status quaestionis. 1. In thesi agimus de aggressione *actuali,* saltem moraliter; de *iniusta,* specialiter de for-

[8] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.6 n.148-151.

maliter iniusta; sed etiam de materialiter iniusta, et quaeritur utrum in hoc casu possimus nosmetipsos defendere etiam occidendo iniustum aggressorem, si sit necesse.

651. Sententiae. 1.ª *Aliqui antiqui moralistae* dicebant sese defendere contra iniustum aggressorem usque ad occisionem aggressoris esse *semper illicitum,* etsi non iniustum, eo quod iniustus aggressor hoc modo aeterna beatitudine privaretur cum in peccato mortali moriatur praecise propter suam iniustam aggressionem.

2.ª *Alii auctores* concedunt licitam esse defensionem cruentam contra aggressorem *formaliter iniustum,* id tamen negant si agatur de aggressione solum materialiter iniusta.

3.ª *Nostra sententia.* Nos dicimus defensionem usque ad occisionem aggressoris esse licitam cum sit *necessaria* ad salvandam vitam vel aliud bonum vitae aequivalens, secus non daretur proportio inter malum aggressori infligendum et bonum defendendum. In scholio aliquo dicemus quaenam sint bona vitae aequivalentia.

Non tamen omnia eadem certitudine defendimus, sed sequenti gradatione: *a*) *ut prorsus certam* thesim si agatur de aggressione formaliter iniusta, et attendamus solummodo ad aspectum iustitiae; *b*) ut certam *certitudine morali lata,* si agatur de aggressione materialiter tantum iniusta, et solum sub aspectu iustitiae; *c*) si agatur de aggressione formaliter aut materialiter iniusta, sub aspectu solum caritatis, *ut valde probabiliorem;* in aliquibus casibus dubitari potest de liceitate utendi iure proprio.

652. Probatur. *Ex coactivitate iuris, et ex bono sociali* [4].

Qui aliquo iure praeditus est, ius quoque habet illud, si necessarium sit, defendi per viam contra iniustam aggressionem, maxime si hoc exigatur a bono communi. *Atqui*: *a*) homo praeditus est iure ad vitam, *b*) quandoque necesse est illud defendere per vim contra iniustam aggressionem, *c*) et hanc defensionem cruentam exigit bonum commune. *Ergo* homo licite potest se ipsum defendere ab iniusta aggressione etiam per vim.

Mai.: Ex thesi de coactivitate iuris (cf. n.545); ibi probabimus ius generatim esse coactivum, normamque ad diiudicandum quandonam sit coactivum necne esse bonum societa-

[4] Cf. Van Hove, A., *Circa quaestionem de defensione occisiva contra iniustam aggressionem:* EphThLov 6 (1929) 655-664.

tis. Si vero aliquod ius debet esse coactivum erit hoc summum et radicale ius ad vitam. Neque obstat quod coactio generatim sit penes auctoritatem publicam, ibi etiam vidimus nonnumquam in casu urgenti iura posse etiam a particularibus vindicari, hoc vero postulari a bono communi; numquam vero casus erit urgentior, quam cum ipsa vita periclitetur.

Min.: a) *Quoad primum* evidens est; nam hoc est fundamentum omnium iurium, quae in homine dantur; b) *Quoad secundum* patet experientia, nam plerumque impetitur ab iniusto aggressore v.c. a latrone, ab hominibus facinerosis; c) *Quoad tertium* constat nam secus quo innocentes fidelius se abstinerent a defensione cruenta iurium propriorum, eo magis cresceret audacia improborum et nemo securitatem ullam habere posset.

N. B. Haec probatio est omnino *generalis;* proinde in cruenta defensione potest se extendere usque dum sit necesse, usque ad ipsam mortem aggressoris iniusti, si haec sit necessaria.

653. DICES: Aggressor etiam habet ius ad suam vitam et incolumitatem. *Ergo* nequit licite laedi in hoc suo iure.

Resp. Ius sese defendentis est fortius iure aggressoris, praecise propter ipsam aggressionem, et per illam producitur illa collisio iurium in qua utrumque simul consistere nequit; proinde debet praevalere ius fortius. Praeterea aggressor habet aliud medium ad suum ius defendendum, nempe ab aggressione desistere. Neque in hoc casu datur usurpatio dominii exclusivi Dei in vitam hominis; nam Deus concedendo coactivitatem iuris et efficacitatem defensionis, tribuit etiam simul illam potestatem moralem, quae sit naturaliter necessaria ad talem defensionem.

654. Scholion. 1. De statu aggressionis perennis [5]. Ita vocari potest aggressio: 1) quae nec sit actualis, nec solum possibilis aut probabilis, sed *moraliter certa,* etsi actu non fiat (quoad *tempus);* 2) nec sit unius personae contra aliam vel paucas, sed potius personarum *unius factionis politico-socialis* anarchicae contra personas sacras aut probas (quoad *personas);* 3) *tam frequens et quotidiana* ut vita vel bona personarum probarum in vero periculo mortis vel destructionis versentur; 4) cum *recursus ad auctoritatem* socialem sit prorsus inutilis, quia ipsa vel non vult, vel non potest iura horum subditorum protegere, eo quod et ipsa ad partem politicam aggressorum pertineat.

In hoc casu existimamus homines habere ius ab ipsa lege naturali concessum, ad illam defensionem quae et in quantum sit necessaria ad vitandam talem iniustam aggressionem.

Iam vero, nisi hoc ius inutile esse velimus, debet extendi ad praeveniendam actualem aggressionem, etiam ad occidendum rectores et

[5] Cf. PELAYO DE ZAMAYÓN, *El derecho a la defensa en caso de agresión permanente:* RevEspTh 2 (1942) 691-726; LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.7 n.161.

vere responsabiles illarum partium politicarum anarchicarum, quin ad physice actualem aggressionem spectare teneamus.

655. 2. De aggressione materialiter tantum iniusta. Probationes theseos valent eodem modo contra hunc aggressorem; nam ius sese defendentis ad damnum necessarium et proportionatum infligendum quolibet casu se extendit. Si aggressio est tantum materialiter iniusta, tunc ius aggressoris ad vitam propriam iuri sese defendentis cedere debet non ex culpa aggressoris, sed ex suo infortunio; nam in illa collisione iurium fortuito orta, vel absque culpa ulla theologica non est cur defendens ius proprium non exerceat.

Per accidens in quibusdam casibus non ex iustitia, sed ex caritate, forte quis debeat renuntiare huic iuri, scilicet cum prudenter existimat se in statu gratiae inveniri, aggressorem vero in statu peccati mortalis, v.c. si agatur de aliquo bibulo, qui deinde, si nunc non occidatur, occasionem efficacem habebit e peccato exeundi; in hoc casu, cum aggressor in extrema necessitate spirituali inveniatur, eidem aggressus sucurrere debere videtur, etiam cum iactura propriae vitae temporalis. Haec vero adiuncta rarissime verificabuntur [6]. Licet etiam se defendere seu tueri vitam, quamvis proprie non sit aggressivus actus alterius, modo quis habeat ius ponendi talem actionem, quamvis per accidens mors innocentis sequatur [7].

656. 3. De defensione bonorum cum vita comparabilium. Cum iniuste impetantur bona ex natura sua, vel ex iudicio communi hominum cum vita comparabilia licet etiam eadem defendere usque ad aggressoris iniusti occisionem, iisdem conditionibus et propter eamdem rationem ac cum de vita agitur. Quaestio enim etiam in hoc casu est de exercitio coactivitatis in defensione iuris cum inflictione damni necesarii et proportionati.

Si vero bona quae periclitantur cum vita non sint comparabilia eorum defensio usque ad iniusti aggressoris occisionem non erit licita ex defectu proportionis.

BONA VITAE AEQUIPARABILIA haec praecipue numerantur: a) *Inter bona animae*: mens sana, libertas physica; b) *Inter bona corporis*: mutilatio quae secum ferat periculum mortis, aut miseram vitam; pudicitia [8]; c) *Inter bona fortunae:* quae sint necessaria ad sustentationem hominis aggressi, vel eiusdem familiae, bona magno labore pro diebus senectutis vel infirmitatis comparata, vel pro sua familia, vel pro sustentatione in statu vitae proportionato necessaria...

Si vero agatur de bonis infra talem aestimationem licet illa defendere vi proportionata, et si in conflictu inde exoriente vita aggressi periclitetur, tunc licita erit defensio vitae usque ad occisionem aggressoris [9].

657. 4. De defensione alterius contra iniustum aggressorem. Argumentum valet etiam pro hoc casu; tunc enim merito possumus praesumere aggressum nobis communicare ius suum coactivum quoad exercitium eiusdem. Per accidens tamen si aggressor sit persona valde nobiscum coniuncta, talis occisio erit ex parte nostra illicita.

---

[6] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.6 n.143.
[7] Cf. LUGO, *o.c.* n.127-129.
[8] Cf. LUGO, *o.c.* n.195ss.
[9] Cf. LUGO, *o.c.* n.174ss.

Tamen numquam datur obligatio alium defendendi usque ad occisionem aggressoris, neque ex iustitia, quae solummodo postulat ne nos vitam alterius impetamus; neque ex caritate, nam ordinarie hoc facere non poterimus sine gravissimo nostro incommodo et cum periculo propriae vitae. Per accidens tamen potest adesse haec obligatio ex circumstantiis specialibus, v.c. si quis sit minister auctoritatis publicae ad hoc constitutus, vel aggressus sit nobiscum valde coniunctus vel persona bono communi necessaria [10].

658. 5. **De occisione aliorum mediante vindicta populari** (lynch-law). Sic appellatur (linchamiento) mors violenta illata privata auctoritate multis simul intervenientibus alicui de crimine capitali accusato, vel etiam se ipsum reum confitenti, sive post iudicium et sententiam iudicis, sive ante ipsam. Haec praxis ut omnino illicita reiicienda est, quia est usurpatio exercitii auctoritatis publicae, et magnis abusibus exposita.

Ad vitandas has occasiones, officium utique auctoritatis publicae est vitare, quantum possibile sit, odiosas moras in exsecutione sententiarum, et inefficacitatem in vindicatione iurium subditorum [11].

Similiter ut omnino illicita est reiicienda, supponendo tribunalia publica esse constituta, mors ab hominibus privatis illata aliis etiamsi re vera poena mortis sint digni, quin tamen sententia iudicialis praecesserit, quae methodus vulgariter cognoscitur cognomento *paseo* [12].

659. **Obiectiones.** 1. Non licet facere malum ob finem bonum. *Atqui* qui occidit alium ob sui defensionem facit aliquod malum ob finem bonum. *Ergo* nequit licita esse occisio iniusti aggressoris ob sui defensionem.

Resp. Dist. mai.: malum morale, *conc.;* malum physicum, *subd.:* simul cum iniuria, *conc.;* absque illa, iterum *subd.:* intendendo malum ut finem, *conc.;* illud solum permittendo, vel intendendo ut medium necessarium et proportionatum ad efficacem iuris nostri defensionem, *neg. Contrad. min.*

2. Christiani habent officium non repellendi malum malo, etiam cum hoc sit necessarium. *Ergo* neque cum hoc sit necessarium erit licitum.

Resp. Dist. antec.: habent officium ex iustitia, *neg.;* ex caritate *subd.:* habent strictam obligationem, *neg.;* habent consilium, si maiori et heroica perfectione uti velint, *subd.:* generatim, *conc.;* semper, *neg.*

3. Mors iniusti aggressoris semper coniungitur cum eiusdem aeterna damnatione. *Atqui* salus aeterna alterius semper est praeferenda saluti temporali propriae. *Ergo* semper adest stricta obligatio non sese defendendi ab iniusta aggressione usque ad occisionem aggressoris.

Resp. Dist. mai.: et ille qui sese defendit est causa per se damnationis aeternae aggressoris iniusti, *neg.;* est causa per accidens seu occasionalis, *conc. Contrad. min.:* est praeferenda ex iustitia *neg.;* ex caritate, *subd.:* in casu extremae necessitatis, et purificatis

---

[10] Cf. LUGO, *o.c.* n.216-217.

[11] Cf. CAVALLI, F., *Condizioni dei negri negli Stati Uniti d'America:* CivCatt (1948,1) 374-376.

[12] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.2 n.65.

omnibus conditionibus caritatis bene ordinatae, i.e. cum quis certus est de proprio statu gratiae, de conversione futura alterius... qui casus rarissime accidet, *conc.;* in omnibus casibus, *neg.*

4. Occisio alterius laedit ius inalienabile aggressoris ad vitam propriam. *Atqui* hoc ius nequit amitti nisi culpa propria quae non datur in aggressore solum materialiter iniusto. *Ergo* saltem in hoc casu non est licitum sese defendere usque ad occisionem aggressoris.

Resp. Dist. mai.: ius inalienabile propria auctoritate, *conc.;* ab ipsa natura seu a Deo in casu conflictus iurium, *neg. Neg. min.* ut diximus in scholio 2.

5. In occisione alterius usurpatur ius exclusivum Dei in vitam hominum, quam propria auctoritate quis destruit. *Atqui* hoc semper est illicitum. *Ergo* numquam licet se ipsum defendere ab iniusta aggressione usque ad occisionem aggressoris.

Resp. Neg. mai. Nam in hoc casu utimur iure ab ipso Deo concesso per legem naturalem ad defendendum nostrum ius aliter indefendibile.

ARTICULUS IV

De officiis mutuis erga famam et honorem

§ 1. De defensione famae et honoris

Thesis 34. Illicitum est ad famae et honoris defensionem alium vulnerare vel occidere.

S. Th., 2-2 q.73 a.1-2; Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.10 n.189-191; d.14 s.1; Cathrein, *Filos. morale* v.2 p.108ss.

660. Nexus. Vidimus adesse quaedam bona, quae existimatione communi vitae comparantur, quae proinde cruente eodem modo defendi possunt ac ipsa vita. Nunc volumus investigare utrum inter haec honor et fama sint numerandi.

661. Notiones. Fama: *in genere* (a fando) idem est ac modus *quo homines de nobis loquuntur.*

Strictus vero dicitur *iudicium multorum de nobis ac de nostris rebus.* Ad famam per se requiritur ut sint multi qui illud iudicium circa nos efforment; iudicium tamen unius accipi solet ut fama partialis et inchoativa.

Divisio. Potest esse: a) *Bona,* quae simpliciter fama appellatur, ac recte definiri potest: bona aestimatio quam quis de aliquo habet propter aliquod bonum, seu propter quamlibet perfectionem in illo exsistentem, v.c. virtutem, sapientiam, ingenium, eloquentiam, nobilitatem, dexteritatem, divitias,

pulchritudinem. Huic opponitur *contemptus,* seu mala aestimatio. b) *Mala,* est mala aestimatio quam quis de alio habet.

662. HONOR: est *bona fama exterius manifestata,* vel testificatio bonae aestimationis, quam de aliquo quis habet. Honori opponitur *contumelia,* quae est iniusta laesio honoris alieni per significationem contemptus.

Potest sumi: a) *Praecisive,* prout a fama distinguitur, quo in casu complectitur solum manifestationem externam bonae opinionis, praescindendo ab interna aestimatione, et forte contra illam per hypocrisim. b) *Complete,* prout includit bonam famam et manifestationem externam eiusdem. Ita intellectus est quid maius quam sola fama; non vero si sumatur praecisive.

663. Necessitas famae et honoris. In societate generatim bona fama atque honor sunt necessarii ad fidem aliorum conciliandam, ad commercium sociale cum aliis ineundum, ad eorum operam, cum sit necesse, expetendam, ad eorum officia demandanda. Praeterea bona fama est magnum praesidium contra vitia, ut constat experientia.

Inde patet bonam famam et honorem quaerere esse non solum licitum sed generatim obligatorium. Cum tamen bona fama non sit simpliciter et pro omni casu necessaria, aliquando potest quis non teneri ad restitutionem famae laesae procurandam, neque ad eiusdem laesionem impediendam. Patet etiam omnes habere ius non solum ut non impediantur in acquisitione bonae famae, sed etiam ut in illa iam acquisita non laedantur.

664. Quomodo possint laedi. 1. FAMA potest laedi: a) *Mere interne* cum quis temerarie, i.e. absque sufficienti ratione dubitat, suspicatur, opinatur, aut iudicat de honestate vel bonitate alterius. *Iudicium temerarium* est iudicium firmum circa aliquem proximi defectum infamantem sine sufficienti ratione. Ut sit peccatum grave requiritur ut sit: 1) plene deliberatum; 2) de malo alterum graviter diffamante; 3) ut rationi manifeste insufficienti innitatur.

b) *Externe* per *detractionem,* i.e. per occultam et iniustam violationem famae alterius. Si vero illud, quod imputatur, falsum est, habetur *calumnia,* si vero est verum iniuste tamen et occulte revelatur, datur *detractio* in sensu stricto.

2. HONOR laedi potest vel *ipse solus,* vel *simul cum bona*

fama per *contumeliam*. Haec vero laesio fieri potest *verbis, signis*, vel *factis;* unde tot species contumeliae: verbalis, realis, symbolica.

665. Status quaestionis. 1. Clare patet quid quaeramus in thesi, nempe utrum possimus defendere cruente famam vel honorem.

2. Supponimus agi de sola defensione horum; nam si simul vita nostra vel aliquod bonum eidem aequivalens impeteretur tunc valeret thesis praecedens.

666. Sententiae. 1.ª Non desunt qui affirment licitam esse cruentam defensionem, vel reparationem horum bonorum, maxime modo thesi sequenti indicando.

2.ª Responsio vero omnino certa est *negativa,* nempe semper esse illicitam horum cruentam defensionem.

Notemus locum esse non posse defensioni iniuriae iam illatae, nam defensio, ex sua definitione, est tentamen ad reppellendam actualem aggressionem.

667. Probatur. *Eo quod non dentur conditiones necessariae ad defensionem iustam.*

Defendere famam vel honorem alium vulnerando vel occidendo generatim caret moderamine inculpatae tutelae. *Atqui* si generatim caret moderamine inculpatae tutelae *semper* est illicitum. *Ergo* semper est illicitum famam aut honorem defendere alium vulnerando vel occidendo.

Mai.: Moderamen inculpatae tutelae requirit: *a*) aggressionem actualem; *b*) grave et certum periculum damni gravis; *c*) non adesse aliam viam ad propulsandam iniuriam. Generatim vero non adsunt, saltem simul sumptae, hae tres conditiones. Nam vel: a) *Aggressio non est actualis,* quia detractio vel contumelia, de qua avertenda agitur, aut iam est transacta, aut inferenda est. Si primum non agitur de legitima defensione; si secundum generatim non habetur actualis aggressio.

b) *De gravi damno* ex detractione vel ex contumelia secuturo vix unquam certo constare potest.

c) *Non esse aliam viam* ad defendendam famam vel honorem numquam aut fere numquam certo constare potest.

Min.: Si aliquando licita esset eorum defensio cruenta, esset magnum periculum abusus, cum ruina totali pacis socialis; nam laesiones famae atque honoris valde frequentes esse solent, et est magnum periculum allucinationis in eisdem aesti-

mandis. Bonum ergo commune postulat ut hae laesiones iuris nunquam sint cruente defendibiles a privatis.

668. Obiectiones. 1. Honor est bonum maius aut saltem aequivalens vitae. *Atqui* vita et bona eidem aequivalentia sunt cruente defendibilia. *Ergo* licet famam aut honorem cruente defendere.

Resp. Trans. mai. Conc. min. Sed *neg. cons.* Ratio prohibitionis non desumitur ex eo quod non sint bona vitae aequivalentia; sed ex eo quod vix unquam constare poterit de conditionibus requisitis ad iustam cruentam defensionem; et maxime ex periculo abusus inde proveniente cum gravi detrimento societatis.

2. Ex eo quod sit periculum abusus nequit prohiberi exercitium alicuius iuris re vera exsistentis; secus omnis doctrina damnanda esset, quia in omni doctrina periculum abusus adest. *Ergo* nequit ex hoc capite reiici ius defendendi famam et honorem modo cruento.

Resp. Dist. mai.: si periculum abusus est intrinsecum doctrinae seu per se connexum cum ea, *neg.;* si periculum abusus est mere extrinsecum et accidentale, *conc. Dist. pariter cons.* Periculum abusus est intrinsecum cum ex ipsa natura doctrinae moraliter impossibile est ut quisquam unquam certo cognoscere possit quandonam illam adhiberi liceat, praesertim cum agatur de re in qua difficillimum sit iustos limites non excedere, data hominum cupiditate.

§ 2. **De reparatione honoris per duellum**

Thesis 35. Duellum legi naturali repugnat.

LUGO, *De iust. et iure* d.10 s.8 n.171ss; CATHREIN, *Filos. morale* v.2 p.124ss; NIVARD, *Ethica* p.256ss; *Enciclopedia Universal Espasa,* ad verbum *Duelo;* FOURNERET, *Duel:* DTC 4,1831-1836; RIVERT, *Duel:* DAFC 1,1196-1220; BROWE, *De ordaliis:* Decreta RR. PP. et *Synod.—Ordo et rubricae. Textus et Docum.,* U. P. Gregorianae, s. theol. n.4,11.

669. Nexus. Modus specialis, quo multi existimant famam et honorem posse licite cruente defendi et reparari, est per *duellum,* ideo speciatim de eo mentionem facimus.

670. Notiones. DUELLUM: *est certamen singulare, privata de causa, ex condicto susceptum, cum armis idoneis ad occidendum vel vulnerandum.*

1) *Certamen singulare:* ad hoc requiritur dualitas et paritas personarum; unum contra unum, vel duo contra duos... Sic distinguitur a bello et a pugna, quae inter plures absque determinata proportione habetur.

2) *Privata de causa:* ut discriminetur a duello quod auctoritate publica suscipiatur ad causam publicam dirimendam, v.c. aliquod bellum. Auctoritas publica habet ius vindictae et gladii tum respectu subditorum, tum respectu hostium exter-

norum; ideo ut maiora mala avertat potest permittere duellum in causa publica.

3) *Ex condicto susceptum*: i.e. determinando mutuo consensu tempus, arma, locum; sic distinguitur: a) a *rixa,* quae ex repentino animi aestu oritur, et de aequalitate armorum nihil curat; b) *a legitima defensione* contra aggressorem, quae nihil curat de aequalitate armorum; c) *a bello,* propter arma non ex condicto, et propter finem publicum.

4) *Cum armis ad occidendum vel vulnerandum idoneis*: sic distinguitur praesertim a rixa, quae potest esse certamen singulare privata de causa, ex condicto, sed non cum armis ad occidendum idoneis, v.c. pugnis, fustis.

671. Divisio. 1. RATIONE CONDITIONUM: a) *Decretorium,* si conditio est ut usque ad mortem alterutrius certetur; b) *Propugnatorium* si solum usque ad primum sanguinem vel ad certum numerum ictuum; c) *Satisfactorium,* si offensus dispositus est ad admittendam reparationem a duello distinctam, si haec offeratur.

2. RATIONE SOLLEMNITATUM: a) *Sollemne,* si cum patrinis adhibitis et certa electione armorum habetur; b) *Privatum,* si absque iis sollemnitatibus habetur.

672. Finis. Est reparatio honoris. Notemus solummodo offensum intendere per duellum reparare honorem praecisive sumptum, seu solum illam externam testificationem bonae de alio aestimationis.

Duplex aspectus in duello distingui potest: a) *periculum* vitae vel gravis vulnerationis; b) *formalitas ipsa pugnae,* cui immerito mundana aestimatio quosdam tribuit effectus, v.c. probationem virtutis impugnatae. Aliquando duellum forte sub hoc secundo aspectu intendatur, periculo permisso, secus probatio theseos nullam haberet difficultatem.

673. Status quaestionis. Agitur solum de duello susceptum *privata* de causa; tam de sollemni quam de privato et de omnibus casibus eiusdem, dummodo sit verum duellum, prout in definitione traditum est, non exclusis quae in Germania vocantur *mensurae* inter Universitatum alumnos; immo agimus etiam de duello suscepto iussu auctoritatis publicae pro causa privata sive sit ad implorandum divinum auxilium, ut in *Ordaliis*[1], sive ob quamlibet aliam causam; et quaeritur utrum hoc licitum esse possit.

[1] Cf. ORDALÍAS, *Encl. Espasa.*

674. Sententiae. 1.ª *Hodie pauci* omnino liceitatem duelli defendunt; etsi enim aliqui ad duellum accurrunt ut ad medium aptum ad cogendum adversarium ad reparationem iniuriae factae et ad restituendum honorem laesum, hi casus sunt omnino singulares.

Saec. XIX maxime in Gallia, a qua in reliquis nationibus promanavit, in usu erat ad duellum accurrere ad reparationem honoris quaerendam.

Si historiam duelli inspicimus (cf. v.c. Espasa, *Duelo*) illud in quibusdam institutionibus antiquis fundamentum habere videbimus, maxime in *duellis iudiciariis,* ac in ludis quae vocabantur *Torneos, et Justas.*

2.ª Sententia vero communis et omnino certa sustinet duellum quodcumque prohibitum esse lege naturali.

Ecclesia semper reprobavit duella, etiam illa *iudicia Dei* nuncupata, et *mensuras studentium;* participes duelli excommunicavit[1], mortuos vero in duello aut ex vulnere in illo suscepto sepultura ecclesiastica privavit in quas poenas incurrunt etiam provocantes et acceptantes duellum, cum sententia de duello habendo reservatur tribunali quod dicitur *honoris.* Ipsa damnavit etiam sententiam aliquorum theologorum sustinentium duellum, si a prohibitione Ecclesiae abstractio fieret, non apparere speculative pro omni casu illicitum.

675. Probatur. *Ex periculo vitae absque causa proportionata*[2].

Lege naturali prohibetur: *a*) intendere privata auctoritate periculum vitae propriae vel alienae; *b*) aut illud permittere sine causa proportionata. *Atqui* in duello aut periculum vitae intenditur, aut saltem illud permittitur sine causa proportionata. *Ergo* duellum legi naturali repugnat.

Mai.: Quia non sumus domini vitae nostrae neque alienae; unicus dominus est Deus, ut probatum est in thesi de suicidio (n.599).

Min.: a) *Aut intenditur periculum vitae.* Nam duellans duellum admittit, ut fortitudinem suam vel potius suam audaciam ostendat, ne ignavus habeatur, et tunc intendit ipsum periculum vitae, nam absque illo non ostenderetur audacia.

b) *Aut illud permittitur sine causa proportionata*: Nam saltem duellans intendit formalitatem pugnae, permisso periculo vitae, propter effectum bonum, qui aut non obtinebitur, aut saltem obtinebitur non aeque immediate ex actione

[1] IC c.2351.
[2] Cf. NIVARD, *Ethica* p.257.

ac effectus malus, sed mediante hoc effectu malo; ac proinde non datur ratio sufficiens permittendi hunc effectum.

Nam: a) *Effectus malus* duelli est periculum vitae, qui immediate sequitur ex duello, ut patet.

b) *Effectus bonus* varius esse potest, scilicet:

1) *Reparatio honoris* imposita in ipsa formalitate pugnae: sed actus duelli de se est ineptus ad hunc effectum producendum et sine necessitate exponit offensum ictibus ipsius offensoris. Praeterea ad privatos non pertinet reparationem violentam imponere.

2) *Legitima defensio,* mediante duello; sed iniuria iam est transacta et nequit impediri; proinde non est locus defensioni [3].

3) *Timor incusus ad praecavendas novas iniurias*: sed hoc periculum est remotum, et hoc modo iniuriae plerumque non modo non praecavebuntur, sed e contra; nam multi non modo non timebunt duellum, sed audaciores fient, si semper hoc medium habeant ad aestimationem apud alios servandam vel recuperandam.

4) *Restitutio aestimationis, mediante duello,* sive ex parte offensoris, vi armorum coacti, sive ex parte aliorum hominum, qui duellum habebunt ut probationem virtutis vel excellentiae impugnatae: arma tamen mentem mutare nequeunt et ad summum per ipsa mendacium obtinebitur, ac cum duellum aeque probo atque improbo faveat nihil probare potest [4].

5) *Conservatio communis commercii, muneris...* mediante restitutione aestimationis; sed tunc effectus bonus adhuc remotius obtinebitur.

676. Duellum ergo est: a) *Contra legem naturalem,* quia datur periculum vitae propriae vel alienae sine iusta causa. b) *Contra rationem,* quia est medium omnino ineptum ad honoris restitutionem. c) *Contra societatem,* quia admittit ut licitum ius vindictae privatae, quod solum ad societatem pertinet. d) *Contra iustitiam,* nam propter offensam, quae poenam mortis non meretur, periculum ipsam infligendi incurritur.

Ergo qui in duello occiditur est reus suicidii; qui alterum occidit est reus homicidii.

677. Scholion. 1. Quae diximus valent, quamvis duellum non sit ad mortem; nam simul prohibetur periculum vitae et gravis corporis mutilationis.

2. Quae dicta sunt eodem modo valent de duello suscepto pu-

[3] Lugo, *De iust. et iure* d.10 s.8 n.173.
[4] Lugo, *o.c.* n.171-172.

blica auctoritate sed in *causa privata* quia auctoritas non potest ad libitum de vita aut de integritate subditorum disponere, sed debet inquirere et iudicare ex facta inquisitione puniendo reum, liberando innocentem. Innocens vero qui secus morte damnabitur, potest acceptare duellum, nam est unicum medium defendendi propriam vitam ab iniusta aggressione[5].

3. Quae diximus valent etiam de *duello studentium,* quae in Germania frequentiora sunt; quia etsi cautiones aliquae adhibeantur, sic, v.c. ensis minor esse solet, praeter caput reliqua corporis membra bene proteguntur ut vulnus in facie unice accipiatur, adhuc laesiones, et forte graves, sunt possibiles, secus in illis virtus non ostenderetur; secundo quia parant animum ad duellum proprie dictum.

4. Non repugnat ut per accidens in particularibus adiunctis honor non possit ullo legitimo medio recuperari; hoc in omnibus iuribus accidit.

678. Obiectiones. 1. Licet adhibere medium aptum et unicum ad honorem reparandum. *Atqui* duellum saepe est medium aptum et unicum ad honorem reparandum. *Ergo* duellum aliquando est licitum.

Resp. Dist. mai.: si praeterea nullo alio capite sit illicitum, *conc.,* secus, *neg. Contrad. min.* Praeterea possum negare duellum esse medium aptum ad finem intentum.

2. Ratio propter quam prohiberetur esset, quia in duello effectus bonus non aeque immediate sequeretur ex actione ac effectus malus. *Atqui* licet vitam exponere (effectus malus) propter bonum non aeque immediate secutum ex actione quam effectus malus. *Ergo* in duello salvantur conditiones requisitae ad cruentam licitam defensionem.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

3. *Prob. min.*: In bello licet se exponere periculo vitae ad salvandam patriam. *Atqui* salus patriae non aeque immediate sequitur ex actione pugnandi ac effectus malus, qui est periculum vitae. *Ergo* licet vitam exponere propter bonum non aeque immediate secutum ex actione ac effectus malus.

Resp. Dist. mai.: hoc licet ex publica auctoritate aut in casu actualis aggressionis, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*: ita ut ex publica iussione iam actio ipsa pugnandi sit effectus bonus, i.e. actus defendendi patriam, vel obedientia heroica, quae immediate praestatur, *conc.;* secus, *neg.* Duellum e contra non est protectio honoris nisi ex vana fictione.

4. Potest quis ad salvandum suum honorem privatum, v.c. ex nota ignaviae, ex defectu patriotismi, intendere periculum vitae in bello iusto. *Atqui* in hoc casu effectus bonus intenderetur mediante effectu malo. *Ergo* etiam in causa privata licet etiam permittere vel intendere effectum malum, qui non aeque immediate sequatur ex actione.

Resp. Conc. mai. Neg. min. Nam in bello iusto, ut dictum est, effectus malus, seu periculum vitae iam cohonestatur ex alio capite; et potest etiam intendi, dummodo retineatur primaria intentio

[5] LUGO, *o.c.* n.173.

belli, nempe protegere vel vindicare patriam, quo non violatur ius supremum Dei in vitam hominis.

5. Licet duellum suscipere ad honorem publicum salvandum. *Ergo* a pari ad salvandum honorem privatum.

Resp. Conc. ant. Neg. cons. et paritatem; nam duellum publicum fit auctoritate publica quae habet ius puniendi hostes etiam usque ad mortem.

6. Non repugnat duces supremos inire duellum inter se ad cessationem belli. *Ergo* a pari non repugnat duellum privatum ad dirimendum conflictum privatum.

Resp. Conc. ant. Neg. cons. et paritatem. Eadem et solutio ac in difficultate praecedenti; privati non habent ius gladii, ut auctoritas civilis.

7. Qui sunt sui iuris possunt periculum vitae adire. *Atqui* extra civitatem omnes essent sui iuris. *Ergo* saltem extra civitatem licitum erit duellum.

Resp. Dist. mai.: si essent independentes etiam a dominio Dei, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

8. Moralistae admittunt legitimitatem defensionis cum armis ab aggressore oblatis. *Atqui* in hoc casu datur duellum. *Ergo* saltem hoc duellum est licitum.

Resp. Conc. mai. Neg. min.; tunc non esset duellum.

SECTIO II

Quaestio oeconomico-socialis

BIBLIOGRAPHIA. Ingens habetur pro hoc capite. Indicabimus solummodo praecipua opera generalia, in quibus, qui velit, uberiorem inveniet. Deinde pro unaquaque thesi particularis tradetur.

1. **Ex documentis pontificiis.** ENCYCLICAE: a) *Rerum novarum* LEONIS XIII, de conditione opificum (16-V-1891): ASS 23 (1890-1891) 641ss; b) *Quadragesimo anno*, PII XI, de quaestione sociali, seu de restauratione ordinis socialis (15-V-1931): AAS 23 (1931) 177-228; c) *Caritate Christi compulsi*, PII XI, de crisi sociali et religiosa humanitatis (3-V-1932): AAS 24 (1932) 177-194; d) *Divini Redemptoris*, PII XI, de communismo atheo (19-III-1937): AAS 29 (1937) 65-106.

N. B. Omnia haec documenta ac multa alia habentur in versione hispana in iis collectionibus: *Colección de Encíclicas* edita ab A. C. E., 3 ed. (Madrid 1948), *Direcciones Pontificias* edita a Fomento Social, 7 ed. (Madrid 1950).

2. **Ex commentariis harum Encycl.** Magnopere inservient ad rectam intelligentiam harum Enc. *aliqua commentaria ipsarum.* Optima sunt v.c. a) *Commentaire practique de l'Enc. "Rerum novarum", factum a* L'ACTION POPULAIRE (Paris, Spes, 1932); b) *La Encíclica "Quadragesimo anno": Comentario práctico por preguntas y respuestas, publicado en francés por* L'ACTION POPULAIRE, *totalmente refundido y puesto al día por* J. AZPIAZU, 2 ed. (Madrid 1948); c) *La Encíclica "Quadragesimo anno". Texto y comentario,* por N. NOGUER, 2 vol., Biblioteca de Cuestiones Actuales de RazFe (Madrid 1934); d) NELL BREUNING, O., *Die soziale Enzyklika* (Koln 1932); e) C. G. RUTTEN, O. P., *La doctrina social de la Iglesia,* versio hispana a C. FERNÁNDEZ (Barcelona 1935).

3. **Ex operibus socialibus generalioribus.** Etsi non sint stricte commentaria Encyclic. magnopere adiuvant ad doctrinam socialem recte intelligendam; a) *Código Social de Malinas,* 2 ed. trad. española por J. AZPIAZU (Madrid 1935); Invenitur etiam ut appendix apud RUTTEN, in opere antea citato, et apud; b) GANDÁSEGUI, J. M., *Política Social Cristiana:* Fomento Social (Madrid 1941); c) VILA CREUS, S. I., *Manual de Orientaciones sociales:* Fomento Social (Madrid ed. 3, 1946); PITARQUE, *La cuestión social. Solución* (Tortosa 1947); DAUPHIN-MEUNER, A., *La doctrine economique de l'Eglise* (Paris 1950).

4. **Ex oeconomiis socialibus.** Omnes quidem agitant hanc rem, speciali vero commendatione dignae sunt: *a)* ANTOINE-DE PASSAGE, *Cours d'économie sociale* (Paris 1921); *b)* FALLON-RODA, F., *Economia Social,* vers. hispana (Barcelona 1933); *c)* LLOVERA, J., *Tratado elemental de sociología cristiana* 7 ed. (Barcelona 1934); AZPIAZU, J., *Sociología económica cristiana:* Fomento Social (Madrid 1949); *e)* TALLADA, I. M., *Economía política* (Barcelona 1945); *f)* MULLER, A., *Économie politique,* 2 vol. (Paris 1933-1938); *g)* ARNOU, A., *Éléments d'économie politique* (Paris, Spes, 1950).

5. **Ex operibus specialibus.** Inter haec, quae innumera sunt, eminent; *a)* GARRIGUET-LARRAMENDI, *La propiedad privada* (Madrid); *b)* NOGUER, *Cuestiones candentes sobre la propiedad y el socialismo* (Madrid 1934); *c)* LECLERQ, J., *Leçons de droit naturel* v.4 2p: *Travail, Proprieté* (Namur 1937); *d)* CATHREIN, V., *Filosofía morale* v.2 p.134-374; TONNEAU, *Proprieté:* DTC 13,757-846.

6. **Ex historiis doctrinarum oeconomicarum.** Maxime commendandae sunt; *a)* GIDE-RIST, *Historia de las doctrinas económicas,* versio hispana a C. MARTÍNEZ, 2 ed. (Madrid, Reus, 1947); *b)* GONNARD, *Historia de las doctrinas económicas,* vers. his. a CAMPO MORENO (Madrid, Aguilar, 1938); CONRAD, I., *Historia de la Economía* (Madrid 1946).

679. Praenotanda. Haec sectio momentum speciale habet; quaestio enim socialis nostris temporibus magnopere exagitatur; ideo accurate, quantum sit possibile, pertractanda est. Claritatis causa exponemus in primis notiones generales circa ius proprietatis, quod est centrum quaestionis, deinde diversas doctrinas: liberalem, socialistam, communistam, rectam, examinabimus.

CAPUT I

Generaliora de iure proprietatis

ARTICULUS I

Fundamentum iuris proprietatis

680. Finis bonorum materialium. Homo, cum sit naturaliter imperfectus, perfectibilis tamen, finem a Creatore sibi impositum assequi nequiret sine recursu ad instrumenta, quae Divina Providentia eidem liberaliter concessit. Omnia bona huius mundi propter ipsum hominem sunt creata; horum omnium dominus supremus Deus est. Ipse tamen omnia ad servitium hominum et quidem omnium hominum posuit, ut homines illis iuxta proprias necessitates, tamquam mediis ad assecutionem finis ultimi illorum, uterentur.

681. Medium aptius obtinendi huiusmodi finem. Nunc oritur quaestio: quomodo finis omnium harum rerum obtinebitur et quidem stabilius? Quid faciendum ut res omnibus hominibus inserviant? Recta ad hanc quaestionem responsio prae oculis in primis habere debet naturam harum rerum; tales enim natura sua sunt ut generatim absque praevia aliqua praeparatione non sint utiles; ante consumptionem opus est producere: colere, laborare, administrare, *verbo*, facere fructificare.

Quisnam vero huiusmodi functionis oeconomicae curam habebit? Seu quisnam erit agricola, industrialis, mercator...? Privati, collectivitas aliqua, an Status? Si primi, habebimus regimen proprietatis privatae; si vero Status vel collectivitas aliqua, habebimus regimen plus minusve collectivum.

Facile erit probare primatum administrationis privatae, quo facto conclusio erit plana, nempe proprietatem privatam

esse institutionem legitimam, seu divinae dispositioni circa res huius mundi conformem et ab ipsa imperatam.

682. Alia deinde est quaestio subsidiaria, legibus positivis determinanda, definire nempe quibus mediis in circumstantiis ordinariis proprietas privata circa rem aliquam in concreto stabilienda sit, seu determinare quomodo illud ius naturale circa proprietatem privatam in praxim sit reducendum, utrum, v.c. occupatione, an labore, an successione, an donatione...

Ex hoc vero aliqua exsurgit difficultas: cum enim proprietas privata ceteros ab usu rerum, quae ut propriae possidentur, excludat, quomodo finis naturalis omnium rerum creatarum salvatur, adiuvandi nempe omnes homines in assecutione finis ultimi illorum? Quomodo hoc pacto res omnes omnibus prorsus hominibus inservient?

683. Quaestionis momentum et difficultas. Ex una parte salvanda est proprietas privata ut fundamentum inamobibile societatis, ex alia autem removendus est abusus proprietatis privatae, cui procul dubio in hodiernis societatibus tot mala socialia debentur, ut v.c. ingens accumulatio bonorum in manibus paucorum ac summa miseria apud multitudinem, classium discordia, et continuae perturbationes sociales.

Hinc non immerito doctrina circa proprietatem centrum quaestionis socialis est dicenda.

ARTICULUS II

NOTIONES ET DIVISIONES PROPRIETATIS

684. Proprietas sumi potest: 1) *Obiective*: seu illa res quae ad aliquem ut sua pertinet, v.c. domus, ager, pecunia.

2) *Subiective*: seu ius proprietatis. In hac acceptione definiri solet: *ius perfecte disponendi de bonis materialibus intra limites legis.*

In philosophia morali fere semper proprietas in hoc sensu intelligitur; ideo oportet illum bene declarare.

1. *Ius*: seu facultas moralis ad aliquid (cf. n.526).

2. *Disponendi perfecte*: se extendit ad usum et ad consumptionem rerum, quarum quis est proprietarius; ideo in iure romano definiebatur proprietas *ius utendi, fruendi et*

abutendi, hoc postremo verbo intelligendo non ius ad libitum dilapidandi, sed ius consumptionis rerum. Hoc clare in nostra definitione exprimitur cum additur *perfecte*, i.e. plene, cum exclusione ab omni humana dependentia; in usu huiusmodi iuris proprietarius solummodo a Deo dependet.

3. *De bonis materialibus*: hoc verbo obiectum iuris proprietatis indicatur, scilicet quidquid homini utile esse possit, nec sit persona.

4. *Intra limites legis*: iis verbis indicamus proprietatem intra aliquos limites contineri debere, nempe intra legem. Cum vero haec expressio generalis sit, intelligitur tam lex naturalis, quam positiva, sive divina sive humana. E quibus patet adesse aliquam restrictionem in proprietate sive ab ipsa natura, sive a bono sociali impositam.

685. Divisio proprietatis. 1. RATIONE DOMINII potest esse: a) *Perfecta*, si quis habet dominium perfectum rei, seu se extendens saltem ad substantiam ipsam rei; perfectior erit si se extendat etiam ad fructus et ad usum.

b) *Imperfecta*, si quis habet solum dominium indirectum, seu utile, se extendens ad usum vel ad fructus rei, non vero ad ipsam substantiam.

Proprietarius stricte ille solus dicitur qui habet proprietatem perfectam.

686. 2. RATIONE OBIECTI potest esse: a) *Mobilis*, si sunt res mobiles seu facile transportabiles ex uno in alium locum, v.c. animalia, libri.

b) *Immobilis*: si sunt res non transportabiles v.c. domus, ager.

Tituli repraesentativi bonorum immobilium, v.c. reditus super Statum, actiones atque obligationes negotiorum industrialium, ex conventione numerantur intra proprietatem mobilem.

c) *Rerum fungibilium*: illae res vocantur fungibiles in quibus solum attenditur quantitas et qualitas non vero res individua, v.c. vinum, frumentum, pecunia; dicuntur fungibiles quia una res fungi potest vice alterius eiusdem speciei.

d) *Rerum non fungibilium*: non fungibiles vocantur illae res in quibus res ipsa individua attenditur, v.c. equus, domus, currus automobilis.

e) *Bonorum consumptivorum*: si bona immediate ad

usum vel consumptionem destinantur, v.c. panis, vestis, domus in qua quis habitat.

f) *Bonorum productivorum*: si bona immediate destinantur ad productionem aliorum bonorum, v.c. machinae, pecunia ad disponendam quamdam industriam.

N. B. Aliqua bona possunt considerari ut productiva vel ut consumptiva, v.c. *oleum* prout inserviat ad illuminationem, ad condimentum alimentorum, vel ad movendam aliquam machinam industrialem; domus prout inserviat ad commorationem ipsius domini, vel ad illam aliis commodandam. Pendet ergo ab usu illorum bonorum utrum sint productiva vel consumptiva. Hodie omnia fere bona possunt esse aut productiva aut consumptiva, prout dominus illorum velit.

687. 3. RATIONE SUBIECTI potest esse: a) *Publica*: cum subiectum iuris proprietatis est aliqua persona iuris stricte publici; seu cuius finis est cura boni communis regulando relationes particularium cum societate, ad quod auctoritatem habet iura statuendi et declarandi auctoritative, v.c. Status, Ecclesia, provincia, municipium. Haec proprietas publica obiective intellecta potest relinqui in liberum usum membrorum collectivitatis, v.c. viae, viridaria; vel ab ipsa persona publica directe coli et administrari sicuti a persona aliqua privata illud fieret, sed in favorem communitatis.

b) *Privata*: cum subiectum iuris proprietatis est persona aliqua physica (individuum aliquod), vel moralis (aliqua societas, corporatio) iuris privati. Potest esse:

1) *Individualis*: cum subiectum proprietatis est aliqua persona physica, vel paucae ita ut singulae habeant condominium rei.

2) *Socialis*: cum subiectum proprietatis est aliqua persona moralis, seu aliqua societas iuris stricte privati, ita ut res solum entitati ut tali pertineant, non vero membris eiusdem, quae solum habent ius ad administrationem, ad perceptionem beneficiorum et, dissoluta societate, ad repartitionem proportionatam bonorum. Haec proprietas privata socialis in dies habet maius momentum, cum maxima pars negotiorum sub hac forma constituantur.

688. Quaestio solvenda. Est haec: bona materialia, ut necessitatibus omnium hominum inserviant sunt generatim proprietate privata sive individuali, sive sociali possidenda, an vero proprietas publica est regimen generatim pro iis bonis materialibus statuendum?

Solutio est maximi momenti; difficilis tamen et valde complexa, ex cuius immatura responsione magni errores provenire possunt, etiam bona fide et intentione. Multa sunt in harmoniam reducenda, ideo magna cura procedendum est, ne ad dextram neque ad sinistram declinetur [2].

ARTICULUS III

Praecipuae solutiones propositae

689. 1.ª **Schola liberalis.** Haec sustinet bona materialia proprietate privata individuali vel sociali possideri debere; ita quidem ut nullus limes, neque ulla obligatio huic proprietati imponi possit. Proprietas habet solummodo *characterem individualem*. Haec sententia peccat per excessum.

2.ª **Schola socialista-communista.** Sustinet bona materialia, saltem productiva, generatim proprietate publica esse possidenda; proprietas privata horum bonorum est illicita. Haec sententia peccat per defectum.

3.ª **Schola catholica.** Mediam viam tenens affirmat licitam esse et necessariam proprietatem privatam, etiam bonorum productivorum; proprietas tamen habet limites, et praesertim obligationes, quae, si sponte a particularibus non adimpleantur, ab Statu coactive possunt imponi. Proprietas habet characterem individualem, debet tamen necessario quandam functionem socialem adimplere.

N.B. In qualibet ex iis sententiis generalioribus sunt deinde gradus intermedii diversi.

---

[2] Cf. *Rerum Novarum* n.1; Pius XII, *Allocutio ad 20.000 operarios* (13 iunii 1943) n.4: AAS 35 (1943); Pius XI, *Caritate Christi compulsi* n.2: AAS 24 (1932) 177.

CAPUT II

De solutione scholae liberalis

Thesis 36. Liberalismus oeconomicus exponatur ac reiiciatur.

LEO XIII, *Libertas* (20 iunii 1888): ASS 20 (1888) 593-613; ANTOINE, *Economie sociale* p.1.ª c.8; GONNARD-J. CAMPO, *Historia de las doctrinas económicas* (Madrid 1938) 1.3 y 4; GIDE-RIST, *Historia de las doctrinas económicas* 1,1-3; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.4 p.2ª c.5 p.225ss; VILA, *Manual de orientaciones sociales* p.321ss; LLOVERA, *Sociología cristiana* p.411ss; RODRÍGUEZ YURRE, *Sistemas sociales,* cuad.1: *El liberalismo* (Vitoria 1945).

Incipiamus expositionem a sententia liberali, quae et ordine chronologico prima fuit, et originem socialismo dedit, cuius parens habetur [3].

ARTICULUS I

EXPOSITIO SYSTEMATIS LIBERALIS

690. Schola liberalis oeconomica: in genere illa dicitur quae ad solutionem conflictuum socialium exsistentium sufficere docet solam libertatem individualem, ab omni impedimento prorsus liberam. Dicitur *oeconomica* ut distinguatur a liberalismo philosophico, quod principium libertatis omnimodae extendit ad omnem activitatem humanam: materialem, intellectualem, moralem. Liberalismus oeconomicus applicat postulatum libertatis ad ordinem mere oeconomicum.

Tres periodi in illa distingui possunt, nempe physiocratia, schola anglo-gallica, schola liberalis hodierna.

691. 1. **Physiocratia.** *a*) ORIGO. Ortum habuit in Gallia, saec. XVIII declinante; ut eius parens merito habetur QUESNAY (1694-1774).

Applicat ordini materiali principium fundamentale in liberalismo philosophico, hominem scilicet esse essentialiter bonum, si libere proprias tendentias naturales sequatur.

Aliunde haec doctrina reactio quaedam est contra mercantilismum in Gallia atque in reliquis nationibus tunc temporis exsistentem.

[3] *Quadrag. anno* n.49.

Cum enim multae essent atque minutae ordinationes, fastidium generale creaverunt, maxime inter agricultores; cum enim agricultura materia propria exportationis non esset, neglecta omnino iacebat, magnisque impositionibus gravata [4]. Nimis rigida aliunde regulatio corporationum atque non pauci abusus in ipsis hoc tempore vigentes parvam industriam quasi suffocatam habebant. Iis omnibus dubitari coeptum est de efficacitate atque opportunitate illius artificiosi regiminis, orti vi tantarum praescriptionum atque regularum.

b) POSTULATA [5]. Tria potissimum sunt: 1) ut *agricultura,* quae hucusque in regimine mercantilista neglecta fuerat, omnibus privilegiis cumuletur atque a tributis solvatur, cum ipsa sola bonum sociale divitias creando adaugeat; 2) ut etiam *reliquae industriae* libertatem habeant, cum libertas sit optimum remedium ad maiorem prosperitatem possibilem assequendam; 3) ut *leges Status* nihil curent nisi ut omnes omnimoda libertate in dispositione bonorum gaudeant, tam in ipsorum productione quam in permutationibus faciendis.

c) LEMA huius scholae est: *Laissez faire, laissez passer* [6] i.e. sinite facere, sinite intrare, vel transire, seu aliis verbis libertas omnimoda ad productionem et ad commercium.

692. 2. Schola anglica. Libertatem a physiocratis promulgatam ad *industriam* maxime applicat.

a) FUNDAMENTUM. ADAM SMITH, qui ut parens recentioris oeconomiae merito haberi solet, exsistere in natura affirmat leges quasdam oeconomicas quibus ordo optimus socialis instaurabitur. Hae vero leges totam oeconomiam regere nequibunt nisi homines liberi relinquantur tam in productione quam in distributione bonorum.

Hoc enim pacto omnia regentur *lege oeconomica oblationis et petitionis,* sub *instinctu naturali proventus personalis,* sub quo omnia in natura moventur. Proventus vero diversi particularium in harmoniam venient *lege liberae concurrentiae.* Fontem prosperitatis nationis ipse reponit maxime *in labore,* ideo speciali modo in illo perficiendo incumbit.

Magni huiusmodi scholae auctores, praeter A. SMITH, numerantur MALTHUS, RICARDO, STUART MILL, ex ipsa Anglia;

---

[4] Cf. GONNARD, *Historia de las doct. econ.* p.52ss.
[5] Cf. GONNARD, *Historia de las doct. econ.* p.212-214.
[6] Quoad origen huius phrasis conf., GIDE-RIST, *Hist. de las doct.,* p.17 nota.

quibus adnumerandi sunt aliqui galli maxime J. B. SAY, qui doctrinas SMITH in Gallia propagarunt.

693. *b*) CAPITA PRAECIPUA DOCTRINAE. Ad haec reduci possunt: 1. *In ordine philosophico* ut fundamentum societatis *individua* collocant, reiicientes quaelibet intermedia inter individuum et Statum: corporationes, associationes operariorum vel cuiusvis generis. Exsistere existimant ordinem naturalem oeconomicum sponte instaurandum, si homines sua libertate naturali gaudeant.

2. *In ordine morali* sunt materialistae-sensualistae; felicitatem terrenam solummodo considerant, lege instinctus vel simpathiae regendam. Affirmant non exsistere pugnam sed e contra magnam harmoniam inter bonum individuorum et bonum sociale, quod resultare dicunt praecise ex collectione bonorum particularium. Haec harmonia in ordine oeconomico est fundamentum totius systematis.

3. *In ordine politico* munus Status mere policiacum volunt, nempe videre ne omnimodam libertatem individuorum aliquis impediat vel coarctet.

4. *In ordine oeconomico* affirmant: a) *Omnimodam libertatem* tribuendam esse omnibus industriis, commercio, agriculturae; quae hanc libertatem limitare possent reiicienda esse. *Libertas ergo* in permutationibus, in laboribus in contractibus omnibus, in concurrentia, in usu rerum omnium.

b) *Lege oblationis et petitionis omnia regi debere* cum haec sit lex naturalis, quae pacifice et meliori modo possibili omnia in harmoniam reddere possit.

694. *c*) INFLUXUS. Haec doctrina ut providentialis apparuit a fine saec. XVIII usque ad saec. XX; haec exponebatur fere in omnibus universitatibus, in operibus scientificis, in ephemeridibus omnium nationum; hanc gubernia in suis dispositionibus sequebantur, hanc industriales et patroni generatim, et ubique in negotiationibus in praxim deducebant. Pauci omnino reperiuntur qui contra illam insurgere audeant.

695. *d*) CONSEQUENTIAE. 1. BONAE: a) *Magnum incrementum industriale;* egoismus enim, ambitio lucri, fidutia ex omnimoda libertate orta, potestas omnibus prorsus mediis utendi liberalismo permiserunt omnes illius temporis inventiones cum maximo incremento industriae in praxim feliciter deducere. Libertas permutationis emulationem etiam inter nationes exci-

tavit. b) *Magna prosperitas materialis oeconomica,* cum magna quantitate productorum. c) *Efformatio ingentium capitalium,* ad incrementum novae organizationis industrialis necessariorum.

696. 2. Malae: a) *Pro patronis*: 1) *Effrenata cupiditas* divitiarum et lucri simul cum mortifera concurrentia; 2) *Permutatio valorum,* in hoc enim regimine primatum habet lucrum et argentum; 3) *Deshumanizatio vitae,* et corruptio morum ex abundantia proveniens.

b) *Pro societate*: 1) *divisio classium* socialium odium inter se habentium; 2) *potentatus oeconomicus* aliquorum privatorum contra ipsam societatem.

c) *Pro operariis*: Hi potissimum pravos effectus systematis liberalis subire debuerunt, qui uno verbo includuntur, nempe *maxima miseria physica et morali,* qua ingens operariorum classis laborare coacta est: domicilia miserrima hominibus prorsus indigna; labor extenuans; nutritio insufficiens; requies diurna omnino exigua, nulla requies hebdomadaria; absolutus educationis neglectus, mores disolutae; mixtio sexuum in fabricis et fodinis; maxima mortalitas [7]. Qui effectus sunt fructus naturales liberae concurrentiae, inhumani modi agendi cum operariis et prohibitionis associationum operariorum.

697. 3. **Liberalimus hodiernus.** Nostris diebus principia fundamentalia liberalismi, quin tamen in sua integritate defendantur, magnopere influere pergunt.

Hodierna liberalismi tendentia: *a*) vult ut *interventio* Status in rebus oeconomicis sit quam minima; b) *negotia oeconomica* omnino amoralia esse defendit; in quibus nihil aliud prae oculis habendum esse proclamat quam lucrum personale; in organizatione igitur negotii omnino a morali praescindit, in salario, in usu machinarum, in pretio; c) *primatum* in negotio assignat *liberae concurrentiae* etiam mortiferae; d) *gestorem negotii* nullam fere responsabilitatem habere neque eidem curam de vita morali et humana operariorum affirmare audet; e) *opera socialia,* quae in favorem operariorum habentur, opera *caritatis* existimat, et quidem facultativa, ideoque

[7] Cf. Leo XIII, *Rerum novarum* n.2; Villermé, *Tableau de l'état physique et moral des ouvriers* (Paris 1840); Villeneuve, *El pauperismo* t.2 p.13ss; Noguér, *El trabajo excepcional de antaño*: RazFe 54 (1919) 409-422; Marx, *El Capital* p.178-190; Vila, *Manual de orientaciones sociales* p.23-26; Valle, *El P. Ant. Vicent* p.22-34.

ab ipsis patronis administranda, non vero ab operariis; f) *meliorationes,* quae in conditionibus laboris introducuntur, solum coacte admittit, v.c. participationem operariorum in beneficiis atque in gestione; subsidia familiaria, assecurationes omnis generis, vacationes a labore cum retributione... ; g) *associationes operariorum* ad sua iura vindicanda malo animo respicit, et velis nolis tollerat; h) *in specie circa proprietatem* haec affirmat: Unumquemque habere ius, ab ipsa natura concessum ad possidenda bona cuiuslibet generis *absque ulla limitatione*; bona hoc modo possessa esse prorsus *intangibilia* ita ut nec ipse Status, praeterquam in casu rarissimo boni communis, in ipsa proprietate possit sese immiscere; *quoad usum* horum bonorum proprietarium esse *omnino liberum,* quin necessitates sociales prae oculis habere debeat.

In huiusmodi vero affirmationibus sunt *quaedam mitigationes* prout sit plus minusve rigidus liberalismus quem unusquisque profitetur, ita ut schola quae *neoliberalis* nostris diebus appellatur maxima ex parte doctrinam rectam defendat.

698. 4. **Neoliberalismus.** Habendus est ut quaedam reactio contra nimiam interventionem ex parte Status ad coarctandam nimis libertatem sive in regiminibus statolatris: nacista, fascista, communista, sive propter necessitatem boni communis tempore belli. Hinc haec schola maiorem libertatem inhiat, ita tamen ut mala praeteriti liberalismi vitentur.

Duplex pars in hac doctrina distinguenda: a) *Negativa*: consistit in critica liberalismi praecedentis. Mala ex liberalismo orta non tantum procedunt ex ipsa libertate quam proclamat, quantum ex neglectu protectionis ex parte Status verae libertatis subditorum, quo factum est ut libertas maioris partis periret. b) *Positiva*: Neo-liberalismus via media incedere vult inter liberalismum manchesterianum et collectivismum omnia invadentem.

699. PRINCIPIA FUNDAMENTALIA: 1) *Non admittit fatalem evolutionem in collectivismum;* si multis in locis hodie haec tendentia datur, hoc tribuendum est neglectui Status in suo munere adimplendo. 2) *Proclamat individualismum ut elementum essentiale activitatis oeconomicae;* quod nostris diebus potissimum est curandum, contra ingentia pericula orta relate ad personam humanam et dignitatem personalem ex parte Statolatrorum. 3) *Inaequalitas classium et conditionum inter homines est non solum licita sed etiam necessaria;* pendet

enim a diversitate facultatum et spiritus laboris singulorum. Curandum tamen ne haec inaequalitas sit tam magna; ad hoc Status infirmiores vel imbecilliores protegere debet, ut omnes saltem aliquod minimum felicitatis temporalis possideant. 4) *Ad hoc prorsus requiritur interventio Status iuridica et oeconomica;* a) *Iuridica*: ad creandas institutiones necessarias quae permittant commercium liberum; b) *oeconomica*: ad regulandam vitam oeconomicam intra spiritum generalem libertatis [8].

ARTICULUS II

REFUTATIO SYSTEMATIS LIBERALIS

700. 1. *Falsum est principium fundamentale liberalismi* iuxta quod unusquisque innata et omnimoda gaudet libertate ad faciendum quidquid ei placuerit, bono communi posthabito, dummodo libertas aequalis ceterorum ne impediatur. Natura enim socialis hominis praecipit non solum prosperitatem aliorum non laedere, sed etiam ad illam positive cooperari.

Liberalismus est ergo *regimen falsae libertatis,* in quo sub praetextu libertatis, operarii et homines debiliores, in manus patronorum et potentiorum indefensi traduntur. Operarius non associatus non habet veram libertatem ad contractum cum patrono ineundum, necessitate enim cogitur ad acceptandas quaslibet conditiones, etiam iniquas, quas patronus ei proponere velit. Necessaria ergo est operario associatio, vel specialis protectio Status.

701. 2. *Primatum in ipso habet materia et lucrum* postposita dignitate et personalitate humana. Finis enim productionis in systemate liberali non est servitium aliquod hominibus praestare mediante abundantia productorum, sed simpliciter lucrum facere ex parte patronorum; omnia materia reguntur. Ipsa rationalizatio industriae et laboris, ipsae mechanicae et industriales inventiones alium finem non habent quam lucrum personalem patronorum; non habentur prae oculis necessitates humanae reales.

702. 3. *Est regimen essentialiter egoisticum, non sociale.* In eo non agnoscitur character socialis proprietatis privatae,

[8] Cf. BARRÈRE, A., *Les aspectes actuels du liberalisme*: SemSocFranc (Paris 1947) 155ss; G. MARTÍNEZ, *Observaciones económico-sociales* p.15-22.

laboris, et vitae oeconomicae; omnia individualismo reguntur. Praescinditur a bono communi in usu bonorum. Proclamare vero in re oeconomica omnia egoismo regenda esse est quid prorsus anarchicum; hoc enim modo, homo avaritia ductus, non solum a prosecutione bonorum aeternorum se avertit, sed etiam ad iura aliorum negligenda atque conculcanda inducitur.

Affirmare vero, ut liberales faciunt, prosperitatem communem sponte resultare, dummodo unusquisque solummodo ad propriam prospteritatem attendat, est omnino puerile ac experientiae quotidianae contrarium. Supponit doctrinam Roussonianam, iuxta quam homo est naturaliter bonus et perfectus, qui semper perfecte operatur, si instinctibus naturalibus indulgeat.

703. 4. *Supponit ad felicitatem perfectam humanam sufficere copiosam productionem bonorum,* quin ad aequam eorum distributionem attendatur. Si vero operariis facultas non datur illa bona acquirendi, vana et illusoria est illa felicitas, ut historia hodierna luculenter demonstrat; nam dum homines fame moriuntur vel duras patiuntur necessitates, maxima quantitas bonorum vel in mare mittitur vel igne destruitur [9].

704. 5. *Multos alios praeterea errores secum fert*: v.c. a) *salarium* iustum illud semper esse, quod lege oblationis et petitionis determinetur, quodqumque hoc sit; *b*) similiter *pretium* iustum rerum hac lege etiam solummodo determinari; *c*) patronum non debere prae oculis habere *dignitatem humanam* operarii sed in eo instrumentum solummodo utile considerare debere; d) *finem Status* nimis coarctat ad solam protectionem omnimodae libertatis individualis; *e*) denique est regimen *dictaturae argenti* contra imperium personae humanae, rationis, et iuris.

705. *N. B.* Notemus haec omnia mala, de quibus locuti sumus, habenda esse ut fructus naturales huius systematis, non vero út quid accidentale in ipso. Quamvis enim moderata concurrentia et iusta libertas valde utiles prosperitati oeconomicae sint, tamen illimitata concurrentia et libertas necessario ad concentrationem capitalium et ad miseriam operariorum ducunt.

706. Doctrina Ecclesiae. Clarissime proditur innumeris et apertis documentis pontificiis, iuxta quae:

Proprietas privata habet characterem individualem et *so-*

[9] Cf. VILA, *Orientaciones sociales* n.32.

cialem (Quadr. Anno n.16); habet etiam *obligationes* sibi inhaerentes (n.17); ab Statu *limitari* potest (n.18); expresse exponitur quomodo Status possit et debeat intervenire in limitanda proprietate privata (Rerum Nov. n.30-36); etiam *reditus capitalis* habet obligationes (Quadr. Anno, n.19). *Expresse* reiicitur systema liberale oeconomicum (n.23), ac declaratur *impotens* ad solvendam quaestionem socialem (n.3).

CAPUT III

De solutione scholae socialistae-communistae

Thesis 37. Socialismus ac in specie marxista exponatur ac reiiciatur.

ARTICULUS I

DE NOTIONE SOCIALISMI [1]

A. PRO SOCIALISMO.

1. **Opera non socialista:** CATHREIN, *El socialismo* trad. de AZNÁREZ (Barcelona 1907); GONZÁLEZ ROJAS, F., *Lo que es el marxismo* (Madrid, Razón y Fe 1935); BOURGUIN, M., *Les systèmes socialistes et l'Evolution économique* 3 ed. (Paris 1933); TONNEAU, *Socialisme*: DTC 14,2273-2326.

2. **Opera socialista:** MARX, *El Capital,* trad. al cast. por PEDROSO (Madrid 1931). Adest compendium huius operis factum a DEVILLE, *El Capital* (Madrid 1932); MARX-ENGELS, *Manifiesto del partido comunista* (Madrid, Cenit, 1932); MARX, *Crítica de la economía política* (Madrid 1933); *Miseria de la Filosofía* (Madrid 1933); ENGELS-MARX, *Anti-During* (Madrid 1932) DEVILLE, *Principios socialistas* trad. cast. por GARVIN (Madrid); KAUTSKY, *La doctrina socialista* trad. cast. de PABLO IGLESIAS.

3. **Opera historica:** GIDE-RIST, *Historia de las doctrinas económicas* 1.4 c.3; 1.5 c.4; GONNARD, *Historia de las doctrinas económicas* 1.5.

B. PRO COMMUNISMO.

1. **Opera non communista:** MC FADDEN, CH., *La filosofía del comunismo* vers. hisp. (Valladolid 1949); LOMBARDI, *La doctrina marxista* vers. hisp. (Barcelona 1949); *Suma católica contra los sindiós* trad. cast. por MARÍN (Barcelona 1943); WETER, G. A., *Il materialismo dialettico sovietico* (Torino 1948); COULET, *Communisme et Catholicisme* (Paris 1938); DELAYE, *Pour connaître le communisme* (Paris 1936); ANGEL, *Dogme et morale communiste* (Paris 1936); *La philosophie du Communisme*: Archives de Phil. 15 (1939) c.2; POUZYNA-MARSOT, *Bolchevisme*: DictSoc 3,1295-1354; SCHWALM, *Communisme*: DTC 3,574-595.

2. **Opera communista:** Praeter opera MARX et ENGELS antea enumerata: LENIN, *Karl Marx et sa doctrine* (Paris 1937); *El Estado y la revolución,* traduc. por W. ROCES 8 ed. (1938); *El camino de la insurrección* (Madrid 1932); *¿Qué hacer?* (Buenos Aires, s.f); *De la religión* (París 1936)); *Du matérialisme his-*

[1] BIBLIOGRAPHIA. Praeter opera initio huius sectionis notata praesertim oeconomias sociales, quae omnes de socialismo et de communismo agunt, haec insuper commendanda videntur.

torique (Paris 1935); STALIN, *Principes de leninisme* (Paris 1937); *Historia del partido comunista de la U. R. S. S.* ejemplar pruebas de imprenta para los dirigentes (Madrid 1938).

3. **Opera historica:** Praeter historias antea citatas, speciatim pro communismo seu bolchevismo inserviunt: GURIAM, *El bolchevismo;* estudio histórico-doctrinal, trad. cast. por MARTÍNEZ AMADOR (Barcelona 1932); YVON, *L'U.R.S.S. telle qu'elle est* (Paris 1938); SUDRE, *Historia del comunismo* vers. hisp. (Barcelona 1850) optime exponit historiam idearum communistarum ante MARX; KRAVCHENKO, *Yo escogí la libertad* (Madrid 1947); BULLIT, *La amenaza mundial* (Madrid 1947); VANNI, *Yo, comunista en Rusia* (Barcelona 1950); LANDOWSKY, *Sinfonía en rojo mayor* (Madrid 1950); CASTRO DELGADO, *La vida secreta de la Komintern. Cómo perdí la fe en Moscú* (Madrid 1950).

N. B. Suprema Sacra Congr. S. Officii, decreto 1 iulii 1949, prohibuit: *"edere, propagare et legere libros; periodica, diaria vel folia quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere"*.

707. 1. **Terminologia.** Tria verba invenimus nempe *communismum, socialismum, collectivismum,* quae ut synonima primitus usurpantur; in auctoribus antiquioribus verbum *communismus* invenitur crebrius; *socialismus* circa annum 1825 apparet; *collectivismus* circa annum 1850.

Nostris temporibus *collectivismus* marxismum ortodoxum significare solet; *socialismus* est verbum magis usitatum sed minus definitum; *communismus* vero ad socialismum radicale, et fere semper ad bolchevismum russicum applicatur.

708. 2. **Socialismi definitio.** Difficile est definitionem tradere quae omnibus systematibus socialistis conveniat. Socialismus enim non est doctrina uniformis; est valde complexa, denique aequivoca, in qua bonus et malus aspectus considerari potest.

Ut melius socialismum intelligere possimus prae oculis habere debemus illum esse *quemdam animi motum* in meliorationem classium socialium inferiorum; ac ortum habuisse *ex reactione quorumdam* liberalium contra abusus systematis liberalismi; hinc ad penitus cognoscendum socialismum necesse est prius liberalismum cognoscere, non solum oeconomicum sed etiam philosophicum [2]. Primi qui de socialismo scripserunt omnes erant liberales; solummodo in aliquibus contra systema liberale insurgunt, in reliquis vero profitentur doctrinam liberalem de bonitate naturali hominum, de ideali libertatis et aequalitatis omnium, ita ut socialistae potius aequalitatem considerent, quam volunt statuere cum detrimento forte libertatis.

709. NOTAE COMMUNES OMNIBUS SYSTEMATIBUS: *In ordine philosophico:* conceptionem quamdam vitae et ordinis

[2] Cf. TASIN, N., *La dictadura del proletariado* p.21.

socialis defendunt, quae haec tria plus minusve importat: *a*) humanam felicitatem unice in hoc mundo quaeri debere; *b*) pugnam classium fovendam esse ad inaequalitates sociales tollendas; *c*) proprietatem bonorum productivorum disparere debere ad redimendum operarium ab iniusta quam patitur oppressione.

2. *In ordine religioso*: sunt materialistae, athei, antirreligiosi.

3. *In ordine politico*: novam organizationem ab aliqua collectivitate (associatione operariorum, municipio, Statu) gubernatam, et democratiam suffragio universali et inorganico nixam admittunt.

4. *In ordine sociali*: admittunt principium fundamentale omnimodae omnium aequalitatis; *aequalitas* in systematibus socialistis eumdem valorem habet ac libertas in liberalibus.

5. *In ordine oeconomico*: Omnia systemata socialistica uno vel alio modo contra proprietatem privatam sese declarant. Ideo generatim socialismus definiri solet ad hunc respectum oeconomicum attendendo: *systema oeconomicum quod translato in totam rempublicam dominio bonorum productivorum, omnem productionem et distributionem bonorum per ipsam rempublicam democratice constitutam ordinandam esse statuit.*

6. *In ordine familiari*: amorem liberum defendunt; familia in illo nullum momentum sociale habet.

7. *Quaedam elementa sentimentalia* iis omnibus addi debent, speciatim vero quaedam *mystica operariorum* iuxta quam omnis patronus est essentialiter malus, e contra omnis operarius, maxime industrialis, est essentialiter bonus; et quidam *spiritus tumultuosus et rerum novarum cupidus,* qui magnum in socialismo influxum habuit. Huiusmodi spiritus semper et ubique in quibusdam hominibus in omni societate floruit; nostris vero temporibus, cum aliae viae occlusae manerent, in socialismum illapsus est [3].

710. *N. B.* In iis omnibus, ut patet, mulit *gradus exsistunt,* ideo multiplices sunt socialismi formae diversae, et diversa nomina: communismus negativus, communismus positivus absolutus, communismus positivus moderatus, syndicalismus, anarchismus, communismus libertarius, socialismus ortodoxus, socialismus reformista, socialismus agrarius, socialismus Status.

[3] Cf. bene de hac re LECLERCQ, *Leçons du droit naturel* v.4 p.2.ª p.260ss.

ARTICULUS II

DE SPECIEBUS SOCIALISMI

711. Duae sunt praecipuae scholae socialismi, alia associationista, collectivista alia [4].

§ 1. Socialismus associationista

712. Origo et praecipui defensores. Haec schola, quae etiam utopica appellari solet, circa annum 1830 originem habuit ac praecipui eiusdem defensores sunt FOURIER, BLANC, PROUDHON, et anglus OWEN. Associationistae in genere existimant ad iustitiam socialem in mundo stabiliendam associationes operariorum sufficere, quarum finis erit explotationem operariorum ex parte patronorum vitare ac lucrum capitalisticum supprimere. Sunt deinde diversae tendentiae prout sit medium ab unoquoque auctore propositum.

713. OWEN (1771-1858) ut medium proponit *creationem medii cuiusdam socialis, et abolitionem lucri mediante permutatione rerum.* Existimat hominem necessario esse talem qualem illum medium ambiens effecerit. Est omnino irreligiosus; ab homine libertatem aufert et responsabilitatem. Cum lucrum sit totius vitae socialis virus illud e medio tollere vult; ad hoc vero sufficere existimat pecuniam removere, retribuendo laborem syngraphis papyraceis (bonos de trabajo) quarum permutatione res necessariae obtinebuntur in *magnis apothecis* (almacenes) laboris. Ipse in praxim suas theorias deduxit, semper tamen lamentabili exitu [5].

714. FOURIER (1772-1837), auctor magna phantasia praeditus, societatem futuram usque ad minima describit, phalansteriis structam, in quibus labor erit iucundus, varius propter frequentes mutationes ipsius, valde frugifer propter laboris rationalizationem; in illis praecipue ad culturam terrae operam dabunt; omnes tamen laborare debebunt. Omnia erunt communia, etiam habitationes, triclinia... in iis phalansteriis magnus locus erit libertati. Haec vero socialismi forma potius est quaedam cooperativa laboris in quam omnes sunt actionarii, ideoque cooproprietarii; est ergo quaedam forma cooperativismi integralis [6].

715. BLANC (1811-1882) reformationem immediatam societatis proponit mediantibus officinis et fabricis nationalibus, in quibus operarii ita laborabunt ut omne lucrum ex labore proveniens ad ipsos perveniat. Ut vero operarii initio has fabricas aperire queant opus

---

[4] Non consideramus nisi formas recentiores socialismi et communismi. Theoriae antiquae a primis temporibus usque ad sec. XIX videri possunt optime expositae apud SUDRE, *Historia del comunismo* (Barcelona 1850); brevius apud GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* 1.1 c.1-2

[5] OWEN, *Il libro del nuevo mondo morale*: Bibl. dell'Econ. ser.3 v.9 pt.1ª p.1-118; ad refutationem vero BALMES, *El socialismo*, art.2-4; *Obras completas:* BAC 5,564-584; GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* p.247ss.

[6] Cf. FOURIER, *El falansterio* (Buenos Aires 1946); ad refutationem; GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* p.418ss; SUDRE, *Hist. del comunismo* p.220-224.

est ut Status necessariam pecuniae quantitatem eis commodet. Cum aliunde Status supremam directionem industriae habebit, aliqui Blanc considerant inter socialistas Status. Positis iis fabricis nationalibus, cum concurrentia ex parte particularium erit omnino impossibilis eo ipso proprietas privata bonorum productivorum disparebit [7].

716. PROUDHON (1809-1865) est auctor praecipuus inter socialitas associationistas propter maximum influxum ab ipso exercitum in omnibus socialistis et anarchistis posterioribus. Reiicit ut furtum proprietatem privatam, quae a labore proprio non proveniat, v.c. reditus pecuniae vel terrae, fenus propter pecuniam commodatam, monopolia. Omnimodam aliunde libertatem defendit contra socialistas. Ut remedium ab ipso proponitur ad vitandam explotationem operariorum, salva omnimoda libertate, institutio "*Bancarum permutationum*" (Bancos de cambio) in quibus res productae in fabricis permutabuntur cum syngraphis productionis quae ad adquisitionem rerum omnium inservient. Hoc modo ipse existimat lucrum absque labore necessario disparere debere [8].

717. Ruina *huiusmodi socialismi*. Anno 1848 in secunda magna perturbatione gallica initium habuit [9]; nam etsi perturbatio illa huiusmodi doctrinae non esset applicatio, tamen, cum haec forma socialismi fere exclusive gallica esset, cum ruina illius coniungebatur. Reformationes aliunde ab ipsis propositae exigui omnino momenti sunt. et vix credi potest quomodo homines exstiterint qui ex illis regenerationem totius mundi sperare potuerint. In illis tamen semina inveniuntur materialismi marxistae.

§ 2. Socialismus collectivista

718. Origo et praecipui defensores. Ab anno 1848 doctrina socialista collectivista praevaluit, etsi originem remotiorem habeat cum et ipsam tenuerit Saint-Simon initio saec. XIX. Associationistae existimabant remedium sociale a solis associationibus privatis promanare debere; collectivistae e contra illud unice ab interventu Status sperare videntur.

Inter praecursores nominari solent SAINT-SIMON, RODBERTUS, LASALLE. Fatendum tamen est non dari doctrinam bene definitam nec in iis, neque in praecedentibus auctoribus, ideo non raro ii auctores recessentur sive in una, sive in altera schola et aliquando qui ut socialistae ab aliquibus habentur, ab aliis ut liberales iudicantur.

719. SAINT-SIMON (1760-1825) animus rerum novarum cupidus, ut praecursor positivismi et socialismi collectivistae haberi solet. Praesentem societatis statum modificare desiderans, tamquam fundamentum restaurationis ipsius hoc principium oeconomicum statuit, nempe laborem unicum fontem ac radicem esse totius valoris ac prosperitatis nationis; ideoque classem operariorum principem locum in societate occupare debere. In ordinando labore et industria totus

---

[7] Cf. BLANC, *Organización del trabajo;* ad refutationem SUDRE, *Hist. del com.* p.243-256.

[8] PROUDHON, *¿Qué es la propiedad?* vers. hisp. (Barcelona 1933); *Sistema delle contradizioni economiche o Filosofia della miseria:* Bibl. dell'Econ. ser.3 v.9 p.1ª p.119-738; ad refutationem SUDRE, *Hist. del com.* p.256-295.

[9] Cf. CARTIER, *Histoire du soc.* c.2.

incubuit; ipse defendit emancipationem mulieris, divortii libertatem, ac pantheismum et materialismum historicum.

Eius discipuli, maxime ENFANTIN et BAZARD doctrinam magistri magis in modernum socialismum inclinarunt; qui proprietatem privatam bonorum productionis damnant, et hereditatem abrogandam esse putant, cum haec media productionis in manus non idoneas collocent; in bona ergo parentum Statum succedere volunt, ut is bona distribuat non filiis praecise sed dignioribus in societate seu operariis, qui illa administrabunt[10].

720. RODBERTUS (1805-1875) animum potius habet moderatum et tranquillum, non est turbulentus neque utopista; ipse insurgit contra doctrinam liberalem, ac in specie contra legem oeconomicam oblationis et petitionis, quae productionem non iuxta necessitates sed iuxta lucrum personale moderatur. Affirmat Statum debere intervenire ad regulandam productionem iuxta necessitates sociales; ad hoc vero opus est censum absque labore supprimere. Defendit etiam iustam bonorum distributionem, illam nempe quae unicuique productum integrum proprii laboris tradat[11].

721. LASALLE (1825-1864) etsi non multa scripserit, tamen inter praecipuos socialistas haberi solet; maximus orator indefessus adlavoravit ad sufragium universale obtinendum et ad creationem associationum productionis. Haberi solet ut praecursor partium politicarum socialistarum, et modernae tendentiae reformistae in socialismo. Magna vi proposuit legem, quae *lex aenea salariorum* appellari solet, de qua persaepe fit sermo[12].

§ 3. Collectivismus marxista

A. EXPOSITIO SYSTEMATIS MARXISTAE

722. Momentum systematis. Praecipuus vero socialismi propugnator est Carolus Marx[13], qui ut parens socialismi

[10] Cf. GONNARD, *Hist. de la doct. econ.* l.5 c.2 p.408ss; GIDE-RIST, *Historia...* l.2 c.2.

[11] Cf. GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* l.5 c.3 p.447ss.

[12] Cf. Formulatio huius legis apud CATHREIN, *El socialismo* p.187.

[13] CAROLUS MARX natus est Treveris in Germania anno 1818 ex parentibus iudaeis ad protestantismum conversis; studia iuridica, philosophica et historica perfecit. Matrimonio quadam femina aristocratica iunctus est; periodismum per quosdam annos exercuit; propter doctrinas subversivas in ephemeride propugnatas, cum non ageret nisi 25 aetatis annum, exsulatus est; ipsa vero ephemerides supressa.

Parisiis atque Bruxeliis commoratus est in hoc primo exsilio; post gallicam perturbationem anni 1848, in qua ipse partes activas habuit, iterum in Germaniam rediit; sequenti vero anno iterum exsulatur. Tunc Londinum petit anno 1850 ibique per integram reliquam fere vitam mansit usque ad annum 1883 in quo mortuus est. Cf. MEHRING, *Carlos Marx, historia de su vida* (Madrid 1932); WILBRANDT, *Carlos Marx* (Madrid 1930). *Eiusdem scripta praecipua* sunt: *Miseria philosophiae* (1847); *Programma partis communistae* (Manifiesto del partido comunista) in collaboratione cum Engels (1848); *Crisis oeconomiae politicae* (1859); *Capitale,* cuius liber primus anno 1867 editus est, secundus vero et tertius post mortem auctoris anno 1885 et 1894; denique *Historia doctrinarum oeconomicarum,* quae usque ad annum 1904 in lucem non venit. Anno 1864 *Primam Internationalem* Operariorum Londini condidit.

scientifici habetur, ita ut ab anno 1864 omnes socialistae uno vel alio modo marxistae appellentur [14], ac doctrinas marxianas plus minusve sequantur. Ideo hanc doctrinam fusius exponemus.

723. Capita praecipua. MARX auctor est cuiusdam doctrinae socialis quam ipse vocat socialismum scientificum, i.e. in studio positivo realitatis socialis, non vero in praeiudiciis neque in phantasia fundatum. Systema vero marxista e praecedentibus tam liberalibus quam socialistis sumit doctrinam, quam suo modo proponit, in quo praecise originalitas eiusdem quaerenda est, sic v.c. a FEUERBACH sumit materialismi theoriam, a HEGEL doctrinam dialecticae, a DARWIN evolutionem, denique ab oeconomistis liberalibus anglicis praecipuas theses oeconomicas.

Praecipua capita doctrinae marxistae reduci possunt ad haec quattuor: a) *ad materialismum historicum;* b) *ad pugnam classium;* c) *ad theoriam valoris;* d) *ad novum ordinem socialem* instaurandum. Explicemus haec aliquantulum.

1. *Materialismus marxista* [15]

Triplex distinguitur: philosophicus, dialecticus, historicus.

724. 1. **Materialismus philosophicus.** Est doctrina philosophica asserens omnia quae exsistunt esse materiam aut saltem aliquid materiae subordinatum ab eaque dependens et quasi proiectio ipsius; negat ergo exsistentiam Dei, animae spiritualis, vitae futurae, quae omnia ut productum ignorantiae et phantasiae habet, et ut proiectionem status oeconomici exsistentis, quin quidquam obiectivum eisdem respondeat [16].

725. 2. **Materialismus dialecticus.** Haec materia exsistens non est statica, sed dynamica, continuo progrediens, ten-

[14] Cf. TASIN, N., *La dictadura del proletariado* p.20; GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* 1.5 c.7 p.454, qui insurgit contra hanc iniustam appropriationem doctrinalem germanam, ut plerumque fit.

[15] Cf. a) *Ex operibus marxistis:* MARX, *Crítica de la economía política* pról. p.7; MARX-ENGELS, *Etudes philos.: Ludwig Feuerbach* c.2-3; ENGELS, *Anti-Dhuring* p.6-14; LENIN, *Du materialisme historique* (Paris 1935); *Historia del partido comunista de la U. R. S. S.* p.84-107. b) *Ex operibus doctrinam refutantibus:* CATHREIN, *El socialismo* p.39ss103ss; WETER, G. A., *Il materialismo sovietico* p.44-59; *La evolución del materialismo dialéctico en la U. R. S. S.:* Arbor (1948) 243-255.419-436; A. ETCHEVERRY, *Le materialisme historique:* Archives de Philos. 15 (1939) 3-144; DE BRUIN-KOLOGRIVOF, *El materialismo dialéctico,* in *Suma católica contra los sindiós* c.11 p.419ss; MARCY, G., *Les courants socialistes:* SSF (Paris 1947) 114ss.

[16] Cf. MARX-ENGELS, *Etudes philosophiques: Ludwig Feuerbach et la fin de la philos. classique allemane* c.2-3. In hoc convenit cum doctrina praecedentium materialistarum.

dens in evolutionem sine fine. Quoniam vero progressus, ex doctrina hegeliana, quam *dialecticam vocat,* dari nequit nisi per positiones et contrapositiones, per affirmationes et negationes alicuius realitatis, seu, ut ipse HEGEL dicit, per thesim et antithesim, ex quo resultat syntesis, seu novus conceptus; pariter ut progressus in materia detur, in ipsa haec omnia verificari debent, positiones, negationes, contrapositiones, i.e. dari debet pugna continua inter diversa elementa materiam integrantia [17]. Hoc est peculiare marxismi in doctrina materialismi.

726. 3. **Materialismus historicus.** Historia testatur hanc pugnam semper in mundo exstitisse; omnia facta historica originem habere in ordine oeconomico, conditiones vitae oeconomicae primatum habere in homine. Hoc est quod Marx contendit probare sua doctrina materialismi dialectici, quae ad historiam applicata vocatur *materialismus historicus.*

Ait enim conditiones vitae oeconomicae alicuius periodi v.c. modum productionis, amplitudinem mercatus, progressum technicum... determinare habitus et institutiones sociales, politicas, iuridicas, ideologicas, religiosas, et morales illius periodi; cum haec non sint nisi proiectio modi productionis; oeconomicum enim est fundamentum et structura societatis. Hoc vero elementum continuo evolvitur, cum sit elementum activum societatis.

Sed in societate invenitur aliud elementum passivum, nempe illa superstructura politica, iuridica, artistica, ideologica, religiosa, supra oeconomicum fundata, quae stabilitatem quaerit in forma semel acquisita. Hinc oritur pugna inter haec duo elementa, pugna necessaria, fatalis, fons et origo totius progressus socialis.

Classis operariorum repraesentat elementum activum societatis, sunt enim productores; alii vero homines, nempe capitalistae, iudices, sacerdotes, philosophi, litterati elementum passivum.

2. *Pugna classium et lucta finalis*

727. Ideo pugna inter classes sociales est omnino necessaria; ab hominibus potest tamen foveri et retardari; hinc necessitas fovendi pugnam classium, donec perveniamus ad victoriam finalem, in qua elementum passivum societatis omni-

[17] Cf. MARX-ENGEL., Arch. de Philos. 15 (1939) cah.2 p.145-173.

no dispareat; tunc vero nova aetas instaurabitur prosperitatis et pacis in humanitate. Donec vero ad hanc victoriam finalem perveniamus victorias partiales consequi poterimus, post quas novus ordo politicus, socialis, religiosus... habebitur [18].

Historia universalis non est nisi historia huiusmodi luctae classium et perturbationum socialium. Aliquando tamen pax huic mundo adveniet, quod accidere nequit dum diversitas classium vigeat in terris.

Praesens perturbatio in hunc finem tendit, ut in mundo unica tantum classis remaneat, nempe classis operariorum. In praeteritis autem perturbationibus operarii, qui illas inierunt, fructum illarum non sunt consecuti; praesens vero perturbatio ad eliminationem classium passivarum seu capitalistarum recta tendit, quo facto novus ordo socialis instaurabitur, in quo unice classis operariorum exsistet, ideoque in societate impossibilis deinceps erit explotatio et pugna inter classes [19].

Si vero quaeramus quomodo societas ad praesentem pugnam inter operarios et capitalistas devenerit, huic quaestioni Marx respondet sua theoria valoris et incrementi ipsius.

3. *Theoria circa valorem et circa augmentum ipsius*

728. Finis huiusmodi theoriae est demonstrare quomodo in regimine productionis capitalisticae *necessario* operarii a capitalistis fructu laboris eorum spolientur et in summa miseria demergantur. En processus argumentationis.

729. 1. **Valor usualis et valor commutativus rerum** [20]. Duplex valor in rebus distinguendus est, *usualis* et *commutativus* (= valor de uso y valor de cambio), v.c. panis adhiberi potest tamquam cibus in quo consistit valor eius usualis, vel potest commutari cum aliis mercibus, in quo consistit valor eius commutativus.

Usualis dimetitur aptitudine rei ad satisfaciendas necessitates humanas, et fundatur in proprietatibus physicis et chemicis rei; nulla ergo difficultas in illo determinando.

Commutativus a quo pendet et quomodo dimetiri poterit? Non pendet ab utilitate rerum, etsi haec sit eiusdem conditio

---

[18] Cf. Marx-Engels, *Manifiesto del partido comunista* c.1; *Crítica de la economía política* pról.; Gambra, R., *El materialismo histórico como teoría sociológica*: RevIntSoc (1945) v.11-12 p.129-176.

[19] Marx, *Manifiesto del partido comunista.*

[20] Marx, *El capital* l.1; *Crítica de la economía política* sec.1.ª; c.1; Lenin, *Karl Marx et sa doctrine* p.20ss; *Valeur et plus valeur:* Arch. de Philos. 15 (1939) c.2 p.237-273.

praevia essentialis, nam illum explicare non potest. Valor commutativus debet consistere in aliquo elemento communi omnibus rebus; utilitas vero diversa est in unaquaque, ideo permutantur. Elementum commune omnibus rebus nullum aliud invenimus praeter laborem; in hoc omnes conveniunt; quod habeant quamdam quantitatem laboris humani in illis quasi congelati (cristalizado); valent proinde eo magis quo maiorem quantitatem laboris habeant. Labor tamen intelligendus est non quilibet; sed labor *socialis* seu medius, mensurandus a numero horarum ad productionem cuiuslibet rei necessariarum ab aliquo operario mediae aptitudinis atque applicationis.

730. Applicatio ad laborem operarii. In labore operariorum, sicuti in qualibet alia re, distingui debet valor eiusdem usualis et valor commutativus.

Usualis consistit in aptitudine ipsius ad aliquid faciendum, qui valor quasi crystallizatur in producto ab operario facto, et aequivalet numero horarum necessariarum ad productionem talis rei. Res producta hunc habet valorem atque per illum commutatur.

Commutativus est quantitas valoris in viribus operarii accumulata, mensuratur vero a numero horarum necessariarum ad tales vires creandas vel reficiendas, seu a numero horarum necessariarum ad productionem alimentorum, vestium... quae requiruntur ad reficiendas vires operarii per laborem amissas.

In contractu laboris capitalista sibi locat laborem (valorem usualem laboris seu vires) operarii ut illo utatur prout velit, servando sibi productum laboris; pro labore vero impenso operario donat valorem commutativum ipsius, seu salarium, i.e. illam quantitatem pecuniae quae necessaria est ad emenda quae requiruntur ad reficiendas vires in labore amissas.

Valor vero commutativus laboris operarii *semper est minor* valore usuali eiusdem, nam operarius semper producit plus quam quod requiritur ad sustentationem ipsius, v.c. si laborat per octo horas, forte quattuor horis producuntur alimenta et res necessariae ad restaurandas vires ipsius.

731. 2. **Augmentum valoris** (plus valía). Haec differentia valoris inter commutativum et usualem laboris operarii vocatur *augmentum valoris*. Quae in regimine capitalistico integra remanet capitalistae, et quidem iuste, nam ipse emit vim laboris operarii ut illa ad placitum utatur, et solvit pretium iustum ipsius, nempe valorem commutativum laboris.

Differentiam inter horas necessarias ad productionem sustentationis operarii et horas effectivas laboris MARX vocat *super laborem* (sobre trabajo) vel laborem gratuitum. Quoniam capitalista sibi servat productum laboris, atque illum vendit pretio reali ipsius seu vero valori commutativo, ipsi remanet integrum augmentum valoris, quod praecise constituit *capitale.*

Capitalistae, ut apparet, interest augmentum valoris vel super laborem quantum possit augere, quod ille consequi potest vel augendo tempus laboris, vel minuendo pretium rerum necessarium ad sustentationem.

4. *Nova societas communista*

732. Sed regimen capitalisticum necessario perducit ad ipsius destructionem, et ad instaurationem novae societatis; mediante potissimum concentratione industriali et lucta classium inde exsurgente cum characteribus omnino singularibus.

733. 1. **Lex concentrationis industrialis.** Hac lege MARX vult probare regimen capitalisticum necessario disparere debere, et ad regimen societarium perducere. Parvi enim proprietarii paulatim expropriantur, impares concurrentiam sustinere cum magnis capitalistis; cum vero in dies maior sit augmentum capitalis aliquorum, hi iterum alios capitalistas minores spoliant, qui impares et ipsi industriae hodiernae concurrentiam sustinere, vendere propriam industriam coguntur ac fieri proletarii. Cum vero hic processus in indefinitum repetatur, tempus tandem adveniet in quo solummodo paucissimi capitalistae remaneant, ceteri proletarii erunt.

734. 2. **Lucta finalis classium.** Cum numerus capitalistarum in dies fiat minor, maior autem numerus proletariorum et pugna inter has classes continuo detur, aliquando perveniemus ad statum plane intolerabilem, et tunc expropriatores i.e. capitalistae, expropriabuntur a toto populo. Ad hanc vero finalem expropriationem perducunt:

a) *Superproductio* ex qua provenit cessatio a labore (paro), a qua vicissim oritur maior copia operariorum, et consequenter imminutio salariorum, et maior miseria ipsorum.

b) *Concentratio agricolarum* in *civitatibus,* eo quod et

ipsi proprietate agricola sunt privati, quae concentratio magnam secum affert miseriam.

c) *Multiplicatio societatum anonimarum,* hoc modo multo facilius fiet transitus a proprietate privata ad collectivam; ad hoc enim sufficiet ut societas se substituat titulorum possessoribus.

Sic lucta finalis seu expropriatio capitalistarum faciliter peragetur et novus ordo socialis instaurabitur.

735. Proprietates novae societatis [21]. a) *Nulla differentia classium erit,* sed omnes aequalitate perfecta gaudebunt; nemo ab operariis auferre poterit productum proprii laboris.

b) *Omnia media productionis* in manibus societatis erunt, cui ut tali pertinebunt. Ipsa societas productionem omnium bonorum diriget, et, deductis stricte necessariis ad bonum commune, ad amortizationem mediorum productionis, ad augendam et perfectiorem reddendam industriam, reliqua ipsis operariis tradet ad consumptionem illorum.

c) *Distributio bonorum* pariter ab ipsa societate immediate fiet, initio unicuique dando iuxta laborem impensum, deinde vero, plene constituta societate communista, iuxta necessitates uniuscuisque.

d) *Democratice eligentur magistratus* qui societatem regant, quorum erit: productionem et distributionem dirigere, unicuique laborem sibi faciendum designare, invigilare ne ius et officium aequale omnium ab aliis laedatur.

e) *Perfecta libertas,* aequalitas, pax, tranquillitas ac incredibilis prosperitas ubique regnabit.

B. Refutatio systematis marxistae

736. 1. Quoad originalitatem. Elementa systematis omnia in auctoribus praecedentibus continentur [22], Marx tamen illorum synthesim effecit. Attamen systema marxista nullo modo illum characterem scientificum habet de quo ipse gloriatur; eiusdem analysis societatis non est realis sed potius utopica, ut socialistae posteriores non pauci fatentur.

---

[21] Cf. Qualis haec futura societas describatur ab auctoribus socialistis, v.c. Martel, *Communisme, societé future* (Paris 1936); Lenin, *El comunismo de izquierdas,* in praefatione facta a Gorki, p.10ss; diversos textus aliorum auctorum vide apud Cathrein, *El socialismo* p.292ss.

[22] Cf. Gonnard, *Hist. de las doct. econ.* p.462.

737. 2. Quoad materialismum. *a*) PHISOLOPHICUS abunde refutatus manet, nominatim in Psychologia ac in Theodicea, in quibus evidenter probatur exsistentia rerum quae nec sunt materiales, nec a materia ullo modo intrinsece dependent, ut anima humana, Deus.

b) DIALECTICUS, si nunc a falsitate eiusdem praescindamus, quatenus negat omnem prorsus interventum divinum, tam in creatione quam in evolutione materiae, et solummodo attendamus ad explicationem eiusdem circa progressum et evolutionem materiae per intrinsecas energias essentiales eidem, ad summum ut nova quaedam theoria vel hypothesis circa constitutionem intrinsecam materiae haberi posset. Scientifici de hac re iudicium emittere debent, et videre quale fundamentum scientificum habere possit [23].

c) HISTORICUS: 1) In hac doctrina *hoc ut verum admittimus*:

a) *Elementum oeconomicum magnum exercere influxum,* sed ut *conditionem,* in evolutione historica populorum; in ideis enim iuridicis, politicis, moralibus et religiosis conditiones oeconomicae magnopere influunt.

b) *In ipso continuam evolutionem haberi,* ac in infinitum industriam progredi, ut primo intuitu patet; hanc vero evolutionem industrialem mutationem quamdam in relationibus socialibus secum afferre; ac transformationes oeconomicas magnopere influere in pugna classium.

2) *Reiicitur tamen prout a Marx proponitur,* ut omnino falsus. Nam, ut verus esset, deberent: a) *Omnia facta* historica solis viribus oeconomicis explicari; b) transformationes sociales omnes *unice* elementis oeconomicis fieri. Haec vero omnia sunt omnino falsa. Nam:

a) *Praecipua facta historica cum materialismo explicari nequeunt* ut v.c, christianismus, mahometismus, budismus, renascentia, protestantismus, perturbatio gallica... In iis enim omnibus elementa oeconomica nullum aut fere nullum influxum habuerunt. Historia enim teste, origo magnorum factorum historicorum habetur in ideis, non in materia.

b) *Elementa quae maiorem influxum in homine exer-*

[23] Momentum doctrinae circa materialismum philosophicum et dialecticum in systemate marxista, ac simul eiusdem imbecillitas patuerunt in Congressu Intern. Philosophiae Romae habito 15-20 nov. 1946. Cf. brevem relationem huius quaestionis in FABRO, C., *La non filosofia del marxismo nell'anniversario di un Congresso:* RevFilNeoscol 40 (1948) 91-100.

cent non sunt oeconomica, sed sunt v.c. fides religiosa [24], amor patrius, amor independentiae, ambitio, vanitas, ideae politicae, mores, affectus personales.

Facile vero explicari potest maior influxus, quem nostris temporibus in evolutionibus socialibus elementum oeconomicum habuit, si prae oculis habeamus notas peculiares industriae hodiernae, in qua novis machinis, quae viam pandunt possibilitati ingentium divitiarum, laboratur; maxima praeterea concentratio operariorum, quo facilior fit pravarum idearum diffusio, ac in specie materialismi et irreligiositatis; ubi denique spiritus democraticus viget, in quo solummodo ad numerum attenditur, hinc studium ad se alliciendas turbas illis bona temporalia promittendo.

738. 3. **Quoad pugnam classium et luctam finalem.** MARX affirmat huiusmodi pugnam esse fatalem, semper exstitisse, illamque etiam nunc dari inter duas classes unice exsistentes, nempe inter capitalistas et operarios. Triplex vero affirmatio est aeque falsa, historia teste. Nam:

a) *Fatalitas pugnae classium supponit determinismum;* libertas vero hominis evidenter in Psychologia probatur. Cursus ipse evolutionis historicae persaepe sub praevisionem humanam non cadit rebus casualibus, vel hominibus superioribus intervenientibus.

b) *Pax et tranquillitas socialis,* teste historia per multum temporis in mundo regnavit, quin nemo cogitaret mutationes sociales radicales inducere, v.c. saec. XII-XV sub regimine corporationum [25].

c) *Classes sociales* nostrorum temporum, si attente illas consideremus: 1) non sunt solummodo duae, sed *numerosiores* (operarii, capitalistae, gestores industriarum et negotiorum, minores productores autonomi tam in agricultura quam in industria et in commercio, classes liberales, milites, muneribus Status fungentes); 2) *non sunt bene definitae,* multoties enim non clare apparet ad quam classem quis pertineat; 3) *non sunt stabiles,* facile enim quis ex una ad aliam transire potest, sola acquisitione pecuniae; 4) denique *pugna inter diversas classes oppositas* est minor quam tempore MARX, propter diversas meliorationes sociales habitas [26].

Hodie pugna exsistens potius quam inter diversas classes

[24] Cf. PÉREZ DEL PULGAR, *El concepto cristiano de autarquía* p.91ss quodnam sit praecipuum movile in suis factis historicis pro populo hispano.

[25] Cf. BRUCCULERI, *El comunismo* p.54-76; CATHREIN, *El socialismo* p.120ss.

[26] FERNÁNDEZ SÁNCHEZ PUERTA, *El concepto de la clase social en la sociología contemporánea:* RevIntSoc 2 (1943) 5-37; FRAGA IRIBARNE, M., *La crisis de las clases medias:* Arbor 17 (1950) 190-211.

potest dici pugna inter homines sua sorte contentos et inter non contentos ita ut in duabus partibus inveniantur homines ad omnes classes sociales pertinentes.

d) *Pseudoprophetia de lucta finali* et de adventu regiminis communistae, ut a Marx proponitur, est omnino gratuita et falsa; contradicit enim experientiae, ac mutationem essentialem hominis implicaret.

739. 4. **Quoad theoriam valoris.** Haec theoria, quae aliunde originalitate caret [27], omnino etiam falsa deprehenditur. Nam:

a) *Est contra sensum communem*: 1) aliqua bona magnum habent valorem quin in eis labor ullus humanus crystallizatus inveniatur, v.c. fortuitae inventiones, gemmae pretiosae... 2) alia bona nullum prorsus valorem habent quamvis magnum laborem humanum in ipsis crystallizatum inveniamus, v.c. bona male facta, deteriorata... 3) alia denique, etsi aequalem habeant laborem, diversum tamen habent valorem, vel aequalem valorem etsi eorum labor sit valde diversus, v.c. triticum collectum in terra arida vel ferace...

b) *In rebus invenitur aliud elementum commune praeter laborem humanum;* in omnibus enim rebus adest earum utilitas et aptitudo ad satisfaciendas necessitates humanas; fundamentaliter ergo valor rerum pendet ab utilitate seu aptitudine ipsarum ad satisfaciendas necessitates; haec vero pendet a qualitatibus naturalibus rei, ab abundantia vel penuria ipsius, ab ipsa necessitatis urgentia et natura, a voluntate et fortuna tam illam volentis acquirere quam actualis possessoris [28]. Doctrina generalis de valore rerum eodem modo applicari potest ad valorem laboris humani.

c) *Falso supponit*: 1) operariis non dari nisi stricte necessarium ad suam sustentationem; 2) omnem valorem productus laboris unice labori manuali, nihil vero capitali, nihil labori intellectuali, nihil naturae deberi, utrumque vero falsum esse in oeconomia recta abunde probatur.

740. 5. **Quoad legem concentrationis capitalium.** Falsa etiam invenitur. A tempore Marx: *a*) magnae utique fortunae creatae sunt, quarum potentia est summa; *b*) sed fortu-

---

[27] Desumitur enim ab auctoribus classicis liberalibus, nominatim a RICARDO, illam pessundando; cf. MENGER, *El derecho al producto íntegro del trabajo* p.7-8.

[28] Cf. Optime BALMES, *Verdadera idea del valor*: *Obras completas* BAC 5,616-624.

nae et census medii etiam aucti sunt; actiones societatum anonimarum multoties ad parvos proprietarios pertinent; *c*) retributio operariorum non solum absolute, sed etiam relative, magnopere meliorata fuit, ut videre licet ex ipsis vestibus, ex alimentis, ex maiori instructione, ex tecto, ex ipsis relaxationibus operariorum maxime industrialium [29].

Si theoria marxista fuisset vera hodie mundus universus in summa miseria physica iacere deberet, quod falsum est. Adhuc sunt multi parvi proprietarii in agricultura, in industria, et in commercio. In perturbatione ultima, ut fructus evolutionis capitalistae, nec ipse Lenin fidem habebat relate ad Russiam [30].

741. 6. **Quoad novum ordinem socialem.** *a*) IN ORDINE PHILOSOPHICO: *principium aequalitatis absolutae* omnium, quod est fundamentum totius doctrinae, reiici debet. Iura utique hominum *in abstracto* considerata sunt aequalia: quoad dignitatem naturae, quoad participationem gratiarum a Deo benigne concessarum...; *in concreto vero* aequalitas oeconomica est omnino absurda, cum inaequalitas in mundo exsistens fundetur in ipsa inaequalitate facultatum intellectualium, moralium, et physicarum; quin immo, inaequalitas socialis est omnino necessaria ad societatem [31].

Quaerenda utique est in ordine oeconomico *minor inaequalitas* sed nullo modo perfecta aequalitas [32].

742. *b*) IN ASPECTU MERE OECONOMICO: *collectivismus bonorum est impossibilis.*

N. B. Praescindimus vero in hac refutatione facienda ab ideis philosophicis et religiosis systematis quas vidimus esse falsas; consideramus collectivismum bonorum productivorum tantum; consideramus ad hoc homines prout de facto exsistunt cum suis inclinationibus naturalibus egoisticis, et supponendo illos vivere vitam dignam humanam cum sana libertate, in regimine vero democratico, in quo detur plena aequalitas ut volunt socialistae, et pacifica conviventia omnium. Aliud esset dicendum in regimine dictatoriali, despotico, neglecta libertate et dignitate humana sub dura dictatura.

Dicimus ergo esse impossibilem illum ordinem socialem in quo a) *proprietas* omnium bonorum productivorum, per-

---

[29] Cf. MAC. DONALD, *Socialismo* p.71-72; TALLADA, *Economía política* (Barcelona 1945) p.368ss.

[30] Cf. ALEXANDROVICH SALOMÓN, G., *Lenin; Los Ulianoff* p.48ss.

[31] Cf. Optime BALMES, *Criterio* c.14 §5: *Obras completas,* BAC 3,632-635.

[32] Cf. *Rerum novarum* n.14; GONZÁLEZ, IRENEO, *La cuestión social según J. Balmes* (Madrid 1943) p.119ss; MESSINEO, *Il vero concetto di eguaglianza sociale:* CivCatt (1946,3) 352-361; (1046,4) 195-204.

mutationis et transvectionis sit communis; b) communis etiam *gestio* omnium negotiorum et industriarum; c) omnis *productio*, cura bonorum, et *distributio* illorum etiam communis; d) *retributio* denique laboris, absque ulla spe lucri personalis, habeatur iuxta durationem socialem mediam eiusdem [33].

Nam impossibile practice erit [34]: *secernere* bona productiva a consumptivis in concreto etsi in abstracto facilis sit illa secretio; *determinare quantitatem* et qualitatem rerum faciendarum, nisi ingens exercitus inquisitorum habeatur, aut multa inutiliter conficiantur; *ordinare laborem* omnem salva personali libertate omnium, tam ad commorationem, quam ad genus laboris eligendum; *distribuere bona* salva iustitia: iuxta numerum individuorum, iuxta tempus laboris, iuxta valorem medium laboris, iuxta necessitates uniuscuiusque?; *stimulus sufficiens* laboris, absque damno libertatis aut aequalitatis omnium.

743. Brevi: illud regimen solummodo erit possibile: *a*) si *magistratus omnes* tali prudentia, sagacitate, et probitate vitae praediti essent ut semper amore boni communis ducerentur; *b*) si *subditi omnes* praeceptis superiorum ad nutum obedirent, paucis contenti essent, alacres et prompti in suscipiendis laboribus etiam arduis et abiiectis. Hi autem homines raro inveniuntur etiam inter illos qui spe praemiorum et metu poenarum vitae aeternae et amore Dei Omnipotentis et Omniscientis ducuntur; a fortiori ergo non invenientur inter illos qui vitam aeternam et ipsum Deum negant, ideoque e medio tollunt veram obligationem in conscientia.

§ 4. **Socialismus reformista seu revisionista** [35]

744. Hodie pauci inveniuntur, qui purum marxismum sustineant, nam fere omnes socialistae reiiciunt aut varia aut omnia quae ut fundamentalia habentur in doctrina a Marx proposita; ideo appellantur marxistae sed *revisionistae*.

1. IN QUO DISCREPET A PURO MARXISMO. Reformationes

---

[33] Cf. CATHREIN, *El socialismo* p.251-255.

[34] Cf. CATHREIN, *El socialismo* p.256-320; BRUCCULERI, *El comunismo* p.34-50; FALLON, *Economía social* p.179ss.

[35] Cf. *Quadrag. anno* n.42ss; CATHREIN, *El socialismo* p.58-84; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* t.4 p.2.ª p.316ss; GONZÁLEZ ROJAS, *Lo que es el marxismo* p.313ss; GAFO, apud Ciencia Tomista (1942) 458ss; 9 (1916) 108ss; GIDE-RIST, *Hist. de las doct. econ.* l.4 c.3 §3; GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* p.504ss; FALLON, *Economie sociale* p.154ss.

potius aspectum oeconomicum considerant, nam in aspectu *philosophico* plerique sunt etiam materialistae, etsi non tam crassi ut MARX; in specie reiicere solent materialismum historicum; in aspectu *religioso* fere omnes sunt etiam athei et antirreligiosi; *theoriam valoris* generatim non admittunt; legem concentrationis capitalium in dies crescentis reiiciunt; fidem praestare non solent pseudoprophetiae *luctae finalis* et fatalis; in *pugna classium* indulgentiores et mitiores sunt; nec illam expresse acuere volunt, sed si possibile sit minuere; admittunt collaborationem et directionem ipsam in guberniis nationum ad introducendum mediis legalibus eorum programma in legislatione sociali.

In doctrina circa *proprietatem privatam* mitigationes admittunt, nam generatim non reiiciunt proprietatem privatam bonorum productivorum quae ab ipso domino directe absque operariis conductis sive in parva industria sive in agricultura et in commercio laborantur. Solummodo ergo proponunt socializationem magnae industriae et culturae, et illarum rerum quae maximi momenti esse possint pro bono communi [36].

745. 2. IDEALE PROXIMUM ILLORUM sunt *immediatae meliorationes sociales* intra institutiones exsistentes; praecipuae vero sunt hae: augmentum *cooperativarum,* speciatim rerum consumptivarum; constitutio *associationum* operariorum (sindicatos) ad fines professionales et politicos; promulgatio *novi codicis* laboris, in quo legaliter imponantur in favorem operariorum hae inter alias meliorationes: duratio maxima laboris 40 horarum, vacationes annuae cum retributione saltem per 15 aut 20 dies, subsidia congrua familiaria, assecurationes omnis generis; *socializatio* i.e. acquisitio ab Statu vel a municipiis titulo oneroso vel gratuito, iuxta casus, industriarum quae iam sint maturae ad illam socializationem, v.c. currus ferrei, lineae navigationis, fodinae, associationes assecurationum, industriae electricae, magnae industriae, sedes pecuniariae (bancos) [37]; successivae *expropriationes* fortunarum per tributa progressiva supra censum et hereditates; *transformatio idearum* et institutionum publicarum methodo penetrationis, curando ut ideae et personae socialistae omnibus in locis penetrent; sic paulatim socialismus influxum exercebit

[36] Cf. LORETTI, *La nationalisation des industries-clés* p.19-24; TASIN, *La dictadura del proletariado* p.177ss, in quibus refert systema OTTO BAUER.
[37] Cf. GRIFFIN, *¿Es conveniente nacionalizar la Banca?*: FomSoc 1 (1946) 177-190.

in iure, in tribunalibus, in educatione publica, in administratione.

746. 3. CRISIS HUIUSMODI SOCIALISMI. a) *In aspectu oeconomico* pleraeque propositiones eiusdem admitti possunt et defendi (*Quadrag. anno,* n.44); *spiritus tamen* propter quem hae meliorationes proponuntur, v.c. eo quod iudicent iniustam proprietatem privatam mediorum productivorum, vel eo quod existiment hoc esse medium optimum perveniendi facilius ad metam finalem, nempe collectivismum; vel eo quod statuere velint perfectam aequalitatem omnium... reiiciendus est.

b) *In aspectu philosophico et religioso* omnino reiici debent principia materialistica et antirreligiosa etiam huiusmodi formae socialismi; in hoc enim systemate homo et societas non habent nisi finem terrenum, materialem (Q.A., n.47); in illo materia et elementum oeconomicum primatum habent, cui omnia subordinantur; omnia namque subordinantur productioni bonorum materialium (Q.A., n.47 med.); in specie reiicienda est eorum *methodus penetrationis* maxime apud infantes et iuvenes ad illos educandos modo socialistico (Q.A., n.49).

c) Haec ergo forma socialismi *prout de facto* proponitur a suis fautoribus *in suo complexu* omnino reiicienda est; nec conciliari potest cum doctrina catholica (Q.A., n.48). Meliorationes tamen iustae ab ipsis propositae ab omni catholico, qui hoc nomine dignus esse velit, defendi debent (Q.A., n.50 s.).

§ 5. **Anarchismus et syndicalismus revolutionarius**

747. 1. META IPSIUS ET ORIGO[88]. *a*) Centrum huius tendentiae est thesis marxista catastrophica revolutionaria. Existimat vero impossibilem esse transitum a regimine capitalistico ad regimen socialisticum, a Marx praenuntiatum, absque summa violentia ex parte operariorum. Reiicit doctrinam concentrationis industrialis vi legis cuiusdam naturalis iuxta quam illa evolutio sponte habebitur; ideo ante omnia hanc extremam perturbationem omnibus modis praeparare vult, in

[88] Cf. GONNARD, *Hist. de las doct. econ.* p.513ss; GIDE-RIST, *Hist. de las doct. econ.* 1.5 c.4; GONZÁLEZ-BLANCO, E., *El anarquismo expuesto por Kropotkine* (Madrid 1931); *El sindicalismo expuesto por Sorel* (Madrid 1934); DURAND, I., *L'avenir est il aux Anarchistes? La doctrine anarchiste:* Travaux (1947) 858-877; apud CATHREIN, *El socialismo* p.12-14 programma huius.

qua regimen capitalisticum prorsus disparere et societas communista oriri debet.

Parens anarchismi habetur BAKOUNIN, in quo tamen non parvum influxum exercuit PROUDHON, qui propter has differentias a collaboratione cum Marx et cum socialistis seiungitur. Ad hanc tendentiam pertinent etiam: STIRNER, KROPOTKINE, RECLUS, GRAVE, SOREL.

748. 2. IN QUO CONVENIAT ET IN QUO DIFFERAT A PURO MARXISMO. a) *In aspectu oeconomico* anarchistae profitentur collectivizationem non solum bonorum productivorum, sed etiam magna ex parte bonorum consumptivorum. Productio ab associationibus operariorum independentibus dirigi quoad omnia debet, distributio vero fieri debet iuxta necessitates uniuscuiusque.

b) *In aspectu politico* reiiciunt omnem veram auctoritatem socialem statalem; fundamentum organizationis socialis sunt associationes operariorum independentes, ac in hoc maxime a communismo bolchevista differunt [39].

c) *In aspectu religioso* sunt marxistae rigidiores, reiiciunt omnem ideam religiosam et moralem, sunt materialistae.

d) *In aspectu sociali.* Maxime insistunt in plena et absoluta aequalitate et libertate in omnibus hominibus, liberalismum in hoc puncto sequentes.

e) Opponitur socialismo marxistae maxime propter momentum quod actioni directae revolutionariae et omnimodae libertati concedit. Nullam admittit collaborationem cum societate capitalista; reiicit actionem legalem ad ipsam reformandam; neque admittit meliorationes sociales in favorem operariorum sed e contra illas plane respuit; et potius vult ut peiores fiant, ut lucta inter has classes sit fortior et durior. Unicum medium pro ipsis est actio directa revolutionaria ad destruendam societatem [40].

---

[39] Cf. BUJARIN, *El programa de los bolcheviques* c.4 p.25ss.

[40] Repraesentationem quasi officialem habuit in 4ª internationali associatione, nostris diebus ut mortua consideranda, cuius dux fuit TROTSKY; magna vi defenditur in suis operibus a SOREL, qui ante omnia in operariis vult reaffirmare ideale quasi mythicum cessationis a labore (huelga).

Haec fuit tendentia russica in primis annis perturbationis illius nationis etsi deinde magis tendat in bolchevismum staliniano-leninistam.

§ 6. Communismus bolchevista

A. Doctrina eiusdem[41]

749. 1) Origo: Socialistae directionem nationis arripuerunt in Russia anno 1917. Ab hoc tempore Russia est centrum doctrinae communistae in universo mundo sub nomine *communismi* (*bolchevistae*), quae diversis nominibus appellari solet nempe: sovietismus, bolchevismus, communismus, marxismus, quae passim ut synonyma usurpari solent[42].

750. 1) Doctrina communismi bolchevistae (cf. Q.A., n.43; *Divini Redemptoris*, nn.8-15. Est ipsa doctrina marxista, nam Lenin[43], qui auctor communismi bolchevistae est, sese dicit discipulum et commentatorem Marx in omni ordine. Similia profitetur Stalin[44].

a) *Quoad ideas philosophicas.* Bolchevismus omnino sequitur doctrinam marxistam; est ergo materialista rigidus, profitetur triplicem materialismum marxistam; nullam ideam religiosam patitur; nullam classem socialem exsistere permittit nisi operariorum seu proletariorum, hoc vero in suo stadio finali; interea praedominium habebit *partitus*, qui classem specialem constituit, et est quasi fermentum societatis.

b) *Quoad proprictatem.* Bolchevismus collectivismum purum profitetur; omnia bona productiva in manibus Status esse debent, tam in industria, quam in agricultura et in commercio. Distributio ab ipso Statu fieri debet, in regimine dictaturae proletariatus unicuique dando iuxta laborem impensum, deinde vero in regimine vere communista iuxta proprias necessitates.

c) *Dictatura proletariatus.* En nota peculiaris bol-

---

[41] Cf. Lenin, *Karl Marx et sa doctrine;* Stalin, *Principes du leninisme;* Gide-Rist, *Hist. de las doct. econ.* l.5 c.4 §5; Gonnard, *Hist...* p.517ss; Yvon, *L'U.R.S.S. telle qu'elle est.*

[42] *Sovietismus* denotat determinatam organizationem politicam in qua gubernium exercetur a repraesentantibus populi. De facto non datur in U.R.S.S. *Bolchevismus* denotat originem historicam huius factionis politicae, nempe quae maiorem partem suffragiorum obtinuit in Congressu habito anno 1903. *Communismus* denotat aspectum oeconomicum. Nomen officiale partitus est *Partitus Communista* (bolchevista). *Marxismus* indicat cognationem doctrinalem cum Marx.

Cf. *Historia del partido comunista* p.152; Gonnard, *Hist. de las doct. econ.* p.520-521.

[43] Cf. W. Sorim, *Biografía de Lenin;* Georges A. Salomon, *Lenin: Los Ulianoff;* Cardoso, I., *El comunismo y la conspiración contra el orden cristiano* (México 1950) p.321-341; Ponzyna-Marsot, *Bolchevisme: Dict. Soc.;* Tasin, *La dictadura del proletariado* p.101ss.

[44] Cf. Lenin, *Karl Marx et sa doctrine;* Stalin, *Principes du leninisme* p.5.

chevismi [45]. Lenin aliquibus locutionibus ex operibus Marx deductis duas periodos in societate communista distinguit, socialistam nempe et communistam. In prima Status requiritur et quidem dictatorialis, sub directione tamen operariorum ad imponendam paulatim collectivizationem bonorum et ad classes supprimendas. In secunda vero iam non erit Status, ordo enim sponte regnabit, vi solius bonitatis generalis et universalis omnium. Difficultas invenitur in prima periodo; ideo omnes conatus Lenin ad hunc gressum diriguntur. Existimat autem, ut anarchistae, hunc gressum impossibilem esse nisi expresse foveatur, in quo a doctrina marxismi puri recedit iuxta alios marxistas [46]. Lenin Statum ipsum assumit ad hunc gressum, seu ad revolutionem efficiendam. Nam in doctrina bolchevista, sicut in anarchista, Status est essentialiter elementum opprimens, et quemadmodum in societate capitalista per ipsum opprimuntur operarii, in societate socialista per Statum dictaturae proletariatus opprimuntur capitalistae, usque ad ipsorum anihilationem [47].

Non est igitur bolchevismus evolutio tendens in democratiam, cum democratia, iuxta Lenin, sit regimen in favorem capitalistarum; dictatura proletariatus erit regimen in favorem solummodo operariorum. Cum vero classis capitalistarum omnino iam disparuerit et sola classis proletariorum remaneat tunc ipse Status disparere debet utpote innecessarius.

B. Experientia in Russia

751. 1) Per dictaturam proletariatus Status bolchevista dominationem omnimodam exercuit et nostris adhuc diebus exercet despotice; ac modo cruento sub ferrea disciplina, ultra quam quod credi potest, eliminare contendit quidquid regimini communistico contrarium esse potuerit, quin libertas et dignitas personalis prae oculis habeantur [48].

2) Classes sociales non proletariae radicitus eradicatae sunt; ideae religiosae et morales penitus eversae sunt; proprietas privata omnium mediorum productivorum tam in *industria,* quam in *commercio* et multoties ipsa proprietas bo-

[45] Cf. Stalin, *Principes du leninisme* p.5-7; Lenin, *El Estado y la revolución.*

[46] Cf. Tasin, *La dictadura del proletariado* p.5ss.

[47] Stalin, *Principes du leninisme* p.43ss; Lenin, *El Estado y la revolución* (Barcelona 1938).

[48] G. Ivon, *L'U.R.S.S. telle qu'elle est* p.71-95; Mora, Zwierniak, *Justicia soviética.*

norum consumptivorum, v.c. domorum fuit sublata; initio in *agricultura* etiam omnis proprietas in manus Status transiit; omnes prorsus homines laborare coguntur secus necessaria, ad vitam sibi comparare nequeunt; retributio tamen laboris mediante pecunia habetur, qua unusquisque ex sibi necessariis in apothecis et commerciis Status emit quantum potest.

3) Interea indefesso labore partitus animos colere studet ad illos efformandos iuxta ideale communista, spe adventus aureae aetatis communismi, in qua plena libertate et aequalitate ac maxima quantitate bonorum omnium omnes fruentur. Bolchevistae tamen non audent determinare tempus in quo huiusmodi adventus habebitur.

C. Obstacula praecipua

752. *Quattuor impedimenta praecipua* bolchevismus invenit.

1) *Religio*: bolchevismus indefesse contra religionem pugnavit , quin in huiusmodi pugna unquam requies haberetur, etsi aliquando, ratione methodi, mitior haec pugna apparere potuerit. Tamen etiam nunc spiritus religiosus, maxime inter agricolas, perdurat [49].

2) *Amor patriae*: communismus bolchevista est essentialiter internationalis; nunc vero, relicto internationalismo, iterum ad ideale patrium rediit. Ideo in Russia postremis temporibus nationalismus, sicuti in nationibus capitalistis fovetur. Universalismus ergo in hac parte derelinquitur.

3) *Proprietas privata*: pugna contra proprietatem privatam, ut intelligi potest, fuit centrum activitatis bolchevismi. Post primam radicalem periodum ipse Lenin methodum mutare coactus est propter ingentem penuriam et miseriam subsecutam supressioni nimis radicali proprietatis, praecipue agrariae. Deinde alia radicalis periodus cum Stalin advenit; iterum tamen Stalin speciales concessiones agricultoribus facere debuit.

In industria et commercio utique proprietas privata fere evanuit, in iis media productionis in manus Status transierunt. Ex quo magna industrializatio nationis subsecuta est,

[49] Cf. *Suma católica contra los sindiós* c.12 p.455ss; Legault, H., *La critique marxiste de la religion:* Laval Thph 1 (1945,1) 150-167; (1945,2) 153-183; *La política religiosa de la U. R. S. S.*: Arbor 7 (1947) 296ss; Arseniev, N., *La pieté russe:* Lumen Vitae 1 (1946) 412-433; Ledit, *Crisi nell'ateismo militante sovietico*: CivCatt (1935,1) 561-575; Castro Delgado, *La vida secreta de la Komintern* p.400ss.

eo quod in hunc finem omnis activitas nationis fuit directa, cum ex alia parte natio incredibiles et copiosas naturales divitias haberet, et methodi crudeles adhibitae fuerint ad obtinendas magnas res parvo pretio. (Cf. *Divini Redemptoris* n.8.)

4) *Disparitio classium*: in hoc puncto capitale doctrinae bolchevismus defecit. Initio classes disparuerunt; cito tamen exsurgere coepit quaedam aristocratia quae decursu temporis aucta est, quaeque nunc iam stabilis apparet, nempe *burocratia;* quae aliunde est quid essentiale huic regimini, simulque contra essentiam communismi, qui ante omnia perfectam omnium aequalitatem instaurare ac spoliationem operariorum vitare ex parte non laborantium intendit.

Viget ergo in communismo russico inaequalitas socialis quae potissimum ex his capitibus apparet:

a) *Datur inaequalitas in salario,* ex qua necessario oritur inaequalitas in modo vivendi, qui munera Status exercent innumera commoda habent, quibus reliqui privantur, sic, v.c. habent currum automovilem, res in quibusdam specialibus apothecis sibi reservatis emere possunt, habent splendidas domos multaque alia huiusmodi.

b) *Insignia honorifica iterum introducta fuerunt.* Verbo: habetur nova aristocratia, quae gaudet iisdem privilegiis ac in nationibus capitalistis. Datur vera separatio inter burocratas et reliquos operarios.

Haec praxis paulatim in doctrinam ipsam permanat. Sic nunc iam non illa aequalitas omnium praedicatur, sed solummodo classium suppressio. Aequalitas habetur ut absurda reactio, impossibilis in regimine socialista. In hoc ergo puncto habetur etiam evolutio in doctrina marxista.

Etsi proprietas privata mediorum productivorum sit una ex praecipuis causis differentiationis classium, dantur etiam aliae ut sunt differentiae in functionibus ac in muneribus publicis. In nationibus capitalistis, mediante hereditate transmittitur classium diversitas, in regimine communista russico transmittitur mediante munere; nam qui munus aliquod exercet filiis munera privilegiata conferre studet.

753. Conclusio. 1) In communismo russico non datur neque umbra sovietismi, omnia enim tyrannice populo imponuntur; 2) nec perfectus communismus, nam habetur aliqua proprietas privata mediorum productivorum in agricultura; 3) nec aequalitas classium, habetur enim spoliatio operariorum ex parte burocratiae; 4) nec libertas qualis a per-

sona humana requiritur ut modo vere humano vivere possit; 5) ipsa productio bonorum necessariorum ad necessitates humanas satisfaciendas minor est quam in aliis regiminibus ita ut modus vivendi sit generaliter miserrimus in victu, in vestitu, maxime in commoratione; 6) etsi detur non parva productio industrialis et maxime bellica [50] ut in nationibus regiminis totalitarii, et opera ingentia perfecta fuerint, hoc obtentum fuit mediis generatim pravis, qualia sunt inhumani et diuturni labores impositi ad labores coactos damnatis, et ipsis operariis ordinariis; communismus russicus non est nisi ingens et despotica dictatura, qualis hucusque nunquam in mundo fuerat [51].

ARTICULUS III

De formis socialismi non marxistis

§ 1. De laborismo anglico [52]

754. 1. Origo historica. Laborismus anglicus est quidam motus politico-socialis paulatim evolutus. Ultima evolutionis periodus est *partitus laborista,* qui anno 1924 primo directionem gubernii obtinuit.

Hic motus politico-socialis operariorum anno 1871 originem habuit; deinde anno 1901 in Congressu nationali associationum operariorum (Trade-Unions) constituitur partitus politicus *Labour representation committe* cognominatus, qui anno 1906 nomen accepit *Labour Party,* quod et hodie retinet.

Diversis associationibus operariorum constat, ac finis eiusdem est easdem apud Cameram deputatorum defendere. Anno 1945 maiorem partem sufragiorum in electionibus obtinuit, quam iterum servavit anno 1950.

755. 2. Principia doctrinalia. Laborismus anglicus: 1) defendit socialismum, sed sub forma peculiari, seu anglica (cf. Attlee, p.10,12); 2) non est marxista (Attlee, p.110,113s; Mac Donnald, p.80), nec anarchista, nec communista (Attlee, p.10-11; Mac Donnald, p.95) 3) reiicit materialismum ac determinismum (Mac Donnald, p.110-113); 4) reiicit principium de aequalitate absoluta omnium in societate (Attlee, p.84; Mac Donnald, p.108); 5) reiicit pugnam classium (Mac Donnald, p.114); 6) admittit proprietatem privatam etiam bonorum productivorum (Attlee, p.88; Mac Donnald, p.98-101); 7) Vult obtinere progressivas reformationes sociales in favorem opera-

---

[50] *El cuarto plan quinquenal ruso* (1946-1950): Arbor 6 (1946) 83-110.

[51] Cf. Castro Delgado, *Vida secreta de la Komintern* p.417.

[52] Atlee, *Pasado, presente y futuro del laborismo* (Barcelona 1946); Mac Donald, *Socialismo* (Barcelona 1926); Fabra, *Origen y carácter del movimiento laborista* (Madrid 1924); Brucculeri, *Laborismo e marxismo:* CivCatt (1945,3) 201-208; Griffin (Azpiazu), *¿El partido laborista inglés es anticatólico?:* FomSoc 1 (1946) 65-74.

riorum, sed modo legitimo, ut inaequalitas socialis sit minor (MAC DONNALD, p.122-130); 8) defendit regimen democraticum parlamentarium (ATTLEE, p.76,85); MAC DONNALD, p.116); 9) profitetur pacifismum internationalem, quin tamen armatam collaborationem renuat, cum sit necessaria; 10) Non est antirreligiosus, sed defendit quemdam solidarismum religiosum, in christianismo anglico fundatum.

Verum tamem est postremis temporibus radicaliorem tendentiam in ipso ortam fuisse, socialismi reformistae marxistae valde affinem, quae ad crebras interventiones ex parte Status in proprietate privata eumdem impellit. In materia religiosa pariter haec tendentia invenitur radicalior. Ideo nuper (1951) scissio in partitu habita est.

756. 3. CRISIS. Aliqua in eo invenimus admittenda, alia vero reiicienda. Admittimus spiritum socialem eiusdem, iuvandi nempe classes debiliores societatis; pleraque media ad hoc adhibita non sunt pariter reprehendenda. E contra recentes nationalizationes fodinarum, institutorum crediti (Bancos) et similia reiicienda videntur, vel ut illegitima vel saltem ut societati non convenientia. Nimis praeterea coarctare proprietatem privatam videtur, exaggerata onera eidem imponens.

Collaboratio cum hoc partitu non est catholicis interdicta. Constat enim verba PII XI (*Q. A.* n.48) "Nemo potest esse simul verus catholicus et verus socialista", sese referre ad socialismum marxistam, maxime propter materialismum et spiritum antirreligiosum eiusdem, quod in laborismo non datur.

§ 2. De socialismo psychologico [53]

757. 1. EXPOSITIO SYSTEMATIS. Est forma recentior socialismi a belga HENRY DE MAN exposita. Praecipua capita huius systematis sunt duo: pars nempe negativa et pars positiva.

a) *Pars negativa: Crisis socialismi marxistae.* Marx omnia explicari existimat mediante elemento oeconomico; in hoc vero prorsus fallitur. Non enim confundi debent prosperitas oeconomica et felicitas. Crisis socialis debetur non solummodo miseriae materiali, sed potissimum complexui inferioritatis, quo operarii laborant; ad hoc vero solvendum necessarium est remedium quoddam ordinis psychologici; nequit ergo quaestio socialis ordini oeconomico limitari.

Complexus inferioritatis apud operarios duobus constat elementis, idea nempe explotationis, et idea oppressionis, quae in operariis habentur. *Idea explotationis:* operarius enim experitur salarium acceptum nequaquam labori praestito aequivalere. *Idea oppressionis:* sentit enim classem operariorum in vita sociali minus aestimari quam aliae, ideo in labore nequit propriam felicitatem invenire. Marxistae solummodo ad explotationem attendunt, sed necessario prae oculis habendum est etiam aliud elementum; ut quaestio socialis solvatur haec idea inferioritatis debet disparere. Marxismus ergo reformari debet. Praeterea doctrina marxista circa concentrationem di-

[53] DE MAN, *Más allá del marxismo* (Madrid 1933); *L'idés socialiste* (París 1935); *Le socialisme constructif* (Paris 1933).

vitiarum et crescentem miseriam operariorum prorsus falsa comperta est.

b) *Pars positiva.* In primis curandum est materialismum ab operariis expellere, ad pristinum fervorem religiosum eosdem revocando. Ideale ad quod tendere debemus erit maiorem felicitatem maiori numero possibili individuorum procurare, ad quod prorsus requiritur ut ille complexus inferioritatis operariorum dispareat, quod supponit nivelationem classium.

De Man socialismum apellat quamlibet aspirationem contra aliquam iniustitiam socialem. Hoc modo intellectus socialismus non ut aliquid novum est iudicandus, sed iam a temporibus antiquissimis profitetur; neque praesens tentamen ad depellendam actualem iniustitiam ultimum in historia erit. Societas a marxistis praenuntiata est pure utopica. Iniustitiae sociales, uno vel alio modo, semper in societate invenientur.

Iniustitia socialis nostrorum temporum, in quo cum marxistis coincidit, potissimum oritur ex eo quod capitalistae media productionis privatim possident, propter quod constituuntur in classem privilegiatam; ideo conamen actuale socialismi potissimum dirigitur contra proprietatem privatam bonorum productivorum.

Non tamen quaelibet proprietas privata reiicitur, sed solummodo illorum bonorum productivorum, quae non directe ab ipso domino sed mediantibus operariis conductis laborentur; haec bona debent socializari, non vero ab ipso Statu administrari.

Similia defendunt Del Vecchio, Giorgio, et Art. Labiola[54].

758. 2. Crisis. Haec forma socialismi quoad partem negativam, seu eiusdem critica marxismi omnino vera est. In parte positiva non tam determinata invenitur. Tamen quoad principia fundamentalia etiam admittenda est, neque ut quid peculiare huius doctrinae debet considerari.

Reiicienda in ea est doctrina circa suppressionem classium socialium, diversitas enim classium est prorsus in societate necessaria.

Nimis praeterea limitat proprietatem privatam ad bona productiva, quae directe ab ipso domino cum sua familia possint laborari. Neque credendum est mala socialia reduci ad mala quae proveniunt ex relationibus inter operarios et patronos. Dantur enim alia forte non minoris momenti, v.c. quaestio familiaris, quaestio scholaris...

§ 3. De socialismo status[55]

759. Quid sit. Non semper eodem sensu usurpatur. Aliquando enim socialismus status appellatur illa socialismi forma, quae Statu utitur ad socialismum seu collectivismum statuendum; alias quaelibet interventio Status in materia sociali seu oeconomica; alias denique specialis et abusiva interventio Status in materia sociali, oeconomica et politica. Non est ergo conceptus omnino praecisus.

Ordinarie tamen socialismus Status vocatur: *illud regimen poli-*

[54] Del Vecchio, G. *Materialismo económico y psicológico histórico* RevInSoc. 15-16 (1946) 25-42; Labiola, Art., *Al di la del capitalismo e del socialismo.* Cf. FomSoc 2 (1947) 483s.

[55] G. Gonnard, *Hist. de las doctr. econ.* p.480ss; Gide-Rist, *Hist. de las doctr. econ.* p.703-724; Antonie, *Economie Sociale* p.248.

ticum et sociale quod soli Statui attribuit reformationem socialem, illi concedendo ius ad illegitimam interventionem in oeconomia privata et in regimine laboris[56].

760. Doctrina eiusdem. In hoc systemate Status sibi postulat ius: 1. *Ad regulandum laborem usque ad minima,* imponendo lege aliqua durationem laboris, salarium tribuendum, assecurationes omnis generis, responsabilitates ex labore forte obortas. 2. *Ad nationalizationem* omnium associationum credidit (Bancos). 3. *Ad socializationem* industriarum et negotiorum maioris momenti in natione, v.c. viae ferreae, telegraphi, mediorum transvectionis... atque in genere illorum omnium quae fructuosius ab ipso Statu gerentur quam a particularibus. 4. *Ad directam administrationem* et curam omnium institutionum socialium et beneficentiae, directe et immediate curando de necessitatibus moralibus et materialibus civium, ut si esset motor et regulator totius activitatis naturalis civium.

761. Comparatio cum socialismo reformista. Non multum differt quoad rem a socialismo reformista, nisi quatenus aliquantulum maiorem relinquit proprietatem privatam, et quatenus diverso spiritu informatur. Socialismus enim Status procedit a principio philosophico sustinente Statum esse vere omnipotentem in omni ordine tam in politico quam in oeconomico.

Praeterea socialismus Status non postulat gubernium proletarium sed e contra in illo potest dari, et plerumque dabitur, gubernium auctoritativum, nec in favorem exclusivum classis proletariae. Omnia in illo Statui directe subiciuntur tam proprietas omnis generis, quam usus omnium rerum productivarum; neque libertas individualis magni habetur in hoc regimine.

Haec est forma socialismi in quam maxime Germania inclinatur iam a tempore Bismarck, speciatim vero nostris temporibus; in hanc etiam inclinantur omnia regimina totalitaria.

762. Crisis. Haec socialismi forma reiicienda est, quatenus sibi arrogat iura quae nullo modo Statui competunt, conculcando iura naturalia individuorum. Status enim in illis omnibus enumeratis solummodo intervenire potest cum eiusdem interventio sit necessaria ad bonum commune et cum illa a particularibus obtineri nequeant. Iura enim naturalia individualia priora et potiora sunt quam iura Status. Interventio vero necessaria Status in rebus oeconomicis non constituit socialismum Status.

[56] Cf. Antoine, *Economie sociale* p.249.

ARTICULUS IV

De socialismo agrario

Thesis 38. Socialismus agrarius exponatur ac refutetur.

Cf. George, H., *Progreso y miseria* (1879); *Carta a León XIII* (1891); Gide-Rist, *o. c.* p.894ss; Gonnard, *Hist. de las doct. econ.* p.488ss; Garriguet-Larramendi, *La propiedad privada* p.17ss; Cathrein, *Filos. Morale*, v.2p.274-312; Pesch, *Tratado de economía nacional*, v.1n.83ss.

763. Nexus. En forma socialismi partialis, quae sese extendit solummodo ad terram, nihil de reliquis bonis asserens; speciale momentum saec. XIX habuit; nostris diebus aliquibus in locis iterum agitatur quaestio, ideo paulo fusius illam exponere volumus.

§ 1. Expositio systematis

764. 1. Notio. Socialismus agrarius est systema politico-oeconomicum asserens bona productiva immobilia (terram, prata, silvas, fodinas...) sub dominio directo Status esse debere, aut saltem omne beneficium illorum Statui cedere debere.

Nequit confundi cum quibusdam factis historicis, quorum finis erat non proprietatem privatam terrae e medio tollere, sed e contra illam maiori numero hominum procurare; socialismus namque agrarius non vult repartitionem proprietatis ruralis, sed simpliciter suppressionem ipsius.

765. 2. Praecipui defensores. Originem habet angloamericanam (Liberalismus habuerat potius originem anglicam, socialismus germanam, communismus vero russicam). In Anglia et in Statibus Unitis praecipuos eiusdem defensores invenit, eo quod tunc temporis in iis nationibus proprietas terrae praedominium haberet, et fere exclusive ad aristocratiam pertineret.

Inter auctores praecipuos numerantur Flurschein, Damaschke, Hertzka, Stuart Mill J., Laveleye et George, qui est praecipuus omnium.

766. 3. Doctrina George. Henri George (1839-1897) stylo vivido et populari potius quam scientifico, sincero animo motus demonstrare conatur dominos fundorum et soli sibi reservare omnia beneficia quae societati augmentum populationis et progressus industrialis affert. Ideo quo maior est cultura

alicuius nationis eo maior est differentia inter divites ac pauperes.

Census enim terrae quotidie augetur, e contra interesse capitalis et salarium operariorum aut idem est aut potius minuitur. Hoc vero debetur non decrescenti proventui terrae, ut volunt oeconomistae liberales, neque spoliationi operariorum ex parte capitalistarum, ut socialistae affirmant, sed simpliciter augmento census terrae. Propter competitionem enim inter patronos et operarios interesse capitalis et salarium operariorum intra normam quamdam continetur, e contra census terrae, cum sub monopolio a suis dominis possideatur, in infinitum crescere potest.

Quo ergo populatio fit maior, quo maiores sunt necessitates eiusdem, et quo progressus industrialis maiorem numerum operarium absque labore relinquit, eo maior est census terrae, cum terrae minoris etiam proventus coli debeant, quo fit ut census agrorum et soli antea laboratorum sit multo maior. Inaequalitas socialis exsistens huiusmodi facto tribuenda est.

Ut remedium GEORGE proponit nationalizationem soli, aut saltem census eiusdem mediante tributo, quo omnis census terrae, deductis interesse capitalis et salario labori correspondenti, Statui concedatur. Huiusmodi tributum sufficere existimat ad omnia onera Status portanda, ideo ipsum appellat *tributum unicum* [57]; census enim terrae, cum societati debeatur, eidem redire debet.

767. 4. ARGUMENTA. Praeter rationem adductam socialistae agrarii sequentia afferunt argumenta:

a) *Historicum*: Aiunt primitus terram communi possessione haberi, deinde vero mediante *vi* aut *fraude* paulatim possessiones privatas introductas esse. Modus vero naturalis possessionis est modus primitivus, ad quem redeundum nobis est.

b) *Oeconomicum*: Unusquisque solummodo licite privata possessione potest habere illud quod sit fructus laboris eiusdem. Iam vero terra non est fructus laboris hominis. Ergo nequit haec privatim possideri.

c) *Morale*: Aiunt Deum omnia creasse ut necessitatibus omnium inserviant. Iam vero si aliqui sibi reservant possessionem terrae, reliqui, qui terras non possideant, non habent media necessaria ad vitam et necessitates humanas subveniendas, cum haec omnia a terra subministrentur.

---

[57] YAVEN, *El impuesto único:* RevEccle 6 (1934) 513-526.

§ 2. Refutatio systematis

1. *Argumenta quae a suis defensoribus afferunt sunt omnino falsa*

768. a) *Historicum*: Scriptores enim in rebus antiquitatis periti aiunt testimonia antiquitatis nos edocere etiam apud antiquissimos populos proprietatem privatam vigere non solum bonorum consumptivorum et mobilium, sed etiam bonorum immobilium et terrae. Nullum e contra adest testimonium in quo appareat proprietas collectiva terrae modo stabili et universali, si agatur de tribu aliqua culta et fixa [58].

Etiamsi verum esset quod ipsi gratuito affirmant, nihil adhuc probarent, scilicet privatam possessionem terrae esse contra ius naturale: ex hoc enim solummodo haberemus habitam fuisse evolutionem aliquam in iure proprietatis, quo cultura progressa est; quo enim maior est cultura nationum, eo maior est in illa proprietas privata [59].

769. b) *Morale*: Falsum est terras necessitatibus omnium minime inservire, si privatim possideantur; fructus enim terrae pecunia commutantur, quo pacto omnes commodis terrae frui possunt. Si quando vero domini terrae contra hanc destinationem bonorum naturalium agere, ac iniuste vel fructificationem, vel repartitionem necessariam productorum impedire velint, tunc utique intervenire poterit Status ratione boni communis ad illam imponendam, quin ad hoc requiratur ut ipse proprietarius eiusdem sit. Praeterea si quis in extrema necessitate inveniatur e fructibus terrae sibi accipere potest quae sibi sint necessaria ad illam sublevandam.

770. c) *Oeconomicum*: Legitimitas enim proprietatis privatae, neque unice, neque principaliter fundatur in iure ad fructum laboris uniuscuiusque. Secus nihil prorsus privata proprietate possidere liceret, nam saltem materia, ex qua res omnes constant, non est fructus laboris humani; nec cuivis res inventas possidere liceret, aut res nullius sibi acquirere, v.c. in piscatione, in venatione, cum illa animalia non essent fructus laboris.

---

[58] Cf. RIOULT DE NEUVILLE, *Les origines de la proprieté suivant M. E. de Laweleye*: RevQuestHist 50 (1891); 214-221; BRUCCULERI, *La proprieta negli stadi piu antichi della civilta*: CivCatt (1938,4) 127-138; PESCH, *Tratado de economia nacional* v.1 n.82.

[59] Cf. GARRIGUET, *La propiedad privada* p.18ss.

Si vero obiiciatur in iis casibus adesse iam laborem aliquem nempe occupationis; responsio in promptu est, nempe sicut in iis casibus occupatio esset titulus iustus ad proprietatem privatam eodem modo in possessione terrae occupatio eiusdem erit titulus iustus.

771. d) *Argumentum* GEORGE *de augmento crescenti census,* ita ut census omnem proventum nationis sibi assumat etiam falsum est. Historia enim teste, agricolae esse solent, etsi agros proprios colant, miserae aut mediae conditionis socialis ita ut labor impensus, multoties maior quam in reliquis professionibus, vix congruam retributionem accipiat e fructibus terrae. Census praeterea non modo non augetur quotidie sed e contra potius minuitur; quod sufficienter probat desertio terrae ab agricolis ut vitam sibi faciliorem in industria inveniant [60].

Nostris vero diebus maior pars proventuum nationis industriae tribuitur.

Aliquando utique, ob motiva omnino specialia, census terrae mirabiliter augetur; hoc vero tribui debet felici casui, sic, v.c. terra ad aedificationem iuxta magnas civitates.

2. *Practice est impossibilis*

772. Tria sunt systemata excogitata ad reducendum ad praxim socialismum agrarium: 1) Status, dominus terrae, ipse per operarios salario conductos illam administrat et colit; 2) illam certo pretio colonis administrandam tradit; 3) illam relinquit ut propriam suis possessoribus, ita tamen ut omnem censum sibi appropriet titulo tributi, praeter partem respondentem labori et capitali impenso, et aliquid amplius ad meliorationes faciendas et stimulum laboris. Haec vero tria systemata sunt practice pariter impossibilia.

773. *Quoad primum.* Nam: *a*) duceret in primis ad socialismum absolutum; nam practice tum Status esset unicus omnium rerum productor; *b*) deessent bona necessaria; deficiente enim stimulo ad laborem agricolae multo minus laborarent; *c*) magnopere societas pateretur, supprimeretur enim

[60] Cf. VALLE, F., *Una mirada al campo español*: FomSoc 1 (1946) 319-328; 2 (1947) 43-55; GENÉVREY, E., *La liberation du monde paysan*: SSF (Toulousse 1945) 197-213; LEMASSON, *Citadins et paysans dans la communauté française*: SSF (Strasbourgs 1946) 313-336.

classis agricolarum, fundos et domos stabiles habens, quae esse solet omnium tranquillior et moratior ac quasi fundamentum societatis: eorum in loco haberetur turba operariorum mercenariorum; d) denique haberetur spoliatio agricolarum. Ideo ipse Georges reiicit hoc systema.

774. *Quoad secundum.* Etsi minori gradu contra se habet omnes fere rationes praecedentis. Nam: a) destrueretur status agricolarum; b) deesset stimulus sufficiens ad laborem, nam plerumque cultura terrae exigit labores praevios, qui solummodo effici possunt, cum quis scit per multos annos se illam possessurum esse, v.c. serere arbores, aedificia struere, aquaeductos ducere; c) difficile erit, absque turba ingenti officialium publicorum, iustas conditiones contractus determinare cum tam diversa sit terrae fertilitas; d) spoliaretur etiam status agricolarum suis possessionibus.

775. *Quoad tertium.* a) Valde difficile erit multoties determinare quaenam esset pars proventuum pertinens ad capitale, quaenam vero ad laborem ut possimus dimetiri censum terrae; b) praedictum systema falso nititur supposito, existimat enim censum esse tantum ut ipse solus sufficiat ad onera Status sublevanda; experientia enim constat in omnibus fere nationibus censum terrae esse valde exiguum; et agricolas vitam valde difficilem habere, eo quod nimis gravantur tributis. Si vero eisdem maiora adhuc imponantur, vita pro ipsis impossibilis redderetur.

Haec ergo doctrina socialistarum agrariorum nihil solvit, et maxima incommoda afferret. Alunde Status illas partes soli, quae censum maiorem producere possunt, ut sunt terrae ad aedificandum aptae in magnis civitatibus et similia maximis tributis gravare solet.

CAPUT III

De solutione scholae catholicae

ARTICULUS I

DE FUNDAMENTO IURIS PROPRIETATIS

Thesis 39. Ius acquirendi proprietatem privatam etiam bonorum productivorum est ius naturale secundarium praecipiens.

Rerum novarum; *Quadragesimo anno*; Lugo, *De iust. et iure* d.6 s.1; Lessius, *De iust. et iure* c.5; [illegible], *La propiedad privada* p.6ss; Antoine, Pesch, *Économie sociale* p.537ss; Tonneau, *Propriété*: DTC 13,757-846; Vila, *Normas de orient. sociales* p.45ss; [illegible], *Doctrina social de la Iglesia* p.75ss.

776. **Nexus.** Vidimus doctrinam oeconomico-socialem liberalem et socialistam utramque per defectum vel per excessum a recta via deflectere. Exponemus nunc doctrinam veram, quae medium viam tenet.

Primum considerabimus fundamentum proprietatis privatae, tam in abstracto quam in concreto; deinde limitationes quas proprietas privata habere potest, tam ab ipsa natura, quam ab Statu; denique aliqua indicabimus de reformatione necessaria in regimine capitalistico moderno.

777. **Notiones.** Ius est facultas moralis ad aliquid (n.525ss).

778. IUS PROPRIETATIS ACQUIRENDAE: ius sua faciendi, cum exclusione aliorum, quaedam bona materialia.

Divisio proprietatis (cf. n.687): Ad thesim magis pertinent divisiones in publicam et privatam; socialem et individualem; bonorum productivorum et consumptivorum.

779. IUS NATURALE: facultas ad aliquid quae in ipsa natura humana fundatur et ab ipsa immediate conceditur, et vim habet independenter a quacumque lege positiva (cf. n.548ss).

Primarium: quod ab ipsa natura conceditur ad satisfaciendas praecipuas necessitates humanas v.c. in victu, vestitu, familia; *secundarium*: quod a natura conceditur ut homo vivere possit vitam modo naturae rationali convenienti.

780. Status quaestionis. 1. In hac thesi non agitur de determinato regimine proprietatis privatae, quod potest esse diversum, v.c. apud populos barbaros et apud nationes cultas et in unoquoque populo pro diversitate temporum. Agitur de iure proprietatis *in abstracto.*

2. Neque quaeritur utrum omnes homines debeant de facto proprietatem privatam bonorum productivorum habere; quaeritur tantum utrum in societate exercitium proprietatis exsistere debeat seu utrum homines generatim possint de *iure* ad ipsam accedere.

3. Denique quaeritur utrum hoc ius concessum sit omnibus hominibus immediate ab ipsa natura et quidem ita ut ipsa intendat actuationem in genere huius facultatis, consequenter sit contra ipsam regimen oeconomicum in quo proprietas privata non detur.

781. Sententiae. 1.ª *Negat adesse ius acquirendi* proprietatem privatam; ita:

a) COMMUNISTAE NEGATIVI, sunt omnium rigidiores, qui nullam restrictionem admittunt iuri uniuscuiusque ad accipiendum ex communi patrimonio humanitatis quidquid ei necessarium sit ad satisfactionem necessitatum eiusdem. Unice liber et mutuus hominum consensus limites ponere potest exercitio huiusmodi iuris. Lema horum est: *Nihil cuiquam proprium pertinet, omnia sunt omnibus.* Hi neque proprietatem positive communem admittunt. Vix invenitur qui huiusmodi communismum negativum defendat [1].

b) COMMUNISTAE POSITIVI, qui in genere sustinent proprietatem bonorum debere esse apud communitatem: 1) *absoluti* reiiciunt proprietatem privatam tam bonorum productivorum quam consumptivorum, solummodo admittunt proprietatem publicam socialem, ita v.c. CAMPANELLA, BABOEUF, SAINT-SIMON, FOURIER, OWEN; 2) *moderati* reiiciunt proprietatem privatam tantum bonorum productivorum, ita in genere *syndicalistae, anarchistae, socialistae,* qui differunt in assignando subiecto in quo illa proprietas exsistere debet, nempe societas civilis, vel syndicatus, seu associatio operariorum; 3) *socialistae reformistae* aliquam admittunt proprietatem privatam etiam bonorum productivorum; 4) *socialistae agrarii* unice negant legitimatem proprietatis privatae terrae.

[1] Cf. apud CATHREIN, *El socialismo* p.9-10.

Omnes hi conveniunt in affirmando proprietatem privatam esse causam initialem malorum omnium, ideoque postulant eiusdem abolitionem vel totalem vel partialem, iuxta characterem plus minusve radicalem doctrinae uniuscuiusque.

782. 2.ª *Negat fundamentum esse ius naturale,* ita: *a*) Qui contendunt esse creationem aliquam *legis civilis,* v.c. HOBBES, BENTHAM, MONTESQUIEU, FICHTE, A. WAGNER... pro quibus omnibus proprietas privata libere omnino introducta est, vel ad summum suadente natura humana, per legem civilem; ante ipsam vero nemo poterat res ut proprias sibi acquirere.

b) Alii affirmant introductam esse per *contractum* vel *pactum* aliquod primigenium, ita GROTIUS, PUFENDORF, HEINECIUS, ROUSSEAU. Homines initio in statu naturae vixerunt absque societate in quo statu usus omnium bonorum materialium erat communis neque quisquam poterat aliquid sibi usurpare. Deinde ut se liberarent ab innumeris malis quae ex hac bonorum indivisione oriebantur, de repartitione privata eorumdem pacti sunt, atque de mutua reverentia erga proprietatem uniuscuiusque.

c) Alii dicunt ius proprietatis privatae acquirendae provenire *a iure gentium,* quod ius omnino positivum et humanum arbitrantur; ius vero naturale, circa proprietatem privatam se habere mere permisive i.e. permittit ut ab hominibus introducatur in societate, nullo tamen modo illam praecipit, ut fusius deinde videbimus.

783. 3.ª *Nostra sententia.* 1) Nos dicimus ipsam naturam independenter et antecedenter ad quodlibet factum positivum humanum concedere omnibus hominibus facultatem sibi aliqua bona etiam productiva acquirendi; ipsamque *exigere* ut bona generatim hoc modo possideantur.

2. *Duobus vero modis* aliquid potest a natura exigi, nempe vel ut necessarium ad satisfactionem praecipuarum hominis necessitatum, v.c. in victu, in vestitu, in familia vel solum ut natura se habeat modo naturae rationali convenienti. Prima dicuntur *iuris naturalis primarii,* alia vero iuris naturalis *secundarii.*

Hoc secundum defendimus circa proprietatem privatam, seu esse iuris naturalis secundarii, hoc ius minus urget quam primarium. A Sto. Thoma et a multis scholasticis usque ad saec. XVII vocari solet ius gentium; in documentis vero pon-

tificiis semper appellatur ius naturale; nos etiam illud vocamus ius naturale sed *secundarium.*

3) Cum affirmamus esse ius naturale *praecipiens* volumus dicere homines a regimine proprietatis privatae etiam bonorum productivorum praescindere non posse, *si modo digno et naturae humanae conveniente vivere velint;* unde fieri *absolute* posset, ut proprietas privata in aliqua societate supprimeretur; haec tamen suppressio, quae nequiret esse totalis, nec per logum tempus, non perduraret nisi magna violentia adhibita. Est ergo proprietas privata *moraliter necessaria* naturae humanae. Si vero modo violento supprimeretur per aliquod tempus, tunc homines non viverent iuxta naturales exigentias naturae rationalis.

4) Naturam humanam consideramus cum passionibus et pravis inclinationibus quae ex ipsa naturaliter oriuntur. In statu indebitae perfectionis eiusdem, vel in statu iustitiae originalis *forte* proprietas privata non fuisset necessaria, ut communiter ab auctoribus sustinetur.

5) Agimus de bonis productivis, quia ab adversariis nostris temporibus unice horum bonorum proprietas reiicitur. Tamen quoniam separatio illorum bonorum non clare in praxi apparet, alii magis quam alii ad communem possessionem etiam bonorum consumptivorum accedunt; a fortiori erit naturale, ut ex argumentis apparebit, ius ad acquirenda bona consumptiva.

6) Non affirmamus *omnia* bona productiva privatim possideri debere, neque quidquam dicimus de quantitate bonorum quae hoc modo possint acquiri. Hoc thesibus subsequentibus statuendum est.

7) *Uno verbo*: dicimus ipsam naturam humanam postulare ut homines possint sibi acquirere ut propria bona tam consumptiva quam productiva, omnibusque hominibus haec facultas ab ipsa natura immediate concedi.

784. Probatur. *Ex exigentiis naturalibus hominis.*

Illud iuris naturalis praecipientis dicendum est quod naturaliter exigatur ab: *a*) individuo; *b*) familia; *c*) societate civili. *Atqui* ius acquirendi proprietatem privatam tam bonorum consumptivorum quam productivorum naturaliter exigitur ab homine ut individuo, ut capite familiae et ut membro societatis. *Ergo* ius acquirendi proprietatem privatam tam bonorum consumptivorum quam productivorum est naturale praecipiens.

Mai.: Cum hae exigentiae ab ipsa natura proveniant, etiam modus illas satisfaciendi naturalis esse debet.

Min.: A. **Exigentiae naturales individui postulant proprietatem privatam.**

785. *a*) NECESSITATES CORPORALES HOMINIS.

1. *In primis bonorum consumptivorum.* Homo enim cum sit essentialiter incompletus debet a creaturis ordinis inferioris postulare quae ei desunt ad conservationem et incrementum suarum facultatum. Ipsa ergo natura ei confert ius saltem utendi cum exclusione aliorum rebus consumptibilibus quae sibi sint necessariae *ad vitam quotidianam;* ad hoc vero instinctive eum inclinat ipsa natura.

Cum vero hae necessitates sint *constantes,* media autem necessaria ad satisfactionem illarum sint contingentia, et naturaliter insufficientia, cum homo habeat intellectum praevidentem nequit casui relinquere curam providendi necessitatibus futuris. Ideoque ipsa natura ius ei confert, atque eum inclinat ad colligendum et possidendum proprietate privata *quadam quantitate* bona consumptiva quae ei in posterum erunt necessaria.

2. *Etiam bonorum productivorum.* Modus autem *connaturalis* habendi bona consumptiva necessaria, cum requirantur, est possidere proprietate privata bona productiva illorum, aut aliorum bonorum cum quibus permutari possint; ideo ad hoc instinctive etiam inclinat hominem ipsa natura. Haec vero inclinatio naturalis frustra daretur si in homine non responderet ius sibi appropriandi illa bona productiva, sine quibus plerumque non haberet modum sibi procurandi bona consumptiva necessaria.

Ei vero prohibere ab exercitio huius iuris vel praevisionis erit eum damnare ad vivendam vitam hominum inferiorum et silvestrium, qui unice curant subsistentiam quotidianam; haec vero vita similis est vitae brutorum (cf. *Rerum novarum* n.5-7).

Propter necessitates ergo futuras, ad prospiciendum pro hieme, pro senectute, pro tempore penuriae, eget homo iure proprietatis privatae bonorum consumptivorum, et productivorum illarum rerum quibus postea indigebit.

786. *b*) NOBILIORES NECESSITATES HOMINIS.

Entia rationalia naturaliter inclinantur ad continuam perfectionem in suis facultatibus intellectualibus, in scientia, in

artibus. *Atqui* haec perfectio esset impossibilis sine possessione bonorum consumptivorum quadam quantitate, secus omnem curam quotidianam in rebus necessariis ad vitam acquirendis quis impendere deberet; bona vero necessaria consumptiva in quadam quantitate non haberentur nisi possideantur etiam proprietate privata bona productiva illorum. *Ergo* ius acquirendi privatim etiam bona productiva naturaliter exigitur ab homine.

787. *c*) Ius ad fructus laboris.

Homo naturaliter exigit possessionem privatam illius quod sit fructus suae activitatis. Hoc vero supponit ius proprietatis privatae, etiam bonorum productivorum. Nam ille fructus laboris potest esse domus aliqua, mensa, horologium, vel salarium quo deinde operarius ad stabilem possessionem alterius rei accedat, vel potest esse aliquid inhaerens fundo alicui, ut in agricultura, quae exigit continuum et diuturnum laborem, antequam homo fructus percipere possit e suo labore, et nemo laboraret nisi sciret ipsum solum fructus illius laboris percepturum esse. Accumulatio vero illius fructus laboris per oeconomiam operarii est praecise proprietas privata (cf. *Rerum novarum* n.7; Pius XII, *Nuntius radioph. 1 iunii 1941* n.8; *Nunt. radioph.* 24 Dec. 1942 n.32).

788. B. **Exigentiae naturales familiae postulant proprietatem privatam.**

Rationes adductae pro exigentiis individui maiori vi valent etiam pro exigentiis familiae nam:

Paterfamilias naturale officium habet providendi necessitatibus praesentibus et futuris familiae, praesertim educationi tum corporali, tum spirituali et intellectuali filiorum; praeterea parentes curare debent ut filii etiam post mortem parentum convenienter vivere possint. *Atqui* ut parentes iis officiis naturalibus satisfacere possint requiritur ut ipsi aliqua thesaurizare seu proprietate privata possidere valeant, quae filiis suis hereditate transmittere queant. *Ergo* exigentiae vitae familiaris ius proprietatis privatae postulant (cf. *Rerum novarum* n.9-10).

789. *Confirmatur* tendentia naturali parentum ad proprietatem privatam sibi procurandam quam filiis suis transmittere possint; ad quod magnos labores insummunt; ita ut sit maximus stimulus ad laborem.

790. *N. B.* Haec officia et iura parentibus competunt nec appa-

ret cur [illegible] non debe[illegible] tur quae [illegible] tutus ad il[illegible] praeterea [illegible] exerciturum [illegible]

791. C[illegible] **lant propr**[illegible]

Illud ex[illegible] sarium in ip[illegible] bonorum, pac[illegible] *qui* regimen p[illegible] vorum, est nec[illegible] sibi convenienti [illegible] cem socialem et [illegible]qui- rendi proprietatem [illegible]rum. exigitur a societat[illegible]

Mai.: Qui vu[illegible] finem; iam vero destinati[illegible] et indi- vidualis autonomia [illegible]xiguntur.

792. *Min.*: 1. [illegible] intenta ab Ipso Creatore est ut [illegible]num inser- viant, ita ut omnia [illegible]tione [2]. Ex omnibus vero regimin[illegible]liud praeter regimen proprietatis p[illegible]em naturalem bonorum exsequitur. In[illegible] bona quae ad necessitates humanas re[illegible]ntur neque illa copia neque illa forma, [illegible]nt; ad hoc nam- que requiruntur labor et [illegible] ad illa producen- da, quae in alio regimine [illegible]e proprietatis pri- vatae non darentur salten[illegible]; nam deesset sti- mulus sufficiens laboris; [illegible]turaliter refugit la- borem et appetit sine labo[illegible] contra hanc natura- lem tendentiam non movet[illegible]percipiendi immediate ipse fructus laboris sui; n[illegible]la consideratione boni communis, ut experientia qu[illegible] historia constat

793. 2. Pax socialis im[illegible]is esset in aliis regimi- nibus, v.c. in regimine indivis[illegible]ationalizationis bonorum, vel uno aliove modo commun[illegible]

a) *In regimine indivisio*[illegible]um enim omnes eamdem

---

[2] Cf. *Rerum nov.* n.7; *Quadr. ann*[illegible]6; *Sertum laetitiae* n.17; *Alloc. in comm. 50 ann. RN.* n.7.

lites in-
omnes.
izationis:
ctionem et
hoc munus
ue pax so-
s haec om-
libertate et

tae haec pax
sua sunt labo-
vero bona pro-
in bonis aliorum
labo ia sunt bene de-
term tat historia ibi es-
se ma proprietas privata.

795. s regiminibus non
salvaretu iqua independentia
in bonis n quae sine proprie-
tate privata

Nam cu vitam necessariis ab
uno individu m propter necessita-
tem servandi propriam et familiae
homo acquiesc nibus et sententiis illi
personae. Si hi eneralis ut accideret in
regimine uno ve rectae libertati adver-
saretur. Disparere commoratione, in occu-
patione, ac in omn enim essent impossibi-
lia, si Status deneg facienda necessaria.

Proprietas priva nem a nimia dependentia
ab auctoritate civili sque bona productiva ha-
beat, laborat absque i pro consecutione finis eius-
dem. In nationibus i es maiore proprietate pri-
vata gaudent, maiori e nt libertate.

796. *N. B.* 1. Ius pro rivatae consideratum ut instru-
mentum uberioris productio e iustae distributionis bonorum
et ut protector libertatis ind et pacis socialis, seu ut institu-
tio essentialiter socialis, ne dividuis conferre iura absoluta,
quae exerceri valeant absque u ceterorum.

2. Post applicationem bo uius ad personam determinatam
tale bonum suam destinatione ommunem amittit, et in servitium
exclusivum possessoris eiusdem ransit. Sed ius possessoris semper

damus mutationes accidentales, *conc.;* substantiales, qualis esset mutatio in collectivismum, *neg.*

11. Moderni Status tendunt in collectivizationem in dies crescentem industriarum; currus ferrei, servitii postalis et telephonici, industriae bellicae, fodinarum, tabaci... sibi appropriando monopolium horum omnium. *Ergo* tendentia evolutiva actualis tendit in collectivismum.

Resp. Dist. ant.: aliquarum industriarum, *conc.;* omnium, *neg.* Haec collectivizatio est limitata; limites tamen assignari mathematice non possunt, nam hoc pendet a bono communi. Certum tamen est bonum commune postulare ut non omnia collective possideantur; aliunde Status moderni plerumque plus aequo in hac re sese extendunt. *Dist. pariter cons.*

12. Privata proprietas multa mala affert tunc singulis individuis tunc communitati. *Atqui* bonum commune postulat abolitionem huiusmodi regiminis, quod haec mala affert. *Ergo* bonum commune postulat collectivismum omnium bonorum productivorum.

Resp. Dist. mai.: per se, *neg.;* per accidens, i.e. ex abusu huius regiminis, *subd.:* quae tamen mala minora sunt quam illa futura in regimine collectivismi, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

13. Ex regimine proprietatis privatae sequitur ex se inaequalitas inter homines. *Atqui* haec inaequalitas inter homines est maximum malum, et fons ceterorum. *Ergo* mala socialia proveniunt per se ex ipso regimine proprietatis privatae.

Res. Dist. mai.: aliqua inaequalitas inter homines, *conc.;* maxima, *subd.:* ex ipso regimine, *neg.;* ex abusu ipsius, *conc. Contrad. min.*

14. Maxima exsistit inaequalitas inter aliquos ditissimos et permultos pauperes. *Atqui* causa huiusmodi est per se ipsum regimen proprietatis privatae. *Ergo* ex proprietate privata sequitur per se maxima inaequalitas socialis.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si intelligatur ut in schola liberali, *conc.;* si vero recte intelligatur ut in doctrina catholica, in qua proprietas privata gravissimas habet obligationes, et permultas restrictiones ex parte Status patitur, *neg. Contrad. min.*

15. Ius proprietatis est ius disponendi de re propria ad placitum possessoris eiusdem. *Atqui* si proprietas habet strictas obligationes adimplendas, iam non datur plena facultas disponendi de rebus propriis ad placitum. *Ergo* hae obligationes proprietati privatae inhaerentes nequeunt conciliari cum vero iure proprietatis.

Resp. Dist. mai.: intra limites legis, tunc naturalis tunc positivae, *conc.;* absolute, *neg. Contrad. min.:* si hae obligationes arbitrarie provenirent, et non in circumstantiis iam ab ipsa natura determinatis, *conc.;* secus, *neg.*

16. Obligatio respondet alicui iuri. *Atqui* divites habent strictam obligationem erogandi sua bona superflua. *Ergo* pauperes habent ius strictum ad illa.

Resp. Dist. mai.: obligatio ex iustitia commutativa respondet iuri stricto, *conc.;* ex caritate, vel ex aliis speciebus iustitiae, *neg. Contrad. min.*

799. Scholion. 1. De Doctrina Sanctorum Patrum[4]. *a)* RADIX

[4] Cf. VERMEERSCH, *De iustitia* p.266ss; CATHREIN, *Fil. Morale* v.2 p.343-352; PALACIO, *Enquiridión sobre la propiedad;* Fz.-REGATILLO, *Enquiridión so-*

DIFFICULTATIS. Sunt qui dicant doctrinam SS. Patrum esse nostrae contrariam. Rationes vero sunt quia: aliquando affirmant natura omnia esse communia[5]; alias videntur habere proprietatem privatam ut fructum peccati et iniustitiae[6]; alias denique videntur damnare appellationem "res mea, possessio mea", cum natura omnia communia fecerit[7]. Ex iis aliqui concludunt Sanctos Patres communionem positivam bonorum defendisse; aut saltem non agnovisse proprietatem privatam ut iuris naturalis; aut ad summum ut iuris naturalis permittentis, nullo tamen modo praecipientis[8].

b) SOLUTIO. Attamen Sancti Patres eamdem ac nos tenent doctrinam. Hoc clare apparet ex iis rationibus: omnes Sancti Patres diversis in locis ac clarissimo modo testantur: proprietatem privatam esse licitam ac a Deo volitam[9]; divitias de se non esse prohibitas[10]; divitias a Deo accipi[11].

Locutiones difficiliores ex iis locis clarissimis interpretari debent. Praeterea facile est explicare locutiones duriores si hae prae oculis habeantur: illas desumptas esse fere semper ex contionibus vel oratoriis expositionibus, in quibus non praecisio scientifica quaerenda est; ipsos magnopere inculcare velle destinationem providentialem bonorum[12]; illos movere velle divites tunc temporis ad eleemosynam[13]; maximam partem divitum tunc temporis iniuste divitias fuisse assecutos.

Cum dicunt proprietatem privatam non provenire a natura simpliciter affirmare volunt ipsam naturam non destinavisse quosdam ad divitias, quosdam vero ad paupertatem; sed eas differentias provenire a factis positivis[14].

Cum affirmant proprietatem privatam esse effectum peccati seu iniustitiae, intelligendus est effectus peccati originalis; seu peccatum hominem in tali dispositione posuisse ut proprietas privata sit regimen necesarium; propter hominum cupiditates, avaritiam, pigritiam, egoismum.

---

bre la propiedad (est iudicium criticum Palacio): SalTer 25 (1936) 512-530; CARBONELL, A., *El colectivismo y la ortodoxia católica* (Barc. 1927); MOSTAZA, J., *A propósito de un libro* (est iudicium criticum Carbonell): SalTer 18 (1929) 950-966; SCHWALM, *Communisme:* DTC 3,579-586.

[5] Cf. S. AMBROSIUS, *De off. ministrorum:* ML 16,67; apud PALACIO, p.73; *In Ps. 118,* serm.8 n.22: ML 15,1372; apud PALACIO, p.71; CHRYSOSTOMUS, *In 1 ad Tim.* c.4 hom.12: MG 62,562; apud PALACIO, p.67-68; AUGUSTINUS, *In Io.* tr.7 n.25; apud PALACIO, p.79-80.

[6] Cf. testimonia praecedentia S. AMBROSII; CHRYSOSTOMUS, *In 1 Tim.* c.4 hom.12 n.4: MG 62,562; apud PALACIO, p.66; HIERONIMUS, *Epist. 120 ad Hebidiam,* c.1; apud PALACIO, p.75.

[7] Cf. CRYSOSTOMUS, *In 1 Cor.* hom.10 c.3: MG 61,86; cf. alia testimonia apud PALACIO p.62.68.72.

[8] PALACIO, *Enquiridión...* passim, maxime p.9.93.205; CARBONELL, *El colectivismo...* p.266.

[9] Cf. BASILIUS, *In Lc. Destruam...* n.7: MG 31,275; apud PALACIO, p.62; AUGUSTINUS, *Serm. 39* c.2 n.4: ML 38,242; apud PALACIO, p.78.84-85.

[10] Cf. CHRYSOSTOMUS, *In epist. ad Hebr.* c.1 hom.2 n.5; apud PALACIO p.68.69.

[11] Cf. BASILIUS, *In Lc. Destruam* n.7; apud PALACIO, p.63. Licet conferre: CARRILLO DE ALBORNOZ, *Aspectos sociales del siglo IV:* RazFe 101 (1933) 507-524; *San Ambrosio y la propiedad privada*: RazFe 107 (1935) 195ss; *Más sobre el comunismo de S. Juan Crisóstomo*: RazFe 110 (1936) 80-98.

[12] Cf. testimonia AMBROSII apud PALACIO p.71; AUGUSTINI p.76.

[13] Cf. testimonia diversa BASILII apud PALACIO p.64; GREGORII NIS. p.64; CHRYSOSTOMI p.68; AUGUSTINI p.90.

[14] Cf. apud PALACIO, *o.c.* testimonia LACTANTII, p.59; AUGUSTINI p.83.

Cum dicunt naturam omnia fecisse communia nihil aliud intendunt exprimere quam destinationem providentialem bonorum; quod prae oculis habere debent divites ne male utantur divitiis, dum alii fame pereunt. Nolunt tamen ullo modo significare ad hoc necessarium esse regimen communitatis positivae bonorum. Verbum "meam" reiiciunt in sensu absoluto absque dependentia a Deo.

Doctrina ergo Sanctorum Patrum eadem est ac nostra; insistunt tamen multum—quod nos thesi sequenti faciemus—in obligationibus socialibus quas divites habent. Aliunde non tam expresse de ipso fundamento iuris proprietatis agunt, quam de legitimitate ipsius.

Patres in locis allatis semper agunt contra divites, non vero contra *quoslibet* possessores bonorum.

799[1]. 2. De doctrina scholasticorum usque ad saec. XVII. *a)* Radix difficultatis. Difficultas exsurgit eo quod generatim ante saec. XVII scholastici affirment cum Sto. Thoma proprietatem privatam esse *iuris gentium* et generatim expresse affirment hoc ius positivum esse, non naturale.

b) Diversitas sententiarum. Non desunt auctores qui existiment hoc ius gentium scholasticorum esse realiter ius positivum hodiernum; ita sentiunt, v.c. Palacio[15], Gafo[16], Carbonell[17], qui credunt iuxta doctrinam scholasticorum usque de saec. XVII, non esse contra naturam, ac proinde recte induci posse quemdam collectivismum bonorum si hoc iure positivo determinaretur, cum ius proprietatis sit tandem positivum. Ipsi iudicant hanc doctrinam ut omnino ortodoxam et tenendam[18].

Nos vero existimamus hos scholasticos solum nomine a nobis differre, *quoad rem* vero eamdem ac nos defendere doctrinam.

c) Solutio. Rationes quibus innitimur sunt sequentes:

S. Thomas et scholastici posteriores usque saec. XVII nomine iuris gentium intelligunt *conclusiones necessarias* legis naturalis a lege positiva sancitas, quae proinde obligationem accipiunt et a lege naturali et a lege positiva simul; ita tamen, ut antequam a lege positiva sanciantur, iam vere agnoscantur ut validae et obligatoriae ab omnibus fere populis (n.579ss).

Has conclusiones ipsi vocant ius gentium, quod ab hodierno iure gentium omnino differt, ut antea dictum est. Nam hodiernum ius gentium est simpliciter positivum; ius vero gentium antiquorum *quoad materiam* est nostrum ius naturale.

Omnes enim intelligunt proprietatem privatam *esse necessariam* hominibus in praesenti statu naturae humanae, ut homo modo condigno vivere possit. Abolitio ergo huiusmodi institutionis impossibilis esset. Ita clare S. Thomas[19]; Molina qui dicit post lapsum

---

15 Palacio, *Inquiridión sobre la propiedad* passim, praesertim p.192-210; *Naturaleza del derecho de la propiedad:* CienTom 52 (1935) 328-359.

16 Gafo, *Boletín de Etica:* CienTom 3 (1911) 275-278.

17 Carbonell, *El colectivismo y la ortodoxia católica* p.270-288; Alvarez, L., *El colectivismo y la ortodoxia católica:* Rel y Cult 5 (1929) 189-203,370-385 approbat doctrinam praecedentis.

18 Cf. Palacio, *Enquiridión...* p.11.98.105.

19 Cf. S. Thomas: *"Ius, sive iustum, naturale est, quod ex sui natura est adaequatum vel commensuratum alteri; hoc autem potest contingere dupliciter: uno modo secundum absolutam sui considerationem, sicut masculum ex sui ratione habet commensurationem ad foeminam...; alio modo aliquid est naturaliter alteri commensuratum, non secundum absolutam sui rationem sed secundum aliquid*

et multiplicationem hominum divisionem rerum esse *necessariam*, ita ut sine illa vix *hominum statum conservari posse*[20]; SUAREZ qui ait: *divisio rerum nunc necessaria est tunc propter rixas vitandas inter homines pacemque servandam, tum propter sustentationem hominum, quia si bona essent communia, homines negligerent custodire et operari illa*[21].

VITORIA[22], VIVES[23], SOTO[24], MEDINA[25], BAÑEZ[26] similia proferunt.

Aliqui ut LESSIUS[27], LAYMANN[28] obscure loquuntur ut si proprietas privata non esset vere necessaria, sed solum valde utilis.

Nomine ergo iuris gentium intelligunt aliquid quod est necessarium humanae naturae non ut absolute vivere possint homines, sed ut vivant modo condigno seu convenienti naturae humanae i.e. cum pace, tranquillitate et independentia. *Hoc est praecise quod nos diximus ius naturale secundarium.*

d) RESPONSIO AD PRAECIPUAM DIFFICULTATEM: Haec difficultas petitur ex eo quod affirment expresse ius gentium esse *positivum*, non vero naturale. Fatendum utique est saltem nomine a nobis differre. Origo autem huiusmodi differentiae, ut dictum est, habetur in modo intelligendi ius naturale et positivum. Sic tamen hoc ius positivum gentium explicant, talibus notis praeditum esse affirmant, ut cum iure nostro naturali secundario confundatur; nec mirum cum huiusmodi conceptus iuris naturalis ac iuris gentium non tam excultus ut hodie haberetur[29].

---

quod ex ipso sequitur; puta proprietas possessionum; si enim consideretur iste ager absolute non habet unde magis sit huius quam illius; sed si consideretur per respectum ad opportunitatem colendi et ad pacificum usum agri, secundum hoc habet quandam commensurationem ad hoc quod sit unius, et non alterius; ut patet per Philos. in 2 Polit. *c.3*" (2-2 q.57 a.3).

"*Licitum est quod homo propria possideat; est etiam necessarium ad humanam vitam propter tria* (2-2 q.66 a.2 c), et affert tria illa argumenta a nobis prius allata ad probandam necessitatem proprietatis privatae scilicet propter stimulum laboris, propter curam rerum, ac propter pacem socialem.

In eodem art., in resp. ad 1 exponit clarius doctrinam, dicendo ex ipso iure naturali non habere quemquam possessionem aliquam ut propriam; sed ad hoc requiri aliquod factum superadditum seu condictum humanum. Seu aliis verbis, concedendo ius naturale ad proprietatem acquirendam, seu ad proprietatem in genere, affirmat ius ad proprietatem aliquam in concreto non esse naturale, sed facto aliquo vel legibus positivis determinandum. G. BRUNET, R., *La proprieté privé chez Saint Thomas:* NouvRev Th 61 (1934), 914-927.1022-1041.

20 *De iust. et iure* tr.2 d.20 n.5; GIL ULECIA, I., *De iure proprietatis apud Ludovicum de Molina. Th. ad lauream* (manuscr.) (Comillas 1935).

21 SUÁREZ, *De opere sex dierum* l.5 c.5 n.17; FERREIRO, A., *La naturaleza de la propiedad privada en las doctrinas de Suárez:* Pensamiento, extr. 4 (1948) 449-493.

22 VITORIA, *In 2-2* q.57; cf. PALACIO, p.111.

23 VIVES, *De communione rerum;* PALACIO, p.134.

24 SOTO, *De iust. et iure* 1.4 q.3 a.1 resp. ad 3; PALACIO, p.140.

25 MEDINA, *In 2-2* q.95 a.4; PALACIO, p.155-156.

26 BÁÑEZ, *De iust. et iure, decisiones* q.57 d.5; PALACIO, p.151-154-160.

27 LESSIUS, *De iust. et iure* c.5 d.3.

28 LAYMANN, *Th. Mor.* 1.3 tr.5 n.3.

29 Optime ad rem LUGO:

Quando ergo dicitur iure gentium introductas esse rerum divisiones, sermo est de divisione in genere loquendo, praescindendo ab hoc et illo modo dividendi et acquirendi dominium; et tunc ius gentium condistinguitur quidem a iure naturali in prima acceptione, prout commune est belluae, non tamen a iure naturali in secunda acceptione; immo ipse Iustinianus expresse dicit ius gentium esse quod naturalis ratio dictat esse faciendum, ubi aperte ius gentium accipit pro eo quod theologi vocant ius naturae, nimirum quod praescindit ab omni decreto positivo superaddito ipsi naturae lumini (*De iust. et iure* d.6 s.1 n.5).

e) Brevis recapitulatio. Scholastici ante saec. XVII: 1) Expresse dicunt proprietatem privatam esse iuris gentium; 2) Ius gentium simpliciter dicunt esse positivum non naturale; 3) Intelligunt tamen ius naturale et ius gentium diverso modo ac hodie intelliguntur; 4) Ius gentium ipsorum complectitur conclusiones necessarias legis naturalis, quae apud omnes populos inveniuntur, et a legibus civilibus sanciuntur; 5) Hoc ius gentium talibus notis insignitur ut aequivaleat iuri naturali hodierno, i.e. iuri quod vim habet independenter ab omni praecepto positivo superaddito non primario sed secundario. Omnes fere dicunt proprietatem privatam esse naturae humanae in statu praesenti necessariam; 6) Si aliquando non solum nomine sed etiam re differre a nobis videantur, radix differentiae provenit ab hac diversa intelligentia iuris gentium. Cum enim ipsi habeant ius gentium ut tandem positivum, dicunt non esse contra naturam abolitionem privatae proprietatis, si hoc a lege civili statueretur; 7) Ipsi multum insistunt in communione bonorum ex destinatione illorum, nam prae oculis habent characterem socialem proprietatis. Nemo tamen admittit in praesenti statu naturae communionem bonorum ut possibilem modo humano in aliqua societate; 8) Aliquando utique difficilis est interpretatio locutionum in nostra sententia; 9) Si vero doctrina ipsorum esset *realiter* a nostra diversa, magno dolore, ab ipsis tamen dissentiremus.

799[2]. 3. De doctrina scholasticorum posteriorum. *a)* Card. de Lugo. Quidquid sit de scholasticis praecedentibus, in quibus aliquod dubium remanere ultro fatemur, Card. de Lugo doctrinam circa proprietatem privatam maxime spolivit, et accuratissime terminologiam definivit, examinando doctrinam auctorum praecedentium. En huius clarissimi auctoris doctrina[30]:

Solet dici *fundamentum* iuris proprietatis privatae esse non naturale sed positivum seu *ius gentium*.

Sed divisio ipsa rerum est de *iure naturae*; nam: 1.°, ius naturae *dictat* quod bona sint propria occupantis, nec possunt ab eo sine iniuria auferri; 2.°, ius naturae *praecipit* ea quae necessaria sunt ad hominum pacem; iam vero post peccatum, in tanta hominum multitudine, non solum est expediens et utilis, sed omnino necessaria ad finem pacis et quietis divisio rerum. Ergo in circumstantiis praesentis status, et respectu totius multitudinis hominum ius ipsum naturale obligat, secluso praecepto positivo, ad divisionem faciendam.

Bona huius orbis in prima creatione erant communia quamdiu non usurparentur legitimo modo ab aliquo privato, quam usurpationem et appropriationem non prohibebat ius naturae, immo in genere dictabat et praecipiebat fieri, supposita fragilitate humana et multitudine hominum; licet modum illud faciendi non omnino determinaret, sed cum dependentia semper aliqua a iure humano potente limitare, augere et decernere modum acquirendi vel amittendi illam appropriationem.

b) Scholastici recentiores. Sententia Card. de Lugo facta est *communis inter catholicos;* ita ut vix non omnes a saec. XVIII hunc domum loquendi servent. Sufficiat aliqua testimonia afferre.

[30] Cf. Lugo, *De iust. et iure* d.6 s.1.

SCHIFFINI[31] ait: "*Ab ipsa lege naturae procedit obligatio quae in praesentibus circumstantiis humani generis exsistit dividendi rerum dominia*". "*Intelligitur etiam ex dictis, ius proprietatis... legi naturae esse non solum conforme, sed in aliquo vero sensu inter eius praecepta merito adnumerari, adeoque vere dici posse illud esse de lege naturae... Hinc sapienter concludit* (LUGO) *praedictam divisionem dominiorum esse de iure naturae praecipienti*".

MEYER[32]; COSTA-ROSSETI[33]; LIBERATORE[34] similiter loquuntur.

TAPARELLI[35] ait: "*Proprietates privatae a iure naturae proveniunt mediante aliquo facto, quod in individuo liberum est, et ut tale pro ipso individuo non constituit obligationem naturalem; sed necessarium in genere humano*"... "*Auctores qui negant proprietatum divisionem esse iuris naturalis, confundere videntur naturale cum nativo*".

FERRETI[36] ait: "*Quaeri potest utrum ius illud* (*naturale*) *ad res sibi acquirendas sit liberi an vero obligatorii exercitii*". Respondet cum comparatione matrimonii, ius enim ad matrimonium ineundum est ius naturale pro singulis individuis liberum, obligatorium tamen pro genere humano, cum maxima inclinatione ab ipsa natura singulis indita ad ipsum; quid simile accidit cum proprietate privata.

VERMEERSCH[37] ait contra sententiam sustinentem proprietatem privatam esse iuris naturalis solum permittentis, non vero praecipientis: "*Hoc saeculo, sententia* CARD. DE LUGO *facta est communis inter catholicos. Ipse Summus Potifex* LEO XIII *haud semel de re iudicium facit verbis quae nullum relinquunt locum dubitandi*".

CATHREIN[38] in suo pervulgato opere ait: *vera et inter catholicos* (*hodie saltem*) *communis sententia ius proprietatis derivat ex iure naturali sive ex iure connato cuiuslibet hominis rebus creatis utendi ad diversos fines huius vitae assequendos... Ergo in praesenti rerum ordine privata dominia generatim spectata non solum sunt iuris naturalis concedentis vel permittentis, sed praecipientis...* Loquendo de sententia asserente ius proprietatis esse positivum nec stricte necessarium, ait: "*Contraria tamen sententia omnino tenenda est non solum quia est prorsus communis inter catholicos, sed etiam quia sola concordat cum doctrina quam* LEO XIII, S. P. *pluries publice professus est*".

CALCAGNO[39] ait: "*Ius proprietatis est de iure naturae praecipiente solum pro genere humano, non vero pro singulis hominibus; i.e. lex naturae vult ut in genere humano exsistat divisio dominiorum, sed nullo modo praecipit ut singuli homines habeant suam proprietatem privatam. Habetur aliquid simile in matrimonio*".

Idem sustinet notissimus *Codex Socialis Melchiniensis*, n.94-101.

799[3]. 4. De Doctrina Romanorum Pontificum. Romani Pontifices semper ac loquuntur de iure proprietatis dicunt esse iuris natu-

[31] SCHIFFINI, *Disp. Phil. mor.* v.2 p.171.146.
[32] *Inst. Iuris Natur.* v.2 n.177.
[33] *Phil. moralis* p.366ss.
[34] *Ethica et Iust. Nat.* p.187ss.
[35] *Ensayo de Derecho natural* 1 n.410.408.
[36] *Inst. Phil. mor.* v.2 p.317ss.
[37] *Quaest. de Iust.* p.247ss.
[38] *Philos moralis* n.447.453.458.
[39] *Ethica* p.181.

ralis[40], numquam vero dicunt esse iuris gentium. Existimandum vero est illos hoc verbum usurpasse in significatione, quam habet apud auctores tunc temporis, cum ipsi scribunt, nisi expresse contrarium dicant.

Vidimus sensum quem apud scholasticos, tam tempore Leonis XIII quam tempore Pii XI ac Pii XII, habet ius naturale agentes de proprietate, significat nempe aliquam facultatem ab ipsa lege naturali omnibus prorsus hominibus concessam independenter a qualibet lege positiva; cuius actuatio necessaria est, si agatur de universalitate hominum.

Hanc esse mentem Romanorum Pontificum clarissime liquet ex multis testimoniis ipsorum, in quibus ex professo et accuratissime quaestionem pertractant, ita ut nullus prorsus dubitationi locus esse possit. Sic v.c.:

a) Leo XIII *affirmat ius proprietatis*:

Ab ipsa natura sanciri (*Quod apostolici muneris* n.4); non esse inventionem humanam (*Quod apost. muneris* n.28); concessum esse omnibus ab ipsa natura etiam quoad bona productiva (*Rerum novarum* n.5); dari ante constitutionem Status (*Rerum novarum* n.6); esse in harmonia cum fine primordiali omnium bonorum etiam si agatur de possessione terrae (*Rerum novarum* n.7); ab omnibus fuisse recognitum omni tempore (*Rerum novarum* n.8); ad vitam familiarem naturaliter exigi etiam quoad bona productiva, quae filiis possint hereditate transmitti (*Rerum novarum* n.9-10).

Dicit praeterea: collectivismum pugnare cum iuribus naturalibus individui (*Rerum novarum* n.12); posse aliquid ut proprium haberi esse ius naturale; usum vero huius iuris intra societatem esse omnino necessarium (*Rerum novarum* n.19); proprietatem privatam omnino servandam (*Rerum novarum* n.30); auctoritatem publicam non posse ius proprietatis abolere, cum a natura procedat (*Rerum novarum* n.35).

b) Pius X *in Motu proprio "Fin dalla prima nostra Enciclica"* (18-XII-1903), n.3 a.4 et 5 repetit doctrinam *Rerum novarum* nempe ius proprietatis etiam circa bona productiva esse naturale et indelebile.

c) Pius XI affirmat: ius proprietatis concessum esse ab ipsa natura (Q. a. n.15 et 16; *Dilectissima nobis* n.7); collectivismum esse vitandum (*Q. a.* n.16); ius proprietatis non amitti abusu propietatis (*Q. a.* n.17); posse regulari ab Statu (*Q. a.* n.18); esse indelebile et ab Statu non posse prorsus aboleri (Q. a. n.18); legem naturalem exigere ut res habeant determinatum dominum (*Q. a.* n.21); hoc modo obtineri destinationem primordialem bonorum vitando vero nimiam concentrationem in manus aliquorum (*Q. a.* n.24-25).

d) Pius XII affirmat ordinem naturalem requirere proprietatem privatam (*Alloc. radioph. in 50 anniv. R.n.* 1 iunii 1941, n.8); bonum commune non posse unquam exigere ut Status reddat inefficax ius naturale proprietatis (idem n.9); familiam exigere ius proprietatis privatae, etiam terrae, ac esse contra naturam hoc ius abolere, vel reddere inefficax (idem n.12); proprietatem privatam esse multiplicandam, non delendam (*Alloc. ad 20.000 operarios* 13 iunii 1943, n.8); personae humanae dignitatem exigere proprietatem privatam (*Nunt. radioph.* 25-XII-1942 n.32); proprietatem privatam esse

[40] Schwalm, *Communisme:* DTC 3,591-595.

fundamentum inconcussum cuiuslibet ordinis socialis et oeconomici; ac iniustam abolitionem eiusdem (*Nunt. Radioph.* 13 sept. 1944, n.11-15); cum agnitione vel negatione proprietatis privatae coniungi necessario agnitionem vel negationem dignitatis personalis hominis (*Alloc. ad Inst. Intern. ad Unif. Iuris priv.* 20 iunii 1948)[41].

799[4]. Recapitulatio doctrinae. Ergo breviter iis conclusionibus doctrina continetur:

1) Facultas acquirendi sibi res ut proprias seu ius ad proprietatem acquirendam est naturale; omnes homines habent hoc ius ab ipsa natura concessum, antecedenter ad quamlibet legem positivam.

2) Regimen in quo res generaliter sint divisae proprietate privata in societate est etiam naturale. Ius naturale praecipit ut in societate illa habeantur quae recta ratio dictat ut necessaria ad pacem et tranquillitatem, ut est divisio bonorum.

3) Ius uniuscuiusque ad res determinatas, est indirecte naturale, directe tamen positivum, humanum; nam supponit actum liberum individuorum, qui potest non poni. Hoc ius est naturale, quatenus a iure naturali uniuscuiusque ad habendam proprietatem privatam provenit; ideo proprietas legitime acquisita a lege naturali defenditur, dummodo cum alio iure etiam naturali et superiore non pugnet.

ARTICULUS II

DE FACTO PRIMIGENIO IUS PROPRIETATIS IN CONCRETO DETERMINANTE

Thesis 40. Factum primigenium ius proprietatis in concreto determinans est occupatio.

GARRIGUET-LARRAMENDI, *La propiedad privada* p.60ss; CATHREIN, *Filos. moral,* v.2 p.330-338; VERMEERSCH, *De iustitia* p.279ss.

799[5]. Nexus. Egimus thesi praecedenti de iure proprietatis in abstracto nunc agimus de iure proprietatis in concreto.

799[6]. Notiones. 1. FACTUM PRIMIGENIUM: illud est ex quo oritur proprietas privata nullo alio dominio positivo ex parte hominum praesupposito. Exsistit ergo tempore vel saltem natura ante quodlibet aliud factum proprietatem legitimans.

799[7]. 2. PROPRIETAS IN CONCRETO: illa est quae circa rem determinatam versatur, v.c. circa hanc partem terrae, circa hanc domum.

[41] Inanes prorsus sunt responsiones quas affert PALACIO, *Naturaleza del derecho de propiedad:* CienTom 52 (1935) 349-359, ut ostendat suam doctrinam non esse in contradictione cum doctrina Rom. Pontificum.

799 [8]. 3. OCCUPATIO: est apprehensio rerum nullius animo eas habendi ut proprias. Ad occupationem ergo haec requiruntur:

1) *Ex parte rei occupandae*: ut sit: a) *nullius,* seu ut nemo circa illam habeat dominium positivum; b) *capax apprehensionis,* tunc physice, tunc moraliter. Excluduntur a proprietate privata: *personae* quia non sunt capaces apprehensionis moralis; *aër,* et alia *similia* quia ordinarie non sunt capacia apprehensionis physicae.

2) *Ex parte occupantis*: a) *animus rem deinceps habendi* ut propriam; b) *apprehensio rei,* seu actio talis ut per eam res nostrae potestati subiiciatur et externe sufficienter ostendatur voluntas rem ut propriam habendi. Non sufficit ergo ad occupationem actus mere internus voluntatis, cum ceteri hoc actu nequeant meam voluntatem apprehendendi rem agnoscere; c) *manifestatio externa* seu signum apprehensionis notum et aliquo modo perdurans, ipsi rei occupatae impressum. Haec signa varia esse possunt pro diversitate rerum, et qua talia partim agnoscuntur a natura ipsa, partim a convenitione hominum, partim a consuetudine, sic v.c. res mobilis signum apprehensionis servat si domi habeatur; quaelibet res si labore in usum hominum transformetur; fundus aliquis si sit cultus, vel sepe circumdatus.

799 [9]. Status quaestionis. 1. Posito ex thesi praecedenti nos habere ab ipsa natura facultatem acquirendi proprietatem privatam volumus videre quomodo haec facultas transeat in actum; seu quomodo quis acquirat *de facto* proprietatem privatam alicuius rei determinatae.

2. Possemus considerare omnes titulos legitimos concretos proprietatis; sed restringimus quaestionem *ad primam rei* acquisitionem, seu ad titulum primitivum. De titulis derivatis aliqua deinde dicemus: de hereditate, donatione, emptione, venditione, salario.

799 [10]. Sententiae. 1.ª *Socialistae mitigati* admittentes legitimitatem aliquorum bonorum productivorum solummodo assignant ut titulum legitimum laborem.

2.ª *Aliqui catholici,* inter quos BALMES [1], DE LA CRUZ BAÑOS [2] ut titulum primigenium assignant *solum laborem.* Hic tamen potest esse quaestio de nomine. Nam aliquis uti-

[1] BALMES, *Etica* c.23 n.186: BAC 3,167ss.
[2] *La propiedad* (San Sebastián 1938) p.100.

que labor semper in occupatione cuiuslibet rei adesse debet, saltem labor apprehensionis, vel extrinsecae signationis voluntatis apprehendendi rem; in hoc sensu semper labor requiritur ad primam rei appropriationem, et tunc esset unicus titulus legitimus primigenius.

Sed generatim auctores cum de labore loquuntur, intelligunt laborem transformativum rei, hic vero non semper requiritur neque ipse solus sufficit.

N. B. Pius XI, nolens rem definire (*Quadragesimo anno* n.20) utrumque titulum ut primigenium indicat.

3.ª *Alii auctores,* de quibus egimus thesi praecedenti, unicum titulum primigenium assignant *pactum,* vel *decretum principis.*

4.ª Schiffini[3] alia facta etiam ut primigenia admittit, praeter occupationem, v.c. accessionem tum industrialem tum naturalem, legem civilem, laborem.

5.ª *Nostra sententia.* Nos cum sententia fere unanimi dicimus titulum primigenium esse solam occupationem. Reliqui tituli qui assignari possint vel in occupationem incidunt, vel secus non sunt tituli primigenii.

800. Probatur. *Ex notionibus.*

Illud factum valorem habet facti primigenii proprietatem in concreto determinantis quod nullum dominium positivum ex parte hominum praesupponat, et quod aptum sit ut immediate statuat ac manifestet nexum dependentiae rei materialis a persona determinata. *Atqui* tale factum est occupatio et ipsa sola. *Ergo* occupatio est unicum factum primigenium ius proprietatis in concreto determinans.

Mai.: Ex notione facti primigenii cum notione iuris proprietatis comparata.

Min.: 1) *Occupatio est tale factum*: nam ex sua definitione est exercitium iuris naturalis ad proprietatem acquirendam, cum per eam nullius ius violetur—res enim quae occupari potest debet esse nullius—; per eam sufficienter determinatur voluntas rem ut propriam detinendi—ex notis occupationis—. Praeterea ex historia constat occupationem semper a remotis temporibus usque nunc ut titulum legitimum proprietatis habitam fuisse.

2) *Sola occupatio*: nam reliqua facta, v.c. labor, pactum,

[3] *Disp. Phil. mor.* v.2 p.167.

decretum auctoritatis publicae, vel occupationi aequivalent vel praesupponunt dominium positivum in aliqua persona. V.c. 1) *labor* non videtur determinare primitus proprietatem, nisi coniungatur cum animo aliis expresso sive ex ipso opere, sive aliter, eos stabiliter excludendi a fructu laboris et a libera dispositione de rei substantia; laborare vero cum tali intentione est formaliter rem occupare, aut hoc praesupponit.

2) *Pactum vel decretum*: libere et legitime disponere de substantia rei corporalis cum exclusione aliorum, ut fieret per pactum vel decretum auctoritatis, praesupponit dominium positivum, cuius est exercitium, ideoque non est factum primigenium, nisi forte cum ipsa occupatione rei coniungatur.

801. Obiectiones. 1. Occupatio est quoddam factum. *Atqui* factum non gignit ius. *Ergo* occupatio non potest determinare ius proprietatis in concreto.

Resp. Dist. mai.: est *purum* factum, *neg.;* factum habens respectum ad ordinem lege naturali sancitum, quo fit concretus, *conc. Contrad. min.*

2. Per occupationem ceteri spoliantur libero usu, quo ante occupationem omnes in rem occupatam fruebantur. *Atqui* haec spoliatio ab ordine naturali prohibetur. *Ergo* occupatio non habet respectum ad ordinem naturalem.

Resp. Dist. mai.: si ille usus intelligatur ut species dominii qua res sint positive omnibus communes, *neg.*—nam non habebant—; si intelligatur ut exercitium licitum facultatis a natura concessae, *subd.:* extendendo hanc facultatem ad tales res sive occupatae fuerint, sive non, *neg.;* eam extendendo ad res quamdiu occupatae non fuerint, *conc. Contrad. min.*

3. Ante occupationem iam quis debet habere ius ad rem occupandam. *Ergo* occupatio non est factum primigenium.

Resp. Dist. ant.: ius abstractum, i.e. debet posse occupare res, *conc.;* debet habere ius concretum, *neg. Dist. pariter cons.*

4. Occupatio est verus labor. *Ergo* labor est titulus primigenius.

Resp. Dist. antec.: est labor transmutativus, *neg.;* supponit aliquem laborem, *subd.:* talem qui non vocatur labor in sermone ordinario, *conc.;* generatim talem, qui labor verus appelletur, *neg.* Hoc pendet multum a re occupanda.

5. Neque occupatio neque ipse labor est vera causa, sed solum conditio *sine qua non* iuris proprietatis in concreto.

Resp. Neg. assertum; nam occupatio est vera causa proxime determinans proprietatem in concreto; est titulus *propter quem* hominibus aliquid in concreto pertinet ut proprium.

6. Si occupatione ius proprietatis possit actuari, posset aliquis homo immensum terrae spatium sibi appropriare. *Atqui* hoc sensui communi contradicit. *Ergo* occupatio non est factum primigenium determinans ius proprietatis in concreto.

Resp. Dist. mai.: si ad occupationem sufficeret mera voluntas

conc.; si requiritur effectiva et realis apprehensio rei, stabiliter exterius signata, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

7. Saltem hodie propter doctrinas socialistas periculosum est dicere ius proprietatis in concreto determinans esse aliquid contingens, humanum.

Resp. Dist. assertum.: si non fundaretur in iure naturali abstracto, *conc.;* secus, *neg.*

ARTICULUS III

DE EXTENSIONE PROPRIETATIS PRIVATAE

Thesis 41. Bonum commune postulat ut proprietas privata extendi possit etiam ad bona non necessaria ad personam et familiam (I); quin tamen proprietas privata sit functio socialis (II).

GARRIGUET-LARRAMENDI, *La propiedad* p.76; VILA, *Manual de orient. sociales* p.77; NOGUER, *Cuestiones candentes sobre la propiedad* p.5ss; LOMBARDI, *Proprietà e vita:* CivCatt 102 (1951) 47-59; G. MENÉNDEZ-RAIGADA, I., *El destino fundamental de la riqueza:* ViencTom 76 (1949) 585-606; AZPIAZU, *La enciclica Quadrag. anno* p.52-58; *La moral ante los bienes superfluos:* FomSoc 2 (1947) 409-427; BRUCCULERI, *La funzione della proprietà:* CivCatt (1936,4) 26-36.112-126.265-277.

802. Nexus. Postquam egimus de ipsa facultate possidendi; nunc agamus de quantitate rerum quae possint privatim haberi, et de fundamento ipsius.

803. Notiones. 1. BONUM COMMUNE SEU SOCIALE: est illud quod prae oculis habet integram societatem; contraponitur bono privato seu singulorum.

804. 2. BONA NON NECESSARIA: bona dicuntur *necessaria* si ad sustentationem et cultum personae vel familiae requiruntur intra exigentias status socialis uniuscuiusque; alia enim sunt necessaria *vitae,* alia necesaria *statui.* Illa vero quae extra hos limites inveniuntur dicuntur non *necessaria* seu *superflua,* ut sunt illa quae valde divites possident [1].

805. 3. FUNCTIO SOCIALIS: functio *in genere* idem est ac actio seu exercitium alicuius potentiae, primum physicae, secundo moralis. Deinde significabit munus aliquod vel officium.

Functio socialis est ergo munus quod nomine et delegatione societatis civilis geritur, ita ut qui illud exercet sit functionarius seu administrator societatis, qui in bonum societa-

[1] Cf. LUGO, *De iust. et iure* d.16 s.7 n.137ss; BEUGUET, *Aumone:* DTC 1,2566ss.

dministrationem sibi concreditam dirigere debeat, ita ut
tum primarium illius iuris sit ipsa societas.

Status quaestionis. Thesi praecedenti nihil dixi-
extensione illius facultatis concessae a natura. Licet
privatim solum illa quae sint necessaria ad vitam
onem familiae, vel licet illa etiam quae has neces-
erent? Si vero affirmative, quo fundamento hoc
illa possidet est verus proprietarius, an vero ad-
orum bonorum nomine societatis, et in finem
ateria praesenti thesi investiganda.

e. 1.ª *Liberales* et illi qui appellantur *ca-*
exaggerati, in omnibus socialismum per-
etatis derivatum volunt, et quidem mo-
rationibus mere individualibus etiam

t aliqui *catholici ex schola aus-*
tum socialem proprietatis ita ut
a administratio bonorum no-
commune. Est ergo iuxta
us usus socialis bonorum
s [2].

efendimus ut certum
te ius proprietatis
ria ad personam,
m esse etiam pro-
iorum. Ratio vero
xigentiis persona-
bono sociali hoc
superflua *habet*

tam *non esse*
at functionem
on est functio

H, *Crisis sociales et*

Probatur. 1.ª Pars: Bonum commune... et famili

809. *Ex stimulo ad laborem et ad progressum ind*
Unica ratio efficax ad defendendam legitimitate
prietatis bonorum non necessariorum est stimulus ad
necessarius ut adsint in societate bona sufficienti
ut detur progressus in industria. *Atqui* haec rati
in bono communi. *Ergo* bonum commune seu
autem ipsa persona et familia, postulat ut prop
extendi possit etiam ad bona non necessaria.
Mai.: Aliae rationes quae adduci possint
iorem vim ad probandum ius proprietatis
flua ab ipso iure naturali exigi. Fortiu
integrum fructum proprii laboris, aut i
tiae, vel ius ad libertatem in ipsis; h
probant; nam augmentum divitiarum
tius est fomes et causa vitiorum, a
turam; illa vero libertas, propte
tum puncto concreto restrin
bona non necessaria acquire
Min.: Nam etsi haec r
ad laborem, ultimatim et
diante illo stimulo et n
copia bonorum. Si
necessitatis possid
borarent, aut mul

810. Corollarium
damentum bonorum
rare debet ne propri
ac ipsi videre inc
horum bonorum l

2.ª Pars: P

811. Fun
nomine ipsius
non accidit cu
neris illud sit.
functio socialis.
Mai.: Ex de
Min.: Ius pro
sius, ut fundatum

⁴ Cf. Garriguet, L

812. Scholion. De antiquitate huius doctrinae. Aspectus socialis propr. privatae non est aliquid novum, sed expresse, constanter et egregie ab auctoribus catholicis fuit recognitus; etsi forte auctores saec. XVIII-XIX magis insistant in aspectu individuali, tum ut huiusmodi aspectum contra socialistas defendant, tum ex influxu liberalismi; numquam tamen negant aspectum socialem eiusdem.

Vidimus *Sanctos Patres* et Scholasticos ante saec. XVII nimis forte et verbis durioribus insistere in hac re. Pariter nostris temporibus multi sunt auctores qui extollunt hunc aspectum socialem proprietatis privatae[5]; praecipue vero Romani Pontifices in illo omnino egregie insistunt. (G. LEO XIII, *Rerum novarum* n.19; PIUS XI, *Quadragesimo anno* n.16-18-25.34; PIUS XII, *Nunt. radioph.* 13 sep-1944 n.13).

ARTICULUS IV

DE LIMITATIONIBUS IN IURE PROPRIETATIS

Thesis 42. Ius proprietatis limitari potest ab ipsa lege naturali in casu extremae vel quasi extremae necessitatis (I), et ab auctoritate sociali cum hoc postulet bonum commune (II).

LUGO, *De iust. et iure* d.16 s.7 n.135ss; NOGUER, *Cuestiones candentes* c.3 p.54ss; AZPIAZU, *La encíclica Q. a.: Cuestiones* 14-17; *Código Social*, versio hisp. n.94-99.103-111; VILA, *Manual de orient. soc.* p.97ss; BEUGUET, *Aumône*: DTC 1,2566-2571; LOMBARDI, *Proprietà e vita:* CivCatt 102 (1951) 53-59.

813. Nexus. Probatis legimitate et extensione iuris proprietatis nunc volumus examinare limitationes quas potest habere.

814. Notiones. 1. LIMITARE PROPRIETATEM: idem est ac illam restringere sive quoad quantitatem, sive quoad qualitatem, sive quoad liberum usum bonorum. Neque haec limitatio contra naturam proprietatis est habenda, in ipsa enim definitione dicebamus esse potestatem disponendi de bonis materialibus *intra limites legis*.

815. 2. NECESSITAS seu indigentia alicuius de aliquo potest esse: a) *Extrema* vel *quasi extrema*: si absque alieno auxilio vix potest quis mortem, gravem mutilationem, magnam iacturam bonorum vel status, deflorationem, aliudve malum grave et diuturnum effugere[1]. b) *Gravis*: si imminet pericu-

[5] Cf. GARRIGUET, *La propiedad* p.89; RUTTEN, *Doctr. social de la Iglesia* p.80-84; MÜLLER, *Notes d'Econ. pol.* v.1 p.103.

[1] Hanc necessitatem ita explicant: LUGO, *Extrema (necessitas) est de rebus necessaris ad vitam conservandam, ita ut si de iis non subveniatur homini periculum sit morale, quod brevi moriatur. Illud autem "brevi" explicat* LE-

lum certum damni notabilis etsi non tam gravis nec diuturni. c) *Levis*: si imminet damnum leve aut grave facile vitandum.

816. 3. Auctoritas socialis: est illa quae curam societatis habet. Ad ipsam pertinet inter alia vires sociales in finem communem ordinare.

817. 4. Bonum commune: est illud quod membra societatis efficere intendunt, cum in societatem coadunantur; complectitur tutelam iurium et prosperitatem materialem omnium membrorum societatis.

818. Status quaestionis. Quaestio solvenda ad hoc reducitur: illud ius naturale proprietatis privatae tam sanctum, illimitatum et inviolabile est ut numquam possit aliquis illam tangere absque iniuria contra voluntatem porprietarii? Vel e contra potest aliquando in conflictum venire cum aliis iuribus, etiam naturalibus et ordinis superioris, ante quae ius proprietatis cedere debeat? Cum quibus potest in conflictum venire, et quandonam?

819. Sententiae. 1.ª *In prima parte* theorice non datur diversitas sententiarum quamvis utique in praxi eo maxime quia valde difficile plerumque quis sibi persuadet proximum in illa extrema vel quasi extrema necessitate inveniri, cum possit alibi auxilium quaerere.

2.ª *Liberales* nimis restringunt ius auctoritatis publicae in hac quaestione, non vero in aliis; praesertim disceptatur de quibusdam casibus particularibus in quibus re vera dubium esse potest.

3.ª *Nostra sententia.* Nos vero, cum communi et certa sententia, in prima parte theseos dicimus ius proprietatis posse

---

desma... *ita ut in una hieme, vel in uno vere moriatur;* Caietanus *vero... dicit esse extremam necessitatem quando non apparet alia via qua illi subveniatur licet longe sit a morte;* Soto... *dicit esse etiam extremam quando homo appropinquat periculo morbi incurabilis aut alterius miseriae, quae homines solet conficere;* Angelus *et* Báñez *apud* Sánchez... *dicunt esse etiam extremam quando est in periculo amittendi membrum principale vel sensum sui corporis.* (Lugo, *De iust. et iure* d.16 s.7 n.135.—*Integra haec sec. 7 egregia est, in qua multa declarat cum materia connexa*); Vitoria: "*Haec conclusio de extrema necessitate est large intelligenda... Non tanta licentia est danda divitibus, ut scilicet expectent extremam necessitatem, quando iam est extremus anhelitus vitae—cuando está boqueando—; nec sic extrema necessitas est intelligenda quando ille mediate vel immediate morietur. Sufficit enim videre egenum lecto iacentem vulneribus sauciatum vel quando venit fames quam diu tollerat, taliter quod ad mortem properat nisi ei subveniatur. Tunc certe est extrema necessitas, et licet a divitibus furari, si sine scandalo fieri potest. Sic est de homine qui habet filios et uxorem, tamen nec habet unde illis subveniat nec lectum in quo eos reficiat, et properant ad mortem ex mala tractione.*" (*In* 2-2 q.66 a.7 n.2; Cf. apud Palacio, *Enquiridión...* p.108). Cf. etiam Garriguet, *La propiedad privada* p.93.

venire in conflictum cum iure naturali *primario* omnium hominum disponendi de rebus huius mundi in quantum hae sint stricte necessariae ad vitam. Haec enim est primaria destinatio bonorum humanorum. In hoc casu omnes possunt e bonis cuiuslibet sibi sumere quae sint necessaria ad sublevandam illam necessitatem extremam vel quasi extremam. Hoc vult dicere effatum; *in extrema necessitate omnia sunt communia.*

Solummodo curandum est: *a*) ne ille cuius bona accipiuntur propter hoc in eamdem constituatur necessitatem; *b*) ut illa necessitas non sit *immediate* culpabilis; *c*) ut possessor actualis neget, aut rationabiliter iudicetur veniam esse negaturum ad illa bona accipienda.

Haec necessitas non tam raro accidit quam quod aliquis credere potest, sed sat *frequenter* datur in multis familiis nostris temporibus.

In secunda parte admittimus interventum auctoritatis publicae in proprietate privata. Qui vero debet: *a*) vere *exigi* a bono communi; *b*) sese continere intra *limites* verae exigentiae a bono communi, neque ulterius progredi. Notandum tamen est hoc esse aliquid relativum; in nationibus enim cultioribus plus exigitur a bono communi quam in nationibus barbaris, ideoque maior in illis quam in iis requiritur; *c*) *forma* interventionis diversa esse potest, v.c.: tributa imponendo plus minusve gravia; decernendo restrictionem in negotiis peragendis; determinando salarium minimum pro operariis; monopolia quaedam sibi reservando; restringendo ius hereditarium intra certos limites; expropriationem quandoque decernendo, facta debita condonatione; aliqua servitia vel industrias nationalizando...

Cum auctoritas publica hoc modo intervenit non ideo est quia ipsa habeat ius directum et independens in proprietatem privatam, quae esset directa limitatio; sed solummodo quia debet exigentias boni communis, cuius defensor est, in concordiam cum iure particulari redigere. Ideo solum cum vere detur pugna inter haec duo iura potest intervenire.

Fatendum quidem est auctoritatem publicam plerumque plus aequo extendere interventionem in hac re.

---

[2] Cf. *Quadr. anno* n.18; AZPIAZU, *La Enc. Q. a. Comentario* p.62ss; MÜLLER, *Notes d'Econ. pol.* v.1 n.103-104; RUTTEN, *La doctr. social...* p.88; LLOVERA, *Sociología* p.347ss.

Probatur. 1.ª Pars: In extrema necessitate ius proprietatis limitatur a lege naturali.

820. *Ex collisione iurium.*

Proprietas limitatur cum disparet ius possessoris ad quaedam bona. *Atqui* in casu extremae vel quasi extremae necessitatis disparet ius possessoris ad quaedam bona ex ipsa lege naturali. *Ergo* in extrema vel quasi extrema necessitate ius proprietatis ab ipsa lege naturali limitatur.

Mai.: Ex definitione limitationis proprietatis.

Min.: In illa necessitate vita indigentis vel bonum eidem aequivalens periclitantur et nequeunt salvari nisi usu rerum alterius; unde oritur pugna inter diversa iura. Ius autem ad vitam ut naturale primarium est fortius iure proprietatis, quod est solum secundarium, seu ut quis melius vivere possit; qua in pugna ius proprietatis alteri cedere debet.

2.ª Pars: De interventione auctoritatis limitando proprietatem

821. *Ex collisione iurium.*

Multoties oritur pugna inter ius proprietatis privatae et bonum commune societatis. *Atqui* in casu pugnae inter bonum commune societatis et ius particularium auctoritas publica debet bonum commune defendere, utpote superius iuri particularium. *Ergo* auctoritas socialis cum hoc postulet bonum commune potest limitationes iuri proprietatis apponere.

Mai.: *Patet experientia*: multoties enim bonum commune exigit maxima stipendia, quae nequeunt haberi nisi mediantibus tributis; alias postulat vias communicationis, aut magnas constructiones, quae nequeunt obtineri absque expropriatione possessionum particularium; alias postulat ut strictum et primordiale ius membrorum societatis ad habenda stricte necessaria ad vitam humanam protegatur, ad quod persaepe requiruntur specialia tributa, vel expropriationes agrorum, vel pensiones.

Min.: Finis societatis civilis est bonum commune defendere eiusque observantiam privatis imponere, cum sit vere necessarium; ad hoc enim homines societatem civilem efformant; tunc iura privatorum cedere debent.

822. Obiectiones. 1. Ius proprietatis ab ipsa natura conceditur. *Atqui* quod ab ipsa natura conceditur a lege civili nequit denegari. *Ergo* auctoritas civilis nequit limitare ius proprietatis.

Resp. Dist. mai.: quoad institutionem, *conc.;* quoad extensionem et determinationem omnium rerum, *neg. Contrad. min.*: quod concrete et determinate conceditur ab ipsa natura, *conc.;* quod solum in genere, *neg.;* vel *subd.*: non potest lex civilis determinare quandonam illud desinat concedi a natura, eo quod pugnet cum alio iure superiore naturali, *neg.;* non potest illud directe limitare, ut si ipsa auctoritas civilis haberet potestatem in ipsam legem naturalem, *conc.*

2. Iura naturalia sunt immutabilia, ut ipsa lex naturalis, a qua proveniunt. *Atqui* si ius naturale proprietatis, limitari posset a lege civili, mutaretur. *Ergo* ius proprietatis non potest limitari ab auctoritate civili.

Resp. Dist. mai: mutatione propria, *conc.;* mutatione impropria seu mutando obiectum iuris, *neg. Contrad. min.:* si directe limitari posset ab auctoritate civili, *conc.;* si solum indirecte, *subd.*: mutaretur mutatione propria, *neg.;* impropria, *conc.* (cf. thesim de immutabilitate legis naturalis, n.466ss).

3. Nequit auctoritati publicae concedi quod in sua manu esset occasio innumerabilium abusuum. *Atqui* si auctoritati publicae concedatur ius limitandi proprietatem privatam, illa innumeros committeret abusus. *Ergo* nequit concedi auctoritati publicae ius limitandi proprietatem privatam.

Resp. Dist. mai.: ut ad placitum hoc posset facere, *conc.;* modo iam stricte determinato, *neg. Contrad. min.:* si ad placitum hoc concederetur, *conc.;* si solum cum illud vere exigat bonum commune, *neg.* Solum propter periculum abusuum non sunt reiicienda media, si aliunde probantur necessaria; omnia enim exposita sunt abusibus, qui tamen minora mala societati afferunt, quam ipsa pateretur si auctoritati haec facultas denegaretur.

4. Saltem oportebit limitem aliquem imponere huic interventioni auctoritatis civilis, fixum et determinatum.

Resp. Alius limes non est nisi ipsa exigentia boni communis; multum ergo variare potest; pendet ab statu sociali, ab aliqua clade fortuita...; bonum commune in circumstantiis plane extraordinariis potest exigere ut fere integra proprietas privata per aliquod tempus tollatur, v.c. tempore belli, vel statim post bellum ad salvandam nationem.

ARTICULUS V

DE REGIMINE CAPITALISTICO

Thesis 43. Regimen oeconomicum capitalisticum in se non est damnandum ut essentialiter iniustum (I); attamen multis et gravissimis abusibus hodie corruptum est (II), ac profunda reformatione indiget (III).

AZPIAZU, *La Encíclica "Quadragesimo anno"* q.89-106; *La moral del hombre de negocios* c.4.8.10.11.25; GARRIGUET-BIESA, *Capital y capitalismo; El trabajo; Producción y provecho;* CHAGNON, *Directives sociales cath.* c.4; DE PASSAGE, *Morale et capitalisme;* FALLON, *Economie sociale* p.312ss; REBOUD, *Précis d'economie politique* v.1 p.180ss; BROUILLARD, R., *Benefices (Des operationes lucratives)*: DictSoc 3,535ss; MARSOT, G., *Capitalisme:* DictSoc 4,580-595; BROUILLARD, R., *Capitalisme (L'Eglise et le capitalisme)*: DictSoc 2,596-613; BRUCCULERI, A., *Rilievi sull'economia capitalista:* CivCatt (1939) 205-218.395-409. 507-523.

823. Nexus. Thesibus praecedentibus non agebamus de determinato regimine proprietatis privatae. Nunc volumus examinare regimen determinatum, nempe capitalisticum in sua essentia, et prout hodie habetur, ut videamus utrum sit damnandum vel saltem corrigendum.

824. Notiones. 1. REGIMEN OECONOMICUM: in genere est complexus conditionum seu modalitatum, quibus proprietas privata indui potest, iuxta dispositiones iuridicas ab Statu vel a consuetudine impositas.

Nam etsi proprietas privata, utpote iuris naturalis, stabilis esse debet, tamen formae exteriores quibus hoc ius proprietatis in concreto manifestatur diversae esse possunt.

Regimen proprietatis magnum influxum sociale habet, nam ex ipso pendet magna ex parte protectio et independentia individuorum et familiarum, collaboratio subditorum in bonum commune, et maior efficacitas bonorum naturalium.

825. 2. CAPITALE. 1. *Etymologice* (a capite) significat numerum animalium seu capitum quae ab aliquo proprietario possidentur.

2. *Vulgariter,* prout contraponitur censui vel fenori, illa pars bonorum pecuniae intelligitur quae intacta ut lucrum producat perseverat.

3. *In industria et negotiatione* significare solet vel pecuniam metalicam, vel titulos supra Statum, vel actiones aut obligationes, quae cito converti possunt vel in pecuniam metalicam vel in alia capitalia.

4. *Pro socialistis* significat divitias absque labore iniuste ex fraude contra operarios acquisitas.

5. *In oeconomia* significat omne bonum oeconomicum ad ulteriorem productionem tamquam materiam vel instrumentum destinatum.

826. DIVISIO CAPITALIS. Capitale in sensu oeconomico potest esse:

a) *Capitale naturale*: significat materiam vel instrumenta realia productionis, v.c. materias primas, machinas, aedificia, ipsas opes naturales, quatenus labore humano novam fecunditatem acceperunt, v.c. fundos, greges, silvas, fodinas.

b) *Capitale—pecunia*—quod frequentius nomine capitale intelligitur—repraesentat illud capitale reale. Haec pecunia modernis negotiis committi solet sub forma *actionum, obligationum, mutui et crediti bancarii.*

Actiones sunt partes proprietatis quae repraesentantur titulis syngraphis, saepe in bursa negotiabilibus. Iis actionibus in hodierno regimine capitalistico, deductis omnibus aliis expensis productionis, tribuitur lucrum purum remanens in negotio, illud dividendo iuxta numerum actionum; hinc nomen *dividendum* partibus in negotiatione correspondentibus tributum.

Obligationes sunt tituli repraesentantes pecuniam mutuatam seu feneratam i.e. creditam negotio sub conditione auctarii fixi et post determinatum tempus restituendam. Hae obligationes saepe etiam vendi possunt in mercatu valorum seu Bursa, pretio currenti [1].

Capitale-pecunia lucrum affert sub forma dividendi vel fenoris, spontanea fructificatione, quin labor personalis proprietariorum in hoc determinato negotio requiratur.

Non tamen sequitur capitalistas semper et necessario esse otiosos; illa pecunia saepe oritur e fructibus parsimoniae et e lucro quod obtinuerunt exercendo proprium laborem professionalem.

827. EVOLUTIO OECONOMICA [2]. Ad pleniorem intelligentiam hodierni capitalismi aliqua praemittere iuvabit circa stadia evolutionis eiusdem. *Maedio aevo* vigebat magna proprietas fundorum (latifundia feudalia); in urbibus parva industria exercebatur corporativa; productio exigua erat, manu facta, et pro mercatu locali. *Saeculo XVI* post explorationem Americae et Indiarum Orientalium oritur aliquis capitalismus commercialis.

Exeunte saec. XVIII incipit transformatio industrialis; machinofactura magis ac magis eliminat manufacturam. Vapor, petroleum, electricitas vim motricem potentissimam praestant; paulatim crescit machinismus; labor magis ac magis rationalizatur (Taylorismus, Fayolismus, Fordismus...) [3]; commercium magnopere extenditur cum

[1] Cf. GARRIGUES, *Tratado de Derecho mercantil* 1 p.2.ª p.606-1131; REBOUD, *Precis d'economie politique* 1 n.244ss.

[2] Cf. MARSOT, *Capitalisme:* DictSoc 4,581-586.

[3] Cf. FALLON, *Economía social* p.60-64.

celeritate et facilitate communicationum; inde productio fit in massa (en serie); ubique magnum negotium industriale et commerciale instauratur, quod ingentes summas pecuniae per diversas methodos crediti colligit.

828. Regimen capitalisticum. Difficile est accuratam definitionem eiusdem tradere; plurimos enim aspectus offert, ac nimis complexos, qui vix una definitione amplecti possint.

1. *Nominaliter* est regimen oeconomicum in quo praevalentiam aliquam habet capitale. Hoc sensu intellectu capitalismus aliquo modo semper in mundo fuit, etsi magnopere nostris temporibus fuerit perfectus, progressus vero capitalismi, cum augmento industriae et productorum et imminutione laboris humani, maximum beneficium est pro hominibus [4].

2. *Sensu peiorativo*—ut plerumque intelligitur—, significat pravam consequentiam ex praedominio capitalis supra laborem in regimine oeconomico; ac definitur *regimen oeconomicum in quo organizatio laboris et activitatis oeconomicae subordinatur egoismo capitalistarum, spretis exigentiis socialibus et legitimis postulatis laboris.*

3. *In oeconomia hodierna* intelligitur regimen oeconomicum quod his notis insignitur: *a*) ordinatur ad *lucrum; b*) datur magna mobilitas pecuniae quae convergit in *magna negotia; c*) negotia usque in infinitum ampliantur per *expansionem crediti;* cum tendentia ad monopolium et ad rationalizationem; *d*) datur collaboratio in productione atque in commercio *duarum classium* diversarum, operariorum scilicet qui quantitate fixa remunerantur et possessorum bonorum productionis qui quantitate aleatoria remunerantur, ita ut directio unice ad possessores pertineat.

His positis regimen capitalisticum potest definiri: *Regimen proprietatis privatae et magni negotii, fundatum super creditum atque ordinatum ad lucrum, in quo viget distinctio functionalis inter praestitores laboris salario remuneratos et praestitores capitalis dividendo vel auctario remuneratos; et in quo suprema directio negotii pertinet ad administratores, qui capitale repraesentant* [5].

Potest esse capitalismus commercialis, industrialis, financiarius, agricola, prout sit negotium de quo agitur.

829. Status quaestionis. *In prima parte* regimen capitalisticum consideratur in se, seu quoad structuram stricte essentialem eiusdem et volumus videre utrum sit intrinsece malum vel non, etsi non constituat organizationem oeconomicam idealem et perfectam. *In secunda* et *tertia parte* consi-

[4] Cf. Azpiazu, *La Enc. "Quadrag. anno"* q.92.203.
[5] Cf. Azpiazu, *La Enc. "Quadrag. anno"* q.89-92.

deratur in concreto, prout ordinarie habetur in omnibus locis, ut videamus utrum debeat reformari, et quomodo.

830. Sententiae. 1.ª *Socialistae* semper regimen capitalisticum intelligunt sensu exclusive peiorativo, ut essentialiter iniustum.

2.ª *Aliqui catholici* eodem modo loqui videntur; et regimen capitalisticum ut natura sua vitiosum damnant ideoque necessarium iudicant illud alio regimine oeconomico sustituere.

3.ª *Nostra sententia.* Defendimus ut certum regimen capitalisticum ex sua essentia, seu ex elementis constitutivis eiusdem non esse malum. Non ideo dicimus esse regimen ideale. Admittimus adesse alia regimina meliora, v.c. regimen associationis, et participationis in beneficiis uno vel alio modo.

Mala quae in regimine capitalistico hodierno de facto habentur, de quibus agimus in secunda parte, ex abusu regiminis nascuntur, ad quae faciliter inclinatur. Sed potest dari regimen capitalisticum absque illis.

Probatur. 1.ª Pars: Regimen capitalisticum non est essentialiter iniustum

831. Duo potissimum implicat regimen capitalisticum ex quibus iniustitia eiusdem essentialis deduci possit: *a*) ex parte *remunerationis distinctionem functionalem* inter praestitores laboris salario remuneratos et praestitores capitalis dividendo vel fenore remuneratos; *b*) ex parte *directionis* negotii *praevalentiam* et suprematiam capitalis in directione negotii. *Atqui* ex neutro ex iis duobus capitibus probatur essentialis iniustitia huius regiminis. *Ergo* regimen capitalisticum non est damnandum ut natura sua iniustum.

Mai.: Ex definitione capitalismi. Ex aliis enim notis essentialibus eiusdem clarum est non dari iniustitiam.

Min.: *a*) QUOAD DISTINCTIONEM FUNCTIONALEM. 1. *Salariatus,* seu regimen laboris in quo operarii accipiunt aliquam quantitatem fixam, non est essentialiter iniustus: falsa enim est theoria marxista de augmento valoris et de lucro, quod totaliter debeatur operario; salarium est iustum, ut videbimus, cum respondet valori humano familiari et oeconomico laboris qui est causa efficiens principalis sed non unica productionis [6].

[6] Cf. *Rerum novarum* n.16: *Quadrag. anno* n.24.29.38; GARRIGUET, *El trabajo* n.188ss; *Capital y capitalismo* p.57ss.

2. Remuneratio capitalis mediante dividendo aleatorio vel auctario fixo, dummodo primatum laboris et salarii observet, est legitima: *a*) *actionarii* qua coproprietarii mediorum productionis *active* interveniunt in productione, consequenter eisdem pars productorum debetur; *b*) ipsi iuridice assumunt *totam responsabilitatem* negotii, ac in casu ruinae eorum pecunia totaliter vel quoad maiorem partem perditur, vel si lucrum est exiguum, ut multoties accidit, pars eisdem correspondens est omnino exigua. Dividendum ergo est pars omnino aleatoria quae actionariis adscribitur propter servitia praestita in productione et propter responsabilitatem acceptam et quaedam quasi assecuratio contra periculum sortis; *c*) alius titulus ad dividendum est quia capitalista est etiam *venditor* productorum et lucrum est differentia inter pretium productionis et venditionis; haec vero differentia tribuenda est vel variationibus naturalibus pretii (tunc fructificat domino productorum) vel organizationi laboris, vel specialibus circumstantiis naturae, instalationis, etc., et tunc etiam domino responsabili solum debetur [7].

b) OBLIGATIONISTAE VEL CREDITORES, licite etiam percipiunt fenus seu auctarium moderatum, propter servitium praestitum, propter lucrum cessans et propter periculum sortis.

In hodiernis enim circumstantiis ex pecunia quilibet lucrum facere normaliter valet; insuper propter insecuritatem et dynamismum vitae oeconomicae habetur semper periculum sortis, seu perdendi pecuniam negotio concessam; unde auctarium esset indemnitas et compensatio pro lucro cessante et periculo sortis. Nolumus tamen ideo affirmare quodlibet dividendum vel auctarium esse licitum, nam multoties illud resultat vel ex eo quod non tribuantur salaria debita, vel ex pretio iniusto in venditione, ac tunc iniustitiae committitur contra emptores [8].

c) QUOAD SUPREMATIAM ET PRAEVALENTIAM CAPITALIS *in directione negotii*. Haec quidem dummodo iura operariorum observentur quoad salarium et debitam reverentiam et

---

[7] Cf. GARRIGUET, *El trabajo* v.2 p.69-89; ANTOINE, *Economie sociale* p.495. Ipse Stus. Thomas explicite agnoscit liceitatem lucri pecuniae, quae committitur negotio per modum societatis; ait enim: *Qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici per modum societatis cuiusdam non transfert dominium pecuniae suae per illud, sed remanet eius; ita quod cum periculo ipsius mercator de ipsa negotiatur vel artifex operatur. Et ideo sic licite potest partem lucri inde provenientem expetere, tamquam de re sua.* (2-2 q.78 a.2 ad 5.)

[8] Cf. AZPIAZU, *La moral del hombre de negocios* c.11-12 p.159-190 quod beneficium in negotiis considerari possit ut iustum. Generatim solet dici non esse ex se iniustum si non excedat duplo interesse normale pecuniae.

protectionem, per se non est iniusta oppressio nec despotica tyrannis. Consilium administrationis repraesentat actionarios, i.e. illos qui iuridice totam responsabilitatem negotii ferunt [9].

2.a Pars: Capitalismus multis et gravissimis abusibus corruptus est hodie

832. Vidimus regimen capitalisticum ex sua natura non esse essentialiter iniustum; posse ergo dari de se huiusmodi regimen quin quidquam contra ipsum habeatur. Tamen, ut a saec. XIX usque ad nos viguit, corruptus invenitur magnis et innumeris abusibus in omnibus nationibus. Praecipui vero sunt:

1. *Effrenata cupiditas lucri* a liberalismo oeconomico et ab utilitarismo amorali ac practice materialistico stimulata, sine debito respectu ad bonum commune atque ad valores superiores. Ergo illud desiderium lucri, quod intra certos limites legitimum est et magnopere industriam et laborem promovet, limites eggreditur [10].

2. *Nimia concentratio divitiarum* et nimia inaequalitas inter paucos praedivites et immensum exercitum proletariorum [11].

3. *Dictatura oeconomica,* seu potentatus oligarchiae financiariae quae dispensat creditum. Pauci homines occupant praecipuas sedes administrationis in bancis, institutis crediti et magnis societatibus et "*manibus suis quasi animam rei oeconomicae ita versant ut contra eorum nutum respirare nemo possit*" [12].

4. *Occulta dominatio oligarchiae financiariae* super gubernium politicum per ephemerides, subscriptiones et contributiones ad capsam electoralem factionum vel aliis modis [13].

5. *Nationalismus oeconomicus exaggeratus*: hinc portoria immania ad favendum quibusdam monopoliis, concentratio in augmento apparatus militaris [14].

6. *Tyrannis monopoliorum* quae opprimunt consumptores vel utentes imponendo pretia immoderata ad renumeran-

---

[9] Cf. GARRIGUET, *El trabajo* v.2 p.58ss62ss; AZPIAZU, *Com. a la Q. A.* q.92; *¿Está condenado el capitalismo?:* RazFe 107 (1935) 137-156.

[10] Cf. *Quadrag. anno* n.54; *Caritate Christi* n.3; AZPIAZU, *Comentario a la Encicl. Q. a.* q.94-95.

[11] *Quadrag. anno* n.23; *Div. Redempt.* n.47; AZPIAZU, *Com. a la Q. a.* q.99.

[12] *Quadrag. anno* n.39; AZPIAZU, *Coment. a la Q. a.* q.95-96.

[13] *Quadrag. anno* n.39; AZPIAZU, *Coment. q.*EQA L. .

[14] *Caritate Christi* n.4; *Quadrag. anno* n.40; AZPIAZU, *Comentario* q.103 n.3.°

dum capitale saepe fictitio modo amplificatum et auctum [15].

7. *Effrenatae et saepe inhonestate speculationes* in Bursa: falsi rumores, coalitiones, monopolia [16].

8. *Abusus contra sepositores et actionarios*: fraudes in constitutione et administratione societatum, falsitates in prospectu vel in bilancio, indebitae participationes per intrincatam complexionem societatum filialium [17].

9. *Abusus contra operarios*: insufficientia salarii si comparetur cum dividendis et honorariis administratorum; irresponsabilitas relate ad conditiones hygienicas laboris, ad inopiam operariorum deficiente labore, systematica hostilitas contra omnem participationem operariorum in directione negotii; tandem crises oeconomicae quae oriuntur a vitiis capitalismi aggravatis quidem per multas alias causas.

Hic ergo capitalismus antichristianus, sic corruptus, est utique damnandus [18].

3.ª Pars: Capitalismus hodiernus indiget profunda reformatione

833. Ut regimen capitalisticum servari possit, a praedictis abusibus purgari debet, ad quod necesse est ut reformetur in ordine morali, oeconomico et institutionali.

834. 1. Reformatio moralis: implicat renovationem ideae christianae de vero sensu vitae humanae, de recto usu divitiarum; praxim spiritus caritatis et iustitiae socialis ad frenandum egoismum et cupiditatem, et ad impellendum ad collaborationem atque ad usum magis socialem proprietatis privatae [19].

835. 2. Reformatio oeconomica *in distributione bonorum;* aequior repartitio divitiarum et lucri; efficatior adimpletio functionis socialis proprietatis privatae ad procurandam redemptionem proletariatus.

Ut vero proletarii a sua conditione redimantur prevenire debent ad constitutionem cuiusdam modesti census et capitalis, fructus parsimoniae; obtinere salarium familiare et sub-

---

[15] *Quadrag. anno* n.40; Azpiazu, *Coment.* q.103 n.1; Pérez del Pulgar, *El concepto cristiano de la autarquía* p.19-21.30.

[16] *Quadrag. anno* n.54; Azpiazu, *Moral del hombre de negocios* n.425ss.

[17] *Quadrag. anno* n.54; Azpiazu, *Coment. a la Q. a.* q.97-98.

[18] Cf. Azpiazu, *La moral del hombre de negocios* p.69ss.

[19] Cf. *Quadrag. anno* n.52-54; *Divini Redempt.* n.40-55; *Caritate Christi* n.2-5; *Sertum laetitiae* n.10-13.

sidia complementaria; subsidia familiaria; assecurationes contra pericula oeconomica [20].

836. 3. Reformatio institutionalis: a) *Ex parte status*: politica non socialistica, neque liberalis, neque autocratica, sed vere socialis; legislatio severior circa instituta crediti, societates capitalium, speculationes in Bursa, etc.; ordinationes ad urgendam functionem socialem proprietatis privatae secundum exigentias boni communis; nationalizatio seu socializatio quorumdam negotiorum "cum tam magnum secum ferant potentatum, quantum privatis hominibus, salva republica, permitti non possit" (*Quadr. Anno, n.45*); haec nationalizatio, prudenter limitanda est ad minorem negotiorum numerum et iustam indemnizationem supponit pro expropriatis.

b) *Ex parte proffesionum*: organizatio professionum, seu regimen in quo vigeat auctoritas professionalis cum munere elaborandi ordinationes et regulas, quae post sanctionem gubernii sint obligatoriae pro omnibus in illa professione participantibus.

837. 4. Reformatio internationalis: ut obtineatur cooperatio inter diversos Status ad stabiliendam iustam pacem, ad apparatum bellicum reducendum, ad mutuas relationes oeconomicas ordinandas.

838. Obiectiones. 1. A tempore quo regimen capitalisticum incepit mala et iniustitiae sociales multiplicata sunt. *Atqui* haec mala naturaliter attribui debent regimini capitalistico. *Ergo* regimen capitalisticum est ex sua natura iniustum.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: Debent attribui abusibus huius regiminis, *conc.;* ipsi regimini, *neg. Dist. pariter cons.*

2. Essentia regiminis capitalistici haec duo fundamentalia includit: *a)* distinctionem functionalem inter praestitores laboris quibus salarium fixum tribuitur, et inter praestitores capitalis quibus reliqui proventus tribuuntur; *b)* primatiam et praevalentiam in directione negotii concedendam repraesentatibus capitale. *Atqui* haec duo elementa fundamentalia regiminis capitalistici sunt e sua natura iniusta et naturaliter afferunt mala praedicta regiminis capitalistici. *Ergo* regimen oeconomicum capitalisticum est iniustum in se ipso.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

3. Regimen capitalisticum quatenus importat distinctionem functionalem inter patronos et operarios praedicto modo remuneratos necessario ducit ad pugnam classium. *Atqui* quod necessario ducit ad pugnam classium iniustum est e sua natura. *Ergo* regimen oeco-

[20] Cf. *Quadrag. anno* n.26-36; *Divini Redempt.* n.52; *Nunt. radioph. Pii XII in festis Natal. a. 1942* n.31ss; *Nunt. radioph. 1 sept. 1944* n.9-12.

nomicum capitalisticum quatenus importat illam distinctionem functionalem est e sua natura iniustum.

Resp. Dist. mai.: si operario non datur iustum salarium nec eidem tribuuntur considerationes humanae debitae, *conc.;* secus, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

4. Contractus laboris, essentialis in regimine capitalistico, vim laboris operarii emendo quadam quantitate fixa pecuniae, operarium aequiparat reliquis mercibus. *Atqui* potissimum haec aequiparatio operarii reliquis mercibus originem dat pugnae classium. *Ergo* regimen oeconomicum capitalisticum per se ducit ad pugnam classium, quamvis operario iustum salarium tribuatur.

Resp. Dist. mai: Si praeter salarium iustum patronus attendit in conditionibus laboris statuendis ad dignitatem humanam operarii, *neg.;* si haec non servantur, *conc.;* ad summum in aliquo puncto valor laboris operarii aequiparatur mercibus, scil. quatenus emi et vendi potest; sed est merces specialis. *Contrad. min.*

5. Regimen capitalisticum necessario privat operario omni stimulo ad laborem. *Atqui* stimulus ad laborem est complementum dignitatis humanae, quae secus reducitur ad quamdam machinam. *Ergo* regimen capitalisticum etsi dignitatem humanam revereatur necessario ducit ad pugnam classium et operarium degradat.

Resp. Dist. mai.: necessario privat, *neg.;* sunt enim diversi modi stimulum fovendi; abusus huius regiminis vel mala applicatio eiusdem, *conc. Conc. min. Dist. pariter cons.*

6. Iniustum ex se est, cum duo ad effectionem alicuius rei concurrunt, uni ex illis privare beneficiis ad quae ius habet, illaque attribuere unice alteri. *Atqui* regimen capitalisticum, cum ad effectionem rerum concurrant et operarius et capitale, solum capitali attribuit omnia beneficia. *Ergo* regimen capitalisticum est ex se iniustum.

Resp. Dist. mai.: si illi duo eodem modo et in eisdem conditionibus concurrunt, *conc.;* si conditiones sunt diversae, *neg. Contrad. min.*

7. Sicut operarii pro suo labore salarium accipiunt, ita capitale remuneratur sufficienter fixo auctario. *Atqui* postquam operariis et capitali pars correspondens tribuitur, adhuc remanet quaedam quantitas, quae beneficium solet vocari, ad cuius effectionem et operarius et capitale concurrunt. *Ergo* aequalitas conditionum postulat ut beneficium ex aequo distribuatur inter operarios et patronos.

Resp. Dist. mai.: si non deberemus attendere ad alia elementa quae in effectione rerum interveniunt, v.c. ad responsabilitatem, ad contingentiam non raram amissionis capitalis, vel lucri..., *conc;* si vero debemus attendere ad haec, *neg. Contrad. min.:* Illud beneficium respondet praecise et unice capitali ut elemento effectionis rerum, *neg.;* ut responsabili in negotiatione vel propter alias rationes, *conc.*

ARTICULUS VI

DE IUSTO SALARIO

Thesis 44. Cuilibet adulto laboranti in conditionibus normalibus debetur salarium familiare absolutum, certo ex iustitia sociali (I), probabiliter etiam ex iustitia commutativa (II).

AZPIAZU, *El salario familiar:* RazFe 103 (1933) 336-357.495-519; *La Encicl. Q. a.: Comentario...* q.37-41; Fz. POUSA, M., *El salario familiar* (Rosario 1940); QUETGLAS, B., *El salario familiar: teoría y práctica* 2 ed. (Palma 1935); *El salario mínimo:* FomSoc 4 (1949) 148-169; GARCÍA OVIEDO, *Derecho Social* 3 ed. (Madrid 1948) p.177-233; BRUGAROLA, M., *Formas actuales de retribución del trabajo:* FomSoc 5 (1950) 395-418; GANDÁSEGUI, J. M., *Política social cristiana* (Madrid 1940) p.181ss; VILA, *Orientaciones sociales* p.181ss; GARRIGUET-BOTE, *El trabajo* v.1 p.161ss; FALLON, *Economía social,* vers. hisp. (Barcelona 1933) p.234-273; VERMEERSCH, *Quaest. de iustitia* q.10 p.558ss; MÜLLER, A., *Notes d'Econ. pol.* t.1 p.187 (Paris 1933); TONNEAU, *Salaire:* DTC 14,978-1016; MARAVALL, *La despolitización del salario a través de la técnica jurídica:* Trabajo (1945) 144-149.

839. Nexus. Dicebamus thesi praecedenti regimen laboris, in quo operariis traditur aliqua quantitas fixa et determinata, non esse iniustum natura sua; multoties vero non tradi operariis salarium debitum. Nunc volumus videre quale sit salarium infimum debitum operariis ex iustitia.

840. Notiones. SALARIATUS: est regimen oeconomicum laboris in quo operarius propter laborem praestitum [1] immediate vel brevi temporis intervallo accipit quamdam quantitatem fixam, quae vocatur salarium, quin venditionem productorum exspectare debeat; haec vero quantitas independens est a bona vel mala sorte in negotio habita.

841. SALARIUM: *est merces ab operario pro suo labore accepta.*

Salarii divisio: 1. a) *Nominale*: *quantitas pecuniae* quam operarius accipit pro labore; b) *Reale*: *est quantitas rerum utilium* quam operarius acquirere potest cum illo.

2. a) *In pecunia*: si operarius accipit certam quantitatem pecuniae; b) *in specie*: si accipit quaedam servitia, v.c. usum domus, lucem, aquam, vel certam quantitatem alimentorum; c) *mixtum,* si partim solvitur pecunia, partim vero determinatis fructibus vel servitiis; haec omnia prae oculis sunt habenda in aestimatione salarii realis.

---

[1] Disputatur inter auctores quod sit obiectum huius contractus, nempe utrum persona operarii, vel labor, vel servitia eiusdem; utrum sit contractus emptionis-venditionis, vel mandatus, vel societatis, vel innominatus; cf. de iis GARCÍA OVIEDO, *Derecho social* p.102ss; GARRIGUET, *El trabajo* p.62-82.

3. a) *Directum*: intelligitur illud quod ex pacto directe operario traditur; b) *indirectum:* illud quod salario directo additur sub forma gratificationis, quae diversas formas induere potest.

4. a) *Pro tempore* (a jornal): si quantitas remunerationis determinatur iuxta durationem directam laboris, v.c. pro singulis horis, pro octo horis; b) *pro rebus* (a destajo; a contrata): si quantitas remunerationis, independenter a tempore, determinatur iuxta laborem factum; quod cedit in favorem operarii qualificati, vel laboriosi, qui hoc modo augmentum salarii obtinere potest; periculum tamen adest ne hoc modo nimio labori se tradat operarius, aut res male faciat; c) *intermedium* si ut fundamentum habetur v.c. salarium pro tempore; sed mediantibus meliorationibus stimulatur operarius [2].

5. a) *Currens*: est illud quod in aliquo loco determinato in usu est ex mutua partium conventione, iuxta productivitatem laboris, consuetudinem, legem oblationis et petitionis; b) *normale*: est illud quod respondet conditionibus oeconomicis praesentibus. Salarium normale et currens non semper est iustum.

6. a) *Minimum:* illud quod omnino requiritur ut iustitia servetur, ita ut ab illo nihil omnino detrahi possit; b) *Maximum:* illud supra quod nihil addi potest, quin industria aliqua in ruinam veniat, vel ordo socialis perturbetur.

7. *a*) IUSTUM: illud quod respondet exigentiis iustitiae, seu quod aequivalet labori humano praestito et exigentiis socialibus, ultra conventiones forte initas; *b*) INIUSTUM: quod exigentiis iustitiae non respondet; seu quod non aequivalet labore humano praestito, et exigentiis socialibus.

8. *a*) INDIVIDUALE: quod requiritur ad sustentationem solummodo operarii frugi et bene morati; *b*) FAMILIARE: quod requiritur ad sustentationem familiae alicuius operarii. Hoc potest esse: 1) *relativum*: si proportionatur numero infantium uniuscuiusque familiae, ita ut semper inserviat ad sublevanda onera familiaria; est variabile pro unaquaque familia; 2) *absolutum*: quod requiritur ad sublevandas normales necessitates alicuius familiae mediae, quae sumitur ut typus in qualibet regione, iuxta natalitatem normalem in illa.

Necessitates normales intelliguntur: cibus, vestis, tectum, honesta recreatio, congrua liberorum educatio, praevisio pro senectute et infirmitatibus occurrentibus, observantia festorum... omnia iuxta conditionem socialem uniuscuiusque (cf. PIUS XII, *allocutio ad 20.000 operarios* n.4).

[2] Vide diversas methodos stimulandi laborem operarii v.c. apud THIERRY, R. DE, *Analisi e riduzione del costo de produzione* (Milano 1944); PEANO, A., *E possibile disciplinare il cottimo?* (Milano 1944); LECOG, B., *Les diverses modes de remuneration du travail dans l'industrie:* Travaux (1948) 496-518; BORREGÓN, V., *Sistemas remunerativos que incrementan la productividad del trabajo:* Trabajo (1948,1) 280-289; GARCÍA-OVIEDO, *Derecho social* p.180-181.

842. IUSTITIA: quid sit et eiusdem divisio maxime in iustitiam *socialem* et *commutativam* (cf. n.339ss). Reliqua verba patebunt in statu quaestionis.

843. Status quaestionis. 1. INVESTIGAMUS salarium quod ex iustitia debetur operario laboranti ab alio conducto. Quaestio magni momenti cum ab ea magna ex parte solutio quaestionis socialis pendeat [3].

2. SUPPONIMUS salariatum esse de se regimen legitimum, ut aperte profitetur PIUS XI (*Q. a.* n.29); etsi non sit regimen ideale, et optandum sit ut regimine societatis substituatur vel saltem illo mitigetur [4]. Illegitimitas illius repeti nequit neque *ex parte iustitiae*, cum non excludat natura sua, sed e contra postulet salarium proportionatum labori praestito, et conditiones convenientes durationis, sanitatis, moralitatis; *neque ex parte caritatis*, quia relationes inter patronum et operarios includunt et supponunt mutuam aestimationem, fidem et reverentiam erga dignitatem humanam.

3. COMMODA salariatus sunt: a) *Pro operariis*: hoc modo hi accipiunt quamdam retributionem certam, fixam determinatam, brevi tempore solvendam; hoc pacto liberantur a periculis sortis in negotio, nam etsi non fuerit prosperum ipsi quantitatem accipiunt et solus patronus omnia pericula subit. In eo datur alius novus quasi-contractus assecurationis in quo operarius pro certa, fixa et determinata quantitate pecuniae ceteris omnibus proventibus ei forte obvenientibus renuntiat.

b) *Pro patronis*: hoc modo ipsi soli sunt domini industriae quam omnimoda libertate dirigere possunt; ipsi etiam omne lucrum, quod ex industria percipiatur, accipiunt.

4. INCOMMODA: a) *Pro operariis*: adest *carentia stimuli* ad laborem, ipsi enim idem salarium accipiunt sive multum, sive paucum laborent (sunt tamen poenae contra negligentiam notabilem et praemia pro speciali labore); nimia *subiectio* erga patronum, cum periculo eiusdem dignitatis personalis; *insecuritas* et instabilitas, facile enim una vel alia causa possunt a labore cessare.

b) *Pro patronis*: nam ipsi soli debent omnia pericula negotii subire (cf. GARRIGUET, o.c.p.184ss).

Fatendum est plerumque patronos ad sortis periculum assecurandum nimium lucrum accipere, ac salaria non iusta operariis tradere.

---

[3] Cf. GARRIGUET-BOTE, *El trabajo* t.1 p.177ss.
[4] Quoad historiam salariatus cf. GARRIGUET, *o.c.* p.180ss.

844. Sententiae. 1.ª *Socialistae et communistae* reiiciunt regimen salariatus ut iniustum et ut homini indignum. In hoc inclinantur etiam aliqui catholici, qui regimen salariatus ad summum tollerandum esse dicunt, ut malum necessarium, v.c. VOGELSANG, sectatores democratiae christianae, et alii [5].

2.ª *Liberales* omne salarium ut iustum habent quod mutua partium convectione fuerit adstipulatum, etsi operarii ad illud acceptandum necessitate cogantur.

3.ª *Aliqui catholici* ante Encycl. *Casti connubii* et *Quadragesimo anno,* tenebant ex iustitia operariis non deberi nisi salarium individuale; familiare vero solum ex caritate, quod legibus civilibus urgeri non posset.

4.ª *Hodie omnes catholici tenent* salarium familiare deberi *saltem ex iustitia sociali;* constat enim diversis documentis pontificiis apertis verbis: PIUS XI, *Casti connubii,* n.72; *Quadragesimo anno,* n.32; *Divini Redemptoris* n.31,52; PIUS XII, *Sertum Laetitiae,* n.19; *Allocutio ante 20.000 operarios,* n.4; *Nunt. Radioph. in festis Nativitatis* a. 1942, n.32; *Allocutio in com. 50 anniv. "Rerum novarum",* n.11.

Multi auctores simpliciter hoc affirmant neque ulterius investigant; pro his ergo salarium familiare simpliciter debetur ex iustitia sociali, quae sententia multos habet defensores.

5.ª Alii vero hoc admittentes *ulterius progrediuntur* atque contendunt salarium familiare deberi non solum ex iustitia sociali, sed praeterea ex iustitia commutativa, ita ut nisi hoc tradatur non detur perfecta aequivalentia inter laborem ab operario praestitum et mercedem acceptam a patrono, qui proinde ad restitutionem teneretur. Fundamentum ad hanc sententiam adesse videtur in Enc. *Rerum novarum* (n.35) et *Divini Redemptoris* (n.31). Hanc sententiam defendunt multi auctores iam a fine saec. XIX et nostris diebus in dies plures habet defensores, v.c, TAPARELLI LIBERATORE, BIERDERLACK, POTTIER, LEHMKUHL, PESCH, PERIN, VERMEERSCH, MERCIER, CATHREIN, FALLON, RUTTEN, RYAM, MULLER, DONAT, NIVARD, LLOVERA, MENÉNDEZ RAIGADA, BRUCCULERI, VILA...

845. 6.ª *Nostra sententia.* 1. Defendimus ut *certum* salarium familiare absolutum deberi ex *iustitia sociali,* ita ut antecedenter ad quamlibet legem civilem hoc statuentem detur vera obligatio ex iustitia sociali tradendi salarium familiare;

[5] IZTUETA, *El malestar del mundo obrero* p.78ss112ss.

hoc enim postulat bonum commune, tam ab individuis ut a membris societatis, quam ab ipsa societate.

Iustitia socialis obligat ipsos rectores societatis ut conditionem aptam ad hoc salarium familiare absolutum tradendum in societate foveant; hoc salarium debent praeterea legibus imponere; semel imperatum patroni illud tradere debent ex iustitia legali et sociali simul.

2. Defendimus ut *probabilius* salarium familiare absolutum deberi ex se etiam ex *iustitia commutativa;* si ergo aliquis patronus illud non det ad restitutionem tenebitur; forte in aliquibus conditionibus, ut Romanus Pontifex supponere videtur (Q.A.n.32), tale salarium dari nequeat, tunc solummodo urgeret iustitia socialis auctoritati ad illas conditiones adversas tollendas.

3. *Supponimus agi* de *operario* honesto, sobrio et oeconomico, qui vult vivere vitam dignam, sed eiusdem conditioni acommodatam; qui praeditus sit sufficienti sanitate et capacitate professionali ad laborem; de aliquo operario adulto, non vero de puero vel de sene, qui vix possint laborare, neque de infirmo et incapaci.

4. *Ad computationem salarii* familiaris absoluti supponimus *feminam* etiam concurrere suo moderato labore, maxime laboribus domesticis, et etiam *filii,* si qui sint in aetate iam grandiori, saltem a decimo quarto aetatis anno qui possint etiam labore suae aetati et conditioni convenienti laborare (cf. *Quadr. anno* n.32).

5. Supponimus operarium cum salarium percipiebat necessitatibus praesentibus superius, v.c. dum erat caelebs, in primis annis matrimonii, fecisse aliquas *oeconomias* pro temporibus in quibus necessitates fuissent maiores (cf. *Casti connubii* n.72).

6. Hoc salarium deberi dicimus *omni operario adulto* laboranti, sive sit matrimonio coniunctus, sive non: sive habeat filios, sive non; sive sit vir, sive mulier, quae laboret similibus laboribus ac cum simili fructu (cf. Pium XII, *Allocutio ad* 600 *operarias italas* (15 aug. 1945).

7. Hoc est salarium *minimum*: quod non obstat quominus propter alias rationes, v.c. propter maiorem dexteritatem aut aptitudinem in operario, propter maius periculum in labore, propter maiorem productivitatem in negotio, propter dispendia necessaria ad determinatam professionem addiscendam,

denique propter relativam penuriam operariorum salarium debeat esse maius.

8. Affirmamus denique hoc salarium deberi ex natura sua in conditionibus normalibus societatis et industriae. Si aliquando adsint specialia adiuncta externa, ex patroni voluntate non pendentia, quae illud salarium familiare impediant, tunc patroni immunes erunt a culpa, si illud non solvant; quo in casu iustitia socialis postulabit ut citius tales reformationes introducantur, quae sint necessariae ut tale salarium sit possibile (cf. *Quadr. anno* n.32-33).

Probatur. 1.ª Pars: Salarium familiare absolutum debetur ex iustitia sociali

846. *Ex charactere sociali laboris et retributionis.*

Labor habet characterem individualem et socialem; proinde eiusdem retributio eosdem characteres habere debet. *Atqui* character socialis retributionis exigit salarium familiare absolutum. *Ergo* salarium familiare absolutum debetur ex iustitia sociali.

Mai.: Labor non est solum ad bonum individui particularis sed ad bonum totius societatis; ex labore enim humano tota societas beneficium capit, nam bonum commune efflorescit ex labore omnium; retributio, quae labori respondere debet ab hoc charactere praescindere nequit (*Quadr. anno* n.30).

Min.: Sine salario familiari innumera in familia et in societate perturbantur, in specie: *a*) propagatio conveniens prolis; *b*) robur familiae, praesertim filiorum; *c*) pax et quies in familia. Unde oriretur bellum internum in familiis et consequenter in tota societate. Praeterea qui non habent necessaria ad familiam sustentandam sunt prompti ad omnes perturbationes sociales.

2) Non solvit quaestionem affirmare caritatem posse iis necessitatibus satisfacere: *a*) quia caritas non poterit haec facere convenienter et ordinate; *b*) quia per caritatem non satis intentioni naturae providetur.

847. *N. B.* 1) Quoniam malum sociale antecedenter ad legem civilem omnia membra societatis vitare debent, salarium familiare obligat ex iustitia sociali antecedenter ad legem quamlibet civilem.

2.ª Pars: Debetur etiam ex iustitia commutativa

848. 1. *Eo quod labor operarii aequivaleat sustentationi familiae* [6].

Illud salarium ex iustitia commutativa debetur quod est necessarium ad sustentationem operarii. *Atqui* haec sustentatio operarii intelligenda est non solum individualis sed etiam familiae eiusdem. *Ergo* salarium quod ex iustitia commutativa operario debetur est salarium familiare.

Mai.: Operarius suas vires patrono tradit, hic vero pro ipsis tradere debet ex iustitia commutativa quod sit necesse ad illas restaurandas.

Min.: Sustentatio consideranda est non solum in se sed etiam in destinatione providentiali naturae; homo vero a natura destinatur ad familiam efformandam et sustentandam, ad quod operarius generatim non habet aliud medium praeter fructum e suo labore susceptum.

a) *Statum familiarem esse homini naturalem* et communem patet ex facultate procreandi per se omnibus collata; ex maxima propensione omnibus per se ingenita ad amorem coniugalem; ex communi necessitate illius status ad bonos mores servandos, caelibatus enim virtutis studio susceptus est quid angelicum et heroicum; ex facto denique universali, ut historia humana constat [6].

b) *Operarium generatim non habere aliud medium* ad sustentationem familiae quam fructum e suo labore, nempe salarium, patet experientia [7].

849. 2. *Ex aestimatione communi.*

Valor iustus laboris operarii, sicuti omnium rerum quae commutantur, recte determinatur aestimatione communi. *Atqui* communis aestimatio labori operarii salarium familiare assignat. *Ergo* ex iustitia commutativa operario debetur salarium familiare.

Mai.: Ex dicendis statim de iusto pretio et ex notione valoris commutativi.

Min.: Ita iudicant a) *operarii*, nam si salarium sit insufficiens ad sustentationem familiae, etiam optimi operarii de hoc conqueruntur, nisi videant illam insufficientiam ab aliqua causa extrinseca industriae illud impediente provenire;

---

[6] Azpiazu, *La Encic. "Quadrag. anno"* q.47-48.

[7] Cf. Pius XII, *Allocutio in comm. 50 aniv. "Rerum novarum"* n.19; Pius XI, *Divini Redempt.* n.31; Garriguet, *El trabajo* n.218-227.

b) etiam *non operarii* cuiuslibet ordinis socialis liberi a praeiudiciis; *c*) *ipsi adversarii,* praeter liberales, conveniunt in affirmando saltem ad bonum sociale procurandum et ad pacem socialem obtinendam tradendum esse operariis salarium familiare. Unde praecisione facta a modo exprimendi hanc sententiam in omnibus idem desiderium adesse videtur circa necessitatem perveniendi ad metam sufficientis remunerationis pro honesta sustentatione familiae operarii, nisi velimus frequentes et fere quotidianas perturbationes sociales.

Cum vero aestimatio communis sit norma proxima valoris rerum quae commutantur, si illa iudicat ut iustum salarium familiare, ut tale habendum est.

850. *N. B.* Cum tamen haec argumenta non sint definitiva et omnino cogentia, et a non paucis non admittantur, nequit imponi obligatio restituendi patrono qui salarium familiare non tradiderit; obligatio enim non est certa [8].

851. Scholion. 1. De subsidiis familiaribus [9]. Si aliqua familia sit numerosior quam normalis vel si necessitates eiusdem sint speciales quomodo illi sucurrendum erit? Huic necessitati accurrendum erit modo non ordinario, sed extraordinario nempe per subsidia familiaria et assecurationes sociales.

a) Quid sit: Subsidium familiare est quaedam subventio operariis tradita supra proprium salarium numero filiorum minoris aetatis (ordinarie infra 14 annos) proportionata.

b) Quomodo tradatur. Ne unus patronus prae aliis gravetur propter numerosiorem familiam suorum operariorum, associatio quaedam instituta est in hunc finem, quae capsula compensationis vocari solet (Caja de Compensación), vel ab ipsis associationibus privatis vel generatim ab auctoritate publica directa. Non semper eadem est forma colligendi summam necessariam ad subsidia familiaria distribuenda, sed generatim Status tradit aliquam partem summae, alia pars ab ipsis patronis elargitur proportionalis numero operariorum qui apud ipso laborant; alia minima pars ab ipsis operariis traditur. Ex hac summa sic efformata capsula compensationis distribuit partem correspondentem unicuique operario iuxta normam determinatam, seu iuxta taxam subsidiorum. Haec subsidia familiaria in plerisque nationibus obligatorie traduntur.

c) Effectus obtenti. Sunt re vera mirabiles. Pius XI (*Quadrag. anno* n.32) magnis laudibus hanc institutionem extollit et optime exponit etiam obligationem quam auctoritas socialis habet succurrendi iis subsidiis familiaribus in genere familiis pauperibus numerosioribus *(Casti connubii* n.73). Haec subsidia complent, et quidem egregie, salarium familiare absolutum.

---

8 Azpiazu, *La Encicl. "Quadrag. anno": Coment.* q.48.

9 Qetglas, B., *El salario familiar: 2.ª parte, práctica;* Azpiazu, *Las Cajas de Compensación* (Pamplona 1937); Fallon, *Economía social* p.260ss; García Oviedo, *Derecho social* (Madrid 1948) p.691-841.

d) QUO TITULO DEBEANTUR. Generatim auctores defendunt deberi ex *iustitia distributiva,* eo quod societas ex iis familiis numerosioribus maiora beneficia accipiat, v.c. servitium militare, tributa... in proportione cum numero membrorum; postulat ergo iustitia distributiva ut hae familiae correspondentem etiam mercedem accipiant. Alii auctores sustinent deberi e *iustitia sociali* et haec videtur esse mens Romanorum Pontificum.

e) QUANDONAM INCIPIANT. Disputatur utrum haec subsidia debeant esse supra salarium familiare absolutum, an vero supra individuale. De facto in plerisque nationibus incipiunt a primo filio, ergo supra salarium individuale; in Hispania incipiunt a secundo filio.

852. 2. **De assecurationibus socialibus**[10]. Assecurationes sociales, quibus vitae aliquantulum aleatoriae ac nimis insecurae operariorum subvenitur, considerari possunt etiam ut complementum salarii familiaris; illis accurrere intenditur necessitatibus forte obvenientibus, ad quas sublevandas operarius secus impotens esset. Pecunia vero quae seponenda esset a salario familiari pro iis necessitatibus, mediantibus assecurationibus socialibus tribuitur.

PRAECIPUAE ASSECURATIONES SUNT: contra cessationem a labore, contra accidentia laboris, contra infirmitatem, pro senectute, pro morte.

MODUS STATUENDI huiusmodi assecurationes diversus esse potest; pariter praestatio pecuniaria, vel subsidia tribuenda etiam variari possunt. In genere vero omnes hae assecurationes obligatoriae esse debent, sive ab ipso Statu, sive ab ipsis particularibus gerantur.

Virtus vero quae exigit haec omnia est *iustitia socialis* (cf. *Divini Redemptoris,* n.52).

853. 3. **De legislatione sociali hispana**[11]. Ab anno 1936 optima est. *Subsidia familiaria* obligatorie traduntur non solum in industria, sed etiam in agricultura et quidem non solum operariis sed etiam parvis patronis. Subsidia incipiunt a secundo filio.

Salarium, praeter subsidium familiare, habet incrementum propter *penuriam vitae* (plus de carestía de la vida), propter *antiquitatem* (por quinquenios), propter *gratificationes* diversas, v.c. in festis Nativitatis, die 18 iulii; propter *iuvamen familiare,* diversum a subsidio familiari. In multis industriis

---

[10] PERREAU, VIANCE, *Assurances ouvriers et sociales:* DictSoc 2,493-535; *El seguro social en Inglaterra:* Trabajo (1942,1) 111-119; GARRIGUET-BOTE, *El trabajo* (1942,2) 14ss; VILA, *Orientaciones sociales* p.171ss.

[11] Cf. GIRÓN, J. A., *Quince años de política social dirigida por Franco* (Madrid 1951); Gz. POSADA, C., *Los seguros sociales obligatorios en España* 2 ed. (Madrid 1946); LENA, *El Plus de Cargas Familiares:* FomSoc 1 (1946) 360-365; BRUGAROLA, *Realizaciones sociales en España:* RazFe 132 (1945) 501-530; *Nuevas realizaciones sociales en España:* RazFe 135 (1947) 531-547; VALLE, *Las reformas sociales en España* (Madrid 1948).

habetur praeterea participatio in beneficiis. Habentur praeterea requies hebdomadaria cum salario et vacationes annuae saltem per quindecim dies.

Assecurationes sociales diversae habentur: senectutis et invaliditatis, infirmitatis pro operariis et eorum familiis, accidentium laboris, infirmitatum professionalium.

854. 4. **De reformatione regiminis salariatus.** Regimen salariatus non est ideale. Nostris diebus multi insurgunt contra ipsum, ac volunt ut saltem mitigetur.

REGIMINA DIVERSA PRODUCTIONIS: a) *Regimen associationis:* in quo capitalistae et salariati veram societatem efformant, ita ut pari modo ad productionem concurrant. Hoc importat capitalistas et operarios esse comproprietarios negotii, consequenter aequaliter omnes in directione et in beneficiis participare. Si vero non sint beneficia omnes pariter in ruina participant. Operarii vero cum neque media ad sui sustentationem habeant, neque possint sese ruinae exponere si negotiatio non sit felix et propter alias rationes hoc regimen reiiciunt.

b) *Regimen collaborationis ex parte capitalis:* habetur si operarii ipsi directionem et responsabilitatem negotii assumunt, et pecuniam mutuatam petunt sub conditione auctarii fixi. In hoc regimine capitale tantummodo partem determinatam et fixam percipit, hanc vero certam, neque expositio ruinae pro ipso datur. E contra operarii veri proprietarii et unici responsabiles sunt. Cum tamen operarii generatim ad hanc responsabilitatem et ad directionem non sint parati, ac consequenter cum negotium in iis conditionibus non bene procedere soleat, beneficia ab ipsis operariis percipienda generatim erunt minora quam in regimine salariatus, ideo ipsi operarii etiam hoc regimen reiiciunt.

c) *Regimen salariatus:* de quo egimus, in quo directio et responsabilitas unice capitalistis pertinet; pariter ipsis tribuuntur beneficia aleatoria, sint quae sint, post congruam retributionem fixam operariorum.

d) *Regimen salariatus cum mixtione regiminis societatis seu regimen participationis in beneficiis* [12]. Hoc regimen substantialiter commoda regiminis salariatus tam pro patronis quam pro operariis servat, vult etiam vitare incommoda quae pro operariis in praedicto regimine dantur. Servantur commoda regiminis salariatus pro patronis, nam

[12] *Rerum novarum* n.16; *Quadrag. anno* n.29.38; PIUS XII, *Alloc. 7 maii 1949; Alloc. 4 iunii 1950;* FRAGERO, M., *La participación en los beneficios ¿es solución?* (Bilbao 1946); MUNTADAS ROVIRA, V., *Sobre participación de los trabajadores en los beneficios y dirección de las empresas* (Barcelona 1950); HERNAINZ MÁRQUEZ, M., *Participación en los beneficios* (Granada 1949); HERRERA, A., *La empresa, segú.n la doctrina pontificia. El discurso de Pío XII de 7 de mayo de 1949,* disc. en la Semana Social de Bilbao de 9 junio 1950; AZPIAZU, J., *Fundamentos de sociología económico-cristiana* (Madrid 1949) p.319-330; *¿Sin mutua confianza cabe participación en los beneficios?:* FomSoc. 1 (1946) 356ss; *La moral en la participación de los beneficios:* FomSoc 1 (1946) 452-468; *Pío XII ante el problema de la cogestión obrera:* FomSoc. 6 (1951) 15-30; BRUGAROLA, M., *Nuevas realizaciones sociales en España (empresas con participación en los beneficios)*: RazFe 35 (1947) 536-541; BRUCCULERI, A., *Per la pace industriale: la partic'pazione agli utili:* CivCatt (1943-3) 11-20.114-122; MARCOS, A., *La participazione dei laboratori alla gestione della impressa:* CivCatt (1946,2) 24-34.417ss; CHARVET, *M. L., Cogestión de l'entreprisse:* SSF (Toulouse 1945) p.161-178.

ipsi potissimum habent directionem et responsabilitatem negotii, quo servatur unitas et efficacitas in directione quae prorsus requiritur; servantur etiam commoda pro operariis, nam ii accipiunt quamdam quantitatem fixam et determinatam, independenter a successu negotii.

1) *Quid importet participatio in beneficiis.* In hoc regimine operarii praeter salarium fixum, quod normis antea expositis regitur, aliam quantitatem variabilem accipiunt, a beneficiis in negotio habitis pendentem. Difficultas adest in assignanda quantitate labori respondente, quae diversa erit in diversis negotiis.

Haec vero quantitas diversis modis distribui potest: vel immediate singulis tradi pars eisdem respondens, vel tota impendi in diversis operibus socialibus pro operariis, v.g. ad scholas, domus recreationis, domus commorationis struendas, oeconomatos erigendos in quibus necessaria ad vitam modico pretio emere possint, vel possunt operariis diversae actiones in negotio concedi.

2) *Utrum hoc medio solvatur quaestio socialis. a)* Fervide a multis defenditur ut potissimum remedium ad solutionem quaestionis socialis; quia: respondet exigentiis iustitiae socialis; fovet unionem inter operarios et patronos; magna ex parte vitat conflictus sociales; fovet productionem bonorum quoad quantitatem et qualitatem; est occasio diuturnioris permanentiae in eadem industria; est stimulus ad oeconomiam in expensis productionis; tribuit denique operariis partem eisdem respondentem in augmento productionis.

b) Alii e contra huic solutioni adversantur eo quod: 1) si efficax futura est, interventionem ex parte operariorum in directione et gestione industriae supponat, cum detrimento harmoniae debitae inter elementa personalia industriae; 2) falso credatur maiorem productionem alicuius industriae unice ab operariis pendere; 3) sit incerta retributio; cum vero haec absit vel nimis exigua sit, periculum erit pacis socialis; 4) possit cedere in malum operariorum, *immediate* propter nimium laborem cum spe percipiendi maiora beneficia; *mediate* propter nimiam productionem bonorum, cum consequente perturbatione pacis socialis, et cessatione a labore; 5) iustitia postulet ut, si operarii accipiant partem in beneficiis, etiam in casu ruinae et ipsi in eadem participent; 6) forte adhuc non sint omnia parata ad illam imponendam[13].

3) *Nostra solutio.* Ex rationibus in favorem et in contrarium adductis haec deduci videntur:

1) Participatio in beneficiis videtur esse ideale, in quod paulatim regimen oeconomicum tendere debet; hinc favor in dies crescens quem haec doctrina apud omnes nationes invenit; videtur unum ex postulatis iustitiae socialis.

2) Participatio non exigitur a iustitia commutativa; regimen enim salariatus non est ex sua natura iniustum.

3) Ut sit efficax requiritur aliqua participatio ex parte operariorum in directione, ad quod opus est maiore cultura et capacitate in operariis.

4) Modus in praxim perducendi hanc participationem diversus esse potest; videndum est quinam in unoquoque casu sit melior.

5) Quantitas distribuenda et proportionalitas pendet a natura in-

---

13 Cf. potissimum haec omnia apud HERNAINZ, M., *Participación en los beneficios,* et MUNTADAS ROVIRA, *Sobre participación de los trabajadores en los beneficios y dirección de las empresas.*

dustriae, a maiore vel minore interventione tam capitalis quam laboris in eadem, et a multis aliis circumstantiis, quae in unoquoque casu sunt examinandae.

6) Impositio eiusdem ex parte Status et quidem modo uniformi adhuc non videtur conveniens; tribuenda videtur rationalis libertas singulis industriis, ut unaquaeque illam modo aptiori efficiat.

855. Obiectiones. 1. Scienti et volenti non fit iniuria. *Atqui* potest quis sciens et volens pacisci cum patrono de salario non familiari. *Ergo* salarium familiare non debetur ex iustitia.

Resp. Dist. mai: plene scienti et volenti absque ulla coactione neque physica, neque morali, *conc.;* absque coactione physica, coactus tamen moraliter, *neg. Contrad. min.*

2. Iniuria daretur si adesset ius strictum in operario ad salarium familiare. *Atqui* operarius non habet ius strictum ad salarium familiare. *Ergo* etsi cogatur moraliter ad salarium inferius familiari ei nulla fit iniuria.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

3. Ius strictum ad salarium familiare supponeret in operario ius strictum habendi familiam. *Atqui* operarius non habet ius strictum ad habendam familiam. *Ergo* operarius non habet ius strictum ad salarium familiare.

Resp. Conc. mai. Neg. min.: ut patet ex argumento partis secundae.

4. Iustitia postulat ut servetur aequalitas inter id quod traditur et id quod accipitur. *Atqui* operarius patrono solummodo tradit vim personalem non vero familiae. *Ergo* salarium seu retributio eiusdem ex iustitia subsistentiae ipsius non vero familiae respondere debet.

Resp. Dist. mai.: consideratum sive in se, sive in destinatione naturae, *conc.;* consideratum solummodo in se, praescindendo a destinatione naturae, *neg. Contrad. min.:* tradit vim personalem, quae a natura destinatur ad familiam efformandam et sustentandam, *conc.;* aliter, *neg.*

5. Destinatio est aliquid labori operarii extrinsecum. *Atqui* quod est omnino extrinsecum non potest dare valorem labori operarii. *Ergo* destinatio naturae non confert valorem ullum labori operarii.

Resp. Dist. mai.: extrinsecum essentialiter connexum in ordine Providentiae cum operatione quae manifestat nobis valorem laboris humani ex iure naturae, *conc.;* quae non manifestat huiusmodi valorem, *neg. Contrad. min.*

6. Si valor laboris humani dimetiendus esset ex destinatione naturae nempe ex sustentatione operarii et familiae eiusdem, salarium iustum deberet esse variabile. *Atqui* salarium iustum respondens eidem labori debet esse fixum. *Ergo* valor laboris operarii non est dimetiendus ex destinatione naturae.

Resp. Dist. mai.: si consideremus conditiones normales societatis, *neg.;* si considerentur anormales, *conc. Contrad. min. Dist. pariter. cons.:* ex destinatione naturae in conditionibus normalibus societatis, *neg.;* extraordinariis, *conc.*

7. Operarius qui habeat familiam numerosiorem etiam habet ius strictum ad accipiendum salarium sufficiens ad illam sustentandam, ex eadem ratione; nam natura quae non deficit in necessariis, providere debet etiam in extraordinariis. *Ergo* vel debetur salarium fa-

miliare relativum ex iustitia commutativa, aut non debetur neque familiare absolutum.

Resp. Dist. ant.: praecise ex salario, *neg.;* habet ius ad medium aliquod extraordinarium, v.c. subsidium familiare, *conc. Dist. pariter cons.:* si salarium familiare relativum esset medium ordinarium seu normale, quale est salarium absolutum, *conc.;* secus, *neg.*

8. Numerus normalis filiorum in familiis est maior quam qui assignari solet ad salarium familiare absolutum. *Atqui* si hoc salarium ex iustitia operariis deberetur, opus esset solvere salaria multo maiora cum ruina industriae. *Ergo* non debetur ex iustitia salarium familiare absolutum.

Resp. Dist. mai.: si computentur, ut debet fieri, solum filii minorennes seu infra 14 annos, *neg.;* secus, *conc. Contrad. min.:* si solum computentur filii minores, et cum conditionibus antea assignatis in statu quaestionis, *neg.;* secus *conc.* Ad computandum salarium familiare solummodo numerari debent filii minores, alii enim grandiores iam laborare possunt et propriam sustentationem saltem partialiter lucrare. *Ordinarie* vero familiae non excendunt tribus filiis minoribus. Industria vero ordinarie huiusmodi salarium bene solvere potest. Si vero diversae assecurationes, subsidia familiaria... separatim traduntur haec etiam habenda sunt prae oculis in computatione salarii.

Notemus praeterea thesim supponere omnia esse normalia: ex parte laboris (quoad durationem, laboriositatem, bonam directionem); ex parte industriae (quoad conditiones sufficienter favorabiles); ex parte pretii vitae (quoad alimenta, tectum, quantitatem sufficientem rerum necessariarum pretio normali). Si vero status rerum sit anormalis tunc aequivalentia artificialis inter salarium et pretium subsistentiae familiaris non faciet normalem illum statum rerum; alia ergo media tunc sunt quaerenda ad statum vitae regulandum.

Cum vero omnia normaliter procedunt salarium familiare absolutum, modo explicato, est utique possibile.

9. Iusta merces non ex indigentia operarii est eruenda, sed ex labore praestito. *Atqui* argumentum nititur solum in indigentia operarii. *Ergo* non probat salarium absolutum deberi ex iustitia commutativa.

Resp. Dist. mai.: immediate, *conc.;* mediate quatenus ostendimus valorem laboris operarii pendere remote ex indigentia communi operarii, *neg. Contrad. min.:* omnia argumenta nituntur illa indigentia, *neg.;* aliqua, *subd.*: immediate, *neg.;* mediate, *conc.* Arguimus non immediate ex indigentia particulari operarii, sed ex communi necessitate illorum, quae sufficienter nobis indicat naturam huic communi necessitati medio aliquo apto providisse, quod nequit esse aliud quam salarium familiare.

10. Respicere ad familiam operarii ad determinandum salarium videtur absurdum et potius contrarium bono operariorum, tunc enim patroni moverentur ad eligendos operarios potius caelibes, quam coniugatos. *Ergo* reiiciendum est salarium familiare.

Resp. Dist. ant.: si illud salarium non deberetur omni operario adulto sive sit coniugatus sive non, sive habet filios sive illis careat, *conc.;* secus, *neg.*

11. Argumentum semper supponit salarium operarii esse unicum medium quod operarius habet ad familiam sustentandam. *Atqui* prae-

ter salarium adsunt alia media quibus operarius finem praedictum consequi potest, v.c. caritas particularium, beneficentia Status. *Ergo* salarium familiare non requiritur ex iustitia operario laboranti.

Resp. Dist. mai.: esse unicum medium normale et universale, *conc.;* unicum medium pro omni casu particulari et extraordinarium, *neg. Contrad. min.:* et haec media sunt extraordinaria neque universalia, *conc.;* et sunt ordinaria et universalia, *neg.* Caritas particularium neque omnibus praesto est, neque est quid fixum et determinatum; beneficentia publica eodem modo non est universalis.

Praeterea individua et familiae iam exsistunt ante constitutionem societatis civilis atque habent ab ipsa natura quaedam iura et officia, ac finem determinatum. Sic ab ipsa natura homo habet ius strictum ad hoc ut possit sustentare familiam productu sui laboris. *Ergo* caritas particularium et publica beneficentia debent esse solummodo remedia extraordinaria pro aliquibus casibus specialibus.

12. Labor humanus non potest inter merces reputari. *Ergo* nequit salario locari sed debet recurri necessario ad contractum societatis.

Resp. Dist. ant.: sub omni respectu, *conc.;* sub respectu solum utilitatis, *neg. Dist. pariter cons.*

13. Operarius nequit haberi ut quaedam machina. *Atqui* si labor sub respectu utilitatis inter merces posset computari haberetur ut machina. *Ergo* labor humanus neque sub respectu utilitatis potest inter merces haberi.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si simpliciter laborem merci aequiraremus, *conc.;* si tantum sub quodam respectu, *neg.* Dummodo serventur iura et officia personae operarii debita —ut debent servari—, nihil obstat quominus sub alio respectu labor operarii merci comparetur.

ARTICULUS VII

De iusto pretio in emptione-venditione

Thesis 45. In emptione-venditione illud pretium ut iustum seu rei vendendae aequivalens est habendum quod, attentis omnibus circumstantiis, ut tale ab hominibus recte conscientiae communiter habetur.

Lugo, *De iust. et iure* d.26 s.5; Molina, *De contract.* t.2 1.348-364; Lessius, *De iust. et iure* 1.2 c.21 dub.2; Antoine, *Economie sociale* p.325ss; Fallon, *Economía social* p.223ss; Azpiazu, *El justo precio y el beneficio justo:* RazFe 125 (1942) 129-144; *La moral del hombre de negocios* p.45-55.171-188.599-620; Vermeersch, *De iustitia* q.8; Urdanoz, *La obligación de las leyes del Estado y el abuso de precios:* ClencTom 65 (1943) 233-250; Zalba, *El precio legal en los autores escolásticos, principalmente en Molina:* RevInterSoc 2-3 (1943) 202-245; Müller, A., *Le juste prix. Doss'ers de l'act populaire* (10-XII-1937) 2373ss; *La moral y la vida de los negocios* (Bilbao 1951) p.67-97; Michel, A., *Vente-achat:* DTC 15,2623-2635; Dauphin Meunier, *La doct. economique de la Eglise* (Paris 1950) p.145-171; Pirou, *Valeur et prix* (Paris 1948); Arnou, A., *Eléments d'Economie politique* (Paris 1950) p.639-683.

856. Nexus. Inter abusus regiminis capitalistici numeratur indebita cupiditas lucri; quae proditur praecipue in exigendo pretio

immoderato in venditione productorum. Ideo volumus agere de pretio iusto in emptione-venditione.

857. Notiones. EMPTIO-VENDITIO: est *contractus in quo mutuo duo consentiunt de merce aliqua danda vel accipienda pro pretio.*

Contractus[1]: seu consensus plurium in idem. Ad validitatem contractus requiruntur: personae habiles ad contrahendum; materia possibilis; consensus internus et liber. Iis positis ex contractu oritur obligatio iustitiae in una parte tradendi mercem, in alia vero tradendi pretium de quo agitur.

858. VALOR: in genere est qualitas propter quam aliqua persona vel res aestimatur.

DUPLEX VALOR in rebus distingui potest: *usualis* est qualitas seu aptitudo rerum ad satisfaciendas necessitates humanas; *commutativus* est aptitudo rerum ad commutationes exercendas.

Cum homo non possit ipse solus omnes res sibi necessarias comparare valde eidem prodest facultas commutandi res, ut mediantibus superfluis, alia sibi necessaria comparet; ideo res, quae ad hunc effectum inserviunt, habent valorem commutativum; hic vero valor commutativus rerum est qui stricte dicitur *valor oeconomicus.*

VALOR OECONOMICUS DEFINITUR *proxima aptitudo rei ut* cum aliis commutari possit. Proxime pendet ex communi aestimatione rei in regione determinata, quae tamen in qualitatibus obiectivis rei fundatur; est tamen aliquid relativum et cum adiunctis temporis et locorum variabile; regula vero valoris est aestimatio communis.

Ut aliqua res habeat valorem oeconomicum requiritur: 1) ut inserviat ad utilitatem temporalem hominum; 2) ut queat possideri ut propria, seu cum exclusione aliorum; 3) ut in illa societate, ubi res commutanda est, nota sit eiusdem utilitas.

859. PRETIUM: *est valor rei pecunia expressus.* Nam ad faciliores negotiationes reddendas inventum est signum commune valoris omnium rerum, seu omnes res cum eadem re comparantur, quae eo ipso fit mensura communis valoris; haec res est pecunia.

---

[1] LUGO, *De iust. et iure* d.22; *Tractatus canonico-legalis de pactis et contractibus in genere* (apud MIGNE, *Cursus Theol.* t.16); LIONNET, *Tractatus de contractibus in genere et in particulari* (apud MIGNE, *Cursus Theol.* t.16 c.520ss); CATHREIN, *Philos moralis* n.479ss; ANTOINE, *Contrat:* DTC 3,1649-1670.

Divisio pretii. 1. *Vulgare* seu naturale: quod communi hominum iudicio determinatur; subdividitur in: a) *summum,* seu tale ut ultra ipsum nihil possit augeri salva iustitia; b) *medium,* quod inter summum et infimum mediat; c) *infimum,* illud infra quod venditor nullam accipiet remunerationem.

2. *Legale*: quod a lege, seu a magistratu determinatur.

3. *Conventionale*: quod determinatur libera conventione contrahentium.

4. *Iustum*: si servatur aequalitas in valore inter rem traditam et pecuniam acceptam.

5. *Iniustum*: si haec aequalitas non servatur.

860. Status quaestionis. Duo potissimum in hac thesi quaeruntur, nempe: 1) Utrum res quae venduntur habeant pretium aliquod determinatum, an potius unusquisque possit ex illis quantum possit educere; 2) Quaenam sit norma ad statuendum illud pretium iustum determinatum.

861. Sententiae. 1.ª Sunt qui defendant quodlibet pretium, quodcumque illud sit a contrahentibus mutuo determinatum iuxta legem oblationis et petitionis esse iustum, quin ad ullam obiectivam considerationem sit aspiciendum; ita *schola classica liberalis.*

2.ª Alii vero existimant quodlibet pretium ab auctoritate publica signatum esse iustum, semperque illi standum esse.

3.ª *Nostra sententia.* 1. Nos vero dicimus in primis in omnibus contractibus *considerationes morales prae oculis esse habendas,* ne omnia sordidae avaritiae relinquantur. Iustitia exigit ante omnia in contractibus ut servetur aequalitas inter datum et acceptum: exsistit ergo pretium aliquod obiectivum iustum, i.e. exsistunt, independenter ab appretiationibus subiectivis contrahentium, regulae seu normae ad pretium iustum determinandum quod potest variare inter summum et infimum. Neque in hoc ulla controversia esse potest.

2. *Hae normae determinantur a iudicio hominum rectae conscientiae,* qui in aestimando pretio omnia elementa valoris prae oculis habent. Elementa prae oculis habenda inter alia sunt: a) *utilitas* seu aptitudo rerum ad satisfaciendas necessitates humanas; b) *copia* vel raritas earum relate ad easdem necessitates; c) *numerus* maior vel minor illorum qui illas res emere cupiunt eorumque facultates; d) *congrua re-*

tributio laboris humani in rebus conficiendis ac compensatio rerum necessariarum et reliquorum elementorum, quae in productione interveniunt ita ut semper aliqua remuneratio domino remaneat. Haec est norma communis ad valorandum pretium.

3. *Si adest pretium legale* generatim illi standum est; maxime si taxa inducta est propter nimiam rerum penuriam; nam pretium legale generatim erit iustum; auctoritas enim in assignando pretio seu taxa illa omnia elementa prae oculis habuisse credenda est; si vero iudicio aestimationis communis constet illam taxam non esse iustam, ut nonnumquam accidit, tunc illa non obligaret [2].

Accidere enim potest ut auctoritas publica minori, quam quod iustum esset, res aestimet; tunc venditores, si aliunde non habeant iustam compensationem, res supra pretium legale iuste vendere possunt. Si tamen cogantur aliquam partem tradere pretio taxae possunt aliam partem, quae forte ipsis remaneat, maiori vendere, ita ut iustam habeant compensationem pro parte etiam amissa. Hoc vero raro accidere credendum est.

4. Aliqui existimant has leges regulatrices pretiorum esse *leges mere poenales,* quae proinde in conscientia non obligant nisi ad mulctam subeundam, si quis in earum infractione deprehendatur. Haec tamen doctrina cum rectitudine morali difficulter cohaerere videtur. Conscientia enim moralis nisi agatur de causa propria—in qua facile est errare—hanc praxim damnare solet [3].

5. Si vero agatur de aliqua merce, de qua neque pretium legale neque iudicium aestimationis communis adsit, eo quod sit unica, vel valde rara, tunc pretium iustum erit, quod mutuo consensu partes contrahentes statuant, seu pretium conventionale.

Contra iustitiam utique est rem carius vendere, eo quod emptor illa re omnino egeat, nec facile alibi illam invenire possit, maxime cum agatur de rebus ad vitam necessariis.

6. Aliquando adsunt rationes propter quas licitum erit aliquantulum augere etiam summum pretium, v.c. cum ven-

[2] Cf. ABELLÁN, P. M. *La tasa del trigo en el curso moral salmanticense:* ArchivThGran 5 (1942) 133-151.

[3] URDANOZ, *La obligación de las leyes del Estado y el abuso de precios:* CiencTom 65 (1943) 233-250; AZPIAZU, *La moral del hombre de negocios* p.599-619; ARROYO, B., *Obligación en conciencia de las leyes de tasa:* Ilustr. del Clero 34 (1941) 96-101.171-180; 35 (1942) 95-100.165-171.250-254; DE MARCO, A., *Il controllo dei prezzi in periodi di riconstruzione:* CivCatt (1945,4) 3-14.

ditor potest ex ea extraordinariam utilitatem educere, in quo casu emptor, iuxta communem aestimationem, hanc specialem utilitatem vel affectum sibi etiam comparare debet.

Ac negari nequit in hac re conscientiam moralem valde esse debilitatam ac plerosque sordidam avaritiam, bono communi postposito, sectari.

862. Probatur. Iustitia exigit ut servetur aequalitas inter valorem rei traditae et acceptae in emptione-venditione. *Atqui* valor rei, seu idoneitas eiusdem ad utilitates humanas a communi hominum aestimatione recte determinatur. *Ergo* in emptione-venditione pretium iustum est illud quod a communi hominum aestimatione, perpensis omnibus circumstantiis determinatur.

Mai.: Ex natura contractus emptionis-venditionis.

Min.: Patet experientia, nam iudicium ultimum de valore uniuscuiusque rei pendet ab aestimatione communi, quae perpendendo omnes circumstantias determinat aptitudinem seu utilitatem rei non solum in se, sed etiam in comparatione cum reliquis, ad determinandam aequivalentiam inter illas.

ARTICULUS VIII

De contractu fenebri

Thesis 46. Spectata hodierna conditione oeconomica licitum est fenus moderatum accipere propter pecuniam alteri ad tempus commodatam.

Garriguet-Biesa, *Préstamo, usura, interés;* Azpiazu, *La moral del hombre de negocios* p.91-110; Cavallera, F., *Precis de ia doctrine Soc. Cath.* p.172ss; Cathrein, *Filos. morale* v.2 p.382-400; Lyonnet, B., *Tract. de contract. in genere et in particulari apprendix de mutuo* (apud Migne, *Cursus Theol.* 6 c.695ss); Chenon, *El papel social de la Iglesia* p.265ss; Bernard, A., Le Bras, G., Du passage; *Usure:* DTC 15,2316-2390.

863. Nexus. Effrenata cupiditas pecuniae proditur etiam in praestatione eiusdem exigendo fenus immoderatum, ita ut sit una ex praecipuis causis malorum socialium nostrorum temporum. De hoc contractu fenebri multa scripta sunt, cum sit una ex quaestionibus maxime agitatis temporibus praecedentibus. Hodie vero ab omnibus agnita eiusdem contractus liceitate solummodo quaestio esse potest de taxa quae legitime propter pecuniam commodatam admitti liceat.

864. Notiones. COMMODATIO PECUNIAE: Est species quaedam commodati, ideo definitionem commodati in genere tradere debemus.

865. COMMODATUM: in genere est *contractus quo aliquis alteri aliquid gratuito in usum cedit ad tempus fixum cum obligatione illud reddendi tempore determinato, sive in specie* (mutuum) *sive in genere* (commodatum simpliciter); differt ergo a donatione, a deposito, et a locatione.

866. *Commodati divisio*: 1) a) *Rerum fungibilium*: seu quae primo usu consumuntur v.c.: panis, vestis, carbo; generatim appellatur *mutuum;* b) *rerum non fungibilium*: seu quae usu non destruuntur, nisi post longum tempus, v.c. aequus, domus.

2) a) *Ad usum,* cum quis commodatum accipit ad manducandum vel in genere ad subveniendas necessitates, non vero ad lucrum faciendum; b) *ad productionem,* cum quis commodatum accipit ad commercium, industriam, speculationem, verbo ad lucrum faciendum.

Antiquitus commodatum fere semper erat ad usum, nunc vero frequentius est ad productionem.

867. *Essentia commodati* stat in his tribus: 1) *In iure utendi* re commodata, in quo differt a deposito; 2) *in obligatione reddendi* illam tempore praefixo, in quo differt a donatione; 3) *in omnimoda gratuitate*; si haec non detur non habetur commodatum, sed alius contractus, v.c. locatio, vel alius contractus innominatus.

868. *Contractus fenebris, quo quis alteri tradit quamdam quantitatem pecuniae, non gratuito, sed cum conditione reddendi, praeter quantitatem traditam aliquod fenus,* etsi in illo non detur illa tertia conditio, usu tamen vocatur cómmodatum (préstamo).

869. FENUS (interés) dicitur *illa quantitas pecuniae quam, qui pecuniam mutuatam accepit, tradere debet, praeter quantitatem acceptam.*

Locutio Hispana (préstamo a interés) ac in genere locutio aliorum populorum, quid contradictorium includit; nam commodatum (préstamo) e sua essentia dicit gratuitatem; usus tamen praevaluit cum hac exceptione.

870. *Fenoris divisio.* Fenus potest esse: *moderatum,* si illa qantitas reddenda non est magna; *immoderatum,* si magna est, quo in casu potius vocatur *usura.*

871. Usura: 1) *Etymologice* (a verbo utor) significat *actum utendi* aliqua re: vita, corpore, sole; deinde significavit *cessionem usus* alicuius rei alteri personae; denique *retributionem* pro hac cessione.

2) *In iure romano* habebat eamdem significationem ac inter nos habet fenus, sic dicebatur *solvere usuras* (pagar intereses); non ergo habebat, ut hodie, sensum peiorativum.

3) *Apud Sanctos Patres* servat eamdem significationem ac in iure romano; vocant usuram quidquid pro usu rerum reddendum est.

4) *In iure canonico antiquo ac in theologis nonnullis medii aevi* habet sensum peiorativum, ac semper significat actum quo propter usum rerum fungibilium aliquid exigitur, quamvis sit minimum.

5) *In iure canonico intermedio ac in plerisque theologis,* non exceptis scholasticis, significat perceptionem fenoris alicuius *unice vi mutui;* si vero percipiatur propter alios titulos extrinsecos, ut postea videbimus, non vocatur usura, sed interesse, vel si servatur nomen, vocatur usura compensatoria, quam ut licitam habent ut distinguant illam ab usura, quam vocant lucratoriam.

6) *In iure canonico hodierno ac in iure civili* usura dicitur omnis perceptio abusiva fenoris in commodato, quocumque medio quis utatur ad illud fenus obtinendum.

7) *Vulgariter* vero usura nominatur quaelibet perceptio abusiva lucri, propter quamlibet operationem; datur ergo semper ac magis exigitur quam quod exigi deberet in quolibet contractu [4].

Reliqua verba patebunt in Statu quaestionis et in historia eiusdem.

872. Statuts quaestionis. 1. Volumus solutionem invenire quaestioni praestationis pecuniae quae magnopere animos doctorum per multum tempus cruciavit; solummodo enim commodatum pecuniae, non vero aliarum rerum consideramus.

2. Quaestio solvenda ad hoc reducitur: estne licitum exigere fenus aliquod moderatum propter pecuniam ad tempus

[4] Cf. Garriguet, *Préstamo, usura, interés* p.9ss.

aliis traditam sive ad negotiationem, sive ad necessitates proprias sublevandas, quamvis urgentes? Si affirmative respondetur, quo titulo perceptio huiusmodi fenoris nititur?

3. Primo intuito videtur iniusta perceptio fenoris cuiuslibet propter pecuniam commodatam, iustitia enim exigit ut in omni contractu oneroso detur aequalitas inter datum et acceptum; iam vero si quis dat v.c. 1.000 pessetas et accipit post annum 1040 (4 %) non servatur aequalitas. Debemus ergo probare praestitorem pecuniae aliquid aliud dedisse praeter 1.000 pessetas, pretio etiam aestimabile, nempe illas 40 differentiae. Hoc vero aliud quid potest esse?

873. Sententiae. 1.ª *Saeculis transactis* omnes fere scholastici tenebant pecuniam esse natura sua improductivam, consequenter nullum fenus propter solam praestationem eiusdem exigi posse; Ecclesia expresse damnabit quamlibet perceptionem auctariam propter commodatum pecuniae. Haec vero in scholio fusius exponemus.

2.ª *Nostris temporibus* socialistae et communistae uno ore affirmant capitale non esse frugiferum nullumque fenus eidem deberi in industria, in commercio, et a fortiori in commodato, cum unice labor humanus sit fons productionis, cui proinde omnis proventus advenire debet. Aliqui catholici, ut v.c. ROBIROSA (Manifiesto comunitarista, Madrid, 1949), fenerismo omnia mala attribuunt.

3.ª *Hodie* vero, praeter socialistas et communistas, vix invenitur qui liceitatem fenoris non admittat. Diversitas tantummodo stat in reddenda ratione huius liceitatis, seu in assignando illud aliud quod praestitor tradit pretio aestimabili. Iuxta diversos auctores est: a) *servitium* quod dator pecuniae illam accipienti facit; b) *privatio* quam sibi ipsi imponit, cum ad tempus propriam pecuniam alteri tradit; c) *damnum* quod patitur cum per tale tempus nequeat ex illa pecunia fructus facere; d) *periculum amittendi* illam pecuniam cui exponitur; e) *differentia valoris* inter quantitatem possessam et illam quae post determinatum tempus recuperabitur (ait enim vulgatum proverbium: "*más vale pájaro en mano que ciento volando*"); f) *virtus productiva seu productivitas pecuniae commodatae.*

4.ª *Nostra sententia.* Nos admittendo ut certam liceitatem fenoris moderati, praeferimus ut probabiliorem rationem huius liceitatis addesse in productivitate hodierna pecuniae. Hodie dato statu oeconomico exsistenti, pecunia consi-

deranda est ut res frugifera, productiva, parit enim utilitates possessori eiusdem semper ac ille velit; cum quis ergo pecuniam alteri tradit iure compensationem huiusmodi productivitatis seu utilitatis, a qua se ipsum privat, exigere potest.

874. Probatur. *Ex productivitate hodierna pecuniae.*

Qui in favorem alterius usu rei frugiferae se privat, licite pro hoc onere aliquam compensationem accipere potest. *Atqui,* positis hodiernis conditionibus vitae oeconomicae, pecunia enumeranda est inter res frugiferas. *Ergo* qui usu pecuniae in favorem alterius ad tempus se privat licite aliquam compensationem seu fenus pro hoc onere accipere potest.

Mai.: Est evidens et semper ab omnibus admissa.

Min.: In hodiernis conditionibus vitae oeconomicae quilibet ordinarie et ubique, absque ulla difficultate, quin ad hoc requiratur specialis aptitudo industrialis, per se vel per alios etiam minimam quantitatem pecuniae negotiis tradere potest mediantibus actionibus vel obligationibus, vel domibus banchariis illam tradendo, ac proinde ex illa pecunia potest quilibet accipere aliquod lucrum. Ideoque pecunia induit natura rei frugiferae, seu habet capacitatem productivam. Quae utique non est aliqua vis germinativa naturalis ipsius metalli; non tamen est minus realis et certa, et reducitur ad aptitudinem quam pecunia-moneta habet sese transformandi in capitale, atque hoc modo concurrendi ad productionem, efficiendi beneficia, procurandi commoda et servitia.

875. Argumentum est generale et validum pro omni casu sive pecunia mutuetur ad productionem sive ad consumptionem.

Caritas utique exigere potest ut cum pecunia mutuatur ad sublevandas alterius necessitates, hoc fiat absque ullo fenore; si quis tamen illud exigat, iustitiam non violabit; nam quod suum est exigit.

876. Scholion 1. De quantitate fenoris licita. Diximus licitam esse perceptionem fenoris *moderati;* intra quos vero limites sese continere debet?

a) *Licite potest quis fenus legale* percipere, ubi hoc exsistat; nemo enim melius quam legislator, quid, attentis circumstantiis temporis et loci, conveniens et iustum sit determinare poterit; legislator etiam iura omnium tueri debet, et credendum est taxam fenoris statutam esse iuxta omnes normas aequitatis.

b) *Generatim cives taxae legali sese accommodare debent,* quia est expressio illius quoad a iustitia permittitur. Ad percipiendum fenus superius dari debent speciales circumstantiae, quae utique quandoque adsunt, v.c. maius et extraordinarium periculum sortis, extraordinarium lucrum cessans...

c) *Si a lege non est statuta taxa* tunc attendendum est generali et normali productivitati capitalis.

877. 2. De historia quaestionis praestationis pecuniae.

A. ANTE CHRISTUM. a) *Apud populos antiquos* (aegyptios, fenitios, syrios, sidonios, cretenses, babylonios) usus fenoris datur, ac habentur etiam praescriptiones legales circa ipsum.

b) *Apud iudaeos* datur pariter haec praxis. Tamen (Ex.22,25, et Deut. 23,19) prohibetur fenus si de iudaeis agatur non vero si de extraneo; nihil tamen dicitur de taxa fenoris.

c) *Apud graecos* datur praxis et doctrina de liceitate fenoris. PLATO tamen illud damnat diversis in locis; ARISTOTELES habet fenus ut licitum (*Politica* 1.3 c.23 §23). Taxa fenoris liberae conventioni partium relinquitur, ideo innumeri abusus orti sunt. Generatim locatio pecuniae ad mensem fiebat, quandoque ad diem; plerique tenent taxam ordinariam fuisse 12 %, nonnumquam vero usque ad 40 %.

d) *Apud romanos* vigebat usura et quidem magna vi. Ante legem XII Tabularum taxa fixa fenoris non habebatur, postea vero signata fuit uncia quae generatim intelligi solet 1 % ad mensem, i.e. 12 % ad annum; tamen non raro fenus ascendit usque ad 20 % ad 30 %, et etiam usque ad 40 %.

878. B. POST CHRISTUM. a) *Primis saeculis christianismi* tam Romae quam in Grecia vorax vigebat usura; Ecclesia christianos docebat observantiam caritatis, pietatis, operum misericordiae; non vero habetur prohibitio expressa fenoris.

b) *A saec. IV:* in diversis *Conciliis* prohibitio fenoris datur sed solum pro clericis, non vero generatim. *Sancti Patres* aliquantulum durius loquuntur; damnantes abusum, etiam quemlibet usum damnare plerumque videntur. Praeterea Sancti Patres unice de mutuo facto pauperibus, numquam vero de commodato ad productionem loquuntur.

c) *Aevo medio:* a saec. IX in aliquibus Conciliis prohibitio usurae pro laicis fertur; initio generice, deinde magis in concreto; haec vero prohibitio generalis fit saec. XIII; non vero damnatur quodlibet fenus, sed quod ex commodato rerum fungibilium proveniat et si percipiatur solummodo vi mutui non vero ratione alicuius tituli extrinseci. Tempore Sancti Thomae contractus fenebris omnino prohibitus erat (2-2 q.78 a.1-4).

d) *Leges civiles* sub influxu Ecclesiae hoc tempore mutantur ita ut in plerisque Statibus occidentalibus contractus fenebris ut illicitus damnetur et prohibeatur.

e) *Theologi non pauci,* cum sic res se haberet, temperationem aliquam in hac doctrina introducendam esse viderunt, ideo iam a saec. XIII aliqui distinctionem introducunt inter fenus lucrativum i.e. perceptum vi solius mutui—quod unice nomine usurae appellatur—, et fenus compensatorium i.e. perceptum propter indemnizationem alicuius damni, quod simpliciter appellatur interesse.

f) *Tituli extrinseci fenus iustificantes:* paulatim quattuor cogniti fuerunt: a) *damnum emergens,* i.e. detrimentum danti pecuniam eveniens, eo quod aliqua utilitate ex pecunia illa proveniente privetur; b) *lucrum cessans,* quod dans pecuniam obtineret illa collocando in agricultura, vel in industria; c) *periculum sortis,* i.e. periculum amittendi vel ex toto vel ex parte quantitatem commodatam; d) *titulus legis,* seu permissio ab auctoritate civili facta, ratione alti dominii principis in fortunas subditorum, percipiendi aliquod fenus.

Alii praeterea excogitati sunt modi ad idem obtinendum aliis nominibus, v.c. anticrisis, contractus pignorationis, mohatra, et praecipue trinus contractus.

g) *A fine aevi medii usque ad revolutionem gallicam*: Hoc tempore multi theologi catholici, potissimum illi qui vitam practicam maxime norunt, timide initio, deinde apertius ut licitum habere incipiunt contractum fenebrem ad productionem, atque affirmant circumstantias oeconomicas mutatas prorsus esse, ideoque in praxi mitigandas esse leges contra fenus antea latas in diverso statu oeconomico. Scholastici vero generatim rigorismum sustinent, ac quodlibet fenus ut illicitum habent.

h) *Crescente industria* necesse prorsus fuit modum invenire prohibitionem ecclesiasticam fenoris eludendi. Leges civiles in hac re omnino negligebantur, ipsi reges pecuniam mutuatam quaerebant fenus solventes.

i) *Saeculo XVIII exeunte* tales erant circumstantiae ut ab omnibus desideraretur aliqua modificatio in legibus commodati pecuniae, quae primo in legibus civilibus introducta est. In legislatione vero ecclesiastica nihil novi habetur usque ad annum 1830 in quo *Sacra Poenitentiaria et Congregatio Sancti Officii* huiusmodi responsionem dederunt: *Non esse inquietandos poenitentes, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, ideoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento poenitentiae.*

In IC c.1543 statuitur doctrina Ecclesiae in hac quaestione. *In praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur.*

879. Obiectiones. 1. In Ex. 22,25 dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes;* et in Luc. 6,35: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Ergo exigere aliquid propter pecuniam commodatam est prohibitum in Sacra Scriptura.

Resp. Verba Sacrae Scripturae solummodo probant nos misericordes erga pauperes esse debere, et cum eisdem pecuniam mutuati simus, illam ab ipsis dure exigere non debere. Nullibi vero per se et universaliter fenus prohibetur; simpliciter damnatur nimia usura vel usura inter iudaeos, non vero inter extraneos, quod probat fenus non esse intrinsece illicitum. Verba Lucae non agunt de mutuo pecuniae, et solum commendant benevolentiam et iuvamen erga proximum egentem propter amorem Ipsius Dei, non vero propter remunerationem terrenam.

2. Sancti Patres expressis verbis damnant fenus e pecunia mutuata (vide multa testimonia apud VERMEERSCH, *De iustitia* p.453ss).

Resp. *Sancti Patres* damnant usuram quae suis temporibus exercebatur, scilicet usuram exitialem, cum tunc temporis pecunia solummodo ad inopiam sublevandam mutuaretur; praeterea non dicunt fenus esse contra iustitiam, sed contra caritatem, quia a pauperibus exigebatur. Aliunde multum mens Patrum exaggerata fuit.

Quod de Sanctis Patribus dicimus eodem modo dici potest de testimoniis ex Conciliis decem priorum saeculorum.

3. Pecunia est res sterilis natura sua. *Atqui* quod est sterile

nequit producere fructum. *Ergo* pecunia nequit natura sua producere fructus, seu ex sola sui praestatione nequit fenus exigi.

Resp. Dist. mai.: temporibus praecedentibus, *trans.;* hodie data conditione industriali, *neg.* Theoria de radicali improductibilitate pecuniae, si aliquando fuit vera, nunc non est propter circumstantias mutatas. Pecunia est signum conventionale, repraesentativum valoris. In mutuo pecuniae non mutuatur quantitas aliqua metalli, quae abstrahendo a re repraesentata nullam utilitatem includit, sed mutuatur valor repraesentatus, qui valor exterius proditur sub forma auri, argenti, vel papyri.

Pecunia, ut est metallum, est utique sterilis; ut signum vero repraesentativum valoris habet saltem hodie realem fecunditatem. Nam valor est quaedam utilitas, habet veram vim productivam; potest enim transformari in terras, in pecora, in materias primas, in machinas. Inutile erit contendere pecuniam, sub diversis formis, quas faciliter induere potest, vel melius valorem repraesentatum in pecunia, non habere ullam fecunditatem.

4. Eatemus poterit esse licitum fenus, quatenus praestatio pecuniae possit esse materia contractus locationis. *Atqui* pecunia nequit esse materia contractus locationis. *Ergo* non est licitum fenus percipere propter praestationem pecuniae.

Resp. Trans. mai. Neg. min.

5. Probo min.: Omnis res locatur propter fertilitatem quam habet, et locatio non est nisi venditio productibilitatis alicuius rei vel utilitatis eiusdem vel usus. *Atqui* caret sensu dicere res fungibiles —ut est pecunia—vendi absque productibilitate earum, vel absque usu earum. *Ergo* pecunia nequit esse materia contractus locationis.

Resp. Conc. mai. Neg. min.: agendo de pecunia. Obiectio nititur falso supposito, nempe pecuniam esse rem sterilem, quod obiectione praecedenti solvimus, pecunia ergo habet potentiam productivam, propter quam aliquid exigi potest.

6. Illa potentia productrix pecuniae non est tribuenda pecuniae sed industriae humanae, labori illius qui utitur pecunia. *Ergo* industria humana vel labor habent illam potentiam productricem, non ipsa pecunia.

Resp. Dist. ant.: partim labori, partim pecuniae, *conc.:* solum alterutri, *neg.* Hoc vero accidit in omnibus rebus, quae locari possunt nam absque labore non dantur fructus in terris. Etiam si absolutam sterilitatem pecuniae admitteremus, minime tamen eo ipso sequeretur pecuniam materiam contractus locationis esse non posse; currus enim, v.c. vel domus sunt materia contractus locationis, et tamen sunt steriles.

7. In exemplis allatis est disparitas, nam in ipsis, cum sint res non fungibiles, distinguitur res et usus rei; materia contractus locationis est usus rei non vero res ipsa. *Atqui* agendo de pecunia, quae est res fungibilis, distingui nequit res ab usu eiusdem. *Ergo* in praestatione pecuniae nequit aliquid exigi propter usum rei.

Resp. Conc. mai. Neg. min.: Nam agendo de moneta nequit confundi usus eiusdem cum consumptione; hodie enim semper moneta adhiberi potest ad negotiandum. Nam qui accipit per contractum fenebrem certam quantitatem pecuniae et cum illa diversa genera emit, in illa negotiatione disparet utique quantitas monetae acceptae, non tamen amittit quantitatem acceptam seu valorem repraesentatum

in speciebus, nam illum habet sicut antea, diverso signo repraesentatum.

8. Unice potest aliquam rem locare ille qui est proprietarius eiusdem. *Atqui* qui pecuniam commodat desinit esse proprietarius quantitatis commodatae, nam transfert proprietatem eiusdem alteri. *Ergo* pecunia nequit locari.

Resp. Conc. mai. Neg. min.: Contractus fenebris non transmittit proprietatem pecuniae accipienti illam; commodatur non species, sed valor repraesentatus in speciebus, qui valor sub forma crediti apud locatorem remanet qui potest de credito illo disponere, illud donare, vendere, si moritur in heredes transit.

9. Difficile est admittere tot homines errasse et ipsa Ecclesia in damnatione fenoris.

Resp. Ut patet ex dictis, non fuit proprie error, sed simpliciter verum erat quod ipsi defendebant in illis circumstantiis; tunc enim pecunia non erat frugifera; nunc vero mutatis conditionibus facta est frugifera.

ARTICULUS IX

DE SOLUTIONE QUAESTIONIS SOCIALIS

Thesis 47. Quaestio socialis nequit adaequatam solutionem invenire nisi ex concursu iustitiae socialis, caritatis (I) et organizationis corporativae societatis (II).

Compte rendu de la Semaine Sociale d'Angers (1935); AZPIAZU, *La Enc. Q. a.: Comentario* q.82; *El estado corporativo* 3.ª ed. (Pamplona 1938); MÜLLER, *La politique corporative* (Bruxeles 1935); *Notes d'econ. politique* v.1 p.440ss; MANTILLA, F. J., *La organización corporativa en la Semana Social de Angers:* RazFe 109 (1935) 289-302; *El corporativismo en la doctrina de la Iglesia Católica:* FomSoc 1 (1946) 427-440; MANOILESCO, M., *El siglo del corporativismo* (Chile 1941); PIROU, G., *Essais sur le corporatisme* (Paris 1938); SANCHO IZQUIERDO, *Corporatismo* (Zaragoza 1937).

880. Nexus. Vidimus regimen oeconomicum capitalisticum nostris diebus profunde vitiatum esse et debere reformari; ex abusibus enim eiusdem oritur *quaestio* quae antonomastice *socialis vocatur*. Volumus nunc exponere lineas fundamentales reformationis regiminis.

881. Notiones. QUAESTIO SOCIALIS: 1. *In sensu lato* est complexus omnium malorum et periculorum quibus societas hodierna, maxime apud nationes cultas, labefactatur et remediorum quibus illis malis accurri posset. Est quaestio amplissima et maxime implicata (cf. *Caritate Christi compulsi*, n.2).

2. *In sensu stricto* denotat conflictus sociales seu luctam nostris temporibus exortam inter patronos divites et opera-

rios; ac complectitur causas huiusmodi conflictus et remedia quae adhiberi possint. In hoc sensu intelligitur (cf. *Quadr. anno* n.1).

882. *Causae praecipuae quaestionis:*

1. *Ingens conglomeratio operariorum in fabricis et fodinis*: per usum enim in dies magis frequentem machinarum et magnae industriae multitudo operariorum excrevit, ac paucis in locis coadunatur; ibique solo ligamine oeconomico uniti inveniuntur.

2. *Miseria operariorum*: praesertim tempore elapso in quo labores extra vires sustinuerunt, retributio etiam saepe exigua erat ad familiam sustentandam.

3. *Vita mollis ac prodiga multorum praedivitum*: quae indigentiam operariorum provocat; ii enim videntes se nec necessaria ad vitam e progressibus socialibus participare, cum ipsi divitias producant, dum e contra alii ingentes summas in vitiis et fastuositate dilapidant, magis exasperantur (*Quadr. anno* n.54).

4. *Diminutio sensus verae religionis apud omnes*: divites affectu caritatis et misericordiae carent; pauperes e contra felicitatem temporalem et terrenam unice expetunt, et, reiecta moderatione, voluptates inhiunt ac saepe petitiones exaggerant (*Quadr. anno* n.54).

5. *Perversa doctrina socialistarum et communistarum*, quae fere omnes operarios plus minusve pervasit simul cum sodalitatibus socialistis.

6. *Defectus verae auctoritatis* quae legem iustam imponat ac tueatur, eamque efficaciter urgeat.

7. *Perturbationes oeconomicae*, praesertim quae crises appellantur, quaeque ingentem multitudinem operariorum omni auxilio materiali destituunt, quibus accedit pugna oeconomica in omnibus, sicut systema liberale propugnat.

883. Iustitia socialis. Est virtus quae regit relationes membrorum societatis ut talium cum societate, et relationes societatis cum membris atque ordinat activitates sociales et individuales in bonum commune totius societatis et uniuscuiusque membrorum (cf. n.339-347, ubi definitur iustitia in genere, eiusdem traditur divisio, ac in specie consideratur iustitia socialis).

Notemus solummodo obiectum huius iustitiae, ut persaepe tradunt Romani Pontifices, esse bonum commune, ac praecipue illas

actiones exteriores, quae immediatum influxum habere possunt in prosperitatem materialem corporis socialis et in commoda generalia vitae socialis, et in primis meliorationes conditionis operariorum (cf. *Divini Redemptoris* n.51-52; *Firmissimam constantiam* n.19; *Quadr. anno* passim).

In iustitia sociali contra ac in iustitia commutativa *aliqua ambiguitas* semper adest vel circa ius alteri reddendum, vel circa personam quae debeat illud reddere, vel circa personam cui reddendum sit.

Ius iustitiae socialis persaepe solet legibus determinari, atque generatim exigitur a tota societate iuxta normas iustitiae distributivae.

884. CARITAS. Est virtus quae inclinat ad amorem Dei et proximorum propter Deum. Caritas importat benevolentiam, pietatem et misericordiam, cum proximi in necessitate versantur, atque ad beneficentiam excitat ut proximis in eorum necessitatibus medeatur [1].

Caritas, ut optime ait PIUS XI (*Divini Redemp.* n.49) ***non opponitur*** iustitiae, sed illam supponit; eadem res a duabus simul virtutibus postulari potest; et eadem actio potest uno vel alio modo appellari prout propter unam vel aliam virtutem ponatur, v.c. iuvamen familiare potest esse eleemosyna—actus caritatis—vel subsidium familiare a iustitia sociali impositum.

Prae oculis habendum est operariis non placere nomine caritatis accipere quod illis ex iustitia debetur (cf. *Divini Redempt.* n.49).

885. SOLUTIO ADAEQUATA. Idem est ac perfecta, completa. Quae non consistit praecise in aequalitate omnium prorsus hominum, ita ut omnes divites evadant, hoc enim data natura hominum impossibile est; sed in eo quod miseriae physicae, quantum possibile sit, dispareant, ac omnes, quoad fieri possit, e progressibus socialibus participent, apta quadam proportione ita tamen ut omnes vitam dignam vivere possint; aliis verbis stat in hoc quod pauperes sint minus pauperes et divites minus divites [2].

N. B. Notiones circa corporativismum proponemus in 2.ª parte.

886. Status quaestionis. Thesis habet duas partes. Nunc propronimus statum quaestionis *primae partis*. In illa quaerimus simpliciter utrum necessario requirantur caritas et iustitia socialis ad solvendam quaestionem socialem vel utrum solvi possit una sola virtute, vel etiam ab utraque praescindendo.

---

[1] VILA CREUS, *Orientaciones sociales* n.198-244.

[2] *Rerum Novarum* n.35; BALMES, *Obras completas:* BAC 5,486.707.949; GONZÁLEZ, IRENEO, *La cuestión social según Balmes* p.153; AZPIAZU, *Ni mendigos ni parados. Ni muy pobres ni excesivamente ricos:* FomSoc 1 (1946) 53-64; BRUGAROLA, *Propiedad para los trabajadores:* FomSoc 2 (1947) 58-69.

887. Sententiae. 1.ª *Existimant sufficere solam iustitiam* in primis socialistae, communistae, et aliqui hodierni auctores, qui bono spiritu ducti credunt praxi iustitiae socialis omnia mala e mundo disparere debere. Hi generatim in quaestione sociali existimant iniustitiam adesse semper ex parte divitum.

2.ª *Existimant sufficere solam caritatem* liberales omnes et aliqui etiam catholici conservatores, qui remedium quaestionis socialis unice ex exercitio caritatis christianae sperandum praedicant, in specie schola catholica angeriana hoc sustinebat.

3.ª *Nostra sententia.* Nos ut certum defendimus, suppositis hominibus prout de facto sunt, neque sola caritate, neque sola iustitia posse adaequate solvi quaestionem socialem, a fortiori praescindendo ab utraque.

Cum de iustitia agimus illam intelligimus coactive impositam ab auctoritate sociali, legibus determinando et urgendo praecipua iura, quae in iustitia sociali continentur.

Caritas intelligitur sensu ampliori, nempe prout complectitur principia religionis et amoris tam ab operariis, quam a divitibus, et ab ipsa auctoritate exculta ad defendendum bonum commune.

Haec pars est affirmativa sed non exclusiva, i.e. sine iis duabus virtutibus non invenietur solutio adaequata.

888. Probatur. 1.ª **Pars: Requiritur iustitia socialis et caritas.**

Solutio quaestionis socialis in primis finem imponere debet pugnae inter operarios et patronos. *Atqui* haec pugna cessare nequit, nisi adsit iustitia socialis ab auctoritate imposita, et simul caritas libere a civibus exculta. *Ergo* ad solutionem quaestionis socialis requiritur iustitia socialis et caritas.

Mai.: Ex definitione quaestionis socialis.

Min.: 1. REQUIRITUR IUSTITIA: solum enim exsecutione iustitiae socialis, qua operariis iura omnia naturalia socialia concedantur, hi quieti et tranquilli remanebunt. *Ab auctoritate sociali exigi debet,* quia data conditione hominum, cum de divitiis agitur, paucissimi sua sponte et ex solo amore virtutis iura aliena ceteris tribuent ut experientia constat.

Virtutem privatam non sufficere patet, eo quod maior pars hominum principia caritatis et religionis non admittant; ex illis qui haec principia admittunt, magna pars de facto non curant illa in praxim deducere; qui vero illa principia

in praxim deducere volunt, adhuc in materia pecuniaria facile principiorum obliviscuntur.

Paucissimi ergo erunt qui vera imbuti virtute iustitiam in praxim deducere sincere velint; sed etiam ii multoties propter adiuncta oeconomica hoc efficaciter et convenienter facere nequirent. Accedit quod homines potius quam ad Deum et caritatem accedere, in dies a religione et a mutuo amore recedere videntur.

2. REQUIRITUR CARITAS: quia ipsa sola complet defficientias quae in sola iustitia necessario aderunt. Nam classes inferiores, absque illa, obtentis illis quae ad iustitiam pertinent, adhuc expetere vellent alia bona maiora sibi non debita; classes etiam superiores, sola iustitia legibus imposita motae, facile illam fraudare contendent.

Sola igitur caritas efficit ut pauperes sua conditione sint contenti et ut divites debita iustitiae socialis bene adimpleant [3].

889. Doctrina Romanorum Pontificum. Mirifice exponitur multis in locis. Aliqua solummodo indicemus. Sic v.c.

a) *De necessitate caritatis agit* LEO XIII, *Rerum Novarum* n.24; PIUS XI, *Quadr. anno* n.56; *Divini Redempt.* n.46-49.

b) *De necessitate iustitiae agit* PIUS XI, *Divini Redemptoris* n.49-51.

c) *De necessitate utriusque pulcherrima* verba apud PIUM XII, *Nuntium Radiophonicum Nativitatis a.*1942, n.24; PIUM XI, *Divini Redemptoris,* n.32.

2.ª Pars: De necessitate corporativismi ad solvendam quaestionem socialem

890. Praenotanda. Quaestio circa corporativismum maximum momentum nostris diebus habet; non tamen ut aliquid novum est habenda, antiquitus enim exsistebat, et aevo medio magnificis institutionibus floruit [4].

Favor huius doctrinae nostris diebus explicari potest varias ob causas: a) *in ordine oeconomico* ob crisim universalem quae bellum primum europeum (1914-1918) supervenit; b) *in ordine sociali* ob impotentiam regiminis liberalis individualis, ad illam superandam; c) *in ordine historico* ob imminens periculum marxismi et commu-

[3] Cf. BALMES, *Obras completas:* BAC 5,948; 4,487; GONZÁLEZ IRENEO, *La cuestión social, según Jaime Balmes* p.148ss; MÜLLER, A., *La moral y la vida de los negocios* (Bilbao 1951) p.14-33; VALLE, F., *El bien común en el orden nuevo:* FomSoc 1 (1946) 171-176; BROUILLARD, R., *La doctrine catholique de l'aumone:* NouvRevTh 54 (1927) 5-36; DE BLIC, J., *Le devoir de bienfaisance:* NouvRevTh 63 (1938) 167-170.

[4] Cf. FZ. DE LA SOMERA, *Lo que fueron nuestros gremios en la España imperial:* RazFez 119 (1940) 248-258; ROMEU, A., *Los gremios españoles; su origen y vicisitudes:* Trabajo (1945) 187-195; *Historia de la previsión social en España* (Madrid 1942); DÍEZ O,NEIL, *Los gremios en la España imperial* (Madrid 1941).

nismi bolchevistae; ob accuratius ac magis impartiale studium antiquarum corporationum et praesertim ob tentamina corporativismi in diversis nationibus: Italia, Germania, Austria, Lusitania.

Magnum influxum in propagatione doctrinae corporativismi exercuit fervida huiusmodi regiminis commendatio a Pio XI facta (*Quadr. anno* n.36-38).

Neque haec doctrina post bellum (1939-1944) suum momentum amisit, eo quod praecipua regimina quae corporativa dicebantur disparuerint.

891. Notiones. CORPORATIVISMUS. Definiri potest *regimen quoddam organizationis socialis instaurare intendens corpus institutionum professionalium et interprofessionalium, principiis solide christianis innixarum, inter se unitarum, atque sub diversis formis efformantium, iuxta conditiones locorum et circumstantiarum, illas quae appellantur "corporationes"* (*Divini Redempt.* n.54; cf. *Quadr. anno* n.35-38).

ORGANIZATIO CORPORATIVA est quaedam organizatio societatis civilis in corpus institutionum professionalium et interprofessionalium modo praedicto.

892. *Species corporativismi*:

1) *Socialis*: qui assignat corporationibus munus sociale et oeconomicum; 2) *politicus*: qui praeterea assignat corporationibus munus gubernandi societatem; 3) *associationis*: qui paulatim efformatur et organis professionalibus libere constitutis potestatem concedit regulandi, iudicandi, exsecutione mandandi, sub tutela Status; 4) *Status*: qui ab Statu auctoritative imponitur simul omni multitudini, atque ab Statu dirigitur et animatur ad regulandas activitates sociales et oeconomicas.

N. B. Romani Pontifices commendant corporativismum socialem, et associationis (*Quadr. anno* n.35).

893. CORPORATIO: 1. Analogice definiri potest *organum naturale corporis socialis, determinatis cellulis professionalibus compositum* (cf. *Quadr. anno* n.36).

Proinde non est: a) *mechanismus aliquis Status*, cuius munus sit decreta potestatis supremae transmittere, vel eius tantum applicationem in regimine oeconomico nationis curare; b) *corpus officialium Status*, ut nomine eiusdem officium aliquod vel seriem officiorum administret; c) *corporatio in qua unice congregentur homines unius classis*, ut v.c. aliquod

trust, vel quid simile; d) *aggregatio classium* perpetuo vel temporaliter contra alias classes pugnantium.

894. 2. Definitio stricta: *est corpus aliquod officiale et publicum, intermedium inter associationes industriales privatas et Statum, cuius munus est bonum commune intra professionem determinatam gerere* [5].

1) *Corpus officiale* i.e. corporatio differt ab associationibus privatis in quibus quis ingreditur, vel ex eisdem ad placitum recedit. Corporatio est aliquid iuris publici; comparanda est municipiis; dispositiones ab ipsa dimanantes valorem iuridicum habent, seu ab Statu recognoscuntur et vim legis habent, ideoque omnia membra professionis obligant.

Auctoritas corporationis *iuris publici* esse debet ac sese extendere ad omnia membra illius professionis.

2) *Intermedium inter privatos et Statum*: Industriae ergo particulares societati coniunguntur non directe, sed mediante auctoritate legitima corporationis. Activitas privata subsistere debet in corporationibus. Pariter corporatio minime cum Statu confundi debet. Ab ipso utique accipit, cum constituitur, potestatem, quam deinde libere omnino exercet.

3) *Cuius munus est bonum commune gerere intra professionem*: hoc bonum commune complectitur: *a*) bonum illorum qui quavis ratione in eadem professione *laborant;* ex hoc capite vitare in primis debet exitiosam competitionem inter membra eiusdem professionis; *b*) bonum *ementium,* eisdem procurando bona aut servitia sufficienti copia, apta qualitate, et rationabili pretio; *c*) bonum *universae societatis,* in harmoniam reducendo omnes professiones.

Ut corporatio praedictum bonum commune procurare possit, necesse est ut omni partialitate politica ac egoismo collectivo spolietur, secus innumeros pariet abusus [6].

895. Probatur. 1. *Modo generali.*

ORGANIZATIO CORPORATIVA SOCIETATIS EST NECESSARIA:

1) Quia respondet *desiderio et exigentiis naturalibus ipsius societatis,* cum non sit nisi societas professionalis organizata iuxta relationes naturales.

2) *Quia organizatio syndicalis ex se sola non sufficit,* ut patet experientia, et postulat ut complementum organizationem corporativam.

---

[5] Cf. DUTHOIT, *Par une autorité corporative vers une économie ordonnée:* SSF (Angers 1935) p.41ss.

[6] Cf. AZPIAZU, *La Encicl. Quadrag. anno: Comentario* p.172ss.

3) Quia est *unicum medium exeundi e praesenti conflictu sociali,* absque recursu etiam in minimis ad Statum, cuius directus interventus in hac re erit nocivus.

896. 2. *In specie.*

Illud necesssrio ad solutionem quaestionis socialis requiritur sine quo nequeunt oeconomia ordinari, pax socialis restaurari, et ipse Status reformari. *Atqui* sine organizatione corporativa societatis nequeunt oeconomia ordinari, pax socialis restaurari, et ipse Status reformari. *Ergo* organizatio corporativa societatis est necessaria ad solutionem quaestionis socialis.

Mai.: Haec sunt tria potissimum mala corrigenda in quaestione sociali.

Min.: 1. *Oeconomia ordinari* nequit: oeconomia enim ordinata significat oeconomiam humanam, organizatam, circa propriam activitatem bene edoctam et hierarchice constitutam. Iam vero, haec omnia exigunt interventionem alicuius auctoritatis corporativae. Nam mala ordinis oeconomici praesentis falsis principiis oeconomiam regentibus tribui debent, ac praesertim carentiae organismorum liberorum auctoritative professionem repraesentantium illamque regentium. Haec vero omnia mediante organizatione corporativa societatis obtinebuntur.

Munus ergo oeconomicum corporationum est oeconomiam ordinare maxime productionem et commercium necessitatibus civium adaptando.

2. *Pax socialis nequit restaurari*: en munus sociale corporationum et quidem maioris momenti quam ipsum munus oeconomicum. Hanc pacem corporationes obtinebunt ubique caritatem et iustitiam socialem instaurando; iuxta has virtutes relationem inter operarios et patronos regulando quoad salarium, durationem laboris, diversi generis assecurationes, participationem in lucro...

Contractus enim laboris a corporatione factus vi obligandi omnia membra professionis praeditus erit; non ergo erit conventio aliqua particularis et unilateralis in favorem patronorum aut operariorum, sed ex aequo bonum omnium membrorum professionis intendet, pacem procurando etiam inter diversas industrias seu patronos, eorum moderando competitiones, atque influxum moderatorem omnibus relationibus interprofessionalibus protendendo. Haec vero omnia absque

hac reorganizatione corporativa societatis minime obtinebuntur.

3. *Reformatio status*: illum liberando ab innumeris quaestionibus secundariis, ut possit finem proprium eiusdem melius assequi. Praeterea Status plerumque incapax est solvendi quaestiones oeconomicas et technicas, cum ad hoc non sit paratus; Status in hoc nihil aliud facere debet quam sua auctoritate ordinationes auctoritatis corporativae roborare ac defendere (cf. *Quadr. anno*, n.35).

897. Scholion. De modo instituendi organizationem corporativam. Ecclesia non proponit modum determinatum; sunt multi, et unaquaeque societas potest eligere quem velit, non tamen modo aprioristico, sed qui melius structurae peculiari uniuscuiusque accommodetur [7]. Fundamentum corporativae organizationis debent esse associationes tam operariorum quam patronorum, vel mixtarum; corporatio erit complementum associationum, quae liberae erunt, corporatio vero obligatoria [8]. Consilium corporativum ab ipsis professionibus electum esse debet, ac in unaquaque professione tria erunt generatim consilia: locale, regionale et nationale hierarchice subordinata. In iis consiliis omnes classes sociales praecipuae, aequa proportione, debent habere repraesentantes. Potestas horum consiliorum erit legislativa, administrativa, disciplinaris, iudicialis, ac repraesentativa. Praeterea dari debet consilium intercorporativum ad curandam harmoniam inter diversas professiones. Ad consilium nationale corporativum pertinebit etiam mediare inter corporationes et ipsum Statum. Generatim oportebit ut hoc consilium nationale corporativum sit diversum a consilio politico.

Corporatio in primis intendere debet restaurationem conscientiae professionalis in omnibus, illam efformando ac cum opus sit corrigendo; pariter curare debet suppressionem hodierni proletariatus.

Organizatio corporativa societatis non requirit determinatam formam regiminis politici, sed cum omnibus, quae legem naturalem et divinam servare velint, potest conciliari [9].

898. Obiectiones. 1. Cum iustitia proposita caritas pessundatur, quia iam non remanebit locus pro illa. *Atqui* caritas est virtus praecipua, cuius exercitium non licet impedire. *Ergo* iustitia socialis non requiritur ad solutionem quaestionis socialis.

Resp. Neg. mai.; nam recte iustitia adimpleta, adhuc remanet campus caritati.

2. Si iustitia socialis exsisteret non esset nisi ipsa iustitia commutativa, quia adimplet conditiones istius. *Ergo* saltem hoc nomen iustitiae socialis ut innovatio absque necessitate debet reiici.

Resp. Neg. ant. Nam debitum ex iustitia sociali non est ita de-

---

[7] Cf. AZPIAZU, *Corporativismo y nacionalsindicalismo:* RazFe 112 (1937) 298-308.

[8] Cf. BRUCCULERI, A., *Monismo e pluralismo sindicale:* CivCatt (1943,3) 400-407; BRETHE DE LA GRESSAYE, *Les libertés professionnelles, le syndicat libre dans la profession organisée:* SSF (Rouen 1938) p.360-394.

[9] Cf. capita praecipua regiminis corporativi hispani apud GARCÍA OVIEDO, *Derecho social* p.549-559.

terminatum quoad obiectum, quoad terminum, quoad subiectum ut esse debet in iustitia commutativa.

3. Iustitia statuta, coactive postulata ,est contraria libertati. *Atqui* quod est contrarium libertati debet reiici. *Ergo* iustitia socialis, prout proposita fuit, debet reiici.

Resp. Dist. mai.: rectae libertati, *neg.;* male intellectae, ut volunt liberales, *conc. Contrad. min.*

4. Melius est ut sine coactivitate, i.e. sponte res componantur. *Atqui* cum interventione Status res non componuntur sponte. *Ergo* interventus Status non requiritur.

Resp. Dist. mai.: si sponte omnes cives adimplerent obligationes quas habent, *conc.;* si ut constat experientia et historia, non adimplent, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

5. Periculum est tot res Statui tradere componendas. *Atqui* praxis iustitiae socialis exigit huiusmodi interventum abusivum Status. *Ergo* reiicienda est.

Resp. Dist. mai.: si ipse per se et immediate deberet illas componere, *conc.;* si vero illas debet componere mediantibus institutionibus ad hoc efformatis, *neg. Contrad. min.*

6. Aevo medio iustitia socialis non cognoscebatur, et tamen non aderat quaestio socialis. *Ergo* iustitia socialis non requiritur ad rectam solutionem quaestionis socialis.

Resp. Dist., ant.: nomen vix cognoscebatur, *conc.;* conceptus per hoc nomen expressus, *subd.*: iuxta aliquos, *conc.;* iuxta alios, *neg.*

7. Caritas in componenda re sociali inutiliter ponitur, saltem quoad vim illius de facto, ut in ipso argumento agnoscitur. *Ergo* caritas nihil confert ad solutionem quaestionis socialis.

Resp. Conc. ant. Ideo praeter ipsam requirimus iustitiam et interventum Status ad imponendum coacte exercitium caritatis.

8. Iustitia socialis curat de bonis necesariis solummodo. *Ergo* est iustitia prorsus diversa ab aliis.

Resp. Possum trasmittere totum; non est enim ulla difficultas in admittendo iustitiam socialem esse specie diversam ab aliis speciebus iustitiae.

9. Iustitia socialis ante ipsam societatem exsistit. *Ergo* non potest identificari cum iustitia legali et distributiva.

Resp. Trans. Res nunc ex iustitia sociali debita posset deberi etiam si societas non exsisteret; tunc vero illud debitum alio nomine vocaretur, v.c. caritatis. Efformata societate accedit novus titulus ad illud debitum, propter quod recte vocari potest obligatio ex iustitia sociali.

10. Cum corporativismo operarii manebunt, eodem modo ac sine illo, ad perturbationes parati.

Resp. Si tantum nomine statuatur, *conc.;* si re vera, *subd.*: ut antea, *neg.;* aliquo modo, *trans.;* nam hoc semper accidet.

ARTICULUS X

DE MODIS DERIVATIS ACQUIRENDI DOMINIUM: DE HEREDITATE

Thesis 48. Ius disponendi de bonis suis libere per ultimam voluntatem per se cuilibet iure naturae competit (I); si vero parentes ab intestato moriantur liberi iure naturae in eorum bona succedunt (II).

Rerum Novarum n.10; *Quadrag. anno* n.16; *Código Social de Malinas* n.100-108; CATHREIN, *Filos. Morale,* t.2 p.360-374; NIVARD, *Ethica,* p.286ss; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel,* v.4 p.2.ª p.134ss; GARRIGUET-LARRAMENDI, *La propiedad privada* p.69ss; VERMEERSCH, *Quaest. de Iustitia* p.291ss; MENDIZÁBAL, *Tratado de derecho natural* 7 ed. v.2 p.587ss.

899. Nexus. Egimus de modo primigenio acquirendi proprietatem privatam; ibi dicebamus esse etiam modos legitimos derivatos acquirendi proprietatem rei, quae iam ad personam determinatam ut propriam pertinebat. De facto nunc fere omnes res possidentur titulo derivato. Praecipui modi derivati sunt:

1) *Accessio,* per quam aliqua res nostra quodvis incrementum acquirit, tamquam sui accessorium; 2) *Fructificatio,* qua fructus alicuius rei nostrae nostri fiunt; 3) *Traditio,* per quam dominium alicuius rei ab uno in alium transfertur, et quae varias species induere potest; 4) *Praescriptio,* per quam in determinatis conditionibus ius in aliquam rem acquiritur vel e contra extinguitur.

Est etiam alius titulus qui magnum habet momentum, nempe *hereditas,* cuius volumus videre legitimitatem, fundamentum, ac extensionem, aliqua innuendo de interventione auctoritatis civilis in hac quaestione.

900. Notiones. HEREDITAS dicitur universitas bonorum et iurium alicuius defuncti.

Ius hereditarium est ius succedendi in haec bona et iura defuncti alicuius. Aliquando etiam vocatur ius hereditarium complexus legum determinantium ius succedendi in hereditatem alicuius.

Duplex modus succedendi in hereditatem alterius potissimum habetur per ultimam voluntatem defuncti, et ab intestato.

1. *Ad ultimam voluntatem* pertinent: a) primo et perfectissime *testamentum,* seu actus quo quis declarat personam quam vult, ut sibi post mortem in dominium bonorum succedat; b) *legatum,* quo nomine intelligitur illa pars bonorum hereditatis, quae ex testamento alteri tradi debet ab herede; c) *donatio mortis causa,* qua quis aliquid ita donat ut res non sit alterius absolute et irrevocabiliter, nisi post mortem do-

nantis; illa donatio acceptanda est vel per se vel per alium a donatario, sed etiam post acceptationem potest revocari; d) *donatio inter vivos,* qua quis rem ita donat, sive in testamento, sive extra illud, ut absolute et irrevocabiliter velit eam esse in dominio alterius.

2. *Ab intestato* successio habetur, cum quis sine testamento moritur et eius liberi vel magis propinqui ipso iure heredes fiunt.

901. SUCCEDERE: idem est ac personam alterius gerere, seu illam substituere in suis iuribus et obligationibus.

902. Status quaestionis. Thesis habet duas partes. In prima agitur de successione in hereditatem alterius per testamentum; in secunda vero de successione ab intestato. In utraque vero quaeritur a quo fonte hoc ius proveniat.

903. Sententiae. 1.ª *Socialistae,* cum non admittant ius proprietatis consequenter negant etiam ius transmittendi bona ceteris. Iuxta diversas species socialismi datur etiam discrimen in doctrina eorum circa successiones; aliqui ius testandi omnino negant; alii illud admittunt in rebus mobilibus consumptibilibus et in parva quantitate pecuniae; alii solummodo negant ius disponendi de proprietate terrae.

2.ª Alii auctores existimant ad ius naturale pertinere quod bona obveniant familiae, sive per testamentum, sive ab intestato; quod vero possint bona aliis non e familia tradi, existimant esse iuris positivi. Haec videtur sententia TAPARELLI [1].

3.ª Alii sustinent ad ius naturale pertinere quod bona ab intestato ad filios perveniant; ad ius autem positivum quod possint per testamentum aliis, quibus domino placuerit, transmitti. Ita PUFENDORF et, post ipsum, aliqui catholici ut CARRIERE, SCHMALZGRUEBERG et multi iuristae moderni.

4.ª *Nostra sententia.* Nos cum fere unanimi consensu auctorum ut fere certum defendimus omni homini competere ius libere designandi personam quae post mortem ipsius sibi succedere debeat in possessionem bonorum quae habeat, ac dicimus hoc ius eidem competere ab ipsa natura. Cum vero aliquis alios non designavit dicimus ex ipso iure naturae filios iure praesumi designatos.

---

1 *Ensayo teórico de derecho natural* v.1 n.787-789.

Probatur. 1.ª Pars: Ius disponendi de bonis per ultimam voluntatem est naturale

904. *Ex notione ipsius iuris proprietatis.*

Illud ius dicendum est naturale quod in iure proprietatis includitur, ac sine quo hoc ius magnopere suo fine naturali frustraretur. *Atqui* ius disponendi de bonis propriis per ultimam voluntatem in iure proprietatis includitur, et sine illo hoc ius magna ex parte e suo fine naturali frustraretur. *Ergo* ius disponendi de propriis bonis per ultimam voluntatem ad ius naturale pertinet.

Mai.: Secus ius proprietatis non esset perfectum; ac natura in aliquo necessario deficeret.

Min.: 1. *Ius testandi includitur in iure proprietatis*: non enim est nisi libera dispositio rei ad mentem proprietarii in ultimo momento vitae facta; haec vero libera dispositio rei pertinet ad ius proprietatis. Neque adversarii ostendere possunt illam validam non esse pro tempore mortem secuturo: nam sicut donatio durante vita valida est pro toto tempore, cur non erit valida donatio facta ultimo momento pro tempore subsequente?

2. *Sine iure testandi ius proprietatis magna ex parte frustraretur*: tunc enim:

a) *Homini, tamquam individuo,* deesset stimulus ad vitam propriam perficiendam, speciatim ad laborandum et ad parce et frugaliter vivendum; cum enim iam bona sufficientia ad vitam haberet a procurandis sibi aliis bonis cessaret, et bona iam acquisita dilapidaret, cum nesciret cuius essent futura post mortem ipsius.

b) *Homini, ut patri familias,* non liceret providere de filiis suis secundum munus naturale, i.e. non solum pro tempore vitae parentum, sed etiam pro tempore mortem eorum secuturo. Ad hoc requiritur ut saltem parentes possint excludere extraneos a successione hereditatis eorum, et ut illam distribuere possint inter filios secundum aptitudines et necessitates proprias.

Praeterea conveniens educatio filiorum, atque auctoritas paterna postulant ut parentes voluntates filiorum excitare possint spe amplioris partis in successione hereditaria.

c) *Homini, ut membro societatis,* deesset stimulus ad adimplendum munus sociale proprietatis privatae; multa enim opera caritatis, beneficentiae, educationis, societati valde uti-

lia, si non daretur haec facultas libere disponendi de bonis propriis per ultimam voluntatem, non darentur.

Generatim enim homines ad haec facienda moventur solum cum agitur de aliqua opera determinata, a se electa, sibi bene nota. Si vero bona in genere ad opera socialia essent derelinquenda magna pars proprietariorum illa prius dilapidarent.

905. DICES: 1. Illa omnia obtinebuntur, si quis ante suam mortem per donationem inter vivos de suis bonis disponat.

Resp. Necessitas donationis inter vivos maximum onus hominibus imponeret, cum forte quis deberet se spoliare e suis bonis pro magna parte suae vitae, cum dies mortis sit incertus.

2. Relinquantur bona primo occupanti post mortem possessoris.

Resp. Tunc, praeter praedicta incommoda in argumentatione indicata, daretur locus innumeris iurgiis et pugnis pro consecutione illorum bonorum, et nimia haberetur fluctuatio et instabilitas in dominiis, et ipsa vita dominorum in magno discrimine adduceretur.

3. Haec omnia vitarentur si successiones hereditariae legibus mere civilibus ordinentur.

Resp. Sed ius proprietatis cum essentialibus requisitis eiusdem anterius est societati civili, et ante constitutionem eiusdem adesset. Probatum vero est facultatem designandi libere heredem per ultimam voluntatem ad essentialia requisita iuris proprietatis pertinere. Praeterea illud ius civile vel haberet aliquam normam obiectivam naturalem ad designandos successores, vel non; si primum, antecedenter ad legem positivam adesset iam ius hereditarium naturale; si secundum non vitarentur illa omnia incommoda de quibus in argumento egimus.

4. Ex probatione, maxime cum arguitur ex homine ut capite familiae, ad summum sequitur successionem ab intestato iure naturae filiis respondere; non vero liberam dispositionem bonorum per testamentum esse iuris naturae.

Resp. a) Cum absque filiis et familia quis moreretur, darentur praedicta incommoda in argumento signata. Ergo saltem in iis casibus dicendum erit facultatem disponendi de suis bonis per ultimam voluntatem ad ius naturale pertinere.

b) Si iure naturali solum successio ab intestato esset valida, non apparet ratio sufficiens cur omnes populi praxim universalem transmittendi sua bona per testamentum admitterent.

c) Sequeretur etiam iure naturae vel bona inter filios distribuenda esse ex aequo; vel integra primogenito concedenda; in utroque vero datur inconveniens, ut in argumento indicatum fuit.

2.ª Pars: Successio ab intestato est iuris naturalis

906. *Ex legitima praesumptione voluntatis parentum.*

Parentes iure naturae libere designare possunt heredes suorum bonorum. *Atqui* cum alios expresse non designant, sed ab intestato moriuntur, ab ipso iure naturali legitime

praesumuntur filios suos designare. *Ergo* cum parentes ab intestato moriuntur liberi iure naturae in eorum bona succedunt.

Mai.: Ex prima parte theseos.

Min.: Nisi expresse aliud constet, legitimi illi praesumuntur ab ultima voluntate parentum successores bonorum ipsorum, qui cum illis ita coniuncti sunt, ut cum ipsis efforment quasi unum morale, et erga quos specialibus officiis vinciuntur. Hi vero sunt praecise filii. Haec ratio, etsi minore vi, valet pro cognatis in linea collaterali, cum desint filii et cognati in linea recta.

907. Scholion. 1. Utrum tota familia parentum bona possideat. Aliqui auctores existimant totam familiam dominum bonorum esse. Haec tamen sententia reiicienda videtur, neque ad ius naturale hereditariae successionis stabiliendum est necessaria. Nam: 1. Parentes, cum sint vere domini suorum bonorum ante matrimonium et ante nativitatem infantium, talem dominium non amittunt post nativitatem illorum.

2. Parentes possunt modo inaequali inter filios bona distribuere, fatentibus omnibus; iam vero hoc facere non possent, si bona ad totam familiam pertinerent.

3. Cum filii aliquid e domo arriperent non committerent furtum cum e propriis bonis tollerent; hoc vero est contra moralistarum iudicium.

4. Parentes, absque consensu filiorum, non possent de bonis disponere neque in testamento, neque extra ipsum, in favorem aliorum qui ad familiam non pertinerent.

908. 2. Utrum lex civilis possit invalidare testamenta informia. Potest utique auctoritas civilis non solum testamentorum formam praescribere, sed etiam illa, quae careant praedicta forma, invalida declarare, si hoc a bono communi postuletur. Testamenta vero informia invalida censentur non simpliciter, sed solum postquam in iudicio a legitimo iudice ut invalida fuerint declarata; ante hanc vero sententiam heredes tale testamentum ut validum habere possunt.

909. 3. De quibusdam regiminibus hereditariis. Tres praecipui modi successionum hereditariarum in plerisque regionibus inveniuntur, nempe:

1. *Regimen necessariae conservationis;* in quo omnia bona parentum primogenito adveniunt. Hoc regimen haec *commoda* pro se habet, quod faveat stabilitati patrimonii familiaris et traditionum, et quod recte naturam interpretari videatur. *Contra* se habet quod quandoque totum patrimonium familiare deberetur indigno aut incapaci tradi, et quod non semper pater suam auctoritatem confirmare posset. Hoc inconveniens salvaretur si parentibus relinquatur facultas libere designandi successorem unum e filiis, quem maluerint, non praecise primogenitum.

2. *Regimen libertatis, saltem relativae:* hic modus videtur magis

consentaneus naturae, ut ex argumentis theseos apparet. Haec libertas testandi ab omnibus populis admissa fuit, maxime in nationibus excultis.

3. *Regimen aequalis distributionis inter filios:* hoc regimen minus conveniens videtur, iis potissimum rationibus: *a)* non satis servat stimulum diligentiae et virtutis filiorum, neque munimen auctoritatis; *b)* nocet unioni familiae; *c)* valde etiam nocet stabilitati bonorum familiae et traditionum, nimis hereditatem dividendo; *d)* nimis dividit terram, hinc quandoque agricultura difficilis redditur; *e)* obstat fecunditati matrimoniorum timore divisionis bonorum[2].

910. 4. Quousque possit status hereditates limitare. Status, cum hoc postulet bonum commune, potest successiones regulare, determinatas formalitates ad validitatem testamentorum exigere, facultatem testandi restringere, determinatas obligationes imponere, tributis testamenta gravare, ipsam etiam quantitatem transmittendam limitare. Nunquam tamen potest ius naturale testandi omnino abolere, neque filiis privare iure naturali, quod habent, percipiendi e bonis parentum illa quae sibi sint necessaria ad condignam educationem et sustentationem (cf. *Quadragesimo anno,* n.18).

1. *Si agatur de modicis hereditatibus* et de successionibus *directis,* i.e. si heredes sint filii, nullum aut modicissimum tributum, neque directum, neque indirectum, eisdem imponendum esse videtur.

2. *Si agatur de transmissionibus indirectis* potest Status maiora tributa vel iura exigere, maxime si agatur de hereditatibus alicuius momenti.

3. *Cum hereditates sint satis magnae* potest Status, etiam si agatur de successionibus directis, magna iura successoria exigere, sic enim proprietas privata munus sociale eiusdem adimplet; in hoc enim casu heredes, etiam directi, nullum ius naturale habere videntur; agitur enim de bonis quae nullo modo exiguntur neque a necessitatibus individualibus, neque a familiaribus, neque a socialibus, sed e contra. Magnarum fortunarum hereditas potius inservit ad efformationem cuiusdam classis socialis otiosae cum damno ipsorum individuorum, familiae et maxime totius societatis.

911. Obiectiones. 1. In omni alienatione simul exsistere debent consensus transferentis et acceptantis. *Atqui* consensus transferentis cessat post mortem ipsius, ante hoc vero tempus heres effective consentire nequit. *Ergo* alienatio per testamentum non valet solo iure naturali.

Resp. Dist. mai.: cum alienatio fit per pactum proprie dictum, *conc.;* in successione hereditaria, quae est translatio sui generis, *subd.*: requiritur ut consensus utriusque simul physice exsistat, *neg.;* ut consensus acceptantis physice exsistat, transferentis vero moraliter, et quoad iuris effectum, *conc. Contrad. min.*

2. Ad transferendum iure naturali dominium aliquod requiritur ut simul adsint voluntas et potestas transferendi, tunc cum fit alie-

[2] In Hispania partim viget regimen aequalis distributionis inter filios, partim regimen libertatis relativae. Filii enim nequeunt nisi gravissimis e causis exheredari. E bonis tamen hereditatis tertia pars ex aequo inter filios dividi debet; alia tertia pars relinquitur liberae determinationi parentum in meliorationes filiorum vel aliorum descendentium legitimorum; denique alia tertia pars liberae omnino dispositioni testatoris relinquitur. Hoc regimen valde laudandum videtur.

natio. *Atqui* testator vivus non habet voluntatem transferendi, mortuus vero non habet potestatem, nam dominium bonorum fortunae cum morte extinguitur. *Ergo* successio hereditaria per ultimam voluntatem iure naturae non valet.

Resp. Dist. mai.: ut physice exsistant simul, *neg.;* ut moraliter et quoad effectus iuris, *conc. Contrad. min.*

3. Bona defuncti, non obstante eiusdem ultima voluntate, fiunt nullius. *Ergo* illa ultima voluntas testatoris non valet iure naturae.

Resp. Dist. ant.: ita ut nullus habeat ius in re quoad illa bona *conc.;* neque ius ad rem, *neg.*

4. Successio filiorum ab intestato non fundatur in voluntate praesumpta parentum, sed in naturali subrogatione familiae in locum defuncti.

Resp. Neg. assertum. Nam: *a)* si independenter a voluntate parentum familia in bona eorum succederet, testamentum, saltem si in eo extraneis notabilis pars bonorum relinqueretur, esset contra ius naturae; pater enim non habet ius auferendi a familia iura naturalia eiusdem; *b)* si familia naturaliter subrogaretur in locum defuncti, etiam ex iustitia, non solum ex caritate, familia deberet solvere defuncti debita, si forte sint maiora quam bona derelicta. Hoc vero ab omnibus negatur.

5. Per hereditatem heredes accipiunt quod non est fructus laboris eorum, et quod tantum praesumitur fructus laboris maiorum. *Atqui* hic non est titulus legitimus possessionis. *Ergo* hereditas per ultimam voluntatem non pertinet ad ius naturale.

Resp. Neg. suppositum minoris, sc. solum laborem proprium esse titulum legitimum proprietatis.

6. Si parentibus relinquatur libera determinatio in dispositione bonorum, magni abusus ex hoc timendi sunt.

Resp. Dist. assertum: per se, *neg.;* nam parentes naturaliter inclinantur ad providendum utilitati filiorum; multo minus hi abusus sunt timendi instante iam morte; per accidens, *subd.*: ita ut abusus forte possibiles et accidentales sint minus malum quam abusus provenientes si omnia relinquerentur liberae dispositioni auctoritatis publicae, *conc.;* ita ut sint maius malum, *neg.*

7. Huic omnimodae libertati testandi tribuenda in primis est magna accumulatio fortunarum in manus paucorum. *Atqui* haec magna accumulatio magnarum fortunarum in manus paucorum est magnum malum sociale, quod a natura nequit postulari. *Ergo* libera dispositio de suis bonis per ultimam voluntatem non pertinet ad ius naturale.

Resp. Dist. mai.: si nullum admitteremus interventum Status ad haec mala vitanda, *conc.;* secus, *neg.* (cf. dicta in scholio 4). Praeterea aliquae magnae fortunae sunt etiam valde utiles ad bonum sociale promovendum, modo spiritu vere christiano possessores earum informentur.

8. Ius hereditarium est nimis indeterminatum. *Atqui* ius naturale est determinatum. *Ergo* ius hereditarium nequit dici naturale.

Resp. Dist. mai.: quoad essentialia, *neg.;* quoad aliquas determinationes secundarias et formalitates, quae ad perfectam ordinationem eiusdem determinandae sunt a lege civili, *conc. Contrad. min.* Ante legem civilem iam satis definitum est ius testandi, et etiam ius filiorum ad obtinendam hereditatem parentum.

SECTIO III

Philosophia moralis specialis socialis

912. Nexus. Hucusque relationes hominis consideravimus quae oriuntur ex natura hominis in se considerati, non ut est membrum societatis alicuius. Ne tamen iterum in res similes incideremus, aliquando permixtae fuerunt cum considerationibus socialibus maxime in sectione oeconomica.

Homines autem vivunt inter se coniuncti et associati; nec solum hoc modo vivunt, sed etiam vivere debent; singuli enim non sibi sufficiunt. Ordo autem moralis considerat universum ambitum vitae, ideoque etiam relationes sociales; hac de causa de diversis societatibus agere debemus. Sed non omnes societates humanas considerabimus, sed solummodo naturales, scilicet domesticam, civilem, et internationalem. Antea vero aliqua generalia de societate praemittere debemus, ut cognoscamus eiusdem naturam, finem et genera diversa.

CAPUT I

De societate in genere

Cf. Delos, *Qué est-ce que la societé?:* SSF (Clermont-Ferrand 1937) p.201-227; Cathrein, *Filos. morale* t.2 p.413ss; *Phil. moralis* n.505ss; Meyer, *Inst. Iuris Nat.* t.1 n.347ss; Güenechea, *Principia iuris politici* t.1 p.19ss.

913. Societas: est *coniunctio moralis et stabilis plurium in finem communem suis actibus conspirantium.*

1. *Coniunctio seu unio*: quia societas importat ideam multitudinis et ordinis; pluralitas vero sine unione dicit confusionem, non vero ordinem.

2. *Plurium*: saltem duorum—ut in societate coniugali—; quia ex communi sua notione societas dicit relationem mutuam inter homines; postulat ergo pluralitatem terminorum humanorum.

3. *Moralis*: nam propinquitas vel coniunctio tantum physica efficit multitudinem segregatam, non vero societatem, ut datur v.c. in grege ovium, vel in examine apum. Ideo so-

cietas proprie non praedicatur nisi de relatione humana qua tali; de relatione vero animali solum analogice. Societas ergo exigit coniunctionem propriam homini, scilicet moralem, talem nempe quae vinculis spiritualibus efficiatur.

Haec vero unio moralis consistit in eo quod membra societatis ad cooperandum in finem communem mutuis officiis et iuribus adstringuntur, vel libera conventione statutis, si societas est libera, vel lege superiore impositis, si societas est necessaria. Hoc modo excluduntur a societate tum irrationalia, tum multitudo hominum mere vinculo externo unitorum, v.c. ad nundinas, ad cinema, ad futbol.

4. *Stabilis*: vinculum enim mere transiens non efficit id quod homines intelligunt nomine societatis. Unde licet illa unio non necessario debeat esse perpetua, requiritur tamen ut sit per se permanens, et non mere obiter facta. Sic unio puerorum ad aliquem ludum, vel hominum ad aliquam particularem actionem non efformat propriam societatem.

5. *In finem seu bonum commune;* secus non haberetur unio in activitate voluntatis, cuius obiectum est solum bonum; neque haberetur communis obligatio, quae solum ad bonum esse potest. Si vero illud quod intenditur est bonum physicum, malum autem morale, unio in illud non nisi per abusum vocis dicitur societas, quia ad verum vinculum requiritur obligatio stricta, et obligatio ad malum morale nequit adesse; sic, v.c. per abusum latrones coadunati societatem aliquam efformare dicuntur.

6. *Suis actibus conspirantium*: ad societatem requiritur conspiratio omnium in bonum commune; non sufficit ut omnes quaerant idem bonum, unusquisque autem pro se tantum; sed requiritur ut unusquisque illud quaerat etiam pro ceteris omnibus; ideo finis societatis non solum est communis, sed etiam communiter et mutuo est obtinendus; hoc vero non fit nisi conspiratione omnium.

914. Elementa societatis. Essentialia sunt duo, nempe: 1. *Materiale* est pluralitas membrorum, seu multitudo hominum, qui ad aliquid coadunantur. 2. *Formale* consistit in unione morali. Haec vero unio moralis, quae vinculum iuridicum appellari recte potest, ex duobus resultat, scilicet: a) *ex fine communi,* qui societates specificat, et de se iam aliquatenus unitatem intelligentiarum et voluntatum efficit; b) *ex mutua obligatione,* nam ad unionem constantem et ordinatam, data natura hominum, finis communis solus non suf-

ficit; ideo requiritur etiam mutua obligatio respectu ad finem communem, quae est aliquod elementum in ordine reali; c) ut vero haec mutua obligatio tendendi in finem communem urgeri constanter et efficaciter possit, aliud elementum requiritur in omni societate nempe *auctoritas,* quae definiri potest: *ius obligandi membra societatis, ut ad bonum commune suis actibus cooperentur.*

915. Utrum auctoritas sit proprietas an forma societatis. Innuimus auctoritatem necessario ad societatem requiri, utpote principium constans unionis moralis membrorum. Non vero diximus qua ratione auctoritas sit necessaria, utrum ut elementum formale specificativum societatis, an vero solummodo ut aliqua proprietas ex eadem necessario dimanans. Duae sunt sententiae in hac quaestione.

1.ª *Auctioritas est quasi-forma societatis.* Multi auctores, tam inter antiquos scholasticos, quam inter recentiores[1], multitudinem etiam in finem communem suis actibus tendentem concipiunt ut massam aliquam nondum determinatam, sed solum determinabilem ad efformandam societatem; quae, adveniente auctoritate ut elemento determinante, formaliter constituta intelligitur in esse sociali. Patet vero, quoniam societas non est aliquid physicum, sed ens morale, haec omnia analogice dicta esse, ideoque agi de forma quasi-physica, non vero de forma physica societatis.

2.ª *Auctoritas est proprietas e societate dimanans.* Multi alii auctores cum SUÁREZ (*De leg.* l.3 c.3 n.4); MACKSEY (p.419); MENDIVE (n.201); CATHREIN (n.507); GÜENECHEA (t.1 p.136)... existimant auctoritatem non pertinere ad essentiam societatis, sed esse solummodo proprietatem essentialem, ex eadem fluentem sicut ex anima potentiae spirituales effluunt. Haec sententia praeferenda videtur[2].

916. De activitate sociali. 1. QUINAM DICANTUR ACTUS SOCIALES: 1) *late* qui circa societatem versantur, vel qui illam constituunt, etsi a societate non procedant. Principium illorum est voluntas eorum qui societatem constituunt; 2) *stricte* qui a societate tamquam a persona morali procedunt; supponunt ergo societatem iam constitutam in suo esse, cum agere esse necessario supponat. In hoc per analogiam cum acto humano, tria possumus considerare, nempe: *principium internum* eiusdem; quod duplex potest esse, nempe *principium quod* (= ipsa societas); et principium *quo primarium* (= superior qua talis); et principium *quo secundarium* (= ipsum corpus sociale).

2. QUINAM FINIS ACTUUM SOCIALIUM: Finis actus socialis est bonum commune, illud nempe in quo omnia membra aliquo modo participant; secus non esset cuilibet praesto motivum cooperandi in illud bonum. Hoc vero bonum debet esse externum, quia cooperatio socialis circa mere interna dari nequit.

3. QUAENAM NORMA RECTITUDINIS IPSORUM. Norma ad diiudicandam rectitudinem actuum socialium est natura ipsius societatis. Actus ergo qui tali societati congruat erit bonus, qui vero disconveniat

[1] Cf. v. c. VAN DER AA, *Ethica* p.137; MEYER, *Inst. Iuris Nat.* v.2 p.406ss.
[2] Cf. rationes et difficultates contra hanc secundam sententiam optime expositas apud GÜENECHEA, *Princ. Iuris polit.* v.1 p.137ss.

erit malus; sicut vidimus in genere agentes de rectitudine actuum humanorum.

917. Divisiones societatis: 1) *In fieri*: est multitudo prout transit a statu iuridice discreto in societatem formaliter constitutam.

2) *In facto esse*: est multitudo iuridice iam constituta in societatem.

3) *Naturalis seu necessaria*: est illa ad quam determinate homo inclinatur, quaeque, considerata secundum suam speciem, finem, media, iura atque officia in vinculo sociali contenta, oritur vi legis naturae, v.c. societas matrimonialis, societas civilis et internationalis. In societatem ergo naturalem datur inclinatio naturalis, et constitutio ipsius ab ipsa natura definitur.

4) *Arbitraria seu libera*: est illa quae, considerata secundum suam speciem, finem, media, iura et officia, oritur a libera conventione hominum, v.c. societas litteraria aut commercialis.

5) *Simplex*: est illa quae minoribus societatibus non coalescit, v.c. societas coniugalis, constans simpliciter ex viro et ex femina.

6) *Composita*: est illa quae coalescit ex aliis societatibus minoribus, v.c. societas domestica ex societate matrimoniali, parentali, et herili composita; societas civilis.

7) *Completa*: a) *intrinsece*: est illa quae procurat directe omnia bona hominis, saltem in aliquo gradu, secundum totam extensionem (bona materialia, intellectualia, moralia), v.c. familia, societas civilis; b) *extrinsece*: est illa, quae est intrinsece completa, ac praeterea est sui iuris, seu independens saltem directe ab aliena potestate; sic solum societas civilis et internationalis. Haec vocatur etiam societas suprema; familia non est talis, quia ab Statu dependet [3].

8) *Incompleta*: a) *intrinsece*, quae tantum aliquam speciem bonorum procurat, v.c. societas litteraria, commercialis; b) *extrinsece*, quae, etsi sit intrinsece completa, directe tamen subiicitur alienae potestati, v.c. societas domestica.

---

[3] Ecclesia iuxta aliquos non est societas completa, quia non est intrinsece completa, cum non procuret directe nisi bona spiritualia. Aliqui vero existimant Ecclesiam esse societatem intrinsece completam, eo quod universum bonum humanum pro quocumque stadio evolutionis, verum formaliter et directe solum sub respectu ad summum hominis finem supernaturalem, sibi ut finem propositum habeat (cf. MEYER, 1 n.392). Tunc vero Ecclesia erit societas intrinsece et extrinsece completa. Huic sententiae bene aptari existimant verba PII XI in *Quadrag. anno* n.14; et LEONIS XIII in *Rerum Novarum* n.23; et in *Immortale Dei* n.16.

9) *Perfecta,* duplici sensu intelligi potest societas aliqua perfecta: *a*) illa quae ordinatur ad perfectam sufficientiam vitae humanae, et sibi ad hunc finem sufficit, quo in sensu unice societas civilis est perfecta; *b*) illa quae ad finem suum assequendum media necessaria habet, sive actu sive potentia; nec, saltem directe, ab aliena potestate dependet; quo in sensu sunt duae societates perfectae, nempe Ecclesia et societas civilis.

10) *Imperfecta*, quae ex uno vel alio capite deficiat, nempe ratione finis, vel mediorum. Reliquae ergo societates, praeter Ecclesiam et societatem civilem, sunt imperfectae, nam saltem dependent directe vel ab Ecclesia, si sint societates ordinis spiritualis, vel a societate civili, si sint ordinis temporalis.

918. *N. B. Hodie data mutua interdependentia nationum,* vix est societas aliqua civilis quae sibi plene sufficiat ad procurandam propriis mediis completam perfectionem vitae humanae; ideo societas completa appellanda est societas civilis potius quatenus plene possidet auctoritatem ad assecurandum intra limites proprios ordinem, pacem et iustitiam suis membris (cf. *Código de Moral internacional* n.12).

CAPUT II

De societate domestica

919. Praenotanda. Positis notionibus generalibus societatis, agere incipimus de speciebus societatis, quae in philosophia morali occurrunt. Haec vero sunt tres, nempe domestica, civilis, et internationalis. Prima omnium ac maxime necessaria est societas domestica, seu familia, de qua in praesenti capite sermo est.

Quoniam vero societas domestica tribus aliis societatibus simplicibus constat, nempe: coniugali, familiari et herili, quae quasi tria stadia eiusdem constituunt, de singulis iis societatibus pauca dicimus.

ARTICULUS I

De societate coniugali

§ 1. De natura et fine naturali matrimonii

Thesis 49. Matrimonium est societas naturalis (I), cuius finis primarius est generatio et educatio prolis (II), secundarius vero mutuum coniugum adiutorium (III).

Cf. Pius XI, *Casti connubii;* S. Th., 3 CG c.122; Supp. 41 a.1; Leclercq, J., *Leçons de droit naturel* v.3, *La Famille;* Elter, *Compendium phil. mor.* p.150ss; Cathrein, *Phil. morale* t.2 p.419ss; Donat, *Ethica specialis* v.2 p.88ss; *Annotationes in decretum de finibus matrimonii:* Periodica 33 (1944) 219-243; Browue, *Sententia Bernardini Krempel de fine principali matrimonii:* ActPontAcadRomStiTh (1945) 133ss; Pérez de Barradas, *La familia; Manual número 1 del Museo Etnológico* (Madrid 1941); Chenon, *El papel social de la Iglesia* p.57ss.

920. Nexus. Societas coniugalis omnium societatum prima est et tempore et natura; mediante enim ipsa homines muneri creatici divino ad propagationem speciei humanae associantur. Oportet igitur ut naturam ac finem naturalem ipsius accurate determinemus: maxime cum nostris temporibus non desint qui contra fundamentum totius vitae humanae insurgere ausi fuissent.

921. Notiones. Matrimonium: 1. *Active seu in fieri*: est *contractus,* quo exprimitur duarum idonearum personarum legitimus consensus de societate coniugali. Hic consensus debet esse verus, perfecte liber, mutuus, de praesenti, externe manifestatus.

2. *Passive seu in facto esse*: est ipsa *societas coniugalis,* seu unio stabilis viri et mulieris ad honestam procreationem et educationem prolis atque mutuum auxilium sibi procurandum. Classica est definitio matrimonii: *Maritalis coniunctio viri et feminae inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens.*

1) *Maritalis coniunctio*: unio per quam vir et femina mutuum ius in corpus alterius in ordine ad generationem accipiunt, seu qua constituitur iure proximum et completum generationis principium.

2) *Inter legitimas personas*: i.e. quae nullo impedimento dirimente afficiantur. Impedimenta dirimentia sunt ea quae obstant quominus contractus matrimonialis sit validus, v.c. defectus aetatis, proxima consanguinitas...

3) *Individuam vitae consuetudinem retinens*: quae ver-

ba significant vinculum coniugii esse firmum atque indissolubile.

922. Finis matrimonii. Finis matrimonii naturalis, seu id quod natura ex distinctione et coniunctione sexuum intendit, potest esse primarius vel secundarius: a) *primarius*: est ille qui propter se directe seu proxime intenditur, ita ut non nisi per hanc institutionem possit obtineri; b) *secundarius*: etsi non accidentalis, est ille qui propter se etiam intenditur, ita tamen, quantum ab hominibus pendet, ut finis primarius per ipsum non impediatur.

923. Generatio prolis. Generatio in genere est productio viventis a vivente coniuncto principio in similitudinem speciei. Generatio ergo *prolis humanae* est talis productio viventis in specie humana. Haec fit mediante fecundatione ovi humani in muliere per seminationem seminis humanae ab homine factam copula carnali inter utrumque.

924. Educatio prolis. Est sollicita subministratio omnium mediorum necessariorum ut vita prolis physica, intellectualis et moralis ad congruentem perfectionem adultam evolvatur.

925. Mutuum adiutorium. Hoc nomine intelliguntur illae omnes activitates et mutua auxilia, quibus mutuo sese complent vir et mulier in ordine ad communem evolutionem vitae.

926. Status quaestionis. Tria investigantur in thesi: 1) utrum matrimonium sit societas naturalis vel non; 2) supposita responsione affirmativa qualis sit finis primarius ab ipsa natura intentus; 3) quales sint fines secundarii ab ipsa etiam natura intenti.

927. Sententiae. 1.ª *Aliqui directe negant* matrimonium esse institutionem naturalem, ac defendunt amorem liberum, ita ut viri et mulieres, prout velint, unire sese possint, per tempus quod eisdem placuerit ac conditionibus eodem modo omnino libere stabilitis.

2.ª *In specie multi,* tam practice quam theorice, adversantur *finem primarium* matrimonii, eumque defendunt esse non procreationem prolis, quam potius abhorrent vel magnopere restringunt, sed potius satisfactionem voluptatis venereae, vel mutuum adiutorium.

3.ª Aliqui catholici nuper, inter quos eminent DOMS, H.[1] et KREMPEL[2] scribere ausi sunt finem primarium matrimonii vel non esse prolis generationem, vel alios fines non esse fini primario subordinatos, sed ab eo independentes. Ut finis saltem aeque primarius ab eis assignatur coniugum per omnimodam vitae actionisque communionem complementum ac personalis perfectio; mutuus amor atque unio fovenda ac perficienda per physicam et somaticam propriae personae traditionem et alia huiusmodi. Haec sententia a Sancto Officio damnata fuit die 1 aprilis 1944.

4.ª *Nostra sententia.* Nos affirmamus *in prima parte* matrimonium in facto esse esse *societatem naturalem,* proinde: a) *ipsam naturam humanam imperanter inclinare hominem* ad hanc societatem efformandam, ita ut verum praeceptum imposuerit generi humano collective sumpto, non vero singulis hominibus, sese propagandi mediante generatione in societate coniugali; b) matrimonium esse talem societatem ut ab *ipsa natura determinentur* in concreto finis essentialis eiusdem, media necessaria ad illum finem consequendum, iura et officia quae ex vinculo matrimoniali oriuntur, proprietates denique eiusdem, ita ut haec omnia non proveniant ex libera conventione contrahentium, sed ab ipsa lege naturali.

In secunda parte determinamus quinam sit *finis primarius* matrimonii, eumque dicimus duabus partibus constare, generatione scilicet prolis et educatione eiusdem; educatio prolis est complementum naturale generationis ita ut generatio et educatio prolis ut unum quid considerari debeant.

In tertia parte dicimus esse etiam alios fines ab ipsa natura intentos in matrimonio, sed modo secundario et ad finem primarium ordinatos, quos fines complectimur nomine generico mutui coniugum adiutorii, quo nomine maxime intelliguntur remedium concupiscentiae,et complementum in facultatibus physicis, psychologicis et moralibus.

Probatur. 1.ª et 2.ª Pars: Matrim. est soc. natur. cuius finis primarius est generatio et educatio prolis.

928. *Eodem argumento utrumque simul probatur.*

Illa societas est naturalis quae necessaria est ad obtinen-

[1] *Von Sinn und Zweck der Ehe* (Breslau 1935); cf. refutationem: BOIGELOT, *Du sens et la fin du mariage:* NouvRevTh 38 (1938) 5-38.513-550.

[2] *Die Zweckfrage der Ehe in Neuer Beleuchtung* (Einsiedebun 1941); cf. refutationem: CARPENTIER, *Les fins du mariage:* NouvRevTh 67,2 (1945) 230-234.

dos fines ab ipsa natura intentos, modo ab ipsa determinato. *Atqui* generatio prolis et conveniens educatio ipsius: 1) sunt fines ab ipsa natura intenti, 2) ac nequeunt haberi, modo a natura determinato sine matrimonio. *Ergo* matrimonium est societas naturalis.

Mai.: Qui vult finem vult media necessaria ad illum obtinendum.

Min.: 1) GENERATIO ET EDUCATIO PROLIS EXIGUNTUR AB IPSA NATURA. Illud a natura aliqua exigi dicendum est, ad quod adest in natura aptitudo, tendentia specifica, atque maxima inclinatio. *Atqui* in natura humana adest aptitudo, tendentia specifica, atque vehemens inclinatio ad generationem prolis, atque ad convenientem educationem ipsius. *Ergo* generatio prolis atque educatio ipsius sunt fines a natura intenti in natura humana.

Haec mai.: Nam *aptitudo* a natura datur propter effectum aliquem obtinendum; ille ergo erit effectus naturalis obtinendus ad quem datur in natura aptitudo per se et universaliter; *tendentiae specificae* similiter ponuntur propter finem specificum obtinendum; atque *inclinatio vehemens et universalis* indicat naturam inclinare in illam rem.

Haec min.: *a)* Adest *aptitudo ad prolem generandam*: constat ex correlativa viri et mulieris structura physiologica; illa differentiatio physiologica sexuum nullam aliam rationem habere potest. Ad *prolem educandam* adest aptitudo in matre ad lactandum et curandum infantem, in patre vero aptus vigor ad regendum puberem, in utroque vero amor specialis.

b) Adest *tendentia specifica ad prolem generandam*, et *vehemens inclinatio* in ipsam: constat experientia ex maximo incitamento animali, tam in viro quam in femina, ad actum copulativum generationis cum rationali desiderio habendi prolem tamquam fructum mutui amoris; ad *prolem educandam* apparet tendentia et inclinatio in connaturali amore et ambitione parentum ut sua proles instruatur meliori modo possibili, ut recte evolvatur in sua vita physica, intellectuali et morali.

2) HOC NEQUIT HABERI MODO DETERMINATO A NATURA NISI IN MATRIMONIO. a) *Secura et decens propagatio* generis humani exigit matrimonium, nam ad vitam humanam propagandam est necessaria in primis coniunctio sexuum; at non sufficit quaelibet coniunctio per vagum commercium carnale, aut per unionem transitoriam vel per meretricium; sed necessaria est stabilis coniunctio, seu societas inter virum et mulierem, ut generatio fiat modo securo, convenienti, humano generi non pernicioso. Nam libido hominis debet regulari non instinctu, sicut in brutis, sed ratione. Unde opus est aliqua norma

obiectiva, stabili, clara, quam societas coniugalis praebet relate ad relationes sexuales. Praeterea promiscuitas mulierem degradat, morbos spargit, ac sterilitatem affert.

b) *Conveniens educatio prolis* exigit matrimonium. Nam educatio est complementum necessarium generationis et continuatio ipsius. Ad tuendam hanc prolis evolutionem non sufficit mater, sed requiritur mutua collaboratio matris et patris, constans sollicitudo parentum, ita ut amore, vigilantia, protectione puerum circumdent.

Cum autem educatio per multos annos protrahatur et requirat concursum patris certi et determinati, necessaria est stabilis unio inter virum et mulierem, nempe societas coniugalis, in qua uterque genitor modo proprio et connaturali concurrit ad providentiam familiarem constituendam.

3.ª Pars: Finis secundarius matr. est mutuum coniugum adiutorium.

929. Ille est finis naturalis secundarius matrimonii qui ab ipsa natura intenditur, sed ratione finis primarii. *Atqui* adiutorium mutuum coniugum ab ipsa natura intenditur, sed ratione finis primarii. *Ergo* mutuum adiutorium est finis naturalis, sed secundarius, matrimonii.

Mai.: Ex definitione finis naturalis secundarii.

Min.: Ratione finis primarii; nam ratione prolis, tum procreandae, tum educandae, vir et mulier se complent; hoc mutuum adiutorium seu complementum in matrimonio, si comparetur cum generatione et educatione prolis, est finis secundarius.

Est tamen *finis naturalis*. Nam naturaliter homo aptatur et tendit ad complementum ipsius; iam vero vir et mulier mutuo se complent, sive physice sive psychologice, sive moraliter. a) *Physice*: eo quod procreatio prolis exigat coniunctionem sexuum; ex hac autem necessitate nascitur et enutritur mutua inclinatio inter virum et mulierem, quae ad integram et mutuam possessionem tendit. Inde enascitur communitas coniugalis; ex usu vero vitae coniugalis nutritur mutuus amor.

b) *Psychologice*: mutua enim sexuum correlatio non est solum in characteribus physicis sed praesertim in psychologicis. Mulier indiget robore, virtute, potentia viri, etiam ad propriam suam efformationem moralem, sicut vir indiget suavitate et patientia mulieris. Magis adhuc quam in ordine physico, in ordine morali vir et mulier efformant aliquam socie-

tatem inaequalem ad quam unusquisque proprias qualitates affert ad bonum commune.

c) *Moraliter*: nam eo quod mutuo se adiuvant ad complementum characteris et personalitatis, se adiuvant etiam in his quae sunt propriae personae, i.e. in tendentia morali ad proprium ultimum finem. In matrimonio habetur etiam remedium normale et ordinatum concupiscentiae venereorum, ad quae maxime tendit natura humana (cf. *Casti Connubii* n.18).

Scholion. 1. De malitia luxuriae. Stat in eo quod detur usus venereorum contra finem a natura determinatum; finis enim venereorum est generatio prolis; ergo quilibet usus venereorum contra generationem prolis est vitiosus. Debitus ordo in generatione prolis, est ut fiat in societate coniugali et quidem stabili, ex dispositione naturae; quidquid sit contra hanc dispositionem est contra rectam rationem.

Si generatio prolis in usu venereorum reddatur impossibilis, obiective erit gravius peccatum, et dicetur contra naturam; *subiective* illa erunt graviora peccata, quae culpabiliter subiectum debilius reddant, imperium rationis in potentias inferiores magis minuant, exigentias concupiscentiae augeant, et in subiecto habitudines simul physicas et psychologicas imprimant.

930. 2. De caelibatu. Ex dictis videri poterit matrimonium omnibus per se necessarium esse, ac proinde caelibatum esse contra naturam. Sed praeceptum naturale de matrimonio ineundo implicat necessitatem specificam, non vero individuam. Unde caelibatus non modo non prohibetur lege naturali, sed e contra propter motiva superiora, maxime propter motiva religiosa susceptus, et voto consecratus, est status perfectior quam status coniugalis [3].

CAELIBATUS IMPUGNARI SOLET duobus potissimum capitibus. 1) *Alii illum existimant originem infirmitatum* sive corporis sive animae, cum vim inferat ipsi naturae humanae, quae hoc modo sese vindicat. Rationes vero quibus hoc probare contendunt sunt omnino inanes. Falso enim asseritur caelibatum, cum completam abstinentiam a vita sexuali supponat, impossibilem esse ac periculum inducere relate ad sanitatem. Usus namque venereorum, ut experientia et testimonio maximorum medicorum constat, non est necessarius neque ad arcenda pericula mortis, neque ad reficiendas vires; functio enim sexualis est aptitudo, non vero necessitas aut indigentia naturae, neque continentiae sexuali tribuendae sunt neurasteniae sexuales et psychasteniae. Nam inter illos, qui perfectam castitatem profitentur, vita longaeva et sana invenitur; ac sanitas et tranquillitas animae non modo non promovetur vita sexuali, sed e contra; maxima pars eorum, qui ante omnes ad progressum intellectualem et moralem humanum contulere, perfecte continentes fuerunt.

[3] Cf. BALMES, *Reflexiones sobre el celibato del clero católico: Obras completas:* BAC 5, 655-674; *El protestantismo comparado con el catolicismo* c.26: BAC 4, 258-277; PAYEN, *Deontología médica* n.287ss.

PIUS XI, *Casti connubii* n.21ss; MACKSEY, *Ethica* p.444s; ELTER, *Comp. Phil. Moral.* p.161ss; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.3. *La Famille* p.104-123.203-219; LAVAUD, *El mundo moderno y el matrimonio cristiano* p.225-260.

2) *Alii caelibatum damnant propter motiva patriotica et socialia.* Neque minus inanis est haec obiectio. Deficiens enim procreatio infantium provenit non tam ex defectu matrimoniorum, quam ex malo usu matrimonii inter coniuges. Neque nos quemlibet caelibatum laudamus; duplex enim distinguendus est; alter, quem quis propter motiva altiora, maxime religiosa, amplectitur, alter vero qui suscipitur, ut onera matrimonii fugiantur et liberius cupiditatibus frena laxentur; hic postremus omnino detestabilis est.

Bonum praeterea commune non postulat maximum numerum individuorum speciei humanae, sed maximam eorum perfectionem. Per actuationem vero potentiae generativae in omnibus civibus obtineretur utique primum, non vero secundum[4].

§ 2. De proprietatibus matrimonii

Thesis 50. Matrimonium iure naturae unum (I) atque indissolubile esse debet (II).

Pius XI, *Casti connubii* n.21ss; Macksey, *Ethica* p.444s; Elter, *Comp. Phil. Mor.* p.161ss; Leclercq, *Leçons de droit naturel* v.3; *La Famille* p.104. 123,203-219; Lavaud, *El mundo moderno y el matrimonio cristiano* p.225-260.

931. Nexus. Vidimus matrimonium esse institutionem ab ipsa natura intentam. Huiusmodi vero institutio naturalis ab ipsa etiam natura determinatis insignitur proprietatibus essentialibus, inter quas duae praecipue numerantur, nempe unitas et indissolubilitas, de quibus nunc agere debemus.

932. Notiones. Unitas matrimonii. Consistit in hoc quod haec societas efformetur *simul* inter unum tantum virum et unam tantum feminam. Dicimus simul, nam nulla est difficultas in eo quod, mortua una comparte, novus contractus matrimonialis inter partem superstitem et aliam partem efformetur. Haec unitas matrimonialis vocatur etiam *monogamia.*

Unitati opponitur *polygamia,* quae vinculo matrimoniali plures personas quam duo diversi sexus in ordine ad prolis generationem stabiliter inter se coniungit.

Polygamia dividitur in *polyandriam* et *polyginiam.* Polyandria est simultanea coniunctio maritalis unius feminae cum pluribus viris; polyginia vero est simultanea coniunctio unius viri cum pluribus uxoribus.

933. Indissolubilitas matrimonii: dicit negationem potentiae ad solutionem. Solutio autem matrimonii vocatur divortium.

Divortium in genere dicit separationem coniugum. Du-

[4] Cf. Elter, *Compendium Philosophiae Moralis* p.155ss; Leclercq, *Leçons de droit naturel* v.3 c.2 p.30-42; c.3 p.125ss.

plex vero distinguitur: a) *Imperfectum* seu improprie dictum, quod est separatio coniugum quoad torum et cohabitationem, ita tamen ut vinculum matrimoniale remaneat, sine tentamine novas nuptias ineundi; quae separatio licita est propter graves causas.

b) *Perfectum* seu proprie dictum, quod ipsum vinculum matrimoniale solvit ac tribuit ius ad novas nuptias ineundas. Ubi hoc divortium perfectum legaliter agnoscitur, per sententiam iudicialem pronuntiatur huiusmodi separatio coniugum et civilis facultas conceditur ad novum matrimonium contrahendum.

934. Ius naturale. Hoc nomine illa praecepta legis naturalis intelliguntur, de quibus egimus n.454. Praeceptum de unitate atque indissolubilitate omnimoda matrimonii in praeceptis tertiae classis includitur.

Aliquid vero iuri naturali opponi potest, vel assecutionem finis alicuius naturalis omnino impediendo, vel illum solummodo difficiliorem vel minus decentem reddendo.

935. Status quaestionis. Duplex quaestio agitatur in thesi, nempe utrum societas matrimonialis semper debeat esse monogama, et utrum ita indissolubilis ut nunquam possit perfecte disolvi.

936. Sententiae. 1.ª *Contra unitatem matrimonii* vix sunt qui *theoretice* dissentiant si scholam sociologicam et evolutionistam excipiamus, quae admittit utrumque esse naturale et legitimum, sive matrimonium monogamum, sive diversas species polygamiae. *Practice* tamen innumeri sunt qui commercium carnale habent cum diversis mulieribus praeter propriam.

2.ª *Contra indissolubilitatem matrimonii* insurgunt plurimi et theoretice et practice. Inter *acatholicos* fere unanimiter defenditur legitimitas divortii, sive modo illimitato, sive limitato seu cum aliquibus restrictionibus, v.c. in casu quo una pars in vinculis perpetuis inveniatur,in casu adulterii, in casu impotentiae vel sterilitatis... Fere in omnibus nationibus legaliter statuta est liceitas eiusdem in quibusdam circumstantiis [5].

[5] Cf. Pius XI, *Casti connubii* n.53; Oddone, A., *Divorzio limitato?:* CivCatt (1947, 1) 106-115. Vide statisticas divortiorum in mundo apud Azpiazu, *Fundamentos de sociología* p.81ss; Ros Jimeno, *Estudios demográficos* (C.S.I.C., Inst. Balmes, Madrid 1945); Arconada, F. M., *El divorcio en Estados Unidos:* Ciudad de Dios 161 (1949) 331-345.

Recenter aliqui acatholici *aparenter* ad salvandam indissolubilitatem matri-

3.ª *Nostra sententia.* 1. Nos ut omnino certum defendimus in *prima parte* matrimonium debere esse monogamum. Catholici omnes unitatem matrimonii ex lege naturae defendunt, licet uno vel alio modo explicent polygamiam esse contra legem naturalem.

Pariter in *secunda parte* ut certum defendimus matrimonium esse prorsus indissolubile, si de divortio perfecto agatur. Catholici omnes indissolubilitatem matrimonii defendunt, diversis tamen rationibus; *a*) aliqui cum BELLARMINO existimant strictam indissolubilitatem ex iure naturali solo lumine rationis demonstrari non posse; *b*) alii existimant matrimonium, accedente licentia divina, solvi posse; *c*) alii denique credunt ex sola ratione naturali argumentis vere sed solum moraliter probativis demonstrari. Nos defendimus etiam sola ratione naturali probari divortium perfectum esse contra legem naturalem.

Probatur. 1.ª Pars: Matrimonium iure naturae debet esse unum.

937. *Ex fine primario matrimonii.*

Matrimonium ex natura sua tale esse debet, quale requiritur ad finem primarium eiusdem obtinendum. *Atqui* ad obtinendum finem primarium matrimonii requiritur ut sit unum. *Ergo* matrimonium iure naturae unum esse debet.

Mai.: Secus natura non efficaciter vellet finem primarium.

Min.: Ad primarium finem matrimonii, qui est procreatio et conveniens educatio prolis, requiritur non solum copulatio coniugum in actu generationis sed praeterea intima unio utriusque in opere educationis. *Atqui* haec intima unio in opere educationis per se dari non potest nisi in matrimonio uno. *Ergo* ad finem primarium matrimonii obtinendum requiritur ut illud sit unum.

Polyandria directe et immediate opponitur fini primario matrimonii, quatenus difficilem reddit procreationem, cum mulier plerumque sterilis reddatur; et praecipue quia educatio puerorum redditur impossibilis, cum pater maneat incertus.

938. Scholion. De aliquibus factis ex vetere testamento. Monogamia ex dictis a lege naturali requiritur, maxime ex eo quod

monii simulque ad illud ab omnibus malis ab eadem provenientibus ex defectu cognitionis liberandum; *realiter* vero ad turpissima vitia legitimanda proponunt aliquas diversas formas praeparatorias matrimonii, v.c. sic vocatum matrimonium ad tempus, matrimonium amicale, matrimonium ad probationem... Cf. de iis omnibus PIUS XI, *Casti connubii* n.32; LAVAUD, *o.c.* p.233ss.

secus educatio prolis non convenienter obtineretur; haec vero ratio, quae, si solum consideremus ordinem causarum secundarum est apodictica, amittit suam vim si consideretur ille ordo in relatione ad causam primam; Deus potest mala, quae pro educatione filiorum ex matrimonio polygamo connaturaliter sequuntur, tollere vel saltem minuere speciali providentia, quo in casu—si per revelationem supernaturalem constet—, *mutata materia,* desineret esse matrimonium polygamum obiectum prohibitionis legis naturalis, ac consequenter polygamia non esset contra legem naturalem.

2.ª Pars: Matrimonium iure naturae indissolubile esse debet.

939. 1. *Ex fine primario et secundario matrimonii.*

Illud est contra ius naturale, quod adversatur fini primario et secundario matrimonii ac publicae moralitati. *Atqui* divortium perfectum fini primario et secundario matrimonii ac publicae moralitati adversatur. *Ergo* divortium perfectum est contra ius naturale, seu matrimonium debet esse indissolubile.

Mai.: Qui vult finem vult media necessaria ad illum obtinendum.

Min.: 1. FINI PRIMARIO: a) *Quoad procreationem prolis:* qui enim divortio perfecto possunt separari, incitantur ad voluntariam sterilitatem, quia prolem habent ut molestum impedimentum, libertatem ineundi novas nuptias restringens; quod abunde constat ex historia nationum, ubi divortium perfectum est permissum.

b) *Quoad educationem prolis*: haec etiam laeditur separatione filiorum vel a patre vel a matre, et sic tollitur simultanea cooperatio utriusque coniugis. Insuper scandalum huiusmodi separationis male animam puerorum afficit.

2. FINI SECUNDARIO: nam perniciosa incitamenta infidelitati coniugali suppeditat ob spem novi connubii; restringit mutuum amorem facilitate et metu separationis plus minusve probabilis; minuit abnegationem et patientiam in difficultatibus et devotionem erga familiam propter spem felicitatis in alio matrimonio inveniendae; denique discordias et suspiciones movet.

Praesertim relate ad uxorem divortium involvit specialem iniustitiam, quia eam relinquit defloratam, minus appetibilem; laedit dignitatem et officium mulieris, nam "in periculum coniiciuntur uxores ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur" (*Casti connubii* n.58).

940. 2. *Ex bono communi.*

Proprietates essentiales institutionis alicuius, cuius potissima ratio est bonum commune, rationibus ex bono communi deductis determinari debent. *Atqui* a) matrimonium institutum potissimum est pro bono communi, et *b*) nulla ratio ex bono communi deducta solubilitatem matrimonii postulat, plures vero plane exigunt ut matrimonium sit prorsus indissolubile. *Ergo* matrimonium ex ipsa natura omnino indissolubile est [6].

Mai.: Nam relate ad bonum commune illa institutio habet rationem medii; medium vero ex natura finis debet determinari.

Min.: *a*) Patet ex thesi praecedenti de fine primario matrimonii, nempe generatio prolis ac eiusdem educatio.

b) 1. *Nulla ratio postulat divortium perfectum.* Potissimae enim rationes essent. *a'*) Cum aliquis coniux *sterilis* esset, finem primarium matrimonii hoc modo impossibilem reddendo; sed ad bonum commune non est necessarium ut omnes omnino homines, vel aliqua persona determinata ad propagationem generis humani suis actibus conferat. *b'*) Vel in casu *iurgii perpetui* inter coniuges, cum damno educationis prolis; huic vero difficultati sufficienter occurritur cum divortio imperfecto.

2. *Plures rationes postulant indissolubilitatem* omnimodam. Hoc probatum fuit in argumento praecedenti.

941. *N. B.* Hoc secundo argumento bene excluduntur obiectiones quae possunt proponi, nam omnes desumuntur ex bono individui alicuius in particulari, contra rationes ex bono communi. Praeterea ad solutionem aliorum argumentorum stat liceitas divortii imperfecti, seu quoad separationem a vita communi.

Primum ergo argumentum potius probat matrimonium generatim esse indissolubile; secundum vero probat esse indissolubile pro omni casu [7].

942. Obiectiones. 1. Lex naturalis non urget cum finis naturalis fit impossibilis. *Atqui* finis naturalis interdum, nisi matrimonium possit dissolvi, fit impossibilis. *Ergo* interdum lex naturalis non vetat dissolutionem perfectam matrimonii.

Resp. Dist. mai.: cum finis praecepti deficit, *conc.;* cum finis matrimonii, *subd.:* si solum partialiter deficit, *neg.;* si totaliter, *subd.:* si in communi deficit, *conc.;* si solum in particulari, *neg.*

Explico. Finis praecepti matrimonii est in genere bonum generis humani; quando finis matrimonii partialiter tantum est impossibilis, manet secundum alteram partem possibilis, et proinde bonum commune secundum aliquid est possibile, et urget praeceptum. Quod-

---

[6] Cf. Elter, *Comp. Phil. mor.* p.168.

[7] Cf. Lavaud, *El mundo moderno y el matrimonio cristiano* p.235ss.

si totaliter finis matrimonii esset impossibilis, et quidem in communi et per se, certe per se deficeret ratio boni communis, et non amplius urgeret praeceptum. Si vero non in communi, sed tantum vel in hoc vel in illo casu particulari—proinde per accidens—, cum possibilis sit finis in ceteris seu per se, manet ratio boni communis et urget praeceptum. Iam vero interdum impossibilis est generatio prolis, at non per se et in communi, sed per accidens et in casibus particularibus, manente etiam tunc possibilitate alterius rationis finalis in compensatione specifica vitae communis.

Interdum autem et compensatio illa impossibilis est, sed etiam tunc in particulari casu, et adhuc bonum commune obtinetur in aliis casibus, in quibus periclitaretur, si divortium non prohiberetur lege aliqua generali, et ab omni particulari casu secundum eandem legem excluderetur.

2. Plura mala sequuntur etiam contra bonum commune ex indissolubilitate matrimonii. *Ergo* ex hoc capite nihil probatur.

Resp. Dist. ant.: Plura quam sequerentur ex dissolubilitate ipsius etiam in casu particulari, *neg.;* plura, i.e. multa, *subd.:* per se et sine remedio aut compensatione, *neg.;* per accidens et cum remedio vel saltem compensatione, *conc.* Nam defectus prolis, immoralitas... quae ex non permisso divortio in aliquo casu particulari proveniant, sufficienter compensantur in generali securitate matrimonii.

3. Infidelitas carnalis in uno coniuge demit ius in ipso et fundamentum officii in altero. *Atqui* dempto iure in una parte et officio in altera, cessat iam matrimonium. *Ergo* per infidelitatem carnalem habetur divortium.

Resp. Dist. mai.: demit ius et omne fundamentum officii, *neg.;* fundamentum commutativum, *conc. Contrad. min.:* dempto iure et omni fundamento, *conc.;* dempto solo fundamento iustitiae commutativae, *subd.:* cessat matrimonium quoad urgentiam vitae communis et tori, *conc.;* quoad omne vinculum, *neg.* Nam fundamentum officii vinculi indissolubilis est praecipue bonum commune, quod non demitur actu iniusto compartis. Fundamentum officii ad vitam communem et torum est consensus ex utraque parte praestitus et fideliter observatus; infidelitate unius cessat hoc fundamentum et haberi potest divortium imperfectum; sed manet vinculum perpetuum propter fundamentum boni communis.

4. Matrimonium est contractus, et fit consensu. *Atqui* quod fit consensu, consensu potest etiam solvi. *Ergo* matrimonium consensu solvi potest.

Resp. Dist. mai.: est contractus conventionalis, *neg.;* naturalis, et fit consensu, *subd.:* quoad concretam existentiam matrimonii, *conc.;* quoad naturam vinculi et quoad proprietates ipsius, inter quas invenitur indissolubilitas, *neg. Contrad. min.*

5. Publica auctoritas habet potestatem solvendi contractus inter suos subditos, si sint contra bonum commune. *Atqui* interdum contractus matrimonialis potest esse contra bonum commune. *Ergo* publica auctoritas matrimonium interdum solvere potest.

Resp. Dist. mai: contractum qui per se sit contra bonum commune, *conc.;* qui per accidens, *subd.;* si possibilitas solutionis non afferret peiora mala contra bonum commune humani generis, *trans.;* si talis admissio peius malum operaretur, *neg. Contrad. min.*

6. Ex solubilitate matrimonii non sequerentur mala pro tota societate, si auctoritas publica solum in casibus gravissimis, et raro, divortium permitteret. *Atqui* hoc fieri potest. *Ergo* auctoritas publica quandoque potest divortium concedere, quin ulla mala sequantur pro tota societate.

Resp. Dist. mai.: si illi casus gravissimi et rari ex ipsa rei natura vel per normam obiectivam et claram essent accurate determinati, *conc.;* si semel admissa solubilitate, eiusdem norma obiectiva et clara non adest, sed determinatio penderet ab arbitrio hominum, *neg. Contrad. min.*

7. Lex naturalis nequit a Deo dispensari. *Atqui* Deus dispensavit, et dispensat quandoque in dissolubilitate matrimonii. *Ergo* matrimonium non est ex lege naturali indissolubile.

Resp. Dist. mai.: dispensatione propria, *conc.;* dispensatione impropria, i.e. mutando materiam legis, *neg. Contrad. min.*

Explico. Divortium non est absolute contra legem naturalem ex sua substantia, sed solum opponitur legi naturali propter periculum connaturaliter connexum cum illo, sive ex parte prolis, sive ex comparte. Deus autem, removendo illud periculum, facit ut illa actio non sit iam contra legem naturalem, nam obiectum est diversum (cf. dicta agentes de immutabilitate legis naturalis n.470).

Lex autem naturalis formaliter prohibet non materialem solutionem vinculi in matrimonio, sed illam solutionem, quae et quatenus vel in se vel in sua possibilitate damnum facit bono prolis, bono coniugum, aut bono generis humani. Hoc vero damnum solummodo Deus videt quandonam vitetur, ideoque ad Ipsum solum pertinet determinare quandonam matrimonium solvi possit (cf. Macksey, *Ethica* p.456ss).

ARTICULUS II

De societate familiari, seu parentali

Thesis 51. Societas coniugalis naturaliter se extendit in societatem familiarem (I), cuius finis est educatio filiorum (II) et in qua regimen per se ad patrem convenit (III).

943. Nexus. Societas coniugalis se extendit naturaliter in aliam societatem, quae exsurgit inter parentes et filios, cum fine etiam determinato ab ipsa natura. De hac societate aliqua volumus dicere.

944. Notiones. Societas coniugalis: ut antea definita est, n.920.

945. Societas familiaris: est unio moralis et stabilis quae exsistit inter filios et parentes in ordine ad perfectam educationem filiorum.

946. Educatio (sufficiat nunc definitio et notio generalis, cum de ipsa fusius nobis sit dicendum cum agamus de edu-

catione): est efformatio hominis ut sit talis qualis esse debet in ordine ad consecutionem finis ultimi eiusdem. Complectitur formationem physicam, intellectualem et moralem.

947. Status quaestionis. Thesis habet tres partes. *In prima* quaeritur utrum societas familiaris sit naturalis evolutio societatis coniugalis; *in secunda* qualis sit finis naturalis huiusmodi societatis familiaris; *in tertia* investigatur in quo debeat naturaliter et per se auctoritas in huiusmodi societate residere.

948. Sententiae. Non recensentur diversae nisi in secunda parte. De iis vero nolumus nunc quidquam dicere, cum postea agentes de feminismo ac de educatione enumerabuntur.

Tertia pars procedit in circumstantiis ordinariis; nam possunt dari adiuncta in quibus recta ratio aliud suadeat, cum nempe paterfamilias dotibus necessariis ad gubernandam familiam prorsus careat; hoc tamen erit per accidens, et in casibus exceptionalibus.

Probatur. 1.ª Pars: Soc. coniug. naturaliter se extendit in soc. familiarem.

Potius quam probatio est declaratio, cum de re tam evidenti agatur.

949. Societas coniugalis natura sua ordinatur ad generationem prolis; prole vero generata, eo ipso oritur parentalis societas. Cum vero societas familiaris constet duplici illa societate, nempe coniugali et parentali, manifestum est societatem coniugalem naturaliter sese evolvere in societatem familiarem.

2.ª Pars: Cuius finis est educatio filiorum.

950. Finis naturalis alicuius societatis naturalis dicendum est illud ad quod societas illa est necessaria atque ad illud obtinendum habet naturalem aptitudinem. *Atqui* societas familiaris est necessaria ad educationem filiorum, atque ad illam efficiendam familia habet naturalem aptitudinem. *Ergo* finis naturalis societatis coniugalis est educatio filiorum.

Mai.: Hoc pacto cognoscitur intentio naturae in omnibus rebus.

Min.: 1. *Necessitas* societatis familiaris ad educationem filiorum clare apparet, inspiciendo infantes nasci omni ex

parte indigentes auxilio aliorum. Iam vero si ipsa natura non obligasset certas personas ad huiusmodi auxilium infantibus praestandum, plerumque infantes illo auxilio carerent, maxime cum hoc diuturnas et molestas curas exigat. Aliae vero personae, praeter ipsos parentes, a natura ipsa non designantur.

2. *Aptitudo* parentum ad educationem clare constat ex amore parentum in filios, ex intima relatione cum ipsis, et ex naturali inclinatione filiorum ad quaerendum auxilium praecise ex suis parentibus.

3.ª Pars: Regimen familiae per se ad patrem convenit.

951. Regimen familiae illi per se convenire videtur, qui ex ipsa natura magis aptus ad illud exercendum apparet. *Atqui* paterfamilias per se ex ipsa natura magis aptus apparet ad illud exercendum quam mater. *Ergo* ex ipsa natura ex se regimen familiae ad patrem convenit.

Mai.: Per illam aptitudinem naturalem ad gubernandum natura sufficienter demonstrat quaenam persona esse debeat subiectum auctoritatis.

Min.: Paterfamilias ex se praeditus est maiori vi physica, potentiori intellectu, maiori robore in voluntate, quam mulier.

952. Scholion. De societate herili. 1. QUID SIT. Scholastici generatim considerant societatem herilem ut complementum naturale societatis familiaris[1], illamque definire solent ut *coniunctionem inter dominum et famulos, initam communis utilitatis gratia;* vel, ut facit CATHREIN, ut *coniunctionem duorum, quorum unus propriae utilitatis gratia ad alterius commodum operam suam ordinat.*

2. UTRUM SIT SOCIETAS NATURALIS. Hanc societatem sic definitam generatim scholastici credunt in indigentia ac necessitate naturali fundari, tam ex parte dominorum, quam ex parte famulorum.

3. QUIBUS CONDITIONIBUS. Ad hoc vero ut famuli societatem aliquam naturalem efforment requirere solent communiter auctores: *a)* ut famuli non ad quosdam et determinatos labores se obligent, sed generatim ad promovendum bonum societatis domesticae; *b)* ut dominus pariter obligationem suscipiat non solum victum, vestitum ac mercedem pactam illis tradendi, sed curandi praeterea eorum bonum temporale et spirituale.

Clare apparet iis conditionibus requisitis famulatum a contractu operis clare distingui.

4. PROBABILIUS TAMEN HAEC SOCIETAS NON EST NATURALIS. Argumenta ab auctoribus scholasticis allata ut probent hanc societatem herilem ab ipsa natura generatim intendi, non videntur magnam vim habere, nam ad finem naturae humanae famulatus non est ab-

[1] Cf. MEYER, *Institutiones iuris nat.* v.1 n410; CATHREIN, *Philos. Moralis* n.539; ELTER, *Comp. Phil. moralis* p.173ss.

solute necessarius, et solum remote in natura fundari videtur, sicuti aliae societates, quae libere omnino inter homines fundantur. Quod non obstat quominus famuli speciali modo cum familia coniungantur, etsi proprie non ut membra familiae sint habendi.

CAPUT III

De societate civili

953. Nexus. Societas familiaris naturaliter se evolvit in societatem civilem; familiae enim in aliquo loco congregatae naturaliter sese uniunt ad mutuam cooperationem ut finem communem suis actibus assequantur. Ideo postquam de societate naturali egimus, oportet ut de hac alia societate, etiam naturali, ut videbimus, aliqua dicamus.

Ordo vero tractatus hic erit: in primis originem societatis civilis et auctoritatis considerabimus, tam in abstracto quam in concreto; deinde finem eiusdem naturalem statuemus; denique considerabimus auctoritatem, quae est elementum necessarium in societate, examinando comprehensionem eiusdem obiectivam, diversos modos, quibus per derivationem possit acquiri, varias formas, quas in concreto possit induere, denique functiones diversas eiusdem.

ARTICULUS I

DE ORIGINE SOCIETATIS CIVILIS

§ 1. **De origine societatis civilis in abstracto**

Thesis 52. Inest homini naturalis inclinatio, illum moraliter cogens, ad societatem civilem efformandam.

LEO XIII, *Encyclicae: Diuturnum illud* (de auctoritate); *Immortale Dei* (de constitutione christiana Status); *Libertas* (de vera et falsa libertate); PIUS XII, *Summi Pontificatus* (de unitate, caritate, et iustitia inter homines); *Nuntium radiophonicum in festis natalicis,* a. 1944 (*De Democratia.*)

Ex aliis auctoribus S. THOMAS, 3 CG c.85; 1 q.96 a.4; *De regim. princ.* l.1 c.1; SUÁREZ, *De leg.* l.3 c.1 n.3; *Def. fidei* l.3 c.2; VAN DER AA, *Ethica* prop.117.138ss; MACKSEY, *Ethica* p.461ss; SCHIFFINI, *Ethica* v.2 p.307ss; GÜENECHEA, *Principia Iuris politici* v.1 p.55ss; LECLERCQ, *Leçon de droit naturel* v.2 *L'Etat ou la politique;* DONAT, *Ethica specialis* v.2 p.121ss; CATHREIN, *Filos. morale* v.2 p.491ss; BALMES, *El protestantismo comparado con el catolicismo* l.3 c.50; MONTAGNE, O. P., *Teoría del contrato social. Teoría del organismo social. Teoría del ser social,* versio hispana a Biesa (Madrid s.f.); VALTON, *Etat:* DTC 5,879-903; ITURRIOZ, *La sociedad y su reconstrucción* 10-65.

954. Notiones. 1. SOCIETAS CIVILIS (appellatur etiam *respublica, regnum, civitas, status*... et ut synonyma omnia indis-

tincte adhiberi possunt) *descriptive* definiri potest: *coetus perfectus plurimarum familiarum iuris fruendi et communis boni gratia sociatus.*

Nunc contenti sumus hac notione vulgari, quam omnes intelligunt, cum de societate civili loquuntur; alia enim definitio, magis stricta et philosophica, v.c. *Societas naturalis perfecta,* supponeret thesim probandam.

955. SOCIETAS CIVILIS POTEST CONSIDERARI: a) *in abstracto,* seu in specie et tunc importat solummodo illa quae necessaria sunt ad hanc speciem societatis habendam et ad distinctionem ipsius a qualibet alia specie societatis.

b) *In concreto* considerata intelligitur unio determinatarum familiarum, in determinato loco, sub determinata auctoritate...; verbo intelligitur societas prout exsistit a parte rei, v.c. Hispania, Gallia, Italia...

956. 2. INCLINATIO NATURALIS: tendentia impressa a Deo, auctore naturae, in ipso homine.

957. Status quaestionis. Agimus de Societate in abstracto, et volumus videre utrum homines naturaliter tendant ad hanc specificam societatem efformandam, modo a natura determinato.

958. Sententiae. 1.ª *Theoria contractus socialis.* Aliqui antiqui proposuerant iam metum et pactum mutuum inter homines initum ut originem adaequatam societatis civilis esse habendum [1]. Ut auctores tamen huiusmodi doctrinae merito habentur HOBBES et ROUSSEAU.

a) HOBBES (1588-1679) asserit omnem societatem civilem ab egoismo et a metu provenire. Status naturalis hominis, iuxta ipsum, est *antisocialis,* seu status belli omnium contra omnes; homo enim homini est lupus. In hoc statu naturali et primigenio omnia erant omnibus *negative communia;* quilibet habebat ius faciendi quidquid ipsi placuerit; hinc propter egoismum et particularium cupiditates oriebatur pugna continua omnia contra omnes. Impellente tunc metu homines ex hoc statu societatis transierunt mediante mutua conventione pacis, et sponte se subiecerunt alicui voluntati communi, seu regi [2].

b) ROUSSEAU (1712-1778) quoad substantiam repetit principia ab HOBBES proposita [3].

---

[1] G. MONTAGNE, *El contrato social,* p.5ss.

[2] Cf. BROCKDORFT, *La pensée et l'influence de Th. Hobbes: la guerre de tous contra tous dans la doctrine de Hobbes:* ArchPhil 12 c.2 p.31-40; MONTAGNE, *El contrato social* p.15-21.

[3] Cf. PRADERA, *Falsos dogmas: la bondad natural del hombre*: AcciónEsp 1 (1931) 113ss; MONTAGNE, *El contrato social* p.21-30.

Fundamentum doctrinae ROUSSEAU est ordinem socialem non a natura sed a conventione aliqua libera hominum derivari. Iuxta ipsum status hominis naturalis et primitivus non est antisocialis, sed *extrasocialis*.

In illo statu naturali primitivo homines vitam degebant *similem vitae belluarum*, in sylvis errantes, solivagi, a belluis sola perfectione organorum et aliqua libertate valde rudimentaria discriminabantur; carebant omnino ratione, loquela, regibus, iuribus, officiis, religione; solo ducebantur instinctu naturaliter bono. Contenti erant hac vita vegetativa et animali, et quidem valde feliciores inveniebantur, quam deinde in vita sociali.

Post longam vero periodum—quae per varia forte saecula protracta est—, secuta fuit alia periodus, in qua aliqua *evolutio facultatum* incepit haberi. Primum, vi facultatis se perficiendi et communicandi cum aliis hominibus, paulatim adinventa est loquela. Hoc ipso tempore seu stadio constitutae sunt familiae, sed sola vi instinctus et cum plena libertate tam ad efformandas quam ad disolvendas illas uniones familiares.

Huic statui incipientis moralitatis ac plenae libertatis, alius status successit, in quo homines artes invenerunt, industrias et diversas scientias excoluerunt, proprietatem acquisiverunt... Inde magna diversitas conditionum in hominibus enata est; qui enim antea fuerant aequales, nunc inaequales sunt; consequenter orta sunt dissidia.

Cum vero bella multiplicarentur et magna esset omnium confusio et perversio, homines, ne perirent, atque ut suam vitam conservarent, *contractum inierunt* de constituenda societate, in qua bona uniuscuiusque protegerentur, atque iura omnium defenderentur.

Huiusmodi autem societas ita constituta est ut unusquisque sibi, non vero aliis obediret. Id vero obtentum est propterea quod singuli omnibus simul sumptis, non tamen singulis sociis se tradit Unusquisque tantum de suo iure cedit, quantum ab aliis accipit. Sic amittitur libertas naturalis illimitata; acquiruntur tamen libertas civilis, per voluntatem generalem circumscripta, ac proprietas privata bonorum, quae non est nisi occupatio in sola vi, atque in titulo positivo innixa.

Addit etiam Rousseau a singulis sibi fuisse comparatum dominium seu libertatem civilem; nam obedientia legis est libertas, obedientia vero ex mero impulsu appetitus est servitus. Affirmaverat tamen Rousseau statum pristinum beatiorem fuisse, hominemque in illo natura sua bonum esse, et non nisi per societatem civilem fuisse depravatum.

Societas ergo civilis maximam in homine induxit mutationem, cum in illa moralitas succedat instinctui, libertas et iustitia naturalis commutentur cum libertate civili et cum bonorum proprietate, quae antea solo titulo possessionis fundabatur.

HOBBES ergo et ROUSSEAU conveniunt in affirmando homines in praesentem statum socialem transiisse absque inclinatione naturali ad efformandam societatem, per pactum omnino liberum; differunt autem in eo quod HOBBES statum

primitivum hominis asserat fuisse antisocialem, ROUSSEAU vero extrasocialem.

Aliqui auctores recentiores hanc doctrinam rousseaunianam circa originem societatis profitentur, quae etiam tamquam fundamentum inservit doctrinae liberali, quam non pauci nostris temporibus sequuntur.

2.ª *Theoria subiugationis per vim.* Aliqui auctores societatem civilem exortam fuisse existimant ex mero usu vel abusu vis physicae ex parte hominum potentium, qui sibi dominium supra alios arrogaverunt. Ita *anarchistae, evolutionistae, communistae,* quibus omnibus praeiverat SPINOZA.

3.ª *Theoria evolutionis.* Haec theoria—quae etiam organica appellari solet—, contrarium docet ac doctrina ROUSSEAU; nempe societatem civilem esse opus non alicuius contractus socialis, sed alicuius necessitatis absolutae. Societas civilis, iuxta hos, enascitur vi instinctus socialis naturae sensitivae, lege hereditatis per generationes transmissi, et necessitate fatali evoluti. Societas ergo civilis non est nisi organismus, evolutionis ope productus. Ita loquuntur *evolutionistae* omnes cum SPENCER, DARWIN; *positivistae* cum COMTE; ac *pantheistae* cum HEGEL.

4.ª *Theoria factorum historicorum.* Alii auctores inane iudicant causas societatis civilis quaerere, cum societas civilis non sit nisi aliquod factum historicum, et ut tale sit accipiendum.

5.ª *Nostra sententia.* Nos vero dicimus dari in homine inclinationem naturalem in societatem, quam talem esse dicimus, ut homo *morali necessitate* non autem physica neque absoluta illam sequatur.

Si igitur quaerimus, cur homines societatem civilem efforment, respondendum nobis est causam primam, radicalem eiusmodi facti esse ipsam naturam, ad hanc societatem civilem homines inclinantem; posita enim illa inclinatione naturali, homines—cum adiuncta materialia sint proxime disposita—, sponte omnino societatem civilem efformant iam in concreto, modo deinde declarando.

959. Probatur. *Ex characteribus inclinationis humanae in societatem civilem. In illam institutionem* dicendus est homo naturaliter inclinari necessitate aliqua morali in quam sponte, universaliter, vehementer et constanter impellitur. *Atqui* homo sponte, universaliter, vehementer et constanter

[4] Cf. MONTAGNE, *Teoría del organismo social.*

impellitur in vitam socialem, et quidem in societate civili degendam. *Ergo* homo habet naturalem inclinationem, moraliter eum obligantem, ad societatem civilem efformandam.

Mai.: Illa spontanea, universalis, vehemens et constans inclinatio nequit provenire nisi a natura, quae est unica causa tales characteres offerens; et per eam sufficienter manifestatur intentio naturae obtinendi illum effectum, in quem datur talis inclinatio iis characteribus ornata.

Min.: 1. Datur in homine *inclinatio* spontanea, universalis, vehemens et constans *in vitam socialem in genere*: ut apparet *ex amore* erga consimiles, quem quisque semper et connaturaliter habet; ex *facultate loquelae,* ex desiderio sese *communicandi,* quae omnia connaturaliter exigunt vitam socialem; nam sine illa solum inservirent ad tormentum animi insaciati.

2. *Intra societatem civilem.* Non sufficit homini societas mere familiaris, sed requiritur etiam societas civilis; quia homo connaturaliter quaerit: *a*) sufficientem *protectionem* in vita, in iuribus, et bonis suis; *b*) et sufficientem *perfectionem* facultatum suarum, quae extra societatem civilem nequeunt obtineri.

Sola enim familia subiecta est continuis periculis, ex parte elementorum, irrationalium, et hominum extraneorum; ac ordinarie carebit viribus ac mediis necessariis ad sese defendendum contra illa; quae media non inveniet nisi in stabili associatione inter plures familias et in efficaci cooperatione illarum sub una auctoritate, verbo in societate civili.

Pariter individua sola, vel paucae familiae non consociatae, nequeunt se evolvere digne, quoad culturam intellectualem, moralem, artisticam, oeconomicam, in diversis ordinibus vitae. Progressus enim in iis supponit conditiones, quae nequeunt dari in singulis familiis ex defectu sive subsidiorum, sive stimuli, sive instructionis; requiruntur v.c. scholae maxime superiores, industria, mercatura, viae communicationis, media lites solvendi ut detur pacifica cooperatio omnium familiarum; stimulus ad inventiones atque ad applicationem inventorum... In societate vero civili haec omnia dantur [5].

960. Confirmatur ex testimonio historico. Ethnologia enim nos docet hominem semper et ubique in societate civili degisse, licet in-

[5] GROPPO, G., *Orientamenti negli studio dell'origine naturelle della societá in S. Tomasso:* Salesianum 11 (1949) 575-587 non admittit vim probativam argumenti, et existimat rationem validam desumi debere vel ex individualitate, vel ex rationalitate naturae humanae vel ex personalitate. Rationes vero non probant.

terdum modo sat rudimentario, cuius facti ratio sufficiens non adesset, nisi detur inclinatio naturalis ad illam efformandam.

961. Doctrina Romanorum Pontificum circa hanc rem optime exponitur praecipue a LEONE XIII, Encyclica *Diuturnum* n.11; *Immortale* n.4; *Libertas* n.26; *Rerum novarum* n.37; a PIO XI, *Quadr. anno* n.47.

962. Scholion. De libertate physica in efformatione societatis. Etsi societas civilis necessitate morali ex natura hominum oriatur, tamen non tollitur libertas hominum in omnibus illis actibus quibus ad efformandam societatem conspirant. Homines enim reguntur generatim inclinationibus, quae suum effectum obtinent, salva tamen libertate physica singulorum.

Hoc clare patet agendo de matrimonio. Etsi enim homo morali necessitate in matrimonium inclinetur; non tollitur tamen libertas physica eiusdem ad matrimonium ineundum cum hac vel illa persona, hoc vel alio tempore, verbo circa illa omnia quae sunt contingentia in matrimonio aliquo concreto. Idem dicendum est agendo de societate civili.

963. Obiectiones. 1. Societas familiaris sufficienter saciat appetitum naturalem sociabilitatis in homine. *Ergo* non necessario requiritur societas civilis.

Resp. Neg. ant. Patet enim ex probatione societatem domesticam, etsi sit societas completa, non totaliter perficere hominem iuxta desiderium naturale eiusdem; neque perfecte hominem defendere contra iniustas inimicorum aggressiones.

2. Appetitus humanus tunc perfecte saciatur cum suam felicitatem invenit. *Atqui* homo propriam felicitatem invenit in societate familiari, et quidem melius quam in societate civili. *Ergo* societas familiaris sufficienter satiat appetitum naturalem sociabilitatis humanae.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: in vita familiari, quae habetur intra societatem civilem, *conc.;* extra societatem civilem, *neg.* Etsi enim in vita sociali multa plerumque mala et iniustitiae perpetrentur contra individua et familias, tamen mala quae extra societatem civilem eisdem individuis et familiis evenirent, essent longe maiora. Praeterea illa mala, quae in societate civili individua sufferre debent, non ex natura societatis civilis proveniunt, sed ex abusibus, qui in omni institutione adesse possunt.

3. Ex natura societatis civilis evenit, ut homo intra ipsam perdat suam libertatem et auctoritatibus socialibus sese subiiciat. *Atqui* amissio libertatis est maximum malum, quod homini evenire potest, quodque ipse naturaliter maxime abhorret. *Ergo* ex natura societatis evenit homini maximum malum a quo naturaliter ipse abhorret.

Resp. Dist. mai.: ita tamen ut cum amissione partiali suae libertatis acquirat innumera bona, quae illam amissionem longe compensent, *conc.;* absque tali compensatione, *neg. Contrad. min.* Homo utique naturaliter amat libertatem et independentiam, sed bene protectam, quae protectio extra societatem civilem non daretur.

4. Nequit dari inclinatio naturalis ad aliquid contrarium alteri naturali inclinationi hominis. *Atqui* in homine datur inclinatio naturalis ad quaerendam propriam utilitatem, cui inclinationi contra-

diceret inclinatio ad quaerendam utilitatem aliorum, seu communem, quae in societate civili debet adesse. *Ergo* non datur inclinatio naturalis ad efformandam societatem civilem.

Resp. Dist. mai.: quod sit re vera contrarium, *conc.;* quod solum apparenter, *neg. Contrad. min.* Quaerendo enim bonum commune, proprium bonum quis realiter quaerit, saltem in genere; etsi in aliquo casu particulari contrarium accidat; quod vero homo naturaliter quaerit est maior summa bonorum.

5. Ex dictis videtur societatem civilem tandem fundari in egoismo cum proveniat ex desiderio maioris utilitatis. *Atqui* hoc est contra ipsam naturam humanam. *Ergo* non datur inclinatio naturalis in societatem civilem.

Resp. Dist. mai.: in egoismo, i.e. in utilitate propria bene intellecta, *conc.;* in utilitate materiali, et deordinata, *neg. Contrad. min.* Non quilibet egoismus est pernitiosus, sed solum egoismus deordinatus.

6. Nequit esse naturalis tendentia contra quam potest quis laudabiliter agere. *Atqui* anachoretae laudabiliter contra tendentiam vivendi in societate civili egerunt, vivendo solitarie. *Ergo* non est naturalis tendentia hominis vivendi in societate civili.

Resp. Dist. mai.: si illa tendentia urgeret singulis hominibus distributive sumptis, et in quolibet momento vitae ad acquirendam perfectionem esset omnino necessaria, *conc.;* si urget hominibus collective sumptis, *subd.:* non possent omnes homines, *conc.;* non posset quis laudabiliter vivere extra societatem a primo momento vitae, *conc.;* postquam per aliquod tempus in societate civili vixit, ob speciales rationes, non posset laudabiliter vivere extra ipsam, *neg. Contrad. min.*

7. Homo naturaliter amat pacem et tranquillitatem. *Atqui* nequit dari pax et tranquillitas in societate civili cum in ea convivant homines natura, indole, ingenio, tendentiis diversis. *Ergo* nequit dari tendentia naturalis in homine ad societatem civilem.

Resp. Conc. mai. Neg. min.: Nam non obstante illa diversitate datur commune desiderium omnium mutuo sese adiuvandi; adest praeterea auctoritas ad conciliationem necessariam procurandam.

§ 2. De origine societatis civilis in concreto

Thesis 53. Unicum factum naturale et primigenium, cui ut causae efficienti proximae origo societatis civilis exorientis tribui potest, est consensus tacitus vel expressus sociorum, saltem indirectus, tendens ad constitutionem societatis.

SUÁREZ, *De leg.* 1.3 c.2; *Defens. fidei* 1.3 c.2; BELLARMINO, *De laicis* c.5; GÜENECHEA, *Principia iuris politici* v.1 p.66ss; VAN DER AA, *Ethica* prop.140ss; MACKSEY, *Ethica* p.47ss; CATRHEIN, *Phil. moralis* p.389ss; *Philos. morale* v.2 p.515ss; R. DE YURRE, G., *Lecciones de filosofía social* (Vitoria 1949) p.110-138.

964. Nexus. Thesi praecedenti causam societatis civilis in abstracto consideravimus. Nunc agere volumus de societate in *concreto,* et volumus investigare, cuinam causae proximae tribuenda sit exsistentia concreta societatis civilis alicuius.

965. Notiones. SOCIETAS CIVILIS. Cf. n.954-955, ibi etiam dicitur quid sit societas in abstracto et in concreto.

966. CAUSA EFFICIENS: est principium per se extrinsecum actione sua influens esse in alio, seu dans esse alicui rei.

967. UNICA: quae ita est causa alicuius rei—in casu societatis civilis—ut solum mediante ipsa societas civilis haberi possit.

968. PROXIMA: illa ex qua immediate oritur societas civilis concreta.

969. SOCIETATIS EXORIENTIS: agitur enim de ipsa primigenia efformatione societatis, seu de eiusdem constitutione, non vero de conservatione.

970. CONSENSUS: *in genere* est actus voluntatis aliquid acceptans; *in casu* vero acceptans omnia iura et officia necessaria, quibus multitudo iure constituitur vera societas civilis, in sensu antea definito.

CONSENSUS POTEST ESSE: a) *liber* vel *necessarius* prout a voluntate non necessitante ad unum proveniat vel secus. *Necessarius* vero potest esse vel *physice* vel *moraliter*, prout illa necessitas sit ordinis physici vel moralis.

b) *Expressus*: si explicite verbis, scripto vel quolibet alio signo externo manifestatur; *tacitus*: si talibus actionibus aut omissionibus ponitur ut iure accipi possit ut consensui explicito aequivalens.

c) *Directus*: si directe tendit ad societatem ipsam constituendam; *indirectus*: si directe tendit ad aliam rem quae praesupponit iam ipsam societatem, v.c. ad auctoritatem socialem designandam.

d) *Simultaneus*: si ab omnibus sociis simul ponitur; *successivus*: si diversis temporibus, usque dum habeatur sufficiens numerus illorum, qui illum praestiterunt, ad efformandam societatem. Ad hoc requiritur ut saltem maior pars illorum qui ibi commorantur consensum praestent.

971. Status quaestionis. 1. Quaestio investiganda est simplex: quaenam sit causa, quae proxime reducat ad actum radicalem sociabilitatem in natura humana a Deo insitam, ad hoc ut homines ex socialibus, transeant in sociatos, seu in societatem concretam.

2. Ad dilucidationem quaestionis *duplex elementum so-*

cietatis civilis bene distinguendum est: *materiale*, seu pluralitas sociorum inter se aliquo modo coadunatorum; *formale*, seu vinculum iuridicum inter ipsos exsistens, seu unio moralis consistens in quibusdam iuribus et officiis peculiaribus iustitiae legalis.

Hoc vinculum iuridicum efflorescit ex lege naturali et ex quodam facto historico contingente, quo posito lex naturalis quaedam iura sociis concedit, vel certa officia correlativa eisdem imponit.

3. Non quaerimus causam proximam *elementi materialis* societatis seu non investigamus factum, quod homines vel familias diversas in aliquo loco coadunaverit. Hoc potius ad historiam quam ad philosophiam pertinet. Sed multitudo aliqua simul vivere potest absque ullo vinculo iuridico, mere coexsistendo, vel ligata solis vinculis caritatis, aut iustitiae commutativae, non vero iustitiae legalis.

4. Quaestio reducitur ad investigationem illius facti historici, contingentis, quo posito coetus familiarum et personarum in quodam territorio degentium, incipiunt constituere societatem civilem determinatam, diversa ab aliis societatibus civilibus; seu aliis verbis quaeritur a quo proxime proveniat illud vinculum iuridicum, quo plures determinatae familiae teneantur in finem communem cooperari.

972. Sententiae. 1.ª THEORIA SUCCESSIVAE AGGREGATIONIS, quam uno vel alio modo tenent: *a*) *fatalistae, socialistae, pantheistae, evolucionistae...*; ii omnes negant influxum humanae libertatis in constitutionem societatis civilis; nam iuxta ipsos ortus historicus omnium societatum earumque conservatio et operatio, non est nisi concatenatio causarum necessariarum invicem inter se dependentium. Societas civilis enascitur et evolvitur fatali evolutione, necessario, vi causarum naturalium.

b) FOUILLÉE aliique originem societatis civilis explicant per meram successivam et independentem coacervationem familiarum, ad fines ordinis privati effectam; in qua multitudine, vi legis naturalis, universalis, et constantis, dominatum usurpat et exercet ille, qui ceteris dotibus personalibus, ingenio, divitiis, viribus... praestat. Is a nullo superiore dependet, ceteri vero eidem sponte se subiiciunt. Inde habemus multitudinem determinatae auctoritati subiectam in certo territorio, aliis verbis habemus societatem civilem.

c) HALLER sustinet similem sententiam. Dicit enim so-

cietatem civilem: 1) non esse nisi summam relationum privatarum mutui servitii et associationis naturalis; 2) nullum habere finem naturalem sibi proprium; 3) ortum denique habere in relationibus privatis, quae eiusdem naturae sunt ac illae quae intercedunt inter possessores fundorum et servos eorum, inter magistros et discipulos; dominum, qua talem, ait esse omnino independentem.

973. 2.ª THEORIA PACTI SOCIALIS PUFENDORF. In hac sententia cives, qui concipiuntur aequales, hoc triplici gressu ad formationem societatis perveniunt: *a*) ineunt *pactum unionis*, quo statuunt singulos cum reliquis omnibus coire in coetum perpetuum propter bonum commune; *b*) deinde faciunt *decretum de forma regiminis constituenda; c*) tandem ineunt *pactum subiectionis* cum illo vel illis quibus suprema potestas confertur, quo pacto ii se obligant ad societatem bene gerendam, cives vero ad obedientiam in ordine ad bonum commune. Supponit PUFENDORF: *a*) hoc pactum *expresse semper* esse faciendum; deinde a singulis esse acceptandum, ita ut si quis illud non acceptet, suam naturalem libertatem retineat, etiam si in territorio huius societatis maneat ac commodis et protectione societatis fruatur; *b*) ipsum pactum esse veram et *adaequatam causam* ipsius vinculi iuridici socialis.

974. 3.ª THEORIA HISTORICO-NATURALIS: *a*) omnes scholastici sunt concordes in assignanda causa *remota* societatis civilis in concreto, quae est natura humana, seu Deus auctor naturae. Cum vero agitur de assignanda causa *proxima*, in diversas abeunt sententias.

b) Plures recentiores scholastici tuentur theoriam quam vocant *historico-naturalem*, vel factorum historicorum associativorum, quibus exsistentibus, eo ipso, necessario societas civilis enascitur, velint nolint homines illam constituere. Homines solummodo liberi sunt in ponendis illis factis associativis, ad quod utique requiritur eius libera voluntas vel consensus; illis tamen semel positis, illico et sponte exsurgit societas civilis, quin ad hoc requiratur ullus consensus, neque tacitus, neque indirectus sociorum in societatem civilem efformandam.

c) *Praecipua facta associativa* ab ipsis assignata sunt: origo ex eodem stipite familiari; convictus in eodem loco, in eodem territorio sub domino aliquo territoriali; bellum defen-

sivum; aliquando, in defectu praecedentium factorum, consensus sociorum [1].

d) *Iuxta hos ergo auctores*: 1) Consensus sociorum praecise ad societatem efformandam *non semper requiritur;* nam aliquando circumstantiae, et tota conditio socialis alicuius personae sunt tales, ut absque illo societas civilis efformata habeatur, et auctoritas in aliqua determinata persona resideat, vi ipsius legis naturalis simul cum illis circumstantiis. 2) *Aliquando etiam contra consensum sociorum*, vi legis naturalis, oriri potest societas civilis perfecta. 3) Consensus hominum requiritur tantum *ad illa facta associativa* materialia, v.c. cohabitationis in tali loco... ponenda [2].

e) Hanc sententiam quam optime exposuit et perfecit TAPARELLI sequuntur multi auctores recentes: SCHIFFINI, LIBERATORE, MEYER, CATHREIN, DONAT, NIVARD, FERRETI, PESCH, GINEBRA...

975. 4.ª *Nostra sententia.* Nos vero ut longe probabilius contra tertiam sententiam, et ut certum contra secundam et primam defendimus consensum sociorum, qui tendat praecise ad ipsam societatem civilem efformandam, seu ad vinculum iuridicum sociale, ita prorsus requiri, ut sine illo nullo modo possit in nulla circumstantia naturaliter efformari societas civilis. Reliqua alia ad summum occasio esse possunt ut hic consensus praestetur.

Consensus vero quem requirimus est minimus, nam potest esse sive explicitus sive tacitus, sive directus sive indirectus, sive simultaneus sive successivus; ipse tamen non est fons iurium et officiorum ad mentem ROUSSEAU, neque implicat aliquem actum privatum, quo iura privatorum in congeriem aliquam coacerventur, ex quo auctoritas efflorescat; sed est factum naturale, ex quo et simul ex lege naturali, in multitudine hoc modo coadunata iura et officia societatis civilis determinatae profluunt.

Hanc sententiam unanimiter sustinent auctores scholastici usque ad saec. XIX; hanc etiam defendunt multi scholastici posteriores et etiam nostris diebus, v.c. BALMES, MENDIVE, COSTA-ROSSETTI, VAN DER AA, MACKSEY, MARCELLUS A PUERO JESU, LLOVERA, BILLOT, MÁRQUEZ, GÜENECHEA, LECLERCQ, VALENSIN, MESSINEO, SCHWALM...

[1] Cf. LIBERATORE, *Ethica* p.243-245; TAPARELLI, *Ensaya de derecho natural* v.1 n.511-528.
[2] Cf. CATHREIN, *Phil. mor.* n.582.587.

976. Probatur. *Illud dicendum* est causa efficiens proxima societatis civilis, quod proxime multas familias inter se uniat, non quidem unione quacumque caritatis vel iustitiae commutativae, neque solum transitorie sed in unionem stabilem tendentiae communis in bonum commune. *Atqui* causa talis unionis: 1) nullum aliud factum naturale excogitari potest praeter consensum sociorum supra descriptum; 2) consensus vero illum characterem habet; 3) atque historiae testimonio non modo non est contrarius, sed e contra omnino conformis. *Ergo* consensus sociorum tacitus vel expressus, explicitus vel implicitus est unicum factum naturale, cui tamquam causae proximae efficienti societatis origo tribuenda est.

Mai.: Patet ex ipso conceptu societatis civilis.

Min.: 1. PRAETER CONSENSUM NULLUM ALIUD FACTUM HABETUR: a) *Non communitas originis,* seu cognatio, quia haec est fundamentum mutuae pietatis et specialis amoris, tendit in bonum particulare, non vero in vinculum sociale publicum, neque pro fine habet bonum commune qua tale. Ideo obligationes et iura, quae ex cognatione oriuntur, sunt diversa ab obligationibus et iuribus stricte socialibus, ac variant pro diverso gradu cognationis. Confunditur ergo in hac sententia natura societatis domesticae et civilis, quae tamen societates sunt specifice diversae.

b) *Non coexsistentia plurium vel vicinitas in aliquo loco,* etiam si adiungatur subiectio alicui domino territoriali: nam per coexsistentiam et a fortiori per vicinitatem habetur inter homines societas benevolentiae generalis, sed non societas civilis determinata et varia; est aliquid indeterminatum; nec vero adest essentialis mutatio, relate ad constitutionem societatis civilis, eo quod sint multi in territorio servientes sub aliquo domino, dominium enim fundat servitutem, sed non iurisdictionem, quae duo sunt essentialiter diversa; neque hinc deduci posset obligatio singulorum tendendi in bonum commune.

c) *Non coactio*: haec enim per se nullum ius fundat; et si sola invenitur est iniusta, neque ullam obligationem imponere potest. Aliquando potest adesse obligatio cedendi etiam coactioni iniustae et praestandi consensum, hoc vero ex coactione non per se sed per accidens oritur, sive ex collisione aliqua iurium.

d) *Non bellum defensivum*: consociatio enim ad bellum defensivum de se est solummodo transitoria, et bello finito de se cessat.

Haec facta possunt esse occasio ad hoc ut homines ex uno patriarcha descendentes, vel simul commorantes sub aliquo domino in aliquo territorio, vel uniti ad bellum defensivum consensum praestent in efformandam societatem; si vero talis consensus non praestetur, illa non sufficiunt ad efformationem societatis civilis.

2. CONSENSUS EST CAUSA EFFICIENS PROXIMA. Nam per illum habemus: a) *collectionem hominum* qui debeant tendere in bonum commune—qui praestiterunt consensum—; b) *media tendendi in illud*—quae sint necessaria—; c) *obligationem* in omnibus tendendi—oritur ex illo contractu—; d) *ius in reliquis exigendi* ab aliis collaborationem in bonum commune—oritur ex obligatione quam habent.

3. CONSENSUS EST TESTIMONIO HISTORIAE CONFORMIS. Repugnantia cum factis historicis nequit repeti: 1) *Nec ex silentio*: hoc argumentum valeret utique contra pactum quale statuitur a HOBBES, ROUSSEAU, PUFENDORF; nam ipsorum pactum tam solemne, tam contrarium naturae, omnia immutans, effectus tam magnos producens ut sunt iura, officia, moralitatem, silentio praeteriri non posset. Sed contra nos non valet, cum agatur de re omnino naturali, maxime necessaria, obvia, ad quam omnia ducunt, quin quidquam essentialiter mutetur; maxime cum non requiratur consensus explicitus, neque simul ponendus, neque necessario directus; haec enim ita ponuntur, ut vix quisquam ad illa attendat.

2) *Nec ex aliis factis*: facta enim historica, quae habentur, potius considerant causas occasionales, non vero ipsam causam efficientem societatum; huiusmodi vero causae non modo consensum ut unicam causam efficientem non negant, sed potius ipsum supponunt.

N. B. Cum auctores scholastici generatim admittant etiam consensum posse aliquando esse causam efficientem societatis, solummodo negent esse causam *unicam*, contra ipsos directe est prima pars minoris, in qua probamus alias causas, non posse inducere veram obligationem socialem tendendi in bonum commune.

977. Scholion. Discrimen huius sententiae a sententia Rousseau. 1) ROUSSEAU dicit societatem civilem *non esse naturalem,* sed omnino liberam; proinde non dari inclinationem naturalem ad illam efformandam, ad pactum faciendum; *nos* vero affirmamus dari talem inclinationem naturalem. 2) Pro ROUSSEAU pactum est causa *omnino adaequata* ordinis iuridici et vinculi iuridici ex illo resultantis; *pro nobis* vero consensus non est causa adaequata iurium et obligationum socialium; sed talis causa est ipse Deus ut auctor naturae; consensus est causa illius facti historici necessarii, ad hoc ut ipsa natura socialia iura conferat et obligationes imponat. 3) Rous-

SEAU requirit semper pactum *expressum;* nos vero contenti sumus pacto implicito et tacito.

978. Obiectiones. 1. Si consensus esset unica causa efficiens proxima societatis ille consensus deberet esse universalis, seu omnium membrorum. *Atqui* ridiculum videtur illum consensum semper a pueris, amentibus, mulieribus postulare. *Ergo* consensus non est unica causa efficiens societatis.

Resp. Dist. mai.: physice seu mathematice universalis, *neg.;* moraliter universalis, *subd.:* illorum qui directe sunt membra societatis, i.e. capitum familiarum, vel individuorum sui iuris, *conc.;* etiam aliorum, *neg.*

2. Consensus inter homines dat originem solummodo iustitiae commutativae. *Atqui* vinculum sociale inter cives non est vinculum iustitiae commutativae, sed iustitiae legalis. *Ergo* consensus non potest esse causa efficiens iustitiae legalis, proinde societatis civilis.

Resp. Dist. mai.: si consensus respiciat solum bonum particulare, *conc.;* secus, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.* Consensus de se non est nisi ad aliquem effectum iuridicum producendum, qui potest esse ordinis sive privati, sive publici.

3. Omnis consensus est aliquis actus liber, quod ergo ab illo constituitur, est contingens. *Atqui* societas civilis est societas necessaria. *Ergo* consensus, etsi sit ordinis publici, nequit esse causa efficiens societatis civilis.

Resp. Dist. min.: quoad primam partem: ita ut natura in consensum circa societatem civilem ponendum vehementer inclinet, *conc.;* sine illa vehementi inclinatione, *neg.; dist.* etiam quoad secundam partem: quod ab illo oritur est physice contingens, *conc.;* nam est liberum pro singulis individuis; est moraliter contingens, *neg.;* nam pro genere humano est moraliter necessarium. *Contrad. min.*

4. Societas civilis est societas stabilis, i.e. semel incepta non est in manu sociorum illam solvere. *Atqui* quod libero consensu fit, libero consensu contrahentium potest dissolvi. *Ergo* societas civilis non habet causam efficientem consensum sociorum, etsi moraliter necessarium.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: si consensus ille non poneretur ulla exigentia naturali, *conc.;* si ipsa natura impellit ad illum ponendum, *neg. Dist. pariter cons.* Huiusmodi vero urgentia et impulsus datur non pro singulis individuis, sed pro universo genere humano.

5. Consensus non est unica causa, si absque illo in aliqua multitudine familiarum oriri potest obligatio tendendi stabiliter in bonum commune sub obedientia alicuius personae determinatae. *Atqui* absque consensu familiarum potest dari in illis obligatio tendendi stabiliter in bonum commune ipsarum sub determinata persona. *Ergo* consensus non est unica causa efficiens societatis civilis.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

6. PROBO MIN. Supponamus aliquam multitudinem familiarum, sub eodem territorio commorantium, atque ab eodem stipite procedentium, vivente adhuc patriarcha; in hac multitudine necessario adesse debet obligatio parendi auctoritati patriarchae, quae sese extendet ad ordinem etiam superiorem, seu ad bonum commune, etiam independenter a consensu illarum familiarum. *Atqui* in hoc casu

habemus societatem civilem efformatam independenter a consensu sociorum illam efformantium. *Ergo* etiam absque consensu sociorum dari potest societas civilis.

Resp. Neg. mai.; vel *dist.:* in hoc casu adest obligatio in illa multitudine efformandi societatem civilem, et nominandi talem personam determinatam, ut subiectum auctoritatis—cum illa sit unica idonea ad regendam multitudinem—, *conc.;* absque consensu sociorum adest iam societas efformata sola lege naturali cum illis adiunctis, *neg.* Aliud est obligatio efformandi societatem, aliud vero obligatio moralis obediendi certae personae in terris antequam societas constituatur. Si darentur duae tantum personae in terris—masculus et femina—haberent obligationem ineundi matrimonium, sed absque illarum consensu matrimonium non iniretur; quid simile accidit agentes de societate civili.

7. Si consensus esset unica causa efficiens societatis civilis huiusmodi consensus praestari deberet eodem modo a sociis posterioribus ac a primis. *Atqui* socii posteriores non efformant societatem civilem per consensum. *Ergo* neque priores.

Resp. Dist. mai.: eodem modo si adiuncta essent eadem, *conc.;* si vero sunt diversa, *neg. Contrad. min.* Adiuncta sunt diversa: posteriores enim nascuntur iam in societate constituta, in thesi vero agimus de prima origine societatis civilis. Posteri, cum nascantur intra societatem constitutam, fiunt membra eiusdem sola nativitate; cum vero ipsi sint maiores natu, nisi expresse aliud voluerint, v.c. per mutationem loci, de facto fiunt membra societatis, in qua nati sunt.

ARTICULUS II

DE ORIGINE AUCTORITATIS CIVILIS IN ABSTRACTO

Thesis 54. Suprema auctoritas civilis secundum se inspecta immediate a Deo auctore naturae provenit.

SUÁREZ, *De legibus* 1.3 c.3; *Def. fidei* 1.3 c.2; BALMES, *El protestantismo* 1.3 c.48-50; MACKSEY, *Ethica* p.513; IVO DE LA BRIERE, *Cómo conciliar la autoridad con la libertad?* versio hispana p.7-25; *Autorité:* DictSoc t.2 1037ss; MESSINEO, A., *Le origine transcendenti del potere politico:* CivCatt (1944,3) 138-147; GUERRERO, E., *Precisiones del pensamiento de Suárez sobre el primer sujeto del poder:* RazFe 137 (1948) 443-477; IZAGA, *La soberanía civil según Suárez:* RazFe 124 (1941) 191-205; GÓMEZ ROBLEDO, *Doctrina de Suárez sobre el origen y sujeto de la autoridad civil:* Pensamiento, extr. (1948) 531-582; URDANOZ, *Vitoria y la concepción del poder público:* CiencTom 73 (1947) 234-285.

979. Nexus. *Ex dictis in notionibus* in omni societate auctoritas socialis necessaria est; potiori ratione id affirmandum videtur de societate civili. Volumus nunc investigare undenam haec auctoritas civilis immediate enascatur.

980. Notiones. AUCTORITAS: *in genere est ius obligandi membra societatis ut in finem communem suis actibus cooperentur.*

AUCTORITAS CIVILIS: ius efficaciter regendi societatem civilem in suum finem cooperatione omnium membrorum. Efficaciter autem regit obligando membra societatis ut conspirent ad assecutionem boni communis.

AUCTORITAS SUPREMA: illa intelligitur quae in suo ordine—in casu in ordine potestatis civilis—, non habet superiorem. Opponitur auctoritati subordinatae. Auctoritas civilis suprema est ergo ius gobernandi *totam* societatem.

981. SECUNDUM SE INSPECTA, seu *abstracte* considerata, i.e. abstrahendo a forma concreta huius potestatis, atque a determinatione subiecti, quod illam exerceat; importat solummodo illum complexum iurium ad obliganda membra societatis ad cooperationem in bonum commune. Opponitur auctoritati *in concreto* consideratae, seu prout exsistit iam in determinato subiecto.

982. IMMEDIATE A DEO: i.e. Deus est causa proxima auctoritatis; non igitur provenit auctoritas in abstracto considerata mediante alio, v.c. mediantibus hominibus; sed Deus est immediatus auctor eiusdem; homines solummodo ponunt conditionem requisitam a Deo ut Ipse immediate auctoritatem societati tribuat.

983. AUCTORE NATURAE: seu provenit a Deo non per revelationem supernaturalem, vel per alium interventum positivum; sed simpliciter quia auctoritas civilis necessario emanat tamquam proprietas necessaria e societate civili, cuius auctor, si in abstracto consideretur, est etiam Deus, ut auctor naturae.

984. Status quaestionis. Quaestio investiganda est haec: a quo immediate provenit seu quinam immediate concedit illud ius, quod in societate civili invenitur, cogendi omnia membra eiusdem ad cooperationem in bonum commune, mediis iam determinatis? Provenit ab ipsis hominibus, vel a Deo, vel a quo? Praescindimus nunc a subiecto determinato in quo resideat, nam agimus solummodo de ipsa auctoritate in abstracto.

985. Sententiae. 1.ª HOBBES affirmat auctoritatem supremam civilem immediate ac adaequate a *libera conventione* hominum provenire, cum non sit nisi summa coalescens ex apportatione quam unusquisque socius facit propriae vis physicae in acerbum publicum ad defensionem oeconomicam.

2.ª ROUSSEAU similiter credit auctoritatem supremam socialem non esse nisi *cumulum ex libera communicatione iurium individualium* sociorum constitutum, ex quorum summa auctoritas suprema civilis resultat.

3.ª LOCKE quid simile sustinuit, atque arbitratus est unumquemque socium *per pactum* communitati tradere partem determinatam propriae libertatis, ex quarum summa auctoritas civilis efficeretur.

4.ª *Evolutionistae* contendunt societatem civilem eiusque auctoritatem per *paulatinam evolutionem* procedere, mediante dominatione debilium a potentioribus.

5.ª *Organicistae* asserunt auctoritatem civilem esse simplicem *aggregatum virium vitalium,* sicut ens vivum non est nisi colonia entium viventium inferiorum et cellularum iuxtapositarum.

6.ª *Anarchistae* defendunt auctoritatem non esse nisi *iniustam dominationem* et oppressionem debilium per praepotentes.

7.ª ELTER adversarius etiam videtur esse quoad partem; existimat enim auctoritatem civilem neque in genere consideratam procedere immediate a Deo, sed solum mediate; hancque existimat, sed erronee meo iudicio, esse doctrinam scholasticorum aevi medii [1].

8.ª *Nostra sententia.* Nos vero cum unanimi consensu omnium scholasticorum defendimus auctoritatem societatis civilis immediate a Deo provenire.

Ad hoc vero non requiritur interventus specialis Dei; sed sufficit interventus ordinarius, naturalis. Simul enim ac socii unionem stabilem ad finem communem efficiunt, illico necessario et connaturaliter auctoritas in illa societate habetur, cum omnibus officiis et iuribus a natura determinatis, cum recta ratio dictet illa esse prorsus necessaria ad societatem civilem, quae a Deo intenditur.

Facta humana constitutiva societatem, relate ad auctoritatem in abstracto consideratam, non sunt creativa auctoritatis, sed mere dispositiva materiae, quae exigat ut a Deo immediate auctoritas concedatur. Quid simile ac illud quod accidit in creatione animae humanae cum corpus organizatum exsistit per causas secundas.

986. Probatur. 1. *Ex proprietatibus auctoritatis civilis.* Suprema auctoritas civilis a Deo auctore naturae et qui-

[1] Cf. ELTER, *Comp. Phil. mor.* p.195.218.228.233.

dem immediate descendet: *a*) si est proprietas naturalis et necessaria societatis civilis; *b*) si trascendit iura singulorum civium. *Atqui* suprema auctoritas civilis: *a*) est proprietas necessaria et naturalis societatis civilis; *b*) et trascendit iura singulorum civium. *Ergo* suprema auctoritas civilis secundum se considerata a Deo auctore naturae immediate procedit.

Mai.: Est conditionalis; si datur *prima* conditio videtur evidens, qui enim vult rem aliquam, eo ipso vult illud quod est proprietas naturalis et necessaria ipsius rei; si datur *secunda* conditio, auctoritas non potest provenire nisi immediate a Deo, cum implicet facultates quae solum a Deo directe possint provenire.

Min.: a) *Auctoritas est proprietas necessaria et naturalis societatis civilis*: nullum enim corpus conservari potest absque aliquo principio unitatis. In corpore ergo sociali requiritur principium capax tuendi mutuam cooperationem et ordinatam tendentiam in bonum commune; nam inter homines bona privata prosequentes, diversis iudiciis et passionibus, necessarium est aliquod elementum convergentiae, nempe auctoritas, seu ius obligandi membra societatis ad cooperationem in bonum commune; absque illo non daretur nisi anarchia. (Cf. *Diuturnum illud* n.11; *Immortale Dei* n.4; BALMES, *El protestantismo comparado con el catolicismo* t.3 c.50.)

b) *Auctoritas suprema civilis transcendit iura singulorum*: nam complectitur facultates et iura quae non nisi a Deo oriri possunt, v.c. 1) *ius obligandi in conscientia,* ad quod requiritur superioritas; 2) *ius gladii, ius belli, ius puniendi usque ad mortem,* et quidem non ad iuxtam defensionem, sed ad punitionem; iam vero singula individua non habent hanc potestatem in suam, neque in aliorum vitam, ut dictum est, in thesi de suicidio [2].

987. 2. *Eo quod auctoritas nequeat limitari.*

Si auctoritas proveniret a libera hominum conventione possent ii ambitum eiusdem intra societatem limitare, prout eis placuerit. *Atqui* homines non possunt neque impedire, neque limitare auctoritatem civilem supremam. *Ergo* auctoritas civilis suprema non provenit ab hominibus, sed immediate a Deo, auctore naturae.

[2] Obiectiones quae ab ELTER, *Comp. Phil. mor.* p.223-228; et a LECLERCQ, *L'origine divine du pouvoir:* TheolLov 6 (1929) 230-244 proponuntur, bene solvuntur a GUERRERO, E., *Precisiones del pensamiento de Suárez...:* RazFe 137 (1948) 451ss.

Mai.: Quod a libera hominum voluntate procedit, limites ab illa assignatos habere potest.

Min.: Constat enim ex historia omnium populorum auctoritatem civilem supremam illa iura necessario secum portare, quae ad finem communem requirantur.

988. Scholion. 1. **De modo quo confertur auctoritas a Deo immediate.** Deus non confert immediate auctoritatem per partes aliquotas civibus, qui deinde in acerbum aliquem communem illas transferant, sed immediate illam confert subiecto alicui primitivo, quodcumque hoc sit.

Neque illam confert per aliquam specialem actionem et concessionem, sed illa intelligitur necessario exsistere primo momento, quo societas civilis incipit esse, ut in sua exsistentia ulteriori per auctoritatem stabiliter conservetur.

989. 2. **De natura huiusmodi auctoritatis.** Specifice differt ab auctoritate domestica: *a)* cum haec immediate respiciat bonum privatum familiae, dum auctoritas civilis immediate et primario respicit bonum commune modo indeterminato; *b)* auctoritas civilis importat primario *gubernationem personarum* et oblationem mediorum quibus illarum perfectibilitas completur, atque in hoc discriminatur etiam ab auctoritate herili, quae importat dominium et administrationem rerum primario, et solum secundario praestationes personales; *c)* auctoritas civilis gaudet interna *independentia* et plena sufficientia mediorum in omni ordine, quod non habet auctoritas domestica et herilis.

990. Obiectiones. 1. Ex argumento sequeretur omnem auctoritatem in qualibet societate a Deo immediate provenire, cum auctoritas in omni societate sit necessaria. *Atqui* falsum est auctoritatem in qualibet societate immediate a Deo provenire. *Ergo* ex argumento non sequitur auctoritatem supremam in societate civili a Deo immediate provenire.

Resp. Neg. assertum maioris. Ad probationem vero eisdem. *Dist. mai.:* est necessaria in qualibet societate et eodem modo, *neg.;* diverso modo, *conc. Contrad. min.:* si agatur de societate naturali, *neg.;* si de libera, *conc.* Cum societas libere constituitur, socii libere possunt sua iura tradere, et in mensura quam ipsi velint; non vero cum agatur de societate naturali, in qua finis, modus perveniendi ad illum, et media necessaria ab ipsa natura designantur.

2. Auctoritas immediate procedit ab illo, a quo procedit societas quoad exsistentiam. *Atqui* societas civilis non procedit immediate quoad exsistentiam a Deo. *Ergo* auctoritas suprema civilis non procedit immediate a Deo.

Resp. Dist. mai.: si ille possit illam dare, *trans.;* secus, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

3. S. Thomas (2-2 q.10 a.10 c) ait dominium et praelationem introducta fuisse iure humano. *Atqui* ius humanum non procedit immediate a Deo. *Ergo* auctoritas seu praelatio provenit non immediate a Deo, sed ab hominibus.

Resp. S. Thomas non agitat hic hanc quaestionem; simpliciter

affirmat, ad hoc ut quis fiat subditus alterius, supponi aliquod factum antecedens humanum; non vero affirmat ipsam auctoritatem, quoad se, venire ab hominibus. Ad iura humana concrete habenda exigit S. THOMAS conditiones derivatas ex aliquo facto iuridico; hoc utique verum est.

4. Si auctoritas socialis in societate civili immediate a Deo proveniret omnis societas civilis esset theocratica. *Atqui* non omnis societas civilis est theocratica. *Ergo* auctoritas civilis non provenit immediate a Deo.

Resp. Dist. mai.: theocratia naturali, *conc.;* supernaturali, *neg. Contrad. min.*

ARTICULUS III

DE SUBIECTO PRIMIGENIO AUCTORITATIS CIVILIS

Thesis 55. In exoriente societate civili auctoritatis subiectum naturale est semper communitas.

SUÁREZ, *De legibus* 1.3 c.1; *Def. fidei* 1.3 c.2; BELLARMINO, *De laicis* c.4; MACKSEY, *Ethica* p.527ss; GÜENECHEA, *Princip. iuris polit.* v.1 p.153ss; BALMES, *El protestantismo comparado* c.48-51; VAN DER AA, *Ethica* p.194; LECLERQ, *Leçons de droit naturel* v.2 p.163; BILLOT, *De Ecclesia* p.512ss; CAVALLERA, *Précis de la doct. soc. Cath.* p.297ss; CHENON, *El papel social de la Iglesia* p.108-122; IVO DE LA BRIERE, *Pouvoir politique:* DAFC 4,86-90; R. DE YURRE, GR., *Lecciones de Filosofía social* (Vitoria 1949) p.150-168.

991. Nexus. Vidimus auctoritatem civilem immediate a Deo provenire per legem naturalem. Sed cui immediate confertur auctoritas in primo instante in quo societas civilis incipit exsistere? En quaestio praesenti thesi solvenda.

992. Notiones. IN EXORIENTE SOCIETATE CIVILI: i.e. in momento in quo societas civilis incipit exsistere.

993. SUBIECTUM AUCTORITATIS est persona illa quae iurisdictionem civilem possidet tamquam propriam. Potest esse:

a) NON NATURALE est illud quod non determinatur ab ipsa lege naturali, sed ab aliqua determinatione positiva et contingente.

b) NATURALE est illud quod ab ipsa lege naturali determinatur ut habeat auctoritatem, illamque immediate et directe ab ipso Deo accipit. Hoc subiectum naturale potest esse tale: 1) *Per se*: illud quod ex ordinariis circumstantiis seu contingentibus, ex ordinario cursu naturae determinatur ut subiectum auctoritatis. 2) *Per accidens*: illud est quod ab ipsa natura designatur sed in extraordinariis circumstantiis, extra ordinarium cursum naturae.

994. Semper: si natura societatis, ideoque lex naturalis, non permittit esse aliud subiectum naturale, neque per accidens.

995. Communitas: i.e. omnes simul cives, quatenus vinculo iuridico civili sunt moraliter et stabiliter uniti ad assecutionem boni communis cooperatione omnium; seu omnes cives prout constituunt societatem civilem in facto esse.

996. Status quaestionis. Volumus videre cuinam communicet directe et immediate ipsa natura auctoritatem civilem, quae omnino in persona concreta debet exsistere in societate concreta.

997. Sententiae. *Sunt fere eaedem in ac thesi* de origine societatis in concreto, intime enim hae duae theses inter se connectuntur.

1.ª *Sententia factorum associativorum*: sustinet subiectum naturale per se auctoritatis esse personam aliquam determinatam, cui immediate lex naturalis auctoritatem confert, absque ullo interventu sociorum, cum ad hoc exsistant quidam tituli naturales, ut dictum est in thesi praecedenti, v.c.quod sit patriarcha, vel dominus territorii, vel unice aptus ad regendum populum. Communitas, iuxta ipsos, potest etiam esse subiectum naturale auctoritatis, sed per accidens, nempe cum non dentur alia subiecta.

Saec. vero XIX quidam scriptores catholici, existimantes hanc sententiam esse praesidium contra perturbationem gallicam eiusque spiritum ubique grassantem, illam proposuerunt, ac magno ingenio defenderunt.

Praecipuus auctor eiusdem est Taparelli, qui magna vi, scientia, et claritate, multis in locis illam excoluit [3]. Post ipsum multi auctores scholastici hanc sententiam secuti sunt, v.c. Liberatore [4], Catrhein [5], Meyer [6], Schiffini [7], Ferreti [8], Donat [9], Nivard [10].

998. 2.ª *Sententia intermedia*: alii auctores, v.c. Ziglia-

[3] *Ensayo de derecho natural* v.2 n.511ss.
[4] *Ethica* (Roma 1869) p.275.
[5] *Phil. mor.* n.582ss.
[6] *Inst. Iuris nat.* v.2 p.363ss.
[7] *Phil. mor.* v.2 n.451.
[8] *Inst. Phil. mor.* v.3 p.241ss.
[9] *Ethica* v.2 p.142ss.
[10] *Ethica* p.345ss.

RA[11], BILLOT[12], MÁRQUEZ[13], SORTAIS[14], LLOVERA[15], existimant utique societatem non posse efformari nisi consensu sociorum, nullamque personam auctoritatem, per legem naturalem, habere absque consensu sociorum; in quo nobiscum conveniunt. Affirmant tamen ipsam auctoritatem a Deo nulli subiecto conferri nisi post designationem personae ab ipsa societate factam; ita ut designatio personae sit conditio sine qua non ad auctoritatem conferendam. Iuxta hanc ergo sententiam subiectum naturale primarium auctoritatis potest esse vel ipsa communitas, vel alia persona determinata ab ipsa communitate designata. Hi omnes concedunt neminem auctoritatem socialem possidere nisi antea consensus communitatis in id consenserit.

Quoad praxim haec sententia non magnopere a nostra differt, ut optime declaratur a BALMES[16], quamvis discrimen theoreticum sit maximum.

999. 3.ª *Tertia sententia*: defendit Deum concedere auctoritatem societati, ita tamen ut nulli subiecto determinato illam tribuat, sed sit *primi capientis*[17].

1000. 4.ª *Nostra sententia*. 1. Nos vero defendimus ut longe probabilius in exoriente societate civili *semper* subiectum naturale auctoritatis esse totam communitatem, seu numquam neque per accidens ab ipsa natura aliud subiectum diversum designari.

Duplex vero distinguendus est modus quo auctoritas civilis in aliquo subiecto adesse potest, nempe: a) *formaliter et quoad exercitium*, si subiectum auctoritatis potest illam expedite exercere adimplendo omnes formalitates requisitas ad regimen ordinatum societatis; b) *radicaliter seu quoad virtutem*, si in subiecto auctoritatis sunt omnia iura auctoritatis, quin tamen possit illa modo expedito exercere, prout requirit regimen ordinatum et permanens societatis; quo in casu adest in subiecto sic auctoritatem possidente ius et officium subiectum permanens determinandi, cui illa auctoritas formaliter et quoad exercitium inesse debeat. Hoc secundo modo

---

11 *Philos. moralis* ed. 17 (Paris 1926) p.269-270.
12 *De Ecclesia Christi* (ed. 5) p.512ss.
13 *Filosofía Moral* v.2 (ed. 5, 1942) p.305-314.
14 *Morale* (Paris 1924) p.244ss.
15 *Sociología* (7 ed.) p.98-100.
16 *El protestantismo comparado...* t.3 c.51 (BAC 4,549ss).
17 Cf. CORTS GRAU, *Sobre el origen de la autoridad*: Acción Española 3 (1933) 753ss.

erit ordinarie auctoritas apud totam communitatem, cum eidem confertur.

2. *Affirmamus hoc accidere non solum per se, sed semper;* in quo ab adversariis scholasticis discriminamur, nam ipsi admittunt in circumstantiis extraordinariis posse communitatem esse subiectum naturale primarium auctoritatis, v.c. cum plures familiae independentes et liberae coalescunt in societatem civilem, quia tunc nullo alio facto naturali determinatur subiectum naturale primarium auctoritatis; sed hoc, iuxta ipsos, est per accidens; nam in ordinario cursu naturae, societas efformatur ex communi stipite, in qua subiectum naturale auctoritatis primarium est patriarcha. Nos vero dicimus communitatem ita esse subiectum naturale primarium auctoritatis ut nullis adiunctis possit esse aliud subiectum.

3. *Haec vero parva differentia* inter auctores huius sententiae invenitur; iuxta aliquos auctoritas semper *primo tempore* in tota communitate recipi necessario debet; alii vero cum Suárez iudicant posse simul constitui societatem et designari subiectum auctoritatis diversum a tota communitate; quo in casu auctoritas non esset primo tempore in communitate ut in subiecto primario, utique vero *primo natura,* eo quod ratio auctoritatis oriundae esset communitas.

Aliqui etiam existimant adesse *semper strictam obligationem in* communitate transferendi auctoritatem alicui personae determinatae, quia iudicant communitatem *semper* esse incapacem exercendi auctoritatem; generatim vero cum Suárez sustinetur non semper talem obligationem adesse, saltem si agatur de societate omnino parva et parum implexae administrationis, licet omnes concedant, decursu temporis, auctoritatem semper alicui personae determinatae, physicae vel morali esse transferendam.

Haec sententia usque ad saec. XIX ab omnibus scholasticis sustinetur. Inter recentiores illam sustinentes invenimus: Balmes, Costa-Rossetti, Van der Aa, Macksey, Mendive, Quintana, et nostris diebus: Castro Albarrán, Güenechea [18], Leclercq, Brucculeri [19], Messineo [20], Teixidor [21].

1001. Probatur. 1. *Positive.*

In exoriente societate civili illa persona erit subiectum naturale auctoritatis, ad quam pertineat necessario, ex ipsa na-

[18] *Principia Iuris polit.* v.1 p.149ss: hic conferri licet copiosissima bibliographia auctorum antiquorum et recentiorum qui sustinent hanc sententiam.
[19] *La democrazia nella conzecione scholastica:* CivCatt (1945-3) 24-27.75-83.
[20] *Il soggetto del potere constituente:* CivCatt (1946,1) 32-40.
[21] *S. Roberto Belarmino en la cuestión del origen inmediato de la autoridad civil:* EstEcles 10 (1931) 200-221.

tura societatis, officium curandi de fine sociali et disponendi media necessaria ad illum. *Atqui,* ex ipsa natura societatis officium curandi de fine sociali et disponendi media necessaria ad illum necessario incumbit unice communitati. *Ergo* in exoriente societate civili auctoritatis subiectum naturale primarium est semper communitas [22].

Mai.: Nam cum Deus alicui imponit officium aliquod simul eidem dat media necessaria ad illud consequendum, ut patet inductione. Auctoritas vero est medium necessarium ad bonum commune obtinendum communi cooperatione.

Min.: Ex ipsa definitione societatis constat officium curandi de bono communi et disponendi media ad illud, necessario ad ipsam societatem pertinere; huiusmodi ergo finis curam in tantum ad aliquam personam pertinet, in quantum ipsam societatem seu communitatem repraesentat. Iam vero vi solius legis naturalis nulla persona privata et certa ipsam societatem repraesentat [23].

1002. 2. *Negative seu per exclusionem.*

Auctoritas, quae per legem naturalem in societatem constitutam descendit, invenitur necessario aut in una persona physica, aut in pluribus determinatis, aut in omnibus distributive sumptis, aut in omnibus simul sumptis, seu prout efformant communitatem. *Atqui* non invenitur in omnibus distributive sumptis, neque in persona aliqua physica, neque in aliquibus personis determinatis. *Ergo* ex natura societatis exsistere debet per se, primo et necessario in communitate qua tali.

Mai.: Statim enim ac societas civilis exsistit per unionem stabilem civium in finem communem, auctoritas civilis in concreto exsistere debet, quia est saltem proprietas necessaria eiusdem; potestas autem concreta exsistere nequit nisi in aliqua persona concreta sive physica, sive morali; personae autem concretae, praeter illas in maiori propositas non dantur.

Min.: 1. *Non in omnibus civibus distributive sumptis;* esset contra naturam ipsius auctoritatis, quae praecise necessaria est ut principium unitatis et efficacitatis in cooperatione ad finem communem.

2. *Non in una persona physica aut in pluribus determinatis prae ceteris.* Ad hoc enim necessarium esset *ut vi cursus ordinarii naturae* in illa appareret aliquis titulus, qui il-

[22] Cf. Balmes, *El protestantismo comparado...* v.4 c.49 (BAC 4,528ss).
[23] Cf. 1-2 q.90 a.3 c; Macksey, *Ethica* p.358ss.

lam redderet *exclusive et evidenter* idoneam ad habendam auctoritatem socialem. Natura enim agit ex ordinariis contingentibus: respicit casus generales, non vero particulares; casus vero generales cognoscuntur ex cursu ordinario naturae, non vero ex exceptionibus, seu ex his quae accidentaliter occurrunt; sic v.c. cognoscimus subiectum naturale auctoritatis in matrimonio. Hic vero titulus in nulla persona sive physica sive morali determinata apparet *vi cursus ordinarii naturae* [24]. Differentiae enim in ipsis exsistentibus quoad fortitudinem, scientiam, prudentiam, divitias... non procedunt vi naturae, sed sunt accidentales in determinatis personis. In specie vero:

Diversi tituli ab adversariis propositi, quibus probare contendunt in aliquibus personis determinatis auctoritatem exsistere debere, ipsa natura hoc exigente, hoc non evincunt. Nam:

a) Titulus patriarchatus, etsi ex ordinario cursu naturae nascatur, ex se tamen non postulat auctoritatem socialem, cum hic titulus *ex se* solummodo officia et iura pietatis importet, neque maiorem capacitatem ad gubernandum supponat quam in suis descendentibus. Iam vero iura socialia et iura pietatis eodem modo ac officia eisdem respondentia sunt essentialiter diversa, prima enim in bonum commune diriguntur, secunda vero in bonum privatum familiae.

Neque patriarcha suam auctoritatem paternam retinet respectu omnium ex eo descendentium. Filii enim, post certam aetatem, emancipantur, et in propria familia eamdem auctoritatem domesticam habent, ac pater ipsorum in sua habebat. Auctoritas ergo patriarchae: *a)* completa educatione filiorum extinguitur; *b*) non nisi ad proles immediatas extenditur, non vero ad mediatas; *c*) non est maior in patriarcha quam in reliquis patribus erga suos filios; *d)* essentialiter diversa est ab auctoritate civili, ut dictum est.

Praeterea omnia capita familiae, sive habeant filios, sive non; sive habeant prolem numerosiorem, sive exiguam, relate ad efformationem societatis civilis, sunt omnino aequalia, omnia enim quaerunt complementum sociabilitatis in iis, quae societati domesticae desunt [25].

b) *Dominium territoriale* solum importat capacitatem et ius ad officia caritatis et iustitiae commutativae, non vero ad iustitiam legalem independenter a consensu sociorum.

Potest utique adesse in hominibus in certo territorio sub aliquo domino habitantibus obligatio efformandi societatem civilem, et eligendi dominum territorii ut subiectum auctoritatis; sed si de facto ille ut subiectum auctoritatis non eligatur a multitudine, sola lege naturali non habebit de facto auctoritatem socialem; ad summum habebit ius ut eligatur.

[24] Cf. Güenechea, *Principia Iuris polit.* v.1 p.153ss.
[25] Cf. Balmes, *o.c.* c.48 p.508ss.

c) *Praestantia seu praevalentia qualitatum:* moralium, intellectualium, physicarum, vel singillatim vel simul sumptarum, ad summum fundat ius ut determinata persona *debeat eligi* ut subiectum auctoritatis, sed si de facto non eligitur, a lege naturali auctoritatem non habebit. Capacitas enim etiam exclusiva ad aliquod munus non dat ius ad illud de facto exercendum. Praeterea haec capacitas poterit esse de facto magis apparens quam realis.

1003. 2. *Consensus populi non est mere electivus personae, sed vere collativus potestatis.*

Si consensus populi unice designaret personam cui auctoritas ab ipsa natura conferatur tunc auctoritas eadem forma, ac eisdem facultatibus in quolibet subiecto haberetur. *Atqui* hoc non accidit in persona habente auctoritatem civilem. *Ergo* consensus populi non est mere electivus personae, sed vere collativus potestatis.

Mai.: Hoc accidit v.c. cum potestate pontificia, quae eamdem formam ac easdem facultates servat decursu temporis, quia consensus electorum unice designat personam.

Min.: Formae enim regiminis sunt diversae, ac attributiones quae inveniuntur in personis determinatis intra eamdem formam etiam variae sunt; nam aliquando ipsa communitas aliquam potestatem sibi reservat. Haec vero optime explicantur si ipsa communitas prius habeat auctoritatem, quam deinde transferat una vel alia forma, uno vel alio gradu.

1004. Scholion. De ultima ratione cur auctoritas in aliqua persona determinata inveniatur. Vidimus subiectum naturale primarium auctoritatis civilis esse semper communitatem. De facto tamen in societatibus concretis auctoritas residet apud aliquam personam sive physicam sive moralem, a communitate diversam, quae nomine proprio illam exercet. Quaeri ergo potest quaenam sit ultima ratio cur auctoritas civilis apud personam aliquam determinatam inveniatur. Respondemus quamlibet personam auctoritatem possidentem in aliqua societate ideo illam legitime possidere, quia *ultimatim* socii illam initio personae alicui transtulerunt, ac simul decreverunt modum quod deinceps illa transmissio fieri deberet; ita ut ille consensus sociorum sit vere collativus potestatis, quae in societate ut in subiecto primario residebat. Proinde personae particulares *omnes* potestatem accipiunt non a Deo immediate, sed mediantibus hominibus, seu societate. Consensus communitatis non est solummodo *conditio sine qua non* ad designandam personam, qua posita personae designatae immediate ab ipso Deo auctoritatem accipiant, sed est *vere collativus* auctoritatis.

1005. Obiectiones. 1. Sponte naturae auctoritas semper invenitur apud potentiores. Ergo etiam auctoritatis civilis subiectum primigenium naturale erit persona praepotentior.

Resp. Dist. ant.: auctoritas, i.e. superioritas physica, *conc.;* etiam moralis, *neg. Dist. pariter cons.*

2. Homines, sponte naturae, sunt proni ad obediendum potentioribus. *Atqui* haec inclinatio naturalis manifestat intentionem naturae designandi ut subiectum auctoritatis personam potentiorem. *Ergo* etiam sponte naturae auctoritas moralis invenitur semper apud potentiores.

Resp. Dist. mai.: sunt proni ad obtemperandum et consensum praestandum ut habeant auctoritatem potentiores, *conc.;* ut agnoscant potentioribus ius praecipiendi absque consensu eorum, *neg. Contrad. min.*

3. Natura postulat ut societas bene gubernetur. *Atqui* cum non exsistit nisi una persona quae bene gubernari possit, ipsa natura postulat ut ipsa auctoritatem civilem habeat. *Ergo* absque consensu sociorum persona praestantior ab ipsa natura designatur ut subiectum primigenium auctoritatis.

Resp. Dist. mai.: et haec obligatio cadit directe in membra societatis, quae eligere debent personam aptam ad rectam gubernationem, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.:* tunc ipsa natura postulat ut illa persona eligatur, *conc.;* absque electione per consensum sociorum, illa habet auctoritatem ab ipsa natura, solo titulo praevalentiae facultatum, *neg.*

4. Teste historia cum aliqua persona, unice capax ad gubernandum, auctoritatem arripit, membra societatis eidem libentissime obtemperant. *Atqui* hoc non accideret, si in illa persona non agnoscerent auctoritatem socialem ab ipsa natura concessam propter titulum praevalentiae physicae. *Ergo* sola praevalentia physica facultatum titulus sufficiens est ad habendam auctoritatem socialem ab ipsa natura.

Resp. Dist. mai.: eidem per consensum saltem implicitum concedendo auctoritatem socialem, *conc.;* alio modo, *neg. Contrad. min.*

5. Adamus in principio creationis habuit auctoritatem socialem in omnes homines et potuit illam transmittere successive in generationes. *Atqui* ipse non habebat talem auctoritatem per consensum sociorum. *Ergo* huiusmodi consensus non est necessarius ad habendam auctoritatem socialem.

Resp. Nego suppositum maioris. Adamus enim solo facto creationis non habebat auctoritatem socialem, sed solum domesticam in filios.

6. Doctrina theseos admissa sequeretur familias, quae sub dominio alicuius domini potentioris viverent non sociatae, posse societatem civilem per consensum efformare, et auctoritatem conferre alii diverso a domino, et ipsum dominum exulare, si ipse eisdem non obtemperaret. *Atqui* hoc videtur absurdum et iniustum. *Ergo* subiectum auctoritatis naturale primarium non est semper communitas.

Resp. Dist. mai.: Facta debita compensatione, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

7. (*Contra argumentum primum*). Ex argumento positivo proposito sequeretur subiectum primigenium auctoritatis in Ecclesia esse debere ipsam communitatem ecclesiasticam, non vero Romanum Pontificem, cum auctoritas detur propter societatem. *Atqui* falsum

est subiectum auctoritatis in Ecclesia esse ipsam communitatem. *Ergo* a pari in societate civili.

Resp. Neg. mai., vel *dist.:* si Ecclesia esset societas naturalis, *conc.;* si non est societas naturalis, sed supernaturalis, *neg.* In societate supernaturali totum pendet a positiva voluntate conditoris eiusdem. *Conc. min. Dist. pariter cons.* et *neg. parit.*

8. Si vera esset argumentatio in ordine naturali sequeretur auctoritatem familiarem primitus dispersam esse in tota familia. *Atqui* auctoritas familiaris non est primitus dispersa in tota familia, sed tota est in patre, ut in subiecto primario primigenio. *Ergo* argumentatio non est vera neque in ordine naturali.

Resp. Dist. mai.: si vi cursus naturalis non designaretur iam persona quae debeat esse subiectum auctoritatis, *conc.;* si vero iam designatur haec persona, *neg. Contrad. min.*

9. Nequit esse subiectum naturale auctoritatis illud quod est ineptum ad illam exercendam. *Atqui* communitas nequit exercere auctoritatem socialem. *Ergo* communitas non potest esse subiectum naturale auctoritatis.

Resp. Dist. mai.: quod nullo modo potest illam exercere, *conc.;* secus, *subd.:* non potest esse subiectum formale auctoritatis, *conc.;* radicale, *neg. Contrad. min.* Nam communitas potest saltem ponere actum transmissionis auctoritatis in aliud subiectum; habet ergo aliquod exercitium auctoritatis.

10. Hoc quod supponitur exsistere in societate potius quam vera auctoritas est exigentia auctoritatis. *Atqui* nunc quaerimus principium unitatis, in quo re vera consistit auctoritas. *Ergo* communitas non est proprie subiectum verae auctoritatis.

Resp. Dist. mai.: si consideretur multitudo in actu primo disposita ad constituendam societatem, *conc.;* si vero consideretur in actu in quo iam est constituta societas, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

11. Argumentum procedere videtur de auctoritate in abstracto. *Atqui* nunc quaerimus subiectum primigenium auctoritatis in concreto. *Ergo* non concluditur subiectum naturale primigenium auctoritatis in concreto esse communitatem.

Resp. Neg. mai. Nam auctoritas concreta societatis civilis residet in concreto in communitate in exoriente societate, sed modo alienabili in hanc vel in illam personam.

12. Si subiectum primigenium naturale auctoritatis esset communitas cum illa non habeat usum expeditum eiusdem et necessario debeat illam transferre alteri personae, ponitur aliquis circulus inutilis in collatione auctoritatis. *Atqui* natura non facit inutilia. *Ergo* communitas non est subiectum primigenium naturale auctoritatis.

Resp. Dist. mai.: si ipsa communitas nullo modo possit exercere auctoritatem et iterum per legem naturalem deberet auctoritas alteri personae conferri, *conc.;* si vero communitas potest ponere aliquem actum, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

13. Haec doctrina videtur contraria doctrinae propositae a LEONE XIII (*Diuturnum* n.6; 13) qui expresse dicit communitatem non conferre auctoritatem, neque illam dare.

Resp. Ut clare constat ex numero praecedenti (*Diuturnum* n.5) hic solum damnatur doctrina ROUSSEAU, et eiusdem discipulorum.

ARTICULUS IV

DE FINE SOCIETATIS CIVILIS

Thesis 56. Finis societatis civilis est prosperitas publica temporalis omnium membrorum societatis (I), ultimo fini subordinata (II). Huius vero prosperitatis elementum primarium est pacifica fruitio ordinis iuridici (III), secundarium vero sufficiens copia bonorum corporis et animi in communi oblatorum (IV).

BALMES, *Etica* c.21-22 (BAC 3,160-165); GÜENECHEA, *Princ. Iuris polit.* v.1 p.119ss; MACKSEY, *Ethica* p.499ss; CATHREIN, *Philos. Moralis* n.592-610; *Philos. morale* v.2 p.539ss; DONAT, *Ethica specialis* p.167ss; BRUCCULER, *Il concetto cristiano dello Stato: vocazione, limitazione*: CivCatt (1938,3) 19-32.385-398; (1938,4) 395ss.524ss; MESSINEO, A., *Lo scopo de la vita sociale*: CivCatt (1943,4) 339-348; *Il bene comune e la vita sociale:* CivCatt (1944,1) 211-219; *Il bene comune e la persona humana:* CivCatt (1944,2) 6-15; DUTHOIT, E., *Libertés et bien commun:* SSF (Rouen 1938) 45-98; SOLAGES, *Personnes et société: leurs rapports:* SSF (Clermont Ferrant 1937) p.228-249; DABIN, J., *Le role de l'Etat:* SSF (Paris 1947) p.345.371.

1006. Nexus. Societas civilis, utpote naturalis, debet habere finem sibi ab ipsa natura impositum; quidquid enim natura intendit, propter aliquem finem intendit. Hic finis debet esse ex sua indole cognoscibilis, proprius seu peculiaris eiusdem societatis, omnibus communis, cum omnis societas civilis in eum tendere debeat. Finis huius theseos est investigare qualis sit huiusmodi finis.

1007. Notiones. FINIS: notio ac divisiones conferantur in thesi 1.ª (n.24), maxime attendenda est divisio in finem operis et operantis; proximum et ultimum.

1008. SOCIETAS CIVILIS: definitur *societas naturalis perfecta.*

1009. PROSPERITAS: in genere est *satisfactio habitualis necessitatum humanarum.* Potest esse:

1) *Supernaturalis*: si supperat omnes vires etiam exigitivas naturae humanae.

2) *Naturalis*: si exigentiis et viribus naturalibus respondet. Haec potest esse: a) *Aeterna* (beatitudo proprie dicta): seu assecutio ultimi finis; dicitur aeterna ratione durationis, et ratione obiecti beatitudinis. b) *Temporalis* (beatitudo improprie dicta): nempe assecutio bonorum finitorum duratione et capacitate satiante, quorum possessione homo dicitur beatus in terra.

3) *Privata*: propria singulis individuis; consistens in

copia bonorum corporis et animi singulis individuis, familiis, consociationibus privatis propria, quae ad felicitatem huius vitae requiritur. Complectitur ergo bona, quae singuli possident ac sibi acquirunt, ut v.c. sanitatem, victum, vestitum, habitationem, agros, libertatem, cultum mentis, honestatem, religionem; ad hanc prosperitatem sibi procurandam immediate individua sibi sufficiunt, neque ad hoc societas civilis requiritur. Ad hoc tamen aliqua media externa sunt necessaria, quae facultates civium seorsim consideratorum excedunt, quaeque omnibus in communi offerri debent.

4) *Publica seu communis*: consistens in eo quod publice offerantur omnibus civibus in communi bona seu media requisita ad hoc ut ipsi suam prosperitatem privatam efficere possint. Est ergo complementum extrinsece necessarium activitatis privatae, atque ibi incipit ubi activitas privata desit.

1010. *Essentia prosperitatis publicae.* Prosperitas publica haec essentialiter includit:

1) *Ut sit complementum activitatis privatae,* illa praestando quae ex una parte ad prosperitatem privatam civium procurandam sunt necessaria, ex alia vero ipsi soli obtinere nequeunt.

Si prosperitas publica ulterius extendatur et activitas societatis civilis alia etiam efficiat, libertas civium laederetur, ac consequenter prosperitas desineret esse talis, nam ad libertatem civium expectat ut ipsi bono suo consulant quantum possint, neque societas civilis efformatur ad laedenda sed ad tuenda iura civium. Hoc maxime locum habet cum agitur de positiva procuratione prosperitatis, v.c. scholas instituendo et praescribendo. Si aliquid vel non est necessarium ad prosperitatem privatam, vel a privatis potest fieri, eo ipso illud extra finem societatis civilis egreditur. Haec vero necessitas, de qua est sermo, late interpretanda est.

2) *Ut sit communis omnibus membris societatis,* nemine *per se* excluso; alioquin non esset vere publica, omnibus patens, sicut natura postulat; societas vero civilis in favorem omnium membrorum instituitur. Si quis vero a prosperitate publica excluderetur, cum aliunde ad cooperandum bono communi obligatus maneret, id non sine iniuria fieret.

Per accidens, i.e. propter circumstantias speciales, in quibus quis propria culpa vel infelici casu inveniatur, potest quis ab hac prosperitate excludi, si v.c. sit incarceratus.

Communis intelligitur *immediate familiis* ut talibus, classibus et associationibus privatis, et mediantibus illis singulis individuis; nec

aequalis pro omnibus esse debet, sed *proportionata* indole, meritis, exigentiis membrorum, iuxta regulas iustitiae distributivae; sic infirmiori parti societatis maior cura tribuenda est, utpote eiusdem maxime indigenti, et salus totius exigit ut debilioribus partibus diligentius provideatur.

1011. EXTENSIO PUBLICAE PROPERITATIS: a) *In abstracto* facile est hoc determinare, nempe ad illa omnia se extendere debet, quae sint necessaria ad bonum commune, nec a solis privatis obtineri possint.

b) *In concreto* tamen variationes admittit. Quo enim maior est cultura societatis, ex una parte maior est activitas privata, proinde minus necessaria interventio societatis; ex alia tamen parte maiores sunt indigentiae et implexior vita socialis, ideoque maior extensio curae publicae, tam in subsidiis subministrandis, quam in activitatibus regulandis. In una etiam societate vita socialis est omnino exigua, in alia vero ditissima; in alia praevalet agricultura, in alia industria... his vero omnibus activitas socialis accommodari debet, in dies tamen interventio societatis civilis incrementum accipit modo mirando.

1012. PROSPERITAS TEMPORALIS. Complectitur directe et immediate solummodo illa bona externa et temporalia, quae ad consequendam prosperitatem privatam in hac vita requiruntur, quamvis non tantum bona materialia. Mediate et indirecte, si vera sit illa prosperitas, consequenter legibus moralibus conformis, obtinebit etiam beatitudinem in alia vita seu prosperitatem aeternam.

1013. ULTIMO FINI SUBORDINATA. Nam activitas societatis, subordinari debet ultimo fini hominis, nequit enim finis intermedius eiusdem fini ultimo opponi.

1014. MEMBRORUM SOCIETATIS. Iis verbis expresse indicamus finem societatis civilis non esse prosperitatem et splendorem ipsius societatis ut talis, sed prosperitatem publicam ordinari, tamquam medium, in prosperitatem privatam membrorum societatis, quae sunt: familiae, diversae associationes privatae, municipia, regiones, et mediantibus iis omnibus, individua; non sunt ergo individua propter societatem, sed e contra societas est propter individua [1].

[1] NOGUER, N., *El individuo y el Estado según la doctrina católica social:* RazFe 102 (1933) 49-77.

1015. PACIFICA FRUITIO IURIUM: seu cura ad hoc ut cives quiete et tranquille omnibus iuribus uti possint, quae ipsis competunt sive ab ipsa natura, v.c. ius ad vitam, ad libertatem, ad proprietatem privatam, ad famam, ad ineundum matrimonium, ad educationem; sive a lege positiva; illa contra quoslibet violatores defendendo.

Ad hoc vero societas civilis non solum iura iam determinata tueri debet, sed etiam per legem positivam alia iura privatorum determinare, illa restringendo, cum hoc exigat bonum commune, v.c. in materia proprietatis privatae, in contractibus.

1016. COPIA BONORUM IN COMMUNI OBLATORUM. Haec ab aliis auctoribus vocatur *subsidium prosperitatis;* haec copia bonorum complectitur publicas institutiones ad bona communia obtinenda et conservanda necessarias, quasque cives privati sibi procurare nequeunt, ut sunt, v.c. viae communicationis, servitia postalia et telephonica, pontes, scholae superiores, subsidia ad explotationem industriarum necessaria, ad laboratoria instituenda et inventiones scientificas perficiendas...

1017. Status quaestionis. Volumus videre quid ultimatim intendat ipsa natura ex societate civili. Cum enim sit societas naturalis, debet habere finem praefixum ab ipsa natura.

Agimus directe in thesi de *fine ultimo* non absolute sed relative, et *operis,* non operantis, et de fine *societatis civilis* non de fine auctoritatis civilis; qui non est nisi curare ut omnia membra societatis in finem ipsius societatis cooperentur.

Thesis procedit in ordine mere naturali, nam in ordine supernaturali, in quo de facto sumus, cura rerum religiosarum Ecclesiae commissa est, etsi religio pertineat etiam ad prosperitatem temporalem.

1018. Sententiae [2]. 1.ª **Negat societatem civilem habere finem naturalem proprium.**

a) *Aliqui empiristae,* ut HALLER, JELLINEK, GUMPLOWICZ, qui quamlibet considerationem metaphysicam et teleologicam

[2] Notemus inter auctores concordiam adesse, si solum generali modo sententia proponatur; omnes enim facile admittunt finem societatis civilis esse bonum commune procurare; discrimen deinde adest cum assignandus est modus huiusmodi bonum commune prosequendi; alii enim nimis restringunt activitatem societatis civilis, alii e contra nimis exaggerant, alii denique media via progrediuntur.

reiicientes, et crasso materialismo historiam considerantes, affirmant societatem non habere nisi finem aliquem *historicum*, qui quidem pro singulis societatibus est diversus; quisnam vero pro unaquaque sit ex historia patebit. Hic vero finis non est societatibus essentialis, sed accidentalis et variabilis.

b) MONTESQUIEU, quem alii sequuntur, non admittit ut finem communem pro omni societate civili nisi *propriam conservationem*. Praeter hunc finem communem alium in unaquaque societate specificum adesse affirmat, sed diversum pro singulis societatibus, ut historice constat. Sic v.c. religio pro societate iudaica, bellum pro spartana, publica tranquillitas pro sinica.

1019. 2.ª **Nimis restringit finem societatis civilis.**

a) *Alii ex falso conceptu iuris*, ut KANT, FICHTE..., pro quibus finis ordinis iuridici non est nisi libertatem externam et aequalem omnium tueri. Aliud esset: 1) contra *libertatem* humanam, quae, dum non pugnet cum aequali libertate aliorum, sibi relinquenda est; 2) esset etiam contra *moralitatem* ipsam, quia homo per imperium categoricum rationis autonomae, non vero per coactionem, moveri debet.

b) *Alii ex falso supposito exsistentiae quarumdam legum naturalium* sponte hominem in optimum statum perducentium, dummodo liberum exercitium activitatis humanae permittatur. Activitas ergo societatis civilis ad protegendam omnimodam libertatem omnium in suis operationibus reduci debet.

Ita *schola liberalis* oeconomica et politica, quae saec. XIX fere ubique defendebatur, cum QUESNAY, ADAM SMITH, RICARDO...

His praeierat LOCKE, iuxta quem, cum homines liberi, aequales et independentes nascantur, iisdem societas maiora sacrificia et onera imponere nequit, quam sint beneficia quae ab ipsa accipiant.

Iuxta horum omnium doctrinam societas in tantum iura civium restringere vel limitare potest in quantum cum omnimoda libertate aliorum consistere nequeant; ceterum omnia liberae et omnimodae libertati sunt reliquenda, v.c. in religione, in doctrinis, in sententiis, in scribendo, in productione et distributione rerum...

Quamvis haec doctrina in rebus oeconomicis magna ex parte hodie vix defendatur, quoad alia tamen non paucos nostris temporibus invenit patronos.

c) *Alii ex falsa sua theoria evolutionis ac selectionis ex pugna pro vita*, v.c. SPENCER, DARWIN..., qui affirmant societatem solummodo de coexsistentia libertatis unius cum

libertate aliorum curare debere, reliqua vero liberae competitioni esse relinquenda, ut unice potiora individua se propagent.

1020. 3.ª **Nimis exaggerat finem societatis civilis.** Multi auctores iam a temporibus antiquis, praesertim vero nostris temporibus finem societatis civilis nimis exaggerant atque immoderate extendunt, eidem fere omnes res civium tam internas quam externas directe subiiciendo, omniaque iura personalia, cum detrimento libertatis personalis ac dignitatis humanae, a societate derivantes, quo pacto societas civilis fit *finis in se,* cui individua, ut vera media, subordinari et inservire debent [3].

a) Plato *et platonici* societatem civilem concipiunt tamquam hominem grandiorem, cuius finis est cives ad *perfectam virtutem,* maxime ad sapientiam *educare,* cui fini cives absolute subordinantur, sicut membra subordinantur corpori. Unde societas civilis plenissimum habet ius circa privatorum possessiones, uxores, liberos..., de quibus omnibus ad placitum disponere potest [4]. Haec doctrina a nonnullis recentioribus scriptoribus renovata fuit, ut a Trendelenburg.

b) *Alii dicunt finem societatis* civilis esse promovere *culturam humanam,* speciatim vero prosperitatem propriae nationis, quae ut persona physica consideratur. Ad hoc vero Statui plena fere potestas conceditur; ita Leibniz, Wolf, Mohl, Hartmann, Lasso, aliique. Generatim hi auctores non agnoscunt alium fontem iurium quam Statum, qui omnino autonomus concipitur.

c) *Praecipui fautores huius sententiae sunt recentiores pantheistae*: Schelling, Hegel qui considerandus est ut parens hodiernae divinizationis Status; iuxta ipsum Status est summa repraesentatio entis absoluti pantheistici; est *Deus praesens, absolutus in se, summo iure in singulos instructus, Status instar entis terreni-divini venerandus est, atque intelligere oportet difficilius adhuc esse comprehendere Statum quam ipsam naturam.*

d) *Hodiernus pantheismus nationalis vel stirpeus* (idololatria classis, Status vel sanguinis) ab hac doctrina pantheista hegeliana originem habet, iuxta quam potentia collectivitatis, vel splendor eiusdem consideratur ut finis in se, absolutus et supremus, cui personae humanae individuae totaliter subor-

---

[3] Cf. Iturrioz, *La sociedad y su reconstrucción* p.67-98.
[4] Plato, *De republica* 1.5.

dinantur, tamquam partes totius socialis, seu tamquam instrumenta communitatis.

Ad augendam gloriam nationis, stirpis, vel classis; ad obtinendum potentatum oeconomicum et militarem Status directe et modo illimitato in omnibus sphaeris activitatis humanae intervenire potest: in educatione familiae, in regimine oeconomico, non excepta religione. Statui tribuitur illimitata potentia ut a civibus, fere posthabito eorum bono privato et neglectis suis iuribus naturalibus, vix non omnia exigere valeat, quae ad gloriam Status et publicam culturam utilia existimentur.

Haec est doctrina *racista* germana, *statolatra* itala [5], *classista* communistarum [6] et socialistarum.

e) *Doctrina socialista partim* finem Status nimis coarctat quia, ut materialista, fere tantum prosperitatem materialem seu copiam bonorum materialium attendit, eique omnia subordinat, nihil curans de honestate, neque de religione; partim vero finem Status nimis extendit praeter omnem modum, quia etiam privatam prosperitatem directe ab Statu procurandam esse vult; postulat enim ut bona productiva ex privata possessione in communem transeant, atque assignat Statui procurationem laboris, atque distributionem bonorum pro singulis civibus; educationem etiam infantium in manus Status committit.

1021. 4.ª **Recta sententia.** Nos cum unanimi consensu omnium catholicorum ut omnino certum defendimus *in prima parte*: a) societatem civilem habere finem aliquem naturalem, proprium, specificum, perceptibilem; *b*) hunc finem dicimus consistere in *prosperitate publica temporali*, omnibus membris societatis communi; ita ut societas civilis ordinetur ad membra eiusdem tamquam medium ad finem, non e contra. Datur aliqua differentia inter auctores tantum in verbis quibus hoc ipsum exprimunt; realiter vero omnes coincidunt.

In secunda parte dicimus hanc prosperitatem temporalem debere *subordinari* vera et directa subordinatione fini absolute ultimo hominis, ita ut nihil contra illum appeti liceat, omnia e contra appetantur in tantum in quantum conducunt ad

[5] Cf. MUSSOLINI, *La doctrina del fascismo:* Acción Esp 6 (1933) 121ss; AGUADO, E., *Bajo el signo del fascismo:* Acción Esp 8 (1933) 794ss; NOGUER, *El Estado fascista: La doctrina:* RazFe 108 (1935) 94-110,381-388; 109 (1935) 48-58.198-209; BONNARD, R., *El derecho y el Estado en la doctrina nacional-socialista* vers. hisp. a PI SUÑER (Barcelona 1950).

[6] Circa similitudines inter doctrinam nacistam et communistam cf. CARDOSO, *El comunismo y la conspiración contra el orden cristiano* (México 1950) p.431ss.

illum finem, modo antea dicto, cum egimus de tendentia hominis in ultimum finem (cf. n.111).

In tertia et *quarta parte* distinguimus in prosperitate temporali duplex elementum: protectionem iurium et oblationem subsidiorum; et dicimus primum elementum esse primarium, alterum vero, etsi etiam essentiale, secundarium [7].

Probatur. 1.ª Pars: Finis soc. civilis est prosp. publica temporalis...

1022. *Eo quod ad id obtinendum destinetur a natura.*

Ille dicendus est finis naturalis societatis civilis, quem membra societatis *naturaliter* quaerunt cum societatem efformant. *Atqui* homines cum efformant societatem civilem naturaliter quaerunt prosperitatem publicam temporalem omnium membrorum. *Ergo* finis naturalis societatis civilis est prosperitas publica temporalis omnium membrorum societatis.

Mai.: Nam societas civilis est societas naturalis; cuiuslibet vero rei naturalis finis naturalis ostenditur ex inclinationibus naturalibus rei.

Min.: 1. *Naturaliter quaerunt prosperitatem*: seu assecutionem bonorum illam constituentium; nam omnes res naturaliter inclinantur in bonum proprium; prosperitas vero non est nisi complexus bonorum.

2. *Publicam seu communem*: non privatam proxime et directe procurandam; ad hoc namque natura iam providit mediante alia societate, nempe domestica; igitur ad hoc non est necessaria societas civilis. Ergo ab ipsa natura ordinatur ad prosperitatem publicam seu communem, ut mediante ipsa membris societatis liceat prosperitatem privatam directe et immediate per se efficere.

3. *Temporalem*: prosperitas enim aeterna effici debet immediate ab unoquoque homine, et praesertim actibus mere internis; ad hanc vero nequit dari communis cooperatio, cum sit invisibilis.

Naturalis praeterea tendentia hominum, cum societatem civilem efformant, est ut quaerant praecise quod illis in hoc

---

[7] Optima expositio doctrinae catholicae habetur 1) A Leone XIII: *Rerum Novarum* n.26.37.38; *Sapientiae* n.2 (est medium non finis in se); *Immortale Dei* n.12 (quin excludatur relatio in finem ultimum). 2) A Pio XI: *Divini illius* n.9.22 (finis Status): *Quadragesimo anno* n.8.35.47 (contra socialistas); *Mit brennender Sorge* n.8 (contra divinizationem Status). 3) A Pio XII: *Summi Pontificatus* n.24 (Status est ad personam humanam); *Allocutio in comm. 50 anniv. "Rerum Novarum"* n.8-9; *Nuntium radioph. in festis Natal. anno. 1942* n.12-13.16 (quid sit bonum commune). 4) *Sacra Congregatio de Studiis et Seminariis* propositio 8. 5) *Codex Socialis Melchiniensis* n.45-52.

ordine temporali deest, et ipsi per se efficere nequeunt, ut experientia et historia constat. Societas denique civilis est terrena; ergo etiam in terris, proinde temporalis, finis eiusdem esse debet.

4. *Omnium membrorum societatis*: *implicite* constat, cum dictum fuerit prosperitatem communem esse debere; *expresse* tamen dicitur, ut videamus homines societatem inire non ut in ipsa bonum solum aliquorum quaeratur, sed prorsus omnium membrorum, quae ipsam efformant. Praeterea his verbis indicamus *finem cui* societatis civilis esse membra societatis, non vero ipsam societatem ut talem.

2.ª Pars: Ultimo fini sobordinata.

1023. *Ex subordinatione finium.*

Homo naturaliter ordinatur in beatitudinem perfectam tamquam in suum finem ultimum. *Atqui* de ratione ultimi finis est, ut reliqui alii fines intermedii eidem fini ultimo subordinentur. *Ergo* id quod homo intendit mediante societate civili ultimo fini subordinari debet seu finis societatis ultimo fini subordinatur [8].

Mai.: Ex thesi de ultimo fine hominis, sive intelligatur beatitudo perfecta, sive gloria Dei.

Min.: Ex definitionibus finis ultimi et intermedii.

3.ª Pars: Elementum primarium est fruitio pacifica ordinis iuridici.

1024. *Eo quod ad hoc sit maxime necessaria societas civilis.*

Illud elementum in prosperitate publica seu in fine societatis est dicendum primarium, quod maiori necessitati subditorum satisfacit, et propter quod obtinendum homines primario in societatem coadunantur. *Atqui* pacifica fruitio ordinis iuridici maiori necessitati subditorum satisfacit, et propter illam primario homines in societatem coadunantur. *Ergo* pacifica fruitio ordinis iuridici est elementum primarium finis societatis civilis.

Mai.: Est evidens.

Min.: 1) *Necessitas defensionis ordinis iuridici est maior;* nam sine hac nullum bonum stabile e societate homines perciperent. Inutile enim esset aliqua bona accipere, si acquisita

[8] Cf. optime BALMES, *Indiferencia social en materias religiosas* (BAC 5,64-66).

conservari nequirent. Insuper sine pacifica fruitione ordinis iuridici non esset securitas personalis, neque pax, quae sunt maxima hominum bona.

2) *Homines hoc praecipue intendunt cum efformant societatem;* nam, ut constat experientia interna, omnes e societate primo loco intendunt defensionem in iuribus iam acquisitis, v.c. in suis proprietatibus, in vita, fama, libertate, in reliquis denique omnibus iuribus naturalibus. Ad hoc praeterea est maxime necessaria societas civilis, quia hoc nullo modo a privatis obtineri potest.

4.ª Pars: Elementum secundarium est sufficiens copia bonorum.

1025. *Eo quod sit necessarium ad prosp. privatam efficiendam.*

Finis societatis civilis est procurare conditiones necessarias ad liberam assecutionem prosperitatis privatae. *Atqui* ad liberam assecutionem prosperitatis privatae requiritur necessario sufficiens copia bonorum seu subsidiorum in communi oblatorum, quae ad corpus et ad animum pertinent. *Ergo* elementum secundarium, sed essentiale, finis societatis est sufficiens copia bonorum et animi et corporis in communi oblatorum.

Mai.: Ex prima parte.

Min.: Nam sine hac copia bonorum in communi oblatorum assecutio prosperitatis privatae pro multis esset omnino imposibilis, praecise ex defectu horum mediorum; hinc societas civilis debet haec media procurare cooperatione omnium; v.c. in *ordine oeconomico* illas vias communicationis exstruendo quae sint verae utilitatis communis, cuius ope commercium facile reddatur; facile reddendo commercium epistolare et telephonicum; media laboris procurando, fovendo industriam; *in ordine morali* fovendo instructionem, etiam superiorem, aperiendo instituta scientifica; erigendo nosocomia et praesidia contra communia pericula infirmitatum.

Haec enim plerumque a particularibus non procurantur, cum ipsi attendant ad bonum proprium et remunerationem ab ipsis non spectent. Cum aliunde sint necessaria ad perfectam prosperitatem privatam civium a societate civili sunt procuranda.

1026. Confirmatur tota thesis. Ex communi praxi omnium societatum civilium, quae semper pro fine sibi habuerunt defendere

in primis iura suorum membrorum, deinde promovere plus minusve industriam, commercium, instructionem publicam, etsi deinde quoad extensionem in iis omnibus error frequenter haberetur.

1027. Corollarium. 1. *Legitimus interventus status.* Ex doctrina exposita sequitur legitimam et obligatoriam esse positivam interventionem Status sed moderatam, et limitatam principio officii subsidiarii eiusdem. Inde multiplex applicatio concreta eiusdem ad legitimandam v.c. institutionem iuridicam corporativismi, legislationem socialem quoad assecurationes diversas et subsidia familiaria pro operariis interventionem relate ad problema agrarium, et ad foedera commercialia cum aliis nationibus, institutionem scholarum technicarum, subventiones ad instructionem fovendam...

1028. 2. De publicis operibus ac subsidiis. Ad sufficientem copiam subsidiorum pertinet etiam supplere privatas deficientias, ac proinde curare ut privati, qui bona necessaria ad propriam vitam convenienter sustentandam non habent, nec sua industria illa acquirere possunt, ex publica tutela, quae sunt sibi necessaria, percipiant, si caritas privatorum hoc non efficiat. Unde Status de hac re providere debet per labores publicos, per subsidia, per nosocomia...

1029. 3. De duobus extremis vitandis. Igitur Status pari cura utrumque defectum vitare debet: a) *nimiam* scilicet interventionem, laedendo absque necessitate nativam libertatem et iura innata civium; b) *et neglectum* prosperitatis, cum manifesto damno civium. Quoad hanc secundam partem potius in genere commendandus eidem est interventus indirectus, fovendo ac iuvando activitates privatorum[9].

1030. Scholion. De fine auctoritatis civilis. Finis immediatus auctoritatis civilis est *ordinare vires sociales in finem societatis;* unde apparent limites auctoritatis. *Debet ergo in primis solum complere* vires privatorum. Quoad *tutelam* iurium auctoritas civilis habet ius absolutum directum et plenum, quia generatim intra societatem civilem ab ipsa natura violenta vindicatio iurium privatis non licet; quoad *incrementum* prosperitatis publicae ius eiusdem non est nisi conditionatum, indirectum et suppletivum; nihil ergo facere debet, si agatur de bonis non necessariis aut valde utilibus societati; vel si activitates privatae iam sibi sint sufficientes; vel si iura antecedentia civium sint violanda, neque in conflictu veniant cum fine communi.

Tendentia generalis hodierna est nimius interventus auctoritatis civilis.

1031. Obiectiones. 1. Finis diversificatur secundum diversitatem entium. *Atqui* societates civiles sunt societates diversae. *Ergo* et fines earum diversi esse debebunt; proinde nequit esse finis omnibus communis.

Resp. Dist. mai.: secundum diversitatem substantialem, *conc.;* accidentalem, *neg. Contrad. min.*

2. Societas civilis fit consensu sociorum. *Atqui* fines societatum, quae fiunt consensu sociorum, diversificantur iuxta placitum eorum

[9] Optime de hac re BALMES, *Etica* c.21-23 (BAC 3, 160-165); vide etiam BENOIST, *Las leyes de la política* vers. hisp. a VEGAS LATAPIE, p.175.186-194.

etiam substantialiter. *Ergo* finis etiam substantialis societatum civilium diversus est.

Resp. Dist. mai.: quoad exsistentiam eiusdem, *conc.;* quoad naturam et finem substantialem eiusdem, *neg. Contrad. min.*

3. Finis proprius alicuius entis maturi est simpliciter se conservare in sua naturali exsistentia. *Atqui* societas civilis est aliquod ens iam maturum. *Ergo* finis proprius societatis civilis est se conservare in exsistentia sua naturali, non vero ille assignatus in thesi.

Resp. Dist. mai.: si agatur de ente irrationali, *trans.;* si vero de ente constante ex viventibus rationalibus, *neg. Contrad. min.*

4. Finis assignatus in thesi est a priori determinatus. *Atqui* qualis sit finis societatis civilis non a priori sed a posteriori determinari debet. *Ergo* finis assignatus in thesi non est finis societatis civilis.

Resp. Dist. mai.: a priori quatenus procedit ratiocinio et analysi naturae humanae, empirice notae, ad statuendum finem naturalem societatis civilis, *conc.;* a priori, quatenus praescindat ab analysi naturae humanae, notae etiam experimentaliter et historice, *neg. Contrad. min.*

5. In prosperitate publica etiam bona animi continentur. *Atqui* cura bonorum animi non pertinet ad societatem civilem. *Ergo* cura prosperitatis publicae non pertinet ad societatem civilem.

Resp. Dist. mai.: bona mere interna, *neg.;* bona interna, quatenus per media externa omnibus publice oblata consequuntur, ideoque ad prosperitatem temporalem pertinent, *conc. Contrad. min.*

6. Prosperitas temporalis civium identificatur cum summa bonorum, ex qua illa profluit. *Atqui* ipsi cives absque necessitate societatis civilis possunt per se, saltem partim, hanc summam bonorum sibi procurare. *Ergo* finis societatis civilis non est prosperitas neque temporalis civium.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: bene et complete, iuxta exigentias naturae humanae, *neg.;* aliquo modo, sed imperfecte et non iuxta exigentias naturales hominis, *conc. Dist. pariter cons.*

7. Prosperitas publica est aliquid nimis indeterminatum ideoque expositum in praxi innumeris abusibus. *Atqui* finis naturalis societatis debet esse bene determinatus, neque abusibus expositus. *Ergo* prosperitas publica non est finis naturalis societatis civilis.

Resp. Dist. mai.: si recte inspiciatur, *neg.;* si non recte inspiciatur, vel si tantum de prosperitate sermo sit, ita ut publica cum privata permisceatur, *conc. Conc. min. Dist. pariter cons.*

8. Prosperitas publica consistit in hoc quod prosperitas privata omnibus sit communis. *Atqui* hoc modo prosperitas publica et privata de facto permiscentur. *Ergo* si prosperitas publica esset finis societatis civilis eo ipso esse deberet etiam prosperitas privata.

Resp. Dist. mai.: consequenter et remote, *conc.;* formaliter et proxime, *neg.;* nam proxime et formaliter prosperitas publica non est nisi causa prosperitatis privatae. *Contrad. min.*

9. Ex doctrina theseos sequeretur cives esse finem, cui societas civilis tamquam medium ordinari deberet. *Atqui* societas nequit esse medium relate ad membra eiusdem. *Ergo* nequit esse finis societatis civilis ille assignatus in thesi.

Resp. Conc. mai. Neg. min.

10. *Prob. min.* Cives sunt propter societatem. *Atqui* si cives essent

finis *cui* societatis, societas esset propter cives. *Ergo* societas nequit esse medium relate ad cives.

Resp. Dist. mai.: propter, sensu medii, *neg.;* sensu quod debeant cooperari ad bonum societatis, *subd.*: prout societas identificatur cum singulis et omnibus membris, *conc.;* quasi fuerit aliquid non ita identificatum, *neg. Contrad. min.*

11. Homo est propter naturam humanam evolvendam in societate civili. *Atqui* societas civilis distinguitur a membris eiusdem. *Ergo* societas, prout contradistinguitur a membris, est finis membrorum societatis.

Resp. Dist. mai.: propter naturam humanam evolvendam in societate in abstracto, *neg.;* in concreto, *conc. Contrad. min.*

12. Haec explicatio detrahit dignitatem et maiestatem societati civili, neque explicare valet cur saepe pro societate multi homines omnia sua bona privata, et ipsam vitam contemnant. *Ergo* reiicienda est.

Resp. Dist. ant.: detrahit falsam maiestatem societati civili, *conc.;* veram, quae consistit in eo quod homines iuvet ad assecutionem propriae felicitatis in hac vita, *neg.* Secundum etiam optime explicatur: nam tunc agitur de amissione bonorum vel vitae alicuius personae in particulari, non vero omnium membrorum ad bonum societatis, et ipsa lex naturalis postulat ut in discrimen adducantur bona, salus, vel vita ipsa alicuius, ut salventur bona, vel vitae ceterorum; quo in casu privati illa bona amissa cum bonis ordinis superioris commutant.

ARTICULUS V

DE CAUSA MATERIALI SOCIETATI CIVILIS

1032. Nexus. Thesibus praecedentibus vidimus originem seu causam *efficientem* societatis civilis et causam *finalem* eiusdem. Restat ut de causa materiali aliqua breviter innuamur. Haec vero duplex assignari solet, altera *personalis, realis* altera, seu populus et territorium. Pauca de singulis dicamus[1].

§ 1. De causa materiali personali

1033. Quid quaeratur. Ultro fatentur omnes causam materialem personalem societatis civilis esse multitudinem. Multitudo vero considerari potest: a) *individualiter,* i.e. aspiciendo in ipsa singula individua ut talia et inter se aequalia, ut volunt liberales, et rationalistae sequentes ROUSSEAU; *b*) ut *congregata* in quibusdam coetibus vel associationibus, sive naturalibus sive liberis.

Quaestio est utrum membra societatis sint individua ut talia, an vero diversae associationes, v.c. familiae, coetus, municipia, provin-

[1] Cf. GÜENECHEA, *Princ. Iuris polit.* v.1 p.98ss; VAN DER AA, *Ethica* prop.145-147; LLOVERA, *Sociología Cristiana* p.59-91; CATHREIN, *Philos. moral.* n.610ss; AZPIAZU, J., *Entre el individuo y el Estado:* RazFe 118 (1939) 56-69; SOIGNON, F., *La societé est elle un être reel?:* RevPhil 5 (1935) 333-346.

ciae, regiones, associationes professionales; seu aliis verbis utrum societas civilis sit aliqua societas organica, an vero inorganica.

1034. Recta responsio. Respondemus societatem civilem esse societatem organicam, seu partibus heterogeneis constare, e quibus tamen singulae suum finem immediatum, propria activitate efficiendum habent, ita ut omnes in aliquem finem communem harmonice conspirent.

1035. Innuitur probatio. Hoc facile patet ex consideratione originis ac finis societatis civilis, utrumque enim supponit familias iam constitutas, quarum activitates, ex dictis, solummodo complere debet[2].

1036. Quaenam sint immediate membra societatis. 1. *In primis familiae,* non singula individua; uxor ergo et liberi non nisi mediante familia ad societatem civilem pertinent; individua in tantum sunt membra societatis immediate in quantum sunt sui iuris, ac proinde quatenus virtualiter familiae aequivalent[3].

2. *Integrari secundo debet societas civilis coetibus socialibus,* seu diversis ordinibus et classibus, simile vitae genus profitentibus, cum ipsa natura inducat ad has associationes efformandas, ad propria et peculiaria bona uniuscuiusque classis vel professionis defendenda, cum debita subordinatione ad bonum commune; oportet ergo ut conveniente autonomia fruantur in prosecutione huius finis peculiaris, quae associationes seu coetus sponte oriri debent non vero artificiose ope auctoritatis civilis, ac vitam intrinsecam habere[4].

3. *Plerumque etiam membra autonoma societatis civilis sunt entitates locales territoriales,* ut municipia, provinciae, regiones..., quae connaturaliter postulant territorium sibi proprium, et intra eius limites iurisdictionem quamdam peculiarem exercent[5].

Merito ergo societas civilis dicitur organica, quippe quae ad similitudinem organismi componitur; non tamen haec idea est exaggeranda—cum non sit nisi quaedam comparatio—, ita ut habeatur societas, sicuti aliqui volunt, ut verus organismus vivus physicus[6].

§ 2. De causa materiali reali, seu de territorio

1037. Quomodo requiratur. Disputari solet inter auctores: *a*) aliqui existimant territorium pertinere ad *essentiam* societatis civilis; *b*) alii vero volunt esse solummodo *complementum naturale* eiusdem, et potius quam ad essentiam pertinere ad *perfectionem* societatis. Haec secunda sententia praeferenda videtur[7]. Posita enim multitudine aliqua hominum, tendentium sub aliqua auctoritate in finem communem, habemus iam completam societatem civilem; quae omnia

[2] Cf. PIUS XII, *Nuntium radioph. in festis Natal. a. 1944* n.12.

[3] Cf. *Rerum Novarum* n.11,27; *Novae condendae legis* n.11; *Fuero del trabajo español,* XII, 3.

[4] Cf. LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.2 p.246ss.

[5] Cf. de iis omnibus optime disserentem, ut solet, GÜENECHEA, *Princ. Iuris polit.* v.1 p.97-118; LLOVERA, *Sociología* p.59-92.

[6] Cf. apud LE FUR, *Précis de droit intern. public.* n.130; LLOVERA, *o. c.* n.19.21b.23b.27b.

[7] Cf. GÜENECHEA, *Principia Iuris polit.* v.1 p.26ss; CATHREIN, *Filos, morale* v.2 p.584-589.

adesse possunt, quin illa multitudo territorium aliquod fixum sibi proprium habeat, v.c. hoc modo constituta erat societas iudaeorum, dum sub Moyse ex Aegypto in Palestinam per desertum migravit per plures annos; similiter gentes quae sub aliquo duce in alias regiones migrabant, v.c. Hunni, Vandali.

Ex alia autem parte certum est populos aliquod *territorium fixum* sibi eligere, ad *permanenter* ibidem commorandum; cum vita socialis perfecta et digna fere impossibilis sit absque tali stabilitate, secus enim non daretur agricultura, neque diversa officia, artes et scientiae possent excoli, neque pax ulla esse posset.

1038. Quaenam extensio eiusdem. Certum est non requiri aliquam extensionem minimam sat amplam; aliquando sufficere potest ad veram, stabilem et tranquillam societatem civilem constituendam parva extensio.

Quod utique, etsi nostris temporibus haud facile detur, cum societatibus tam exiguo territorio fruentibus vita oeconomica atque independentia esset fere impossibilis, non tamen est omnino impossibile et de facto dantur societates civiles cum exiguo territorio, v.c. *Status Vaticanus* (44 Hect.), *Monaco* (149 Hect.), *Luxemburgo* (2.585 km²).

Hoc vero territorium generatim erit proprietas privata civium, non vero proprietas Status ut talis. Solummodo propter veras exigentias boni communis ab auctoritate civili, facta debita indemnizatione, poterit expropriari. Nulla tamen est difficultas in eo quod aliqua pars ad ipsum Statum pertineat[8].

§ 3. De feminismo seu de emancipatione feminarum

Thesis 57. In materia oeconomica aliqua maior emancipatio quam praecedentibus temporibus feminis concedenda esse videtur (I); maior etiam communicatio in iuribus politicis (II); attamen completa emancipatio politica feminarum reiicienda est (III).

PIUS XI, *Casti connubii* n.75-79; PIUS XII, *Allocutio ad mulieres catholicas italas* (21 oct. 1945); *Allocutio ad 6000 operarias italas* (15 aug. 1945); *Allocutio ad iuvenes A.C. italas* (24 aprilis 1943); CAVALLERA, *Doct. Soc. Cath.* p.138; GÜENECHEA, *Princ. Iuris polit.* v.1 p.235ss; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.3 p.380ss; DONAT, *Ethica specialis* n.542ss; CATHREIN, *Philos. moralis* p.421ss; *Filos. morale* v.2 p.571-577; GARRIGUET, *Manuel de Sociologie* p.552ss; TIBERGHIEN, *La personne de la femme:* SSF (Clermont Ferrand 1937) p.321-347.

1039. Nexus. Propter speciale momentum quod nostris diebus habet, paulo fusius agitabimus quaestionem de feminismo, quae aliunde intime connectitur cum elemento materiali reali societatis. Diximus enim membra societatis directe et immediate esse familias, non vero singula individua; caput autem familiae, ut dictum fuit (n.951) est vir. Cum autem multi nostris diebus contendant in omnibus eisdem iuribus feminas et viros gaudere, volumus videre quidnam veri, quidnam autem falsi in hac doctrina reperiatur.

---

[8] Cf. CATHREIN, *Philos. moralis* n.620-622; LE FUR, *Précis de droit intern. public.* n.316; R. de YURRE, *Lecciones de filosofía* p.100-109.

1040. Notiones. Emancipatio feminarum, seu feminismus: in genere vocatur illa doctrina, quae maiorem aut completam libertatem ac independentiam pro feminis postulat, ita ut viris in omnibus fere feminae aequiparentur.

1041. 1. Origo quaestionis. Motus emancipationis feminarum *initium sumpsit* praesertim anno 1789 in *declaratione iurium hominis,* quo tempore etiam adiuncta est *declaratio iurium feminarum.* Originem ergo habet antichristianam et revolutionariam. *Novum incrementum* accepit saec. XIX maxime in America Septentrionali, in Anglia, atque in Gallia. *Socialistae et communistae plenam deinde* aequalitatem in omnibus iuribus inter hominem et feminam defendunt. *Nostris temporibus* defensores etiam inter catholicos invenit, propter rationes morales, oeconomicas et sociales.

1042. 2. Causae feminismi. 1. *Maior feminarum conscientia* de propria dignitate, aptitudine, ac maiori cultura intellectuali, quae omnia antea non satis agnita fuerunt in detrimentum feminarum.

2. *Immoderatum studium emancipationis,* quod ex falsis principiis circa naturam humanam enascitur; necnon erronea doctrina circa societatem, familiam, plenam omnium aequalitatem atque libertatem.

3. *Hodierna anarchia spiritualis* et profanatio matrimonii, quae multas feminas in immoderatas libertates prosequendas impellunt.

1043. 3. Natura problematis. Plures quaestiones sunt hic distinguendae: 1. Non quaeritur utrum sit damnandus *status fere servilis,* in quo non raro antea mulier inveniebatur, ac nunc apud quosdam populos incultos reperitur, haec enim emancipatio a servitute iam diu perfecta est apud populos cultos, ope praesertim doctrinae christianae.

2. In materia *oeconomica et sociali* quaeritur utrum feminis et puellis, iis maxime quae ad classem mediam pertinent, et fabricas non adeunt, aditus ad novas occupationes et munera sit aperiendus, v.c. ad munera communalia, ad munera administrativa in negotiis industrialibus et mercantilibus, ad munera docendi, ad artes medicas...

3. In materia *politica* quaeritur utrum feminae ampliora iura politica accipere debeant ad suffragium tam activum quam passivum, ad munera administrativa et iudicialia.

4. In materia *familiari* quaeritur utrum iura feminarum in familia sint amplificanda, ut v.c. ius proprietatis, auctoritas in res domesticas et in educationem filiorum, ita ut caput familiae non sit vir, sed ex aequo vir et mulier.

5. In materia *scholari* quaeritur utrum feminae, ut munera praedicta rite adimplere possint, uberiorem educationem intellectualem et technicam accipere debeant, eisque scholae mediae et superiores sint aperiendae.

1044. 4. Conditio naturalis feminae. Ut vero iis omnibus quaestionibus recta solutio reddi possit, consideranda in primis est *natura ipsius feminae.* Haec vero:

1. Quoad vires corporales musculorum et nervorum generatim est longe inferior ac vir.

2. Quoad qualitates psychologicas etiam magna differentia inter

ipsam et virum invenitur: *a*) femina *excedit* activitate sensitiva, vivacitate et mobilitate phantasiae, teneritudine et vi sentimentorum, prompta apprehendendi facultate; b) *minori* vero quam vir pollet facultate reflectendi, ratiocinandi, ideas abstractas et principia tractandi constantia et vi voluntatis.

Mulier potissimum illis dotibus excellit quae matribus familias ornare solent: amore, cura rerum minimarum, teneritudine, patientia, obsequio, modestia, ordinis studio; minus vero apta est studiis sublimioribus, rebus mature deliberandis, difficultatibus frangendis, regimini exercendo.

3. QUOAD FINEM PECULIAREM IPSIUS differt etiam a viro. Etsi enim quatenus *sunt entia rationalia* eumdem essentialem finem ac viri mulieres habeant, nempe beatitudinis perfectae assecutionem, ac consequenter eisdem iuribus essentialibus gaudeant; tamen *quatenus sunt feminae,* etsi non unice, peculiariter utique ab ipsa natura ordinantur atque aptantur, ut matrimonio iunctae uxores et matres sint.

Uxor autem et mater curam rei domesticae gerere, educationem filiorum se tradere, familiae unitatem et iucunditatem curare, curam religionis et morum invigilare, marito obtemperare debet. Quae officia et occupationes reliquis omnibus momento sociali superant, ac feminas —dum viribus pollent—, ita impediunt, ut aliis laboribus aut nullo modo, aut saltem non simili ac viri sese tradere possint.

Ideo congruum quidem est ut feminae propriam personalitatem ac facultates explicare et perficere queant, ita tamen ut, quod in ipsis est peculiare vel salus socialis, nullum exinde detrimentum capiant.

Praeterea omnibus feminis, etiam inuptis, *peculiaria sunt* omnia illa opera in quibus cura aliqua materna exercenda est, ut iuventutis maxime parvulorum educatio, cura infirmorum, solatium et iuvamen pauperibus, aliaque caritatis ac beneficentiae opera. Vehementer ergo optandum est ut feminae egregias ipsarum dotes naturales his modis impendant, genuinam hominum culturam fovendo atque augendo, religionem et mores generis humani custodiendo. Si vero ab iis rebus paulatim evocantur, ac earum indoles et finis peculiaris viciatur, generi humano irreparabile damnum infertur.

Punctum fundamentale in hac quaestione stat in dignitate feminae tuenda [9].

1045. 5. **Delimitatio quaestionis.** Bene ergo distinguendum est quid sit immoderatum, quid vero moderatum et acceptabile, ne cum socialistis, communistis, liberalibus, ac omnibus hodiernis defensoribus emancipationis feminarum ipsis illimitatum accessum ad omnia munera et plenam aequalitatem cum viris concedamus; neque easdem e contra avocemus a legitimis iuribus et postulatis.

Iis praemissis praecedentibus quaestionibus solutionem rectam tradere tentemus.

Probatur. 1.ª Pars: In materia oeconomica feminis aliqua maior emancipatio concedenda.

1046. *Eo quod eisdem sit necessaria ad vitam.*

Maior emancipatio in materia oeconomica feminis nostris temporibus concedenda est, si eisdem illa sit necessaria. *Atqui* nostris

[9] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad mulieres catholicas italas* (21 oct. 1945).

temporibus necessaria est feminis maior emancipatio in materia oeconomica quam temporibus anteactis. *Ergo* in materia oeconomica nostris temporibus maior emancipatio feminis concedenda videtur.

Mai.: Per se patet.

Min.: 1. Ex Statisticis constat numerum feminarum in adulta aetate fere semper in omnibus nationibus numerum virorum excedere[10], quamvis numerus puerorum qui nascuntur excedat numerum puellarum[11]; plurimae ergo feminae matrimonium inire nequeunt, ideoque eisdem nova via aperienda est, ut, quae sibi ad vitam sunt necessaria, acquirere possint.

2. Multi viri classium mediarum vel inferiorum nunc matrimonium vel omnino non contrahunt, vel valde sero, propter difficultates oeconomicas, vel propter alias rationes[12]. Ideo praeter viduas, quae sunt multae[13], aliae puellae inuptae manere debent, et per se ipsas vitae suae providere.

3. Feminae, etiam nuptae, iam non possunt, sicut antea, in domesticum laborem productivum incumbere, quia multa quae antea domi fiebant nunc in fabricis producuntur, et ipsi viri, quos domi iuvare poterant, foris laborare debent, ideo propter penuriam domesticam extra domum laborare coguntur, quia salarium virorum ad familiam sustentandam plerumque non sufficit.

Iis ergo rationibus generatim, dato hodierno statu industriae et vitae oeconomicae, concedendus videtur accessus feminis ad omnes labores quaestuosos, et per se ad omnia munera, ad quae gerenda aptae sint, dummodo non obstent vel boni mores (in laboribus subterraneis et nocturnis) vel defectus virium, vel bonum familiae (quoad uxores matres familias).

Facilius ergo accedere poterunt ad hos labores inter alios, v.c. ad administrationem postalem, ad mechanographiam, ad faciliores operas textiles et sartorias, ad instructionem praesertim puellarum... Quoad opera caritatis et socialia, iis praesertim feminis, quae non indigent laborare ad propriam sustentationem, in primis commendanda est initiatio in praedictis operibus, cum sit optimus campus apostolatus et feminis valde proprius.

2.ª Pars: Etiam maior communicatio in iuribus politicis.

1047. In materia politica maior quam antea iurium politicorum communicatio cum feminis, velut amplius ius suffragii activi [Pius XII, *Alloc. ad mulieres catholicas,* n.20; *Alloc. ad 6.000 operarias,* n.4; *Alloc. ad iuvenes catholicas,* 12-mai-1946]; et passivi et amplior accessus ad munera publica admittendus et conveniens esse videtur, si hoc societati utile et aliunde non inconveniens appareat. *Atqui* aliqua maior cum feminis communicatio in iis omnibus utilis societati, nec aliunde inconveniens est. *Ergo* eisdem concedenda videtur, saltem non nuptis.

Mai.: Plana videtur.

---

[10] Cf. *Anuario estadístico de España* a.1942 p.42-43, statisticas pro Hispania in suo complexu; et p.50s pro singulis regionibus; pro reliquis nationibus p.132-135.

[11] Cf. *Anuario estadístico,* in singulis regionibus p.50s; sed iam circa annum 18 excedit numerus puellarum.

[12] *Anuario estadístico* p.151.

[13] *Anuario estadístico* p.43.

Min.: a) *non inconveniens* videtur; nam nulla incommoda ex modica hac concessione in talibus iuribus timenda apparent.

b) *valde utilis* esse videtur; quia feminae ad bona idealia religionis, honestatis, matrimonii, educationis... conservanda maiorem generatim sensum et fervorem habent quam viri; praesertim ad quaedam munera municipalia administranda, v.c. ad curam iuventutis, pauperum, orphanorum, ad administrationem fabricarum, scholarum et similium, atque ad quaedam munera iudicialia valde aptae apparent [15].

3.ª Pars: Completa emancipatio politica feminarum reiicienda est.

1048. 1. *Eo quod vir sit caput familiae.*

Spectatis feminis secundum earum capacitatem et indolem generalem, et suppositis circumstantiis politicis communiter contingentibus munus politice repraesentandi familiam *naturaliter* ad virum pertinet, qui propter maiorem suam prudentiam est caput naturale familiae. *Atqui* completa emancipatio politica feminarum huic naturali suprematiae viri supra feminam obstaret. *Ergo* reiicienda est.

Mai.: Patet ex dictis (n.951).

Min.: Suprematia politica naturaliter ad familiarem duceret, ordinem naturalem hoc pacto perturbando.

1049. 2. *Ex inconvenientibus quae sequerentur ex hac independentia.* Noceret enim: a) *Auctoritati mariti,* ob frequentes discordias, quae exinde orirentur; b) *Naturali muneri mulieris,* quod praesertim consistit in interna administratione domus atque in educatione puerorum; vita vero publica nimis occupat mentem et detrahit tempus plus quam quod aliqui existimant; c) *Eius dignitati et virtuti,* parum enim decet feminas frequenter in publicum prodire, atque a familia separari; d) *Ordini et decori familiae* atque naturali eiusdem relationi ad civitatem; e) *Ipsi gestioni publicae,* eo quod femina generatim magis moveatur affectibus quam rationibus.

Haec omnia incommoda, quae ex emancipatione completa politica feminarum orirentur, aut saltem grave periculum ipsorum, evenirent ex ipsa indole generali feminarum; semper ergo darentur.

1050. Scholion. 1. **De independentia in materia familiari.** Non maior concedenda est feminis emancipatio in hac re, quam quae eisdem in nationibus cultis concedi solet; modo ergo sufficienter praecaveantur abusus in re oeconomica, qui ex parte viri possint evenire, semper certum erit caput familiae esse virum non autem feminam, quae, etsi non sit serva, subiicitur tamen auctoritati viri [16].

1051. 2. **De independentia in re scholari.** *In genere* et absolute non prohibenda sunt studia altiora feminis, nempe adire Universitates, libros scribere, aliaque similia; etsi feminae ab ipsa natura altius munus acceperint. *In specie aliqua studia superiora,* ut v.c.

[14] PIUS XII, *Alloc. ad 6000 operarias* n.2.

[15] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad mulieres catholicas* n.14-20; *Allocutio ad 6000 operarias* n.4; *Allocutio ad iuvenes catholicas* (12 maii 1946) in fine; CAVALLERA, *Doctr. Soc. Catholique* p.148ss.

[16] Cf. PIUS XI, *Casti connubii* n.45-48.

pharmaciae, cum ipsis maxime consonant; ars medica in genere dissuadenda mulieribus videtur, nam ad illam exercendam generatim minus aptae sunt propter vividam sensibilitatem; peritia tamen in arte medica ad curam infirmorum, praesertim proprii sexus et infantium, eisdem utilis esse potest. Ad studia vero superiora, in quibus principia abstracta exponuntur et diiudicantur, ut sunt philosophia, iurisprudentia, scientia politica..., generatim minus aptae sunt feminae, et facile sententias erroneas admittunt[17].

Cursus vero pro utroque sexu, quantum fieri possit, *separati* esse debent. Secus non solum ingentia pericula moralia imminent, sed neque ipsa educatio et instructio accommodatae esse poterunt; indoles enim puerorum et puellarum eorumque sortes futurae sunt diversae, ideoque diversam postulant educationem.

Praeterea, si cursus essent communes, cum generatim pueri puellis ingenio sint superiores, aut puellae nimis onerarentur, aut pueris non satisfiet.

ARTICULUS VI

DE AUCTORITATE CIVILI IN SPECIE

1052. Nexus. Egimus de origine et de subiecto primigenio auctoritatis civilis. Nunc magis in particulari volumus examinare eius extensionem seu comprehensionem obiectivam, diversos modos quibus potestas politica per derivationem acquiri possit, diversas formas quas induere valeat, denique functiones diversas eiusdem.

§ 1. De comprehensione obiectiva auctoritatis civilis

1053. 1. Principia generalia ad solvendam quaestionem[1]. Volumus in hac parte videre quousque potestas civilis se extendere possit in diversis quaestionibus, quae in societate civili contingunt nempe in quaestionibus materialibus seu oeconomicis, in moralibus, in religiosis; oportet ergo in promptu habere quaedam principia generalia et fundamentalia ad rectam solutionem in omnibus dandam.

1. *Potestas civilis habet omnia illa iura* atque sola illa, quae eidem sint necessaria ad convenientem consecutionem finis eiusdem; patet ex fine societatis.

2. *Potestas civilis nihil potest praecipere,* quod contra certam voluntatem divinam sit. Cum enim omnis auctoritas a Deo descendat, eidem non potest concedere potestatem pervertendi ordinem a se Ipso statutum.

3. *Potestas civilis in distribuendis bonis et oneribus* communibus tenetur servare iustitiam distributivam; cum hoc postulet bonum commune.

4. *Potestas civilis gubernare debet* iuxta legitimum modum gu-

[17] Cf. *Anuario estadístico* p.248s, numerum feminarum, quae Universitates in Hispania frequentant.

[1] Cf. CATHREIN, *Filos. morale* v.2 p.593-604; *Phil. moralis* n.623ss.

bernandi in unaquaque societate; hoc enim pacto servabuntur iura subditorum tam naturalia quam positiva.

1054. Praedictis quattuor principiis auctoritas civilis normam infallibilem habet in exercitio propriae activitatis; subditi etiam in ipsis invenient tutelam propriae libertatis et independentiae, quantum hae cum vita sociali consistere possunt.

Agentes de fine societatis civilis vidimus huiusmodi esse tueri iura subditorum atque publicam prosperitatem positive promovere; auctoritas ergo civilis *directe* omnia iura subditorum defendere debet, tam iura privata individuorum, familiarum atque associationum particularium, quam iura publica seu relationes inter cives et societatem civilem, atque inter societatem civilem et alias societates, in primis Ecclesiam; ad ipsam etiam directe pertinet positiva promotio omnium bonorum quae ad publicam prosperitatem requiruntur, ut dictum est.

Quidquid etiam necessarium sit ad assecutionem praedictorum ad auctoritatem civilem pertinet, ut v.c. electio et institutio officialium publicorum, exactio tributorum, erectio tribunalium..., haec vero ad ipsam *indirecte* pertinent.

1055. 2. **De publica honestate.** Ex dictis exsurgere potest difficultas aliqua. Cum morum honestas ad bonum publicum maxime conferat, pertinebit etiam *directe* ad auctoritatem publicam cura de honestate morum?

a) *Honestas privata,* quae consistit in actibus potissimum interioribus uniuscuiusque, quibus normae moralitatis naturalis vel supernaturalis sese accommodat, ad auctoritatem civilem minime pertinet, cum de mere internis iudicare nequeat; haec praeterea honestas privata per se ad bonum commune, communi cooperatione assequendum, non refertur.

b) *Honestas publica,* quae consistit in tali conformatione societatis, quae non solum incitamenta vitiorum avocet, quantum possibile sit, sed etiam virtutem positive promoveat atque ad illam alliciat, utique pertinet ad conditiones necessarias prosperitatis communis, atque ad illam activitas auctoritatis civilis sese extendit.

1056. Quid cura publicae honestatis postulet. 1) Ut impediat illa omnia quae exercitio virtutis obsistere possint, v.c. publicum meretricium, ludos obscenos, libros contra bonos mores; 2) ut legislatio talis sit, ut non modo non impediat praxim virtutis, sed etiam illam positive promoveat; 3) ut munera publica illis viris commendet, qui exemplo ceteris esse possint.

1057. 3. **De cura religionis in ordine mere naturali.** Quaeritur utrum ad auctoritatem civilem pertineret cura religionis, in hypothesi quod societas aliqua supernaturalis—Ecclesia—cui cura religionis fuerit commissa, non exsisteret.

Affirmative respondendum videtur. Nam societas ipsa, qua talis, ad reddendum cultum Deo tenetur (propter beneficia accepta, propter necessitatem cultus religiosi pro ipsa societate civili, denique propter necessitatem eiusdem pro ipsis subditis);[2] cum autem in

[2] Cf. LEO XIII, *Immortale Dei* n.11-12.

ordine mere naturali non adesset alia societas, saltem publica, cui cura religionis commissa esset, sequitur curam religionis ad ipsam auctoritatem civilem pertinere, quae nomine societatis huiusmodi munus adimpleat.

Si vero aliqua societas privata ad hoc efformaretur, haec necessario ab auctoritate publica penderet, sicut quaelibet aliae societates ordinis mere privati. Haec vero potestas intra limites longe restrictiores contineretur ac nunc potestas supernaturalis Ecclesiae.

§ 2. De relationibus inter societatem civilem et Ecclesiam

A. De relatione negativa

Thesis 58. Reiicienda est omnimoda separatio inter Ecclesiam et societatem civilem.

Ottaviani, A., *Inst. Iuris publ. eccl.*, 2 ed. v.2 p.75ss; R. Sotillo, *Comp. Iuris publ. eccl.* 2 ed. (Santander 1951); Cappello, F., *Summa iuris publici Eccles.* 3 ed. p.266ss; Bendiscioli, *La Política de la Santa Sede* vers. hisp. 1943, p.35-50; Chenon, *El papel social de la Iglesia* p.146ss; G. Martínez, F., *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam* p.1-45; Maritain, J., *Primacía de lo espiritual* vers. hisp. a Mariano Argüello (Buenos Aires 1947); Castañeda, E., *El poder indirecto en el Dr. Navarro:* ArchTeolGran 6 (1942) 63-93; Cathrein, *Filos. morale* v.2 p.604-624; Donat, *Ethica* v.2 p.238ss.

1058. Nexus. Habemus factum exsistentiae huius societatis, quae appellatur Ecclesia, quae sese dicit societatem perfectam, supernaturalem, quaeque manifeste probat suam constitutionem et proprietates praedictas talibus argumentis, quae etiam in ordine mere philosophico negari minime possint. Hoc posito quaerendum nobis est quales debeant esse relationes inter has duas societates perfectas, simul et in eodem loco exsistentes, nempe inter societatem civilem et Ecclesiam.

1059. Notiones. 1. Ecclesia: *est societas supernaturalis, visibilis, perfecta et independens, a Christo Domino Nostro instituta, et ab eius Vicario, Pontifice Maximo, gubernata, ad curam directam religionis et ad salutem aeternam animarum*[1].

a) *Societas:* seu multitudo aliqua hominum stabiliter unita in finem communem sub aliqua auctoritate. b) *Supernaturalis*: propter originem eiusdem et maxime propter media et finem. c) *Visibilis*: nam sunt visibilia: elementum eiusdem materiale (homines), elementum formale, et media. d) *Perfecta:* quia habet omnia elementa et potestatem quae requiruntur ad finem suum, independentem, acquirendum. e) *Independens:* nullo enim modo a qualibet alia societate dependet. f) *a Christo D.N. instituta,* qui et Ecclesiam condidit, eique suam divinam missionem tradidit. g) *Gubernata a Vicario eiusdem,* seu monarchice constituta. h) *Religiosa,* ipsi enim commissa

[1] Hanc definitionem sumimus e documentis ecclesiasticis, cf. v. c. Leo XIII, *Immortale Dei* n.13-18; theologi et canonistae illam luculenter probant, cf. v. c.: Salaverri, J., *De Ecclesia Christi:* Sacrae Theol. Summa. (BAC Madrid 1950) v.1 tr.3 p.785ss.

fuit *cura directa religionis*. i) *Supernaturalis:* nam ab ipsa respicitur *salus aeterna animarum*.

1060. 2. SEPARATIO: intelligitur illud regimen in quo societas civilis Ecclesiam ut rem mere *privatam* habeat, atque a vita publica seiunctam.

1061. QUID IMPORTET: 1) *Negative*: In regimine separationis Ecclesia non habetur ut corporatio iuris publici, neque agnoscitur eiusdem iurisdictio, neque ordinationes eiusdem ab auctoritate civili defenduntur, neque ministris cultus privilegia conceduntur, velut exemptio a servicio militari, vel a tributis, neque eisdem subsidia elargiuntur; ministerium Ecclesiae in organismis publicis, v.c. in scholis, in exercito... non admittitur. 2) *Positive:* Ecclesiae secundum ius omnibus commune libertas tribuitur ut in modum societatis cuiusdam privatae se instituat, quae in omnibus subiacet legibus societatum privatarum, cum iuribus et obligationibus eisdem adnexis.

Dummodo ergo legibus civilibus non adversetur, Ecclesia libera erit in rebus internis, in cultu, in doctrina, in regimine; quaelibet bona eiusdem et iura ab auctoritate civili defenduntur.

Auctoritas vero civilis sibi arrogat ius in res omnes etiam religiosas propria auctoritate moderandas, in quantum vitam civilem attingunt, ut v.c. scholas, matrimonium, funebria, dominia.

N. B. Non adest proprie separatio si tantum libertas cultus habeatur, vel si paritas omnibus religionibus tribuatur; hoc enim non obstante, potest Ecclesia iuribus et privilegiis corporationum publicarum gaudere, maxime quoad ordinationem scholarum, quoad regulationem matrimoniorum iuxta doctrinam Ecclesiae.

De facto perfecta separatio nullibi datur, cum contactus inter utramque societatem vitari nequeat; ideo ad summum potest esse plus minusve perfecta; aliquando instituitur ad vitandum regimen persecutionis et hostilitatis (separatio amicalis); aliquando vero —quod plerumque accidit—, ad vexandam et opprimendam Ecclesiam et coarctandam eiusdem libertatem in praedicatione in administratione bonorum, in condendis scholis (separatio hostilis).

1062. Status quaestionis. Supponimus factum institutionis Ecclesiae, hancque esse societatem perfectam, visibilem, spiritualem, universalem, plane liberam.

Inter ipsam et societatem civilem permixte exsistentes, diversae relationes dari possent[2]:

a) *Amicitiae seu perfectae concordiae,* si nempe intime et perfecte unitae sint, sese mutuo revereantur ac sincere adiuvent.

b) *Inimicitiae et persecutionis* (separatio hostilis), si nempe societas civilis Ecclesiam insectetur et persequatur, etiam ut associationem privatam.

c) *Separationis* (separatio amicalis), *libertatis, indifferentiae,* si nempe societas civilis Ecclesiam neque positive adiuvet, neque persequatur, sed potius ab ea praescindat, illam considerando non ut

[2] Cf. CAPELLO, *Summa Iuris publici Eccles.* p.270ss; CHENON, *El papel social de la Iglesia* p.171 n.50; BENDISCIOLI, *La politica de la Santa Sede* p.45ss.

societatem perfectam sed ut mere privatam, sicuti quamlibet aliam societatem, v.c. litterariam, industrialem...

Quaeritur in thesi: hoc regimen separationis est regimen de se admittendum?

1063. Sententiae. 1.ª *Tenet hegemoniam societatis civilis,* et supremam potestatem auctoritati civili tribuit, Ecclesiam omnino societati civili subiiciendo. Post MARSILIUM PATAVINUM (saec. XIV), qui hoc systema professus est, multi deinde *regalistae* omni tempore illud defendunt, necnon multi moderni *iuristae positivistae.*

2.ª *Separationem perfectam defendunt* praecipue *liberales,* qui Ecclesiam liberam volunt in templis eiusdem atque in aliquibus actibus, non in omnibus, *vitae privatae;* in universa tamen activitate externa illam subiectam volunt auctoritati civili, quae directe in rebus ecclesiasticis potest intervenire, neque patiuntur ut Ecclesia, ut aiunt, sese immisceat in *rebus politicis,* sic abusive appellando quamlibet activitatem externam Ecclesiae[3].

Quid simile videntur defendere aliqui auctores nostris temporibus, duce MARITAIN.

3.ª *Nostra sententia.* Nos ut certum defendimus huiusmodi regimen separationis minime esse *per se* optandum; non tamen negamus aliquando illud *per accidens* ut minus malum tollerari, vel etiam exoptari posse, ad vitandam apertam persecutionem Ecclesiae, etiam ut societatis privatae. Quandonam vero detur causa sufficiens ad permittendum huiusmodi regimen apud ipsam Ecclesiam est determinare.

1064. Probatur. 1.° *Ex sapientia divina.* Christus instituens Ecclesiam non potuit velle regimen deordinatum atque perturbationibus obnoxium. *Atqui* tale erit regimen omnimodae separationis inter Ecclesiam et societatem civilem. *Ergo* regimen separationis inter Ecclesiam et societatem civilem per se est reiiciendum.

Mai.: Evidens est data infinita sapientia, et sanctitate conditoris Ecclesiae.

Min.: Saepe duae sunt exercendae iurisdictiones supra eosdem subditos, in eodem territorio, circa eamdem materiam, eodem tempore, v.c. circa dies festos, circa impedimenta matrimonii... Hinc si societas civilis non agnoscat Ecclesiam ut societatem perfectam, neque admittat eiusdem personalitatem iuridicam, et supremam potestatem circa res proprias, necessario erunt conflictus; una enim societas declarare potest v.c. festivum diem aliquem, alia vero non; una declarare matrimonium aliquod validum, alia vero invalidum...

1065. 2.° *Ex obligatione, quam societas civilis habet, tribuendi cultum Deo.*

Societas civilis, in ordine in quo invenimur, tenetur Deo tribuere cultum catholicum. *Atqui* hoc importat necessariam relationem inter Ecclesiam et societatem civilem. *Ergo* nequit admitti regimen omnimodae separationis inter Ecclesiam et societatem civilem.

Mai.: Deo enim debetur cultus, quem Ipse vult; Ipse vero expresse manifestavit se velle ut omnes Eidem cultum catholicum tribuant.

[3] Cf. LEO XIII, *Libertas* n.22.47ss.

Min.: Cura huiusmodi cultus catholici expresse Ecclesiae a Deo est commissa; ergo societas civilis nequit sibi arrogare ordinationem huiusmodi cultus. Ad Ecclesiam ergo pertinet magistratibus et officialibus publicis praecipere ut caeremoniis religiosis adstent, illaque instituere quae cum cultu sociali sint connexa.

1066. Doctrina Ecclesiae circa hanc rem. Optime declaratur: A LEONE XIII, *Immortale Dei* n.19,33-36.44; *Libertas* n.16-24, ubi exponuntur et refelluntur doctrinae liberalismi, et maxime n.46-50; a PIO XI, *Dilectissima nobis* n.6.

1067. Obiectiones. 1. Finis societatis civilis est prosperitas publica in hac vita obtinenda; finis vero Ecclesiae est felicitas aeterna, seu in alia vita. *Atqui* utraque societas optime suum finem obtinere potest, quin ullam relationem cum alia habeat. *Ergo* non debet reiici separatio inter societatem civilem et Ecclesiam.

Resp. Dist. mai.: ita ut debeat subordinari fini ultimo seu felicitati perfectae in alia vita, *conc.;* secus, *neg. Contrad. min.*

2. Ut Ecclesia suum finem obtinere possit sufficit ut intra suam sphaeram habeat libertatem. *Atqui* in regimine separationis inter Ecclesiam et societatem civilem haec libertas Ecclesiae conceditur. *Ergo* non est reiicienda separatio Ecclesiae ab Statu.

Resp. Dist. mai.: libertatem sibi debitam, *conc.;* solum tollerantiam et aliquam libertatem, sed non omnem quae Illi debetur, *neg. Contrad. min.*

3. Regimen diversum a regimine separationis supponit auctoritatem socialem cognoscere veram religionem. *Atqui* plerumque hoc non accidit. *Ergo* saltem tunc melius est regimen separationis.

Resp. Dist. mai.: posse, si velit, cognoscere illam, *conc.;* aliter, *neg. Contrad. min.* Religio enim vera signis evidentibus se ostendit omni, qui velit illam cognoscere

4. In societate in qua diversae religiones a civibus profiterentur—ut plerumque accidit—, agnoscere unam non vero alias ut societatem perfectam, odium contra cultores illius religionis gigneret. *Atqui* tunc hoc regimen noceret ipsis cultoribus verae religionis. *Ergo* saltem tunc praeferendum est regimen separationis.

Resp. Dist. mai.: et hoc nocumentum proveniret ex malitia illorum hominum, *conc.;* ex natura ipsius regiminis, *neg.* Ideo in praxi Ecclesia videbit quid convenientius sit ad vitanda maiora mala. Nunc enim exposuimus doctrinam, quae *ex natura* societatis civilis et Ecclesiae sustinenda est.

5. Praeferendum videtur regimen separationis societatis civilis ab Ecclesia; nam hoc modo aliae societates civiles quae Ecclesiam non agnoscunt, sive ex culpa sive inculpabiliter, eodem modo movebuntur ad tollerandam religionem catholicam ut societatem mere privatam; secus, si in nationibus catholicis haec tollerantia cum aliis religionibus non habeatur, neque urgeri poterit tollerantia cum religione catholica in aliis nationibus.

Resp. Neg. assert. Tollerantia erroris, ad hoc ut etiam veritas tolleretur, *de se* est reiicienda. Sola enim veritas ius habet ad regnandum in intellectibus hominum. Aliunde incommodum, quod sequeretur, non ex natura religionis et ex reverentia erga religionem veram proveniret, sed extrinsece et ex malitia hominum.

6. Praxis separationis, v.c. in Statibus Unitis A.S. demonstrat esse regimen optimum[4].

Resp. Dist. assert.: Per accidens in aliquibus regionibus, *conc.;* per se, et ut regimen ideale, *neg.*

B. De positiva relatione inter Ecclesiam et societatem civilem

Thesis 59. In rebus mere civilibus status est ab Ecclesia independens (I); in rebus moralibus et religiosis Ecclesia est ab Statu independens (II); in rebus vero mixtis, nisi mutua concordia per conventionem obtineatur, suprema auctoritas est penes Ecclesiam (III).

1068. Nexus. Vidimus Ecclesiam et societatem civilem non posse esse separatas; nunc volumus videre quales relationes de facto inter ipsas exsistere debeant.

1069. Notiones. Res mere civiles. Intelliguntur res illae, quae ex suo fine, seu destinatione, ad prosperitatem mere temporalem tendunt, v.c. exactio tributorum, ordinatio servitiorum publicorum, ordinis custodia, salubritas publica, defensio nationis, viae communicationis, servitia postalia et telephonica...

1070. Res mere morales et religiosae. Vocantur illae omnes res, quae ad mores vel ad salutem animarum unice spectant: v.c. fides, administratio sacramentorum, praedicatio evangelii...

1071. Res mixtae. Appellantur res illae, quae duplicem simul aspectum offerunt, temporalem nempe et religiosum.

a) *Per se mixtae* sunt illae res quae ex *sua natura* hunc habent duplicem aspectum, v.c. matrimonium inter christianos, educatio[5].

b) *Per accidens mixtae* sunt illae res, quae ex natura sua sunt res mere temporales, sed *per accidens* aspectum religiosum induunt, v.c. ordinatio exercitus, quae ex natura sua est actio mere temporalis, ita tamen illum ordinare ut milites sacrum adire die festo non possint, aspectum religiosum induit; possessio alicuius aedificii est res mere temporalis, si vero hoc aedificium ad cultum destinetur, vel ad commorationem personarum sacrarum, aspectum religiosum participat[6].

1072. Mutua conventio. Conventio mutua intelligitur modus procedendi pacifice in his rebus, praevie determinando quid unicuique societati practice in qualibet re pertineat, mediante aliquo pacto mutuo, quod *concordatum* vel *modus vivendi* solet appellari. *In hoc vero pacto* unaquaeque pars aliquantulum e suo iure *cedit,* ut perfecta et mutua concordia haberi possit, bene limitando quid ad utramque societatem pertineat in iis rebus mixtis; v.c. in servitio

[4] Cf. Chénon, *El papel social de la Iglesia* p.172.

[5] Cf. Pius XI, *Divini Illius* n.28; Mérida, *Carta pastoral sobre la restauración cristiana de la enseñanza* (Astorga 1947) p.40-41.

[6] Cf. Rodríguez Sotillo, *Comp. Iuris publi. eccles.* p.210ss.

militari clericorum, in associationibus iuvenum, in educatione, in matrimonio...

Notemus concordata non esse neque unicam, neque perfectiorem solutionem [7].

1073. Status quaestionis. Sunt res et quaestiones quae ex natura sua sunt mere temporales, neque ullo modo dicunt relationem ad spirituales; de iis agimus in *prima* parte, ut videamus utrum in iis habeat aliquam interventionem Ecclesia; e contra sunt aliae quae unice offerunt aspectum spiritualem; de iis agimus in *secunda* parte ut videamus utrum societas civilis in iis possit aliquo modo intervenire; sunt denique aliae quae ex natura sua ad utramque societatem pertinent; de iis agimus in *tertia* parte, ut videamus cuius sit ultima et definitiva decisio in casu conflictus, et quomodo ii possint praeveniri.

1074. Sententiae. 1.ª Est illorum qui thesim praecedentem adversantur.

2.ª *Aliqui,* forte multi, *medioaevales* [8], universam potestatem, et spiritualem et temporalem, a Deo Ecclesiam fuisse concreditam affirmabant, ita ut principes non nisi ex potestate accepta a Romano Pontifice populos regerent, ideoque iurisdictioni Ecclesiae directe subderentur. Ii ergo Statum concipiunt instar diocesis alicuius [9].

3.ª *Liberales radicales et regalistae.* Ecclesiam omnino dependentem ab Statu faciunt. Pro iis Ecclesia est quasi instrumentum quoddam Status; haec est etiam doctrina hodiernorum statolatrorum sub omni specie [10].

4.ª *Omnes liberales moderati* in rebus mixtis suprematiam Statui supra Ecclesiam concedunt [11].

5.ª *Nostra sententia*: *a*) in *prima* parte asserimus plenam independentiam Status in rebus mere temporalibus; *b)* in *secunda* vero plenam independentiam Ecclesiae in rebus mere moralibus et religiosis, i.e. in iis quae ad sanctificationem animarum unice spectant; *c)* in *tertia* vero statuimus suprematiam Ecclesiae in rebus mixtis, seu defendimus illam quae a multis appellatur *potestas indirecta* Ecclesiae in res temporales, ratione elementi spiritualis cum illo temporali coniuncti.

Proinde in hac tertia parte asserimus subordinationem indirectam Status in omnibus quae, etsi natura sua sint temporalia, vel cum spiritualibus sunt unita vel ad illa referuntur, proinde ratione finis vel destinatione [12].

---

[7] Cf. optime de hac re EXCMUM. D FIDELEM GARCÍA, *Credo Sanctam Catholicam* n.38; BENOIST, *Las leyes de la política* p.205ss.

[8] Cf. CASTAÑEDA, *El poder indirecto...*: ArchTeolGran 5 (1942) 69ss.

[9] Cf. CHENON, *El papel social de la Iglesia* p.148.

[10] Cf. *Syllabus* prop.19.20.24.

[11] Cf. *Syllabus* prop.41.42.54.

[12] Cf. *Código social de Malinas* n.53-56; GARCÍA, FIDEL, *Credo...* n.33-35.38; PILATI, G., *Bonifacio VIII e il potere indiretto:* Antonianum 8 (1933) 329-354; CASTAÑEDA, *El poder indirecto* p.67-68 (hic bene exponit quaenam sint elementa potestatis indirectae); YABEN, *El poder indirecto de la Iglesia y sus aplicaciones actuales:* RevEcles 5 (1933) 131-153; 6 (1934) 257-273.

Probatur. 1.ª pars: In rebus mere civilibus Status est omnino independens

1075. *Eo quod Ecclesia non probet se habere in iis ullam potestatem.*

Status gaudet illa independentia, quam ante institutionem Ecclesiae habebat, nisi probetur limites huic independentiae per institutionem Ecclesiae fuisse appositos. *Atqui* ante institutionem Ecclesiae Status habebat plenam independentiam in rebus mere temporalibus, nec potest probari eidem limites per institutionem Ecclesiae fuisse appositos. *Ergo* Status in rebus mere temporalibus est ab Ecclesia independens.

Mai.: Status enim est in possessione potestatis.

Min.: a) *Quoad 1.ª partem* ex natura Status et ex historia.

b) *Quoad 2.ª partem:* 1) *Non probatur indirecte,* nam haec limitatio indirecta non haberet rationem nisi ex fine Ecclesiae. Iam vero finis Ecclesiae—sanctificatio animarum—hos limites non postulat, cum ad hoc minime requiratur ut Ecclesia possit res mere civiles ordinare, v.c. determinare tributa exigenda ab Statu, leges agrarias condendas, etc.; immo hoc esset potius nocivum fini Ecclesiae, quia innumeras offensiones excitaret.

2) *Neque probatur directe* ex positiva voluntate Iesu-Christi talem potestatem Ecclesiae tribuentis, nam nullibi talis voluntas ostenditur.

3) *Ecclesia expresse fatetur* potestatem in rebus mere civilibus Ipsi minime competere[13].

2.ª pars: In rebus moralibus... Ecclesia est ab Statu independens.

1076. 1. *Ex positiva voluntate Christi.*

Illam independentiam Ecclesia, ut societas, habere credenda est, quam Christus eidem conferre voluit. *Atqui* Christum Ecclesiae in rebus mere spiritualibus et moralibus potestatem plene independentem contulit. *Ergo* Ecclesia in rebus moralibus et spiritualibus plenam independentiam habet.

Mai.: Cum Christus, Ecclesiae institutor, sit Deus, potest Ecclesiae conferre potestatem, quam libere velit.

Min.: a) *Iesus-Christus communicavit* omnimodam potestatem regalem, quam Ipse habebat, Ecclesiae in Apostolis repraesentatae: (Io. 18-37: *rex sum ego;* Mt. 28,18: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* Mt. 28,20: *euntes ergo docete omnes gentes).* Iam vero Christus non est rex sine regno, nec habet regnum sine iuribus supremis; cum autem regnum perdurans Eiusdem sit Ecclesia, eidem tradidit potestatem quam Ipse habebat, seu supremam, independentem relate ad finem supernaturalem eidem commissum[14].

b) *Sic intellexerunt ab initio Apostoli,* qui semper tamquam potestate suprema et independenti instructi circa res morales et spirituales sese gesserunt, etiam contra legislatores supremos et contra reges humanos evangelium praedicando, administrando sacra-

[13] Cf. Leo XIII, *Immortale Dei* n.20; *Diuturnum illud* n.29.
[14] Cf. Leo XIII, *Immortale Dei* n.16.

menta, quod utique eisdem non liceret, si Ecclesia in spiritualibus non esset independens ab Statu [15].

1077. 2. *Ex necessitate finis Ecclesiae.*

Christus assignavit Ecclesiae finem necessario attingendum; omnia igitur, quae ad hoc sint necessaria, eidem tradidit. *Atqui* ut Ecclesia finem suum assequi possit, requiritur ut habeat plenam independentiam ab Statu in rebus moralibus et spiritualibus. *Ergo* Ecclesia in rebus moralibus et spiritualibus est independens ab Statu.

Mai.: Mc. 16,16: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Min.: Spectatis diversitate gentium et mutabilitate regnorum, cum Ecclesia sit regnum universale, omnino necessaria eidem est plena independentia in spiritualibus et moralibus; secus perpetuae variationes in legibus eiusdem et in modo agendi ab Statibus exigerentur, cum maximo detrimento animarum.

1078. 3. *Ex praestantia Ecclesiae.*

Christus velle non potuit potestatem altiorem ab alia inferiore pendere. *Atqui* potestas Ecclesiae est altior, quam potestas Status, ut patet ex origine et fine earum. *Ergo* Ecclesia non dependet in spiritualibus et moralibus ab Statu [16].

1079. Corollarium. 1. Applicationes quaedam independentiae Ecclesiae. Ecclesia ergo independens est in docendo; in sacramentis administrandis; in ordinando cultu divino; in legibus ferendis iisque cum fidelibus communicandis; in electione tam episcoporum quam parochorum; in clericis instituendis; in poenis decernendis, quarum effectus ab Statu agnoscendus est; in fundandis et fovendis ordinibus religiosis, quorum membris ius est, ut sub directione Ecclesiae consilia evangelica sequantur.

Similiter ius habet libere acquirendi et administrandi res materiales, sine quibus nulla societas humana exsistere potest.

Status vero nullo prorsus modo potest impedire communicationem episcoporum vel parochorum cum suis fidelibus, nullum a fortiori requiritur *placet regium,* vel *exsequatur* gubernii civilis ut actus ecclesiastici valorem habeant, neque multa alia similia, quae hodierni Status sibi attribuunt, eisdem vere competunt.

Omnes etiam leges civiles, quae circa spiritualia versentur, si absque consensu Ecclesiae ferantur, et iura eiusdem infringant, invalidae prorsus sunt, cum careant debita competentia [17].

1080. 2. **De potestate indirecta Ecclesiae.** Eruitur etiam ex prima et secunda parte nullam habere Ecclesiam *potestatem directam* in Statum, aut e contra, saltem si spectetur relatio inter iurisdictiones ut tales.

Potestas *directa* societatis alicuius versus aliam datur cum una societas alteri ratione finis proprii subest, si nempe idem finis ab

---

[15] Cf. EXCMUM. D. F. GARCÍA, *Credo...* p.20-21; SALAVERRI, *De Ecclesia Christi* n.937-971.

[16] Cf. LEO XIII, *Immortale Dei* n.20.

[17] Cf. EXCMUM. D. F. GARCÍA, *Credo* p.23 scholion, et p.38 scholion.

alia societate etiam intendatur directe, sic, v.c. provincia vel regio ab Statu directe pendent. Potestas *indirecta* datur cum una alteri subest ratione finis a potestate superiore intenti; vel si utraque societas ad eamdem rem sed sub diversa ratione referuntur; ordo enim tunc postulat ut ius superioris praevaleat; sic potestas patris familias Statui subest. Cum datur potestas indirecta unius societatis supra aliam, tunc datur dependentia indirecta societatis inferioris a societate superiore.

3.ª pars: In rebus mixtis... suprema auctoritas est penes Ecclesiam.

1081. *Ut corollarium theseos praecedentis.*

Inter potestates Ecclesiae et Status aliqua relatio adesse debet. *Atqui* nulla alia recta relatio exsistere inter ipsas potest, nisi Ecclesia habeat supremam auctoritatem in rebus mixtis. *Ergo* in rebus mixtis suprema auctoritas est penes Ecclesiam.

Mai: Ex thesi praecedenti.

Min.: Aliae relationes praeter praedictam non essent rectae:

1) In 1.ª et 2.ª parte huius theseos exclusimus potestatem directam Ecclesiae in res mere temporales, et Status in rebus moralibus et spiritualibus.

2) Decisio suprema de re, in qua adest aliquid spirituale et aliquid temporale, *nequit indirecte penes Statum esse;* hoc enim esset deordinatio, cum rem superiorem alteri inferiori subordinaret. *Ergo* non restat nisi ut suprema decisio sit apud potestatem spiritualem, eo quod res temporalis indirecte ab spirituali dependet, ex dictis corollario 2º partis praecedentis.

1082. Doctrina Ecclesiae circa relationes inter ipsam et Statum in rebus mixtis egregie exponitur a LEONE XIII, *Immortale Dei* n.19-21.

1083. Scholion. De Concordatis. Circa concordata notemus regimen concordatarium non esse regimen ideale; nam in iis semper Ecclesia cedit aliquid absque ulla compensatione; illae enim quae compensationes apparent aliunde Ipsi iam debentur. Tamen Ecclesia concordata acceptat et promovet, eo quod maxime concordiam et pacificas relationes cum societate civili exoptat [18].

1084. Obiectiones. 1. Statui iure naturali commissa est cura prosperitatis publicae. *Atqui* cura prosperitatis publicae requirit etiam curam religionis. *Ergo* cura religionis pertinet etiam ad Statum.

Resp. Dist. mai.: dependenter vel independenter, *conc.;* independenter, *subd.:* quoad res mere temporales, *conc.;* quad religionem, *subd.:* in ordine mere naturali, *conc.;* in ordine supernaturali, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

2. Si hoc admittatur iura Status per Ecclesiae institutionem minuta sunt et eius condictio facta est peior, quod nequit admitti. *Ergo* Status nullo modo ab Ecclesia dependet.

Resp. Dist. ant.: quoad alia praeter religionem, *neg.;* quoad religionem, *subd.:* quoad privatam, quae nunquam Statui subiiciebatur,

[18] Cf. EXCMUM. D. F. GARCÍA, *Credo*... n.38 cum nota.

neg.; quoad publicam, *subd.*: quoad potestatem eam ordinandi e definiendi, *conc.;* quoad potestatem eam tuendi et promovendi, *neg.;* haec potius amplificata est, quia nunc se extendit etiam ad protectionem iurium Ecclesiae.

Conditio Status simpliciter non facta est peior, conditio enim Status christiani simpliciter est melior; solum secundum quid facta est inferior, nempe quatenus eius potestas minuta est in sensu explicato.

3. Si Ecclesia esset ab Statu independens tunc haberemus Statum intra Statum. *Atqui* nequit admitti Status intra Statum. *Ergo* non est Ecclesia independens ab Statu.

Resp. Dis. mai.: Ecclesia est in Statu, ut societas eiusdem finis et potestatis, *neg.;* tamquam societas ordinis altioris, *conc.* Potius Status est intra Ecclesiam, nam haec est universalior. *Contrad. min.* (cf. Excmum. D. F. García, *Credo*... n.29-30).

4. Status ius habet impediendi, ne detrimentum aliquod ab Ecclesia patiatur. *Atqui* si decisio in rebus mixtis ad Ecclesiam pertineret Status ab Ecclesia pati posset detrimentum. *Ergo* suprema potestas in iis rebus non est penes Ecclesiam.

Resp. Dist. mai.: mediis competentibus, ut v.c. monitis, informationibus, postulationibus..., *conc.;* incompetentibus, ut exercendo iurisdictionem in rebus moralibus et spiritualibus absque concessione Ecclesiae, *neg. Contrad min.* (cf. optime *Credo*... p.37).

5. Ecclesia est societas spiritualis. *Atqui* societati spirituali non competit potestas in temporalia. *Ergo* in rebus mixtis potestas suprema est penes Statum.

Resp. Dist. mai.: ratione finis, *conc.;* ratione personarum et mediorum omnium, *neg. Contrad min.:* si sub omni ratione esset spiritualis, *conc.;* secus, *subd.:* potestas directa in temporalia, *conc.;* indirecta, *neg.*

6. Ecclesia non habet vim coactivam. *Atqui* ut aliqua societas possit esse perfecta et independens requiritur ut habeat vim coactivam. *Ergo* Ecclesia non est societas perfecta et ab Statu independens.

Resp. Dist. mai.: per media spiritualia, *neg.;* per physica, *subd.:* non habet ius ad coactionem physicam exercendam vel per se vel per recursum ad potestatem civilem, ad postulandum auxilium eiusdem, *neg.;* saepe non habet actualem potestatem cogendi per vim physicam directe, si auctoritas civilis eidem deneget cooperationem, *conc.* Hoc vero ad essentiam iuris non requiritur. *Contrad min.*

7. Ad societatem perfectam et independentem requiritur ut habeat territorium. *Atqui* Ecclesia non habet territorium. *Ergo* non est societas perfecta et independens.

Resp. Dist. mai.: in quo veram iurisdictionem possit exercere, *conc.;* in quo etiam potestatem civilem, seu in temporalia habeat, *subd.:* generatim requiritur ad societatem civilem, *conc.;* ad societatem quamlibet, *neg.* Aliunde Ecclesia etiam habet hoc territorium, etsi minimum. *Contrad. min.*

8. Si haec essent vera tribuenda esset Ecclesiae potestas indirecta fere in omnibus rebus temporalibus, cum omnia possint cum spiritualibus coniungi. *Atqui* haec est doctrina omnino inadmissibilis. *Ergo* non competit Ecclesiae potestas indirecta in rebus mixtis.

Resp. a) Si vera sunt argumenta, non est reicienda doctrina eo quod debeat extendi ad plura, quam quod multi credunt. *b)* Sunt

multa quae nullum conflictum cum fine spirituali Ecclesiae generant; et ad haec non se extendit potestas indirecta Ecclesiae.

9. Haec doctrina nec cum nostris temporibus nec cum dignitate Status congruit, et aliunde impossibile est ut ad praxim deducatur. *Ergo* debet reiici.

Resp. Dist. ant.: non congruit nostris temporibus cum ideis erroneis, quas multi habent circa potestatem Status, et circa eiusdem dignitatem, *conc.;* non congruit cum obiectiva veritate, et cum recta existimatione dignitatis Status, *neg.* Non potest in praxim deduci in integra sua puritate, propter exaggeratum statismum fere ubique vigentem, *trans.;* non potest deduci in praxim saltem modo determinato per concordata inter Ecclesiam et Statum, in quibus Ecclesia benignissime e suo iure aliquantulum cedere solet in bonum pacis et harmoniae, *neg.*

10. Ecclesia sibi vindicavit potestatem directam etiam in res mere temporales. Nam Bonifacius VIII in Bulla *Ausculta fili,* ait: *constituit enim nos Deus super reges et regna;* et in Bulla *Unam Sanctam,* ait: *Porro subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.*

Resp.: In iis testimoniis, ut constat tam ex contextu quam ex historia, Bonifacius VIII tantummodo asserit potestatem indirectam Ecclesiae in res temporales, seu ratione elementi spiritualis, cum quo coniunguntur, seu ut dicitur verbo iam classico *ratione peccati* (cf. Chenon, *o.c.* p.153ss; Pilati, G., *o.c.* p.329-354.)

§ 3. De potestate auctoritatis civilis in rem scholarem

1085. Praenotanda. En quaestio summi momenti, in qua omnes fere Status limites a natura sibi assignatos omni quidem tempore, maxime nostris diebus, transgrediuntur. Ideo diligenti cura a nobis tractanda est.

Duplex controversia agitatur in hac materia: *a)* Psychologica, quae potius in pedagogia solvitur, quomodo nempe internus ordo scholarum atque mutua diversarum scholarum relatio sit instituenda; in qua potissimum ingreditur, quae *reformatio scholaris* solet appellari. De hoc aspectu quaestionis nihil dicemus, etsi maximi sit momenti. b) *Iuridica,* seu quinam habeant ius ad educationem tradendam; tres enim societates inveniuntur, quae huiusmodi ius in scholas sibi vindicant, *familia, Ecclesia, et societas civilis.*

Sub hoc aspectu iuridico consideramus quaestionem, ut videamus quid unicuique ex iis societatibus iure incumbat.

Claritatis gratia agemus: *a)* de iure parentum seu familiae; *b)* de iure Ecclesiae; *c)* de iure Status.

A. De iure et officio parentum relate ad educationem filiorum

Thesis 60. Ius directum et immediatum curandi educationem filiorum in ordine mere naturali per se ad solos parentes pertinet.

Pius XI, *Divini illius; La educación de la juventud:* coment. y glosas a la Carta Encíclica sobre la educ. cristiana de la juventud, por la Redacción de "Razón y Fe"; Mérida, *Carta pastoral sobre la educación cristiana en toda clase de escuelas* (Astorga 1947); Chenon, *El papel social de la Iglesia* p.301ss; Donat, *Ethica specialis* p.448; Cathrein, *Filos. morale* v.2 p.625ss; Coulet, *L'Église et le Problème de la Famille:* IV, *L'École et le Foyer* (Paris 1927); Güenechea, *Principia Iuris politici* v.2 p.365ss; Hormaeche, *Ethica: Quaestiones difficiliores* p.34ss; Izaga, L., *El derecho a enseñar:* RazFe 101 (1933) 145-166.446-470.

1086. Notiones. Educatio: *est formatio totius hominis, ut talis evadat, qualis esse debet in ordine ad consecutionem finis ultimi eiusdem* (cf. *Divini illius* n.5).

1087. Perfecta educatio complectitur instructionem et educationem in sensu stricto.

1. *Instructio*: intelligitur complexus cognitionum quae ab homine acquiri possunt, sive propria observatione et ratiocinio, sive studio librorum, sive magisterio alieno. Haec vero potest esse:

a) *Primaria*: quae habetur in scholis elementariis, ac consistit in arte legendi, scribendi, computandi, et in rudimentis reliquarum disciplinarum, ut v.c. Geographiae, Historiae, Geometriae...

b) *Secundaria*: quae habetur in Lyceis seu Collegiis, ac consistit in studio compendiario omnium artium atque scientiarum, quae culturam propriam alicuius aetatis determinatae constituunt, ut fundamentum ad studia ampliora alicuius disciplinae particularis.

c) *Superior*: quae habetur in Universitatibus vel Academiis professionalibus, ac consistit in ampliatione alicuius artis aut scientiae cum eiusdem auxiliaribus, suppositis studiis compendiariis omnium artium et scientiarum in instructione secundaria habitis.

2. *Educatio* potest intelligi in sensu stricto et in sensu lato:

a) *In sensu lato*—prout antea descripta fuit—, complectitur integram hominis formationem, tam in aspectu physico, quam in morali et in intellectuali.

b) *In sensu stricto* intelligitur formatio moralis hominis, consistens in complexu habituum moralium, qui necessarii sunt, ut homo virtutem exerceat, atque difficultates in adiunctis determinatis vincere possit.

1088. Ius educandi: intelligitur *facultas subministrandi puero media educationis.* Hoc vero ius potest esse:

1. *Directum,* si obiectum huiusmodi iuris sit ipsa educatio, non aliud cum educatione connexum. Quod iterum subdividitur in: a) *directum per se*: si nempe illud ius primario et ordinarie possidetur; b) *directum per accidens*: si illud ius tantum in casibus extraordinariis et in defectu habentis illud per se possidetur. Hoc ius directum per accidens Statui concedimus in educationem.

2. *Indirectum,* si obiectum huiusmodi iuris non est ipsa educatio, sed aliud cum educatione connexum. Sic Statui competit indirecte ius in educationem; quatenus habet ius cogendi parentes, ut rite suo munere educandi adimpleant.

3. *Immediatum,* si a lege naturali proxime alicui conceditur ipsum ius, absque ullo alio intermedio. Qui ita ius aliquod possidet, illud exercet nomine proprio.

4. *Mediatum,* si tantum illud ius aliquis possidet remote, i.e. mediante alio cui natura immediate ipsum ius concessit. Sic in doctrina liberali parentes habent ius solummodo mediatum in educationem puerorum, quatenus ex delegatione Status illam tradunt; in doctrina recta quilibet cui a parentibus proprii filii ut educentur fuerint commissi.

1089. Status quaestionis. Agimus de educatione in sensu lato, quae, ut dictum fuit, complectitur educationem in sensu stricto et instructionem.

Thesis proponitur in ordine mere naturali; nam in ordine supernaturali educatio, relate ad illa quae ad hunc ordinem supernaturalem pertinent, primario ad Ecclesiam pertinet; et parentes non sunt nisi legitimi et naturales mandatarii Ecclesiae.

Volumus videre cuinam ab ipsa natura directe imponatur officium educandi infantes, ac consequenter cui concedatur ius eosdem educandi.

1090. Sententiae. Innumeri inveniuntur qui affirment ius educandi pueros non ad parentes, sed ad Statum primo et primario pertinere[1]. Haec doctrina a saeculo XIX in plerisque nationibus sub di-

[1] Cf. Leclercq, *Leçons de droit naturel* v.3 p.447ss.

versis formis fuit propugnata. Duae tamen sunt praecipuae tendentiae, quae per diversas vias in eumdem finem perveniunt; alia enim est tendentia liberalis, alia vero statalis.

1091. 1.ª LIBERALES: a) *Qui defendunt ius ad amorem liberum* familiam negligunt, quam impedimentum ad divortia facilius perpetranda considerant; ideoque libenter proponunt et acceptant ius Status, et obligationem ipsius ad directam et immediatam educationem liberorum.

b) *Defensores iurium hominum* parentibus prohibent quominus quidquam contra libertatem conscientiae puerorum agant. Statui vero ius et obligationem invigilandi concedunt, ne haec libertas filiorum laedatur. Ideo ad Statum iuxta ipsos pertinet educatio puerorum [2].

1092. 2.ª STATISTAE OMNES idem defendunt: Status, iuxta ipsos, est unicus, qui ad educationem adolescentibus impertiendam ius habet; haec est doctrina fundamentalis in omnibus systematibus statistis: fascistis, nacistis, communistis [3].

Pro omnibus ergo non est Status mandatarius parentum cum de educatione filiorum agitur; sed e contra familia est mandataria et vicaria Status.

1093. Probatur. *Ex officio naturali parentum educandi filios* [4].

Ab ipsa natura parentibus impositum est directe et immediate: *a*) officium educandi filios suos; *b*) et quidem per se unice ipsis. *Atqui* qui habent officium ab ipsa natura im-

---

[2] *Aliqua testimonia auctorum liberalium:*

"Parentes in educandis pueris sunt delegati ac mandatarii Status" (COUSIN); "In re educationali unica domina est voluntas nationalis" (GAMBETA); "Sola patria habet ius educandi filios" (ROBESPIERRE); "Filii potius sunt patriae quam parentum" (DANTON).

Cf. MONTI, *La libertad de enseñanza* (Madrid 1930) p. 320ss; cf. apud LECLERQ, *o. c.* v.3 p.448, declarationem Ginebrinam anni 1923; quae optime refutatur a COULET, *L'Église et le problème de la famille:* IV, *L'École et le Foyer* conf.1ª p.27ss.

[3] *Aliqua testimonia auctorum statolatrorum:*

Educatio totalis et integralis hominis itali unice Statui competit tanquam functio eiusdem fundamentalis et primordialis; est functio praecipua eiusdem" (MUSSOLINI, *Allocutio in consilio ministrorum*, 28 martii 1928); "In instructione scholari hodie intervenit Status... infantes cogendo ad instructionem, absque praevio consensu parentum..." (HITLER, *Mi lucha* p.208; cf. *Mit brennender Sorge* n.30-31). Historia vero quaestionis scholaris apud Germaniam nacistam bene exponitur in opere *El Cristianismo en el tercer Reich* v.1 p.123ss.129. 131.192.199ss.

"Iura parentum in educationem suorum filiorum carent fundamento... nemo enim suam perfectionem acquirere potest nisi in societate... Societas habet ius primordiale ac fundamentale in educationem iuventutis" (BOUKARINE, *ABC du Communisme*).

[4] Cf. *Divini illius* n.16.

positum et quidem exclusive, habet etiam ius exclusivum ad illud. *Ergo* ius directum et immediatum curandi educationem filiorum in ordine naturali per se ad solos parentes pertinet.

Mai.: a) *Officium educandi imponitur parentibus.* Nam cura directa educationis est naturale complementum procreationis prolis, nam sine ea filii versarentur in gravi necessitate tum materiali tum spirituali. Iam vero natura intendit res perfectas. Ergo officium educandi imponitur illis qui vitam conferunt (cf. *Casti connubii,* n.13).

b) *Per se et primario unice ipsis.* Nam per se illi soli sunt capaces idoneae educationis; quia educatio exigit maximam abnegationem et unitatem. Iam vero haec abnegatio per se et generatim solum invenitur in parentibus propter coniunctionem et amorem erga filios; similiter unitas in educatione solum haberi potest si tota parentibus subiiciatur, apud quos necessario filii debent manere.

Min.: Quantum se extendit officium se extendit ius; qui exclusive habet responsabilitatem alicuius rei, habet etiam ius ad hoc ut nemo in illa re sese immisceat absque licentia ipsius.

N. B. 1) Hoc ius parentum est inalienabile et inviolabile, non vero despoticum, sed subordinatum ultimo fini, ac legi naturali et divinae[5], recognoscitur a legibus civilibus[6], et protegitur ab Ecclesia[7].

2) Possunt vero adimplere hoc officium sive directe et immediate per se ipsos, sive mediantibus magistris a se electis[8].

1094. Scholion. De iure parentum in ordine supernaturali. In hoc ordine quidquid ad religionem pertinet, *directe* et *exclusive commissum est Ecclesiae;* et parentes *sunt mandatarii* nati Ecclesiae relate ad educationem filiorum in materia religiosa, ut apparet ex naturali connexione inter educationem profanam et religiosam, ita ut absque gravi ratione Ecclesia non possit parentum munus aliis committere.

Ordo ergo supernaturalis munus parentum in educatione filiorum non modo non tollit, sed illud urget ex triplici capite: *a)* ex maiore cognitione finis hominis; *b)* ex sublimiore indole eiusdem; *c)* denique ex clara atque determinata notione a Christo Domino Nostro exposita malitiae scandali, et consequenter ratione responsabilitatis in materia educationis. Solummodo ergo in ordine supernaturali munus parentum mutatur relate *ad primatiam* quoad res religiosas.

Haec, ut patet, valent agentes de pueris baptizatis, qui solummodo sunt subditi Ecclesiae.

1095. Obiectiones. 1. Infantes sunt membra societatis. *Ergo* ei committi debent ut educentur.

---

[5] *Divini illius* n.17.
[6] *Ley de educación primaria española* (18 iulii 1945) a.2.
[7] *Divini illius* n.19-20.
[8] Pius XI, *Dilectissima nobis* n.12; Mérida, *Carta pastoral...* p.29ss.

Resp. Dist. mai.: immediate, *neg.*; mediante familia, *conc. Dist. pariter cons.:* immediate per se, ex suo fine, atque propriis mediis, *neg.;* mediante familia; vel ex defectu ipsius, immediate per se, *conc.* (cf. *Divini illius* n.17).

2. Ad auctoritatem civilem directe pertinet ius vigilandi pro bono communi. *Atqui* bonum commune multum pendet ab educatione. *Ergo* educatio directe et immediate ad auctoritatem civilem pertinet.

Resp. Conc. mai. et min., sed *neg. consequentiam.* Aliud enim est bonum commune maxime ab educatione pendere, aliud vero bonum commune partim in educatione consistere. Ex sua definitione bonum commune est illud quod privati assequi nequeunt, cum tamen illo indigeant; generatim vero activitas privata familiae, vel aliorum a familia electorum, ad educationem sufficit. Sufficit ergo ut auctoritas socialis invigilet ut parentes suo officio fungantur; ac si aliquando deficientiam videat, illam suppleat (cf. *Divini illius* n.22.)

3. Parentibus non competit ius educandi filios proprios nisi nomine societatis, non vero iure proprio et primario. *Ergo* ius directum et immediatum in educationem filiorum primario competit Statui non parentibus.

Resp. Neg. antec. Haec obiectio nititur falso supposito; supponit enim, quod falsissimum est, omnia prorsus iura ab Statu provenire. Iura vero parentum sunt anteriora Statui (cf. *Divini illius* n.16).

4. Parentibus competit utique educatio, non vero instructio, quae ad Statum directe et primario pertinet.

Resp. a) Instructio ab educatione in sensu lato inseparabilis est, quia est pars eiusdem. *b)* Etiam in *sensu stricto* accepta educatio ab instructione nequit separari, quia puer in prima aetate debet instrui, ita ut eius educatio minime patiatur; iam vero primum et praecipuum in instructione debet esse cura religionis et efformationis characteris; quo deficiente, nihil boni habebitur. Magistri uno momento omnes conatus parentum destruere possunt.

5. Hoc modo inculcantur iura infantium, qui ius habent ne eisdem imponantur contra suam voluntatem determinatae ideae, vel sentimenta, vel religio. *Atqui* si educatio ad parentes pertineret, possent filiis suis imponere determinatam religionem vel ideas contra voluntatem eorum. *Ergo* educatio non pertinet ad parentes directe et immediate.

Resp. Neg. mai. Agitur de pueris qui necessario debent influxum accipere a medio externo; huiusmodi vero influxum a parentibus potius quam ab aliis accipiendum dicimus. Neque infans habet ius ad ideas falsas, neque ad religionem falsam, ideoque parentes non inculcant iura infantium, cum illos efformant in religione quam ipsi veram existimant. Parentes e contra obligationem habent defendendi proprios filios ab omnibus erroribus, et malis in omni ordine: materiali, morali, intellectuali. Si vero agatur de abusu parentum iam diximus ius eorum non esse despoticum, ac subiici debere legi naturali et positivae divinae.

B. De iure et officio Ecclesiae relate ad educationem

1096. Praenotanda. Claritatis gratia bene distinguere debemus quaenam sint iura Ecclesiae relate ad educationem religiosam, quaenam vero eidem competant in educatione profana [9].

1097. 1. Relate ad educationem religiosam. Habet ius directum, immediatum et exclusivum positivo-divinum. Quod patet tribus potissimum rationibus:

1. *Ex magisterio authentico eidem commisso.* Ipsi namque commissum fuit a Domino Nostro Iesu Christo *munus instruendi omnes homines* in rebus religiosis usque ad finem mundi. Ut vero rite hoc munus sibi concreditum adimplere possit, Ecclesia insignita est dotibus supernaturalibus ac aliis qualitatibus necessariis; ipsa habet depositum veritatis revelatae, est administratrix sacramentorum, atque auctoritate infallibili pollet. In hac ergo missione educandi in rebus fidei et morum habet Ecclesia potestatem universalem, independentem et supremam (cf. *Divini illius* n.10).

2. *Ex titulo maternitatis spiritualis.* Quod enim est familia in ordine naturali, est Ecclesia in ordine supernaturali; Ecclesia enim est mater quae per baptismum infantes ad vitam gratiae generat; habet ergo auctoritatem et ius ad educationem spiritualem omnium baptizatorum (cf. *Divini illius* n.11).

3. *Eo quod sit societas perfecta et independens* cum omnibus mediis necessariis ad assecutionem finis ipsius; inter quae media includi debet ius ad educationem (cf. *Divini illius* n.11).

1098. Relate ad educationem in rebus naturalibus. 1. Ius positivo-divinum indirectum. Quia Iesus-Christus simul cum obligatione docendi omnes gentes veritates religiosas, eidem imposuit obligationem incolume servandi depositum revelationis, idque contra omnes incursiones adversariorum defendendi.

Ex quo sequitur Ecclesiae competere: a) *ius invigilandi omnem educationem,* ut ex illa nihil damni educatio supernaturalis capere possit; b) *ius aperiendi scholas pro omni*

[9] Praeter opera initio quaestionis proposita consuli possunt: Guerrero, E., *Derechos de la Iglesia a enseñar materias profanas aun en Universidades propias* (Madrid 1944); Michel, A., *Scolaire* (Legislation): DTC 14, 1667-1691.

disciplina et in omni gradu. Hoc ius est consequentia necessaria potestatis directae eiusdem in formationem supernaturalem baptizatorum, quae esset omnino vana si non haberet ius ad impedienda illa quae ex scientiis profanis in periculum ipsam fidem et mores adducere possint (cf. *Divini illius* n.11-14).

Aliunde instructio seu efformatio intellectualis in quavis disciplina est pars educationis vel optimum medium ad illam.

1099. *Quousque se extendat.* Ratione huius iuris sive directi in res religiosas, sive indirecti in res naturales, Ecclesia potest: a) *urgere parentes baptizatos* ut convenientem educationem religiosam suis filiis tradant, nomine ac delegatione Ecclesiae, ut mandatarii ipsius (IC. c.1372,2; *Divini illius* n.45); b) *eosdem obligare* ut ministris Ecclesiae ne impediant quominus ipsi directe et immediate pueris educationem religiosam tradant (IC. c.1381,1382); c) *eosdem obligare* ut iussis legitimae auctoritatis ecclesiasticae se conforment, cum aditum ad determinatam scholam prohibeat (IC. c.1374); d) *parentes obligare* ad subordinandam educationem profanam religiosae institutioni (IC. c.1372,1); e) *denique liberos baptizatos directe* et immediate instruendos in se suscipere, etiam invitis parentibus, si id necessarium fuerit.

Haec vero omnia iura Ecclesiae, ut patet, ab auctoritate civili agnosci et, si opus fuerit, protegi debent, nullo modo possunt impediri (cf. *Divini illius* n.14; pro Hispania cf. *Ley de educ. primaria* a.3 et 55).

1100. 2. IUS NATURALE MEDIATUM SEU DELEGATUM. a) *Ecclesia, sicuti alia quaelibet associatio,* et sicuti quilibet homo, ius habet ad educationem mere temporalem tradendam in omnibus disciplinis illis omnibus pueris, qui a suis parentibus curae Ecclesiae tradantur.

b) *Speciali modo Ecclesiae hoc ius competit,* eo quod longissimo temporis lapsu suam singularem aptitudinem ad hoc officium comprobaverit, cum ipsa mater sit scholarum et eruditionis in omnibus disciplinis. Ipsa est scholarum omnium superiorum et Universitatum creatrix ac per longissimum tempus unica, quae illas coluit in suis ecclesiis vel monasteriis [10].

Ecclesia ergo habet ius aperiendi scholas ad instructio-

[10] PIUS XI, *Divini illius,* n.14; BRIDE, A., *Universités:* DTC 15 2230-2268; GUERRERO, E., *Las Universidades de la Iglesia:* RazFe 123 (1946) 310-328; CHENON, *El papel social de la Iglesia* p.325ss; ESPASA, verbum ESPAÑA p.1061ss.

nem in omni gradu, elementario, medio, superiore pro omnibus prorsus adolescentibus, qui ad illas accurrere velint, nec quisquam eidem exercitium huiusmodi iuris impedire potest.

Ipsa expressis verbis hoc ius sibi reclamat: *Ecclesiae est ius scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi* (IC. c.1373).

Hoc ius se extendit etiam ad infideles seu non christianos in quavis mundi plaga (cf. *Divini illius* n.14).

1101. De iure docendi associationum religiosarum. In specie associationes seu Congregationes Religiosae ius habent aperiendi scholas cuiusvis generis, in quibus tradere possint educationem et instructionem tam profanam quam religiosam, tam nomine parentum quam nomine Ecclesiae, illis omnibus qui libere ad ipsas accurrere velint.

Qui vero eisdem impedit exercitium huiusmodi iuris violat: a) *ius ipsarum congregationum;* b) *ius parentum,* qui possunt tradere proprios filios educandos nomine ipsorum personis sibi gratis; c) *ius Ecclesiae,* quae statuta harum congregationum cum hoc munere approbavit, et speciatim mediantibus ipsis ius educandi exercet; scholae enim harum congregationum sunt scholae publicae Ecclesiae [11].

1102. Rationes in contrarium adductae ad arcendos religiosos a munere educandi omnino valore carent. 1) Historia enim constat illas habere *capacitatem* et aptitudinem professionalem ad huiusmodi munus rite exercendum. 2) Constat etiam ipsas habere *dotes morales* et quidem gradu excellentiori ad hoc officium. 3) Historia teste abunde etiam probatum est alumnos in congregationibus religiosis educatos habere *amorem patrium,* et quidem maiori gradu quam ceteri alumni. 4) Membra praeterea congregationum religiosarum generatim possident maiori gradu quam reliqui *abnegationem,* ad recte educandum et instruendum requisitam. 5) Cum aliunde apud Congregationes religiosas maior *independentia* a rebus politicis habeatur, constat ipsas aptissimas esse ad pueros educandos et instruendos in qualibet etiam profana disciplina.

Qui igitur contra ius Congregationum religiosarum ad scholas insurgunt id faciunt unice moti vel ignorantia, vel

[11] Cf. *Divini illius* n.14.19.21.31; Mérida, *Carta pastoral* p.25; F. Regatillo, *Los Colegios de los religiosos:* Sal Terrae 35 (1947) 40-46; *Declaración de la CEE sobre algunos errores* (1951) p.18ss.

passione, vel egoismo, vel inimicitia contra Ecclesiam, educationem quam laicam appellant vel neutram imponere cupientes [12].

C. De iure Status in educationem

1103. Praenotanda. Tres proponuntur diversae solutiones in quaestione: 1) alii defendunt *unice* Statum habere ius ad scholas (monopolium scholare Status); 2) alii affirmant Statum *nullo modo* habere ius ad scholas (regimen abstentionis ex parte Status in materia scholari); alii media via incedentes Statui concedunt ius ad docendum sed simul cum reliquis, sive particularibus, sive privatis associationibus (regimen concurrentiae).

Ex his tribus solutionibus, ex dictis, prima statim apparet illegitima et falsa; secunda de se esset unica vera; de facto tamen, per accidens, tertia solutio fere ubique propter circumstantias speciales societatum, ut legitima habenda est.

1. *Legitimitas abstentionis Status in re scholari.*

1104. 1) Concluditur ex thesi praecedenti. Parentibus enim directe et immediate officium et ius educandi incumbit. Ipsi educationem incipiunt; deinde propter angustias temporis, vel propter defectum sufficientiae ad educationem, vel propter absentiam vitae familiaris (cf. *Divini illius* n.44) generatim alios magistros in auxilium vocant, illisque educationem filiorum committunt ut suo nomine educationem filiorum prosequantur. Sunt qui magistrum aliquem specialem apud illos afferre possint; ordinarie vero magistrum aliquem communem quaerunt pro multis pueris.

1105. 2) Concluditur ex fine Status. Finis Status non est nisi *supplere* deficientiam privatorum; dum ergo particulares sive laici, sive ecclesiastici, sive singillatim, sive associati, hoc munere docendi recte et sufficienter fungi possint, non est cur Status in hac re se immisceat.

Associationes ergo vel individua privata, scholas parentibus pro omni gradu culturae, etiam superioris, offerre possunt, rite utique eorum aptitudine atque morali dispositione probata, et sub tutela auctoritatis publicae, modo deinde explicando.

1106. 3) Quid hoc regimen importet. Importat *plenam libertatem* pro illis, qui educationis onus suscipiant, in

[12] Cf. Pío XI, *Dilectissima nobis* n.12; Coulet, *L'Eglise et le problème de la Famille:* IV, *L'Ecole et le Foyer* conf.2 p.50ss.

electione disciplinarum, in modo illas tradendi, in electione adiutorum sub directa responsabilitate rectoris, ac sub inspectione parentum quoad res tradendas et methodum, sub vigilantia utique Status ne quidquam contra ordinem publicum et pacem socialem doceatur.

Unumquodque centrum educationis ius habebit ad examina imponenda atque diplomata studiorum apud ipsum factorum impertienda; unumquodque solidam formationem tradere curabit, secus enim propter concurrentiam et famam cito inter diversas familias pervulgandam, illae scholae in quibus educatio deficiens fuerit alumnis privarentur, cum parentes generatim filios suos ad scholas bene probatas mittere ament.

1107. 2. *Legitimitas concurrentiae.*

1) SOLUTIO PER SE ILLEGITIMA. Haec solutio *de se* non esset normalis; nam, ut dictum est, Status per se a directa educatione praescindere deberet, posito quod particulares ad educationem sufficiant.

Ubi ergo particulares sufficiant, vel ipsi soli, vel ab Statu adiuti, Status in re scholari non debet se immiscere, nam laederet iura membrorum societatis absque necessitate.

Munus Status in hac quaestione est mere *suppletivum;* ipse non est agens directus instructionis, sed solum auxiliare eiusdem [13].

1108. 2) SOLUTIO PER ACCIDENS LEGITIMA. Tamen interventus directus Status in educatione est legitimus cum illi qui tale munus, societati necessarium, explere debent, sunt incapaces, vel aliunde impediuntur ad illud exercendum. Tunc Status est substitutus naturalis familiarum et associationum particularium; sed in illo munere non debet permanere, nisi quamdiu sit necessarium.

Si igitur aliquo in loco neque familiae, neque particulares, neque privatae associationes scholare servitium normaliter explere queunt, auctoritas publica potest et debet scholas suas aperire (cf. *Divini illius* n.24).

Haec vero scholae officiales ad supplendam deficientiam privatorum et familiarum erectae nequaquam in regimine favoris relate ad scholas privatas esse debent, sed in regimine omnino aequali [14].

---

[13] Cf. *Divini illius* n.22,24; MÉRIDA, *Carta pastoral* p.30; *Declaración de la CEE sobre algunos errores* p.25ss.

[14] Cf. *Declaración de la CEE sobre algunos errores...* p.9ss.26.

1109. 3) QUID POSTULET TUNC IUSTITIA. Iustitia distributiva postulat, si Status pecuniam a membris societatis exigat ad scholaria dispendia suffraganda, ut illa pecunia inter omnes scholas, tam privatas quam officiales, iuxta proportionem alumnorum distribuatur. Aliter cives, qui scholas privatas praeferrent, iniuste plus ceteris gravarentur, cum iterum expensas ad educationem suorum filiorum solvere deberent, vel moraliter cogerentur scholas officiales adire [15].

1110. 4) QUID NOSTRIS DIEBUS STATUI CONCEDENDUM. a) *Ius invigilandi* ne lex constitutionalis a magistris inculcetur, aut publica moralitas negligatur, aut ordo socialis perturbetur, aut regulae elementariae salubritatis posthabeantur; atque hoc quidem in omnibus prorsus scholis. Hoc postulat bonum commune (cf. *Divini illius* n.23).

b) *Ius et officium defendendi iura parentum et particularium,* necnon iura Ecclesiae in educationem; praecipuus enim finis Status est iura subditorum defendere (cf. *Divini illius* n.23).

c) *Ius invigilandi* ut omnibus conveniens instructio et educatio donetur; sic defendet iura adolescentium in educationem (*Divini illius* n.23); et quidem hoc obtinebit magna ex parte si activitatem Ecclesiae et familiarum in hac re promoveat et adiuvet (*Divini illius* n.24).

d) *Ius supplendi,* cum sit necesse, familiis et particularibus, proprias scholas aperiendo (*Divini illius* n.24).

e) *Ius, et quidem exclusivum,* creandi et fovendi instituta ad efformandos homines pro muneribus publicis, v.c. *academias militares,* salvis tamen in hac re iuribus Ecclesiae et parentum, et vitando abusus (*Divini illius* n.25).

f) *Ius aperiendi scholas proprias;* nam propter circumstantias hodiernas hae scholae officiales Status *de facto* sunt verae et manifestae utilitatis—cum neque particulares, neque associationes privatae ad educationem sufficiant—; dummodo Status eadem iura—quae aliunde sunt priora et potiora—Ecclesiae, familiae et particularium—revereatur.

Aliis verbis: concedimus Statui *facultatem concurrentiae,* sed absque privilegiis in favorem scholarum officialium.

Fundamentum huiusmodi iuris repetendum videtur ex tacita delegatione parentum, et ex manifesta insufficientia ac-

---

[15] Cf. *Divini illius* n.24.50.51; GUERRERO, *Disciplina social* p.102.105; COULET, *o.c.* p.140ss; MÉRIDA, *Carta pastoral* p.45; *Declaración de la CEE* p.31ss.

tivitatum privatarum ad completam et universalem instructionem tradendam [16].

3. *Illiceitas monopolii Scholaris ex parte Status.*

Thesis 61. Monopolium scholare, etiam partiale, ex parte status legi naturali repugnat.

Praeter auctores antea citatos:
Cf. HORMAECHE, *Ethica-Quaestiones difficiliores* p.91ss; SIMON PIERRE, H., *L'École au service de la communauté nationale:* SSF (Strasbourg 1946) p.227-244; GUERRERO, E., *Disciplina social y obediencia cristiana* p.85ss; *Hacia una Universidad realmente libre:* RazFe 140 (1949) 261-282; MÁRQUEZ, G.,*Don Andrés Manjón y la libertad de enseñanza:* RazFe 119 (1940) 389-396; 120 (1940) 54-66; IZAGA, L., *El derecho a enseñar:* RazFe 101 (1933) 145-166. 446-471.

1111. Nexus. Postquam aliqua de legitimis solutionibus quaestioni scholari propositis dixerimus restat ut paulo fusius exponamus solutionem illegitimam de monopolio ex parte Status.

1112. Notiones. 1. SCHOLAE: sunt instituta quaedam ad communem, praesertim iuventutis, educationem conferendam. In iis confertur tunc instructio in scientiis et artibus practicis, tunc educatio moralis et religiosa. Possunt esse:

1) *Inferiores*: illae in quibus instruitur iuventus indigens etiam educatione; in iis, praeter instructionem, attente et diligenter excolenda est educatio, diligentiam, veracitatem, obedientiam, castitatem, moderatum usum libertatis, sui imperium, et praesertim cultum religionis ab educandis exigendo. Ad has scholas pertinent:

a) *Elementariae*: in quibus pueris confertur instructio in illis disciplinis, quae necessariae existimantur pro vita individuali et sociali omnium hominum: in lectione, in scriptione, in numeris, in rudimentis historiae et geographiae... in iis educatio religioso-moralis primum locum occupat.

b) *Mediae seu gymnasiales* (instituta, collegia, lycea): in quibus traditur compendium omnium artium et scientiarum, quae culturam generalem alicuius aetatis constituunt, et ut fundamentum inserviunt ad studia altiora.

2) *Superiores* (universitates, scholae technicae, Academiae...): in quibus educatio, etsi non plene, supponitur iam absoluta; ideoque in illis potissimum ad plenam formationem in scientiis vel artibus particularibus attenditur.

[16] Cf. IVO DE LA BRIÈRE, *¿Cómo conciliar la autoridad y la libertad?* p.70-74.

1113. *Diversitas scholarum*: 1) *Officiales seu publicae*: quae ab ipso Statu eriguntur, et reguntur etiam a magistris, qui ab Statu mercedem accipiunt. Omnibus patent, et gratuitae esse solent.

2) *Privatae seu particulares*: *quae* a particularibus eriguntur et reguntur etiam a magistris electis ab ipsis particularibus, sive ab ipsis mercedem accipiant, sive ab ipso Statu. Cum scholae privatae eosdem effectus civiles producere valent ac scholae officiales, eisdem accedunt et aequiparari solent.

3) *Confessionales*: quae solis asseclis certae confessionis religiosae destinantur, v.c. catholicae, protestantes, budistae...; in iis tam alumni, quam magistri et educatio sunt eiusdem religionis (cf. *Divini illius* n.49).

4) *Simultaneae seu mixtae* (attendendo ad confessionem): si alumni cuiusvis religionis simul ad instructionem profanam suscipiendam admittuntur, quam magistri cuiusvis religionis tradunt. Instructio vero religiosa seorsim traditur singulis propria et quidem obligatorie tamquam pars programmatis scholaris (cf. *Divini illius* n.48).

5) *Laicae seu neutrae*: illae in quibus nulla religionis ratio habetur; instructio vero religiosa vel simpliciter excluditur, vel ad summum facultativa conceditur, vel—quod peius est—, instructione quadam morali-civica suppletur, tali nempe quae omnibus religionibus communia tradere contendit (cf. *Divini illius* n.48).

6) *Mixtae*: si eamdem scholam pueri et puellae frequentant in locis ubi est exigua populatio, propter motiva oeconomica. *Geminatae*: si haec permixtio puerorum et puellarum non habetur propter motiva oeconomica, sed propter motiva psychologica; proinde, etsi sint diversae scholae, eamdem tamen adeunt pueri et puellae permixti iuxta illorum aetatem (cf. *Divini illius* n.42) [17]

7) *Unisexuales*: si ad illas conveniunt solummodo alumni eiusdem sexus.

8) *Schola unica*: illa dicitur in qua eadem educatio et instructio omnibus infantibus societatis, iuxta capacitatem illorum est tradenda; supponit ergo monopolium, obligatorietatem, gratuitatem, laicitatem [18].

[17] Schola geminata generatim reiicienda est; tamen in circumstantiis specialibus potest admitti; sic v.c. in U. S. A. habetur inter catholicos et quidem bono successu. Cf. O'KEEFE, V., *Education et coéducation catholique aux Etat-Unis:* NouvRevTh 71 (1949) 173-182.

[18] Cf. *Divini illius* n.48; BLANCO NÁJERA, *La escuela única;* NOGUER, *La escuela única;* SORTAIS, *Morale* p.261.

1114. MONOPOLIUM SCHOLARE: est regimen in quo Status sibi reservat ius exclusivum aperiendi scholas, instruendi magistros, conferendi gradus academicos, assignandi denique libros et programmata. Potest esse:

1) *Totale*: si se extendit ad omnia praedicta.

2) *Partiale*: si se extendit tantum ad aliqua ut plerumque accidit, v.c. ad gradus academicos conferendos.

1115. Status quaestionis. Agitur de monopolio scholari non solum *totali* sed etiam *partiali;* de monopolio tam in scholis inferioribus, quam in superioribus; non solum de monopolio coactivo, i.e. cum Status imponit obligationem adeundi scholas proprias; sed etiam de non coactivo, i.e. etsi non sit talis obligatio, et quaeritur utrum sit contra legem naturalem, necne.

1116. Sententiae. 1.ª Omnes enumeratae thesi praecedenti: *liberales, statolatrae,* communistae, fascistae, nacistae admittunt ut legitimum monopolium scholare, et quidem ut aliquid fundamentale et incontrovertibile.

2.ª *Aliqui, etiam catholici,* existimant munus scholare esse functionem unice statalem, maxime monopolium quoad titulos academicos conferendos, quoad examina exigenda, et quoad distributiones pecuniarias; ii generatim magisterium in scholis officialibus mediis vel superioribus exercent, in quorum ideis plerumque interesse personale influere potest.

3.ª *Nostra sententia*: Nos ut *omnino certum* defendimus nullo modo Statui competere ius exclusivum scholarum, ac proinde non tantum ipsum sed alios quoque ius habere ad scholas aperiendas pro quavis disciplina, atque ad illas libere moderandas atque ad titulos academicos conferendos. Proinde monopolium per se semper est reiiciendum, ut contrarium legi naturali, quia repugnat iuri naturali aliorum ad educationem.

Admittimus licitum esse monopolium, si agatur de aliquibus disciplinis et professionibus specialibus, v.c. quoad academias militares, propter speciale interesse Status in hac efformatione.

Quid Statui competat in hac materia iam dictum fuit antea.

1117. Probatur. 1. *Monopolium est contra ius parentum.*

Parentes habent ius naturale directum, immediatum et exclusivum, ad procurandam modo sibi grato educationem

suorum filiorum. *Atqui* monopolium Status graviter laedit huiusmodi ius parentum. *Ergo* monopolium est contra legem naturalem.

Mai.: Ex thesi praecedenti.

Min.: a) *Si sit monopolium totale.* Nam parentes per se ipsos persaepe suos filios educare nequeunt; tunc si filios educare volunt, coguntur mittere illos in scholas Status, in quibus filii educationem forte parentibus non gratam accipient. Multo magis violatur ius parentum, si praeterea adest obligatio adeundi scholas Status.

b) *Si sit partiale quoad titulos academicos.* Si mopolium extendatur solummodo ad titulos academicos iniustum etiam est monopolium. Nam cum titulus sit solummodo testimonium declarans gradum scientiae in candidato, huiusmodi testimonium praebere pertinet de se ad viros, qui in tali disciplina seu scientia sint periti; unde per se ad magistros, qui et scientiam habent et optime cognoscere possunt alumnorum suorum scientiam; secus parentes coguntur moraliter ad mittendos suos filios scholis Status. Ergo titulus academicus concedi debet ab unoquoque centro propriis alumnis, vel ab aliquo tribunali omnino impartiali omnibus tam officialibus quam privatis.

c) *Excipitur testimonium circa idoneitatem ad munus statale.* Si vero agatur de comprobanda scientia determinata et capacitate ad aliquod munus publicum politicum, tunc utique potest Status praevium examen exigere, ne indigno vel incapaci participationem auctoritatis politicae committat. Ad hoc vero non erit necessarium generatim scholas praeparatorias Status aperire [19].

d) *Status titulos academicos propriis alumnis dare poterit.* Status in suis Universitatibus et Lyceis diplomata scientifica dare poterit, non quia ad hoc polleat speciali auctoritate, sed quia ius habet, ut dictum fuit, erigendi suas scholas, quorum magistri diiudicare poterunt de scientia et capacitate suorum alumnorum; nullo tamen modo poterit sibi reservare ius conferendi gradus academicos omnibus prorsus alumnis in suis scholis; sic cogerentur moraliter parentes ut mittant suos filios scholis Status.

e) *Neque timendi erunt abusus.* Si aliqua instituta privata hoc iure abuterentur, eorum alumni propter suam imperitiam et incapacitatem haud facile invenient munus ali-

[19] Cf. *Declaración de la CEE...* p.29.

quod fungendum, ac consequenter procumbent. Ad hoc praeterea malum convenienter arcendum sufficit ius Status invigilandi, ut dictum est, ne quidquam contra bonum commune in hac re, sicuti in qualibet alia, committatur.

1117bis. 2. *Monopolium repugnat iuri Ecclesiae.*

Ecclesia habet ius aperiendi scholas pro omni gradu educationis et in omnibus disciplinis. *Atqui* monopolium scholare ex parte Status laedit huiusmodi ius Ecclesiae. *Ergo* monopolium scholare repugnat, eo quod laedat ius Ecclesiae in educationem.

Mai.: Ante probata fuit.

Min.: Patet ex notionibus: si agatur de monopolio totali est evidens; etiam certum si monopolium extendatur ad gradus academicos conferendos; nam non agnoscere gradus in iis centris collatis practice idem est ac non agnoscere eorum ius ad docendum. Tunc enim alumni coguntur moraliter ad scholas officiales frequentandas [20].

1118. 3. *Monopolium scholare laedit ius privatorum.*

Quilibet homo habet ius, ab ipsa natura concessum, communicandi cum aliis proprias doctrinas, quamdiu apertos et funestos errores non doceat. *Atqui* monopolium scholare impedit exercitium huiusmodi iuris privatorum. *Ergo* monopolium scholare laedit iura privatorum ab ipsa natura ipsis concessa.

Mai.: Hoc enim ingreditur in commercio sociali hominum; estque medium connaturale perfectionem propriam acquirendi.

1119. 4. *Neque Status potest absque iniuria restringere haec iura particularium.*

Hoc eidem solummodo liceret, si a bono communi postularetur. *Atqui* restrictio horum iurium particularium non modo non postulatur a bono communi,sed e contra eidem magnopere nocet. *Ergo* Status non potest absque iniuria restringere haec iura particularium.

Mai.: Ex fine Status.

Min.: Bonum enim commune solummodo postulat: *a*) ut

[20] Cf. MÉRIDA, *Carta pastoral* p.42-50 bene exponentem quid postulet hoc ius seu libertas vera Ecclesiae ad docendum; optime etiam: *Declaración de la CEE...* p.9ss.38. Si igitur Status titulum aliquem professionalem exposcat ad determinatas professiones illum pariter concedere debet ante tribunal independens ac impartiale tam alumnis officialibus quam privatis. Cf. ERRANDONEA, *La defensa de la ley de Franco:* RazFe 127 (1943) 197-205.

Status invigilet ut instructio convenienti modo tradatur; si in aliquo vero peccetur, emendationem procuret; *b*) ut ipse aperiat scholas proprias in concurrentia cum scholis privatis, ad instructionem et educationem faciliorem reddendam, hoc modo supplendo deficientiam privatorum. Monopolium vero esset nocivum bono communi, quia imminuerentur scholae, et ipsa educatio absque stimulo aemulationis esset deficiens.

1120. Scholion. 1. **De studiis superioribus.** Omnia quae diximus specialem applicationem habent in *instructione primaria et secundaria,* in quibus manifestius apparet ius parentum, cum in illis educatio et instructio sint intime connexae ac nequeant separari.

In studiis superioribus, sive in Universitatibus sive in Academiis, cum parentes, ac etiam ipsi privati, sint generatim *incapaces* ad studia superiora impertienda propter ingentes expensas et magnam copiam magistrorum ad haec studia rite tradenda necessariam, facilius conceditur Statui facultas aperiendi proprias scholas, ex tacita delegatione parentum, eo quod in hoc gradu culturae munus ipsius suppletivum est prorsus necessarium.

Ideo monopolium Status, si de Universitatibus et Academiis agatur, potius reiici debet eo quod violet iura Ecclesiae et illarum associationum, quae tale munus rite possint explere.

a) *Ecclesiam* vero optime posse hoc officium persolvere longissima experientia comprobavit; Ipsam velle etiam Universitates catholicas aperire manifeste constat, propter innumeras rationes. Nequit ergo Status eidem in exercitio huius muneris nocere[21].

b) *Associationes religiosas,* quandoque etiam particulares—maxime si ab Statu paululum in re oeconomica adiuventur—, Academias et Universitates regere posse etiam constat historia.

Huiusmodi autem libertas ad aperiendas scholas etiam superiores particularibus et associationibus religiosis concessa magnopere progressum scientificum et artisticum promovet, propter sanam aemulationem, propter independentiam politicam magistrorum, et propter maiorem selectionem in ipsis magistris absque influxu partium politicarum. Ut vero haec aemulatio sit possibilis, omnino necessarium est iuvamen oeconomicum ex parte Status in favorem scholarum privatarum; quibus eodem modo subvenire deberet Status ac Universitatibus ipsius, ut dictum fuit.

1121. 2. **De obligatione adeundi scholas.** Quaestio est utrum Status omnes infantes ad frequentandas scholas adigere possit. Ad adaequatam solutionem huius quaestionis multa prae oculis oportet habere:

a) Si adest monopolium scholare perfectum ita ut omnes scholae sint officiales haec obligatio esset omnino contra legem naturalem ex duplici capite: *a)* eo quod violaret ius parentum ad educationem suorum filiorum modo sibi grato; *b)* eo quod Status sibi arrogaret ius directum in educationem, ut pro suo arbitrio iuvenes instrueret.

---

21 Mérida, *Carta pastoral* p.33-36; *Declaración de la CEE...* p.12ss; Guerrero, *Derechos de la Iglesia a enseñar materias profanas* p.14-40; *Disciplina social* p.69ss; *Las Universidades de la Iglesia:* RazFe 133 (1946) 310-328.

b) Si non adest monopolium, quaestio de obligatorietate instructionis potest intelligi tripliciter: 1) *Utrum possit Status obligationem indirectam* imponere cuiusdam gradus instructionis, illam exigendo ad quaedam munera obeunda, v.c. ad regendum municipium, ad munera scribarum, notariorum, iudicum... Hoc modo proposita quaestione responsio *affirmativa* esse debet. 2) *Utrum Status possit minimum aliquod instructionis imponere, omnibus obligatorie acquirendum, modo cuilibet grato.* Respondemus *posse utique* probabiliter imponere minimum aliquod instructionis omnibus necessario acquirendum. Haec videtur mens Pii XI (*Divini illius* n.24). Bonum enim commune in omnibus fere regionibus postulare videtur ut omnes aliquibus notitiis elementariis, praesertim facultate legendi, sint instructi. Secus ipsa notitia publicarum ordinationum, usus iurium politicorum, commercium civile, opera industrialia, mercantilia et etiam agraria magnopere impedirentur; idcirco Status hanc instructionem directe praescribere potest, et sic saltem indirecte scholas adire cogere, cum scilicet parentibus aliud medium instructionis praesto non sit.

3) *Utrum possit imponere obligationem acquirendi illud minimum instructionis praecise in scholis,* sive officialibus sive privatis, respondendum est Statum non posse imponere obligationem acquirendi illud minimum instructionis praecise in scholis officialibus, ex dictis contra monopolium Status. Sed data necessitate hodierna instructionis generalis, et posita frequenti et ordinaria negligentia parentum in adimpletione huiusmodi obligationis, bonum commune postulare videtur, ut determinata ab Statu obligatione acquirendi illud minimum instructionis, possit illam urgere cum obligatione adeundi scholas, sive publicas sive privatas, nisi *alio positivo* modo pueri suam sufficientiam probent. Omnino vero intra limites sibi assignatos remanere videtur Status cum analphabetismum persequitur.

c) Limites huius obligationis: *Haec coactio universalis intra modestos limites* se tenere debet. Vix Statui concedendum est ius obligandi omnes pueros cuiuslibet conditionis ad tot res, per tantum tempus discendas; neque potest Status illam obligationem urgere cum pueri possint comprobare se instructionem alio modo rite acquirere.

d) Status potest obligare adire scholas ad instructionem religiosam: Cum enim Ecclesia ius habeat obligandi pueros ad frequentandas scholas ut instructionem religiosam accipiant, potest hoc ius suum Statui delegare. Nostris vero diebus saepissime hoc est unicum medium, quo Ecclesia possit omnes pueros ad instructionem religiosam impertiendam colligere.

1122. Obiectiones[22]. 1. Si privatis libertas concedatur aperiendi scholas periculum maximum est, ne doctrinae perniciosae doceantur. *Atqui* Status impedire debet quominus doctrinae perniciosae doceantur. *Ergo* munus docendi unice Statui debet reservari.

Resp. Dist. mai.: si Statui non liceret invigilare ut hoc non accidat, *trans.;* si vero hoc eidem licitum est, *neg. Contrad. min.* Libertas docendi non supponit libertatem ad pravas doctrinas propagandas; ideo, ut dictum est, Status habet ius invigilandi ne pravae

[22] Cf. Guerrero, *Disciplina social y obediencia cristiana* p.87ss; *Unidad en la función docente:* RazFe 122 (1941) 344-356; 123 (1942) 139-150.

doctrinae tradantur in omnibus scholis, tam privatis, quam officialibus; minime vero ad hoc requiritur ut Status proprias scholas aperiat.

Aliunde monopolium Status non supponit rectitudinem in doctrinis; plerumque enim in institutis officialibus pravissimae doctrinae traduntur, ut constat historia; constat etiam securitatem et rectitudinem doctrinae melius defendi in scholis privatis, maxime si a viris ecclesiasticis vel religiosis dirigantur, quam in scholis officialibus.

2. Statui maxime interest uniformitas doctrinalis in omnibus suis membris ad vitandas discordias quae ex diversitate doctrinarum oriri solent. *Atqui* haec unitas et uniformitas obtineri nequit sine monopolio scholari ex parte Status. *Ergo* Status habet ius ad monopolium scholare.

Resp. Dist. mai: uniformitas substantialis, *conc.;* etiam in accidentalibus, *neg. Contrad. min.* Haec obiectio fundatur in doctrina totalitaria Status, ac supponit Statum habere conceptum determinatum et rectum vitae, quem omnibus imponere possit, ita ut quaelibet alia vitae conceptio admitti nequeat. Haec vero uniformitas ideologica effectiva et affectiva, quae procul dubio magnum bonum sociale dicenda est, non nisi intra certos limites possibilis est, extra quos non solum est impossibilis sed etiam nociva, ideoque Status illam imponere nequit.

3. Adest magna et nociva aemulatio inter scholas privatas et scholas officiales, cum damno ipsius educationis. *Atqui* haec aemulatio nociva ac damnum inde exortum vitari nequeunt nisi mediante monopolio scholari ex parte Status. *Ergo* licitum est monopolium scholare ex parte Status.

Resp. Dist. mai.: et debetur ipsi exsistentiae aliarum scholarum, *neg.*; regimini favoris, in quo sunt scholae officiales contra privatas, *conc. Contrad. min.* Si Status eodem prorsus modo scholas officiales et privatas haberet tunc nociva illa aemulatio fundamento careret, et locum cederet aemulationi legitimae, cum magno proventu in educatione.

4. Unum ex praecipuis malis socialibus hodiernis est divisio classium. *Atqui* monopolium scholare Status est remedium ad medendum hoc malum sociale. *Ergo* monopolium statale scholare est legitimum.

Resp. Dist. mai.: tanta differentia inter classes, et pugna inter ipsas exsistens, *conc.;* ipsa differentia classium, *neg. Neg. min.* Divisio civium in varias classes sociales non modo non est malum sociale sed e contra est magnum bonum sociale. Malum sociale est pugna inter diversas classes. Haec vero pugna a monopolio statali non fuit mitigata, ut constat historia. Ut educatio in scholis privatis omnibus pateat, requiritur ut haec, sicuti reliquae officiales, subventionem habeant; tunc etiam scholae privatae possent omnino gratuito educationem impertire; vel mediantibus bursis scholaribus, pro iis qui specialem aptitudinem ad studia etiam superiora habeant.

5. Status habet ius ad efformandos cives et speciali modo magistros, atque ad illos cognoscendos. *Atqui* ad hoc requiritur monopolium scholare statale. *Ergo* Status habet ius ad monopolium scholare.

Resp. Conc. mai., vel dist.: per media legitima non laesiva iurium privatorum, et proportionata fini intendendo, *conc.;* aliter, *neg. Neg. min.* Ad hoc enim non requiritur monopolium, sunt enim alia media, nempe scholae privatae, examina publica, examina capacitatis seu

aptitudinis..., si vero agatur de muneribus specialibus, v.c. de militibus, tunc, ut dictum fuit, habet utique ius ad monopolium pro scholis ad illos efformandos.

6. Ad educationem, saltem in gradu superiore, necessarii sunt magni sumptus ad bibliothecas, musea, laboratoria, aedificia, congruam remunerationem professorum. *Atqui* solum Status potest huiusmodi sumptus necessarios facere, non vero privati. *Ergo* solum Status habet ius ad educationem saltem superiorem in Universitatibus et scholis superioribus.

Resp. Conc. mai., et *min.,* sed *neg. cons.* Ex hoc enim solummodo sequitur Statum debere subsidia haec necessaria particularibus praebere, cum particulares velint huiusmodi scholas etiam superiores aperire, si aliunde suam capacitatem ad hoc munus recte exercendum probaverint, supposita cooperatione pecuniaria ex parte Status. Hoc enim postulat munus suppletivum Status relate ad educationem.

7. Si omnibus plena libertas aperiendi scholas concedatur periculum est: *a)* ne inepti tale munus suscipiant; *b)* ne multae nimis scholae aperiantur, etiam non necessariae. *Ergo* nequit haec libertas docendi omnibus concedi.

Resp. Neg. ant. Si re vera sit plena libertas, tunc ipsi parentes videbunt quinam sint magistri inepti, et ad illos suos filios non mittent; praeterea potest imponi examen aliquod sufficientiae seu aptitudinis ad munus docendi exercendum. Si nimis multae essent scholae, statim, deficientibus alumnis, aliquae claudentur, propter angustias oeconomicas, si subventio habeatur a particularibus; si vero subventio fiat ab Statu, tunc potest Status quasdam conditiones praeexigere inter quas v.c. numerum minimum alumnorum; etenim si hic numerus non compleatur signum est illam scholam minime necessariam esse.

8. Status recte monopolium scholare possidet, si parentes in illud consentiunt. *Atqui* parentes consentiunt in monopolium scholare per deputatos, qui monopolium suo suffragio in legibus Status introducunt. *Ergo* Status recte monopolium habere potest.

Resp. Dist. mai.: Et tunc possideret monopolium scholare iure proprio, *neg.;* iure alieno eidem communicato, *subd.;* si adest etiam consensus Ecclesiae, cuius iura etiam laeduntur monopolio scholari, quaeque Statui non communicantur per suffragium, *conc.;* secus, *neg.* Etiam si solum stemus consensui parentum, requireretur consensus omnium parentum, non solum alicuius partis. *Contrad. min.*

9. Monopolium scholare est medium magnopere conducens ad progressum in doctrina et in scientiis. *Ergo* ut licitum habendum est.

Resp. 1) *Neg. ant.* Experientia tam antiqua quam hodierna probatur contrarium, nam in nationibus ubi magna cultura intellectualis adest invenitur libertas scholaris, v.c. in Anglia, Neerlandia Statibus Foederatis A.S. 2) Praeterea, etiam si verum esset antecedens, consequens non valeret; sunt enim multa alia quae efficacissima media instructionis et culturae sunt, quin tamen *exclusive* ad Statum eo ipso pertineant, ut, v.c. praelum, radiophonium.

10. Docere est munus publicum. *Atqui* munera publica ad Statum pertinent. *Ergo* et aperire scholas ad ipsum solum pertinere debet.

Resp. Neg. mai., si ita intelligatur ut si munus docendi ad auctoritatem publicam pertineat. Possumus etiam alio modo respondere,

nempe: *Dist. mai.*: est munus publicum, i.e. est pars auctoritatis publicae, ideoque exclusivum ipsius, *neg.;* est munus publicum, quatenus est aliquid publicae utilitatis, omnibus in communi oblatum; vel quatenus est aliquid ad bonum publicum seu commune necessarium; vel denique, quatenus etiam auctoritas publica simul cum particularibus, licet suppletorie, scholas erigere et dirigere potest, *conc. Contrad. min.* Ex hoc tamen nullo modo concluditur monopolium.

§ 4. De proprietatibus auctoritatis civilis

1123. Praenotanda. Quaestio de origine auctoritatis in abstracto, deque eiusdem subiecto naturali primario, non tantum speculativum, sed etiam momentum practicum habet; ab illa enim maxima ex parte pendent proprietates huiusmodi auctoritati tribuendae. Auctoritates nempe civilis, ut communiter affirmatur, est limitata, inalienabilis, impraescriptibilis, indivisibilis, si in suo subiecto radicali primigenio consideretur, et quoad suam naturam; est vero alienabilis, divisibilis, et praescriptibilis, si consideretur in subiecto concreto, quod illam exercet. In hac paragrapho sensum horum omnium determinare volumus, ne locus confusioni et pravae interpretatione sit [1].

A. De limitatione auctoritatis civilis

1124. *Sensus quaestionis* Quaeritur utrum auctoritas civilis suprema habeat limites necne.

Huic quaestioni duae oppositae dantur responsiones:

1.ª Sententia. Est theoria pacti socialis, ad mentem Rousseau, Hobbes et Pufendorf. Iuxta hos auctores, cum auctoritas socialis adaequata a totali abdicatione, quam singuli faciunt, propriae libertatis naturalis procedat, necessario limitibus caret. Consequenter auctoritas, quidquid velit, praecipere potest; cum igitur ipsa imperet, quodcumque illud sit, eidem semper obedientia praestari debet. Haec omnipotentia auctoritatis civilis ad omnes prorsus res, ipsa religione non excepta, se extendit.

Evolutionistae, ad eamdem sententiam perveniunt, cum legem maioris partis, unice vi physica innixae, ut legitimam agnoscant; quidquid ergo maior pars dicat ab omnibus necessario est faciendum.

Haec doctrina, ut apparet, logice ad idololatriam Status ducit.

1125. 2.ª Sententia. Est doctrina ab omnibus catholicis defensa, iuxta quam auctoritas civilis necessario limites habet. Limitatur namque: 1) *Ab auctoritate divina,* a qua procedit; proinde auctoritas civilis nihil contra legem divinam, naturalem aut positivam, praecipere valet.

2) *A fine eiusdem auctoritatis:* auctoritas enim societati conceditur solummodo ad bonum commune tuendum; ideoque nequit in-

[1] Cf. S. Thomas, 1 q.96 a.4 c; Suárez, *De leg.* 1.3 c.3-4; *Defensio fidei* 1.3 c.2-4; Bellarmino, *De Potest. Summi Pontif. in rebus tempor.*; Balmes, *El protestantismo...* c.48-57; Chenon, *El papel social de la Iglesia* p.122ss; Vareilles-Sommiers, *Les principes fondamentaux du droit.*

iungere quod contra bonum commune sit, quale esset, v.c. si in favorem solummodo alicuius classis gubernaret, vel si libertatem conscientiae conculcaret, vel patriam potestatem imminueret...; haec enim iura priora et potiora sunt ipsa auctoritate civili, ab eaque protegi et observari debent.

Cum vero dicimus auctoritatem civilem nihil contra legem divinam aut contra bonum commune praecipere posse, affirmamus eo ipso ordinationes eiusdem contra haec nullum prorsus habere valorem, ac proinde minime per se in conscientia obligare.

Si igitur aliquando auctoritas civilis iniustas ordinationes urgere velit ius eidem resistendi in civibus adest; quod ius ut sanctio, ab Ipso Deo imposita, ad auctoritatem civilem intra legitimos limites coarctandam, considerari debet. Hoc vero maiore indiget explicatione.

1126. De resistentia contra auctoritatem civilem[2]**.** Duo potissimum considerare debemus, *a*) quandonam detur ius ad illam; *b*) qualis resistentia sit legitima. Utrumque breviter expediemus.

1. QUANDONAM DETUR IUS AUCTORITATI SOCIALI RESISTENDI. In genere responderi potest tunc in subditis adesse cum auctoritas sua potestate excedat, ac solum cum hoc accidat.

a) *Solum si auctoritatis subiectum sua potestate excedat:* si enim intra propriam et legitimam sphaeram aliquid praecipit, nemo eidem obedientiam denegare potest; nam obedientia auctoritati civili debita, cum ipsa a Deo procedat, si legitime imperat, in conscientia urget.

Quod utique non accideret si auctoritas civilis adaequate, a pacto sociali, vel a vi physica derivaretur; tunc enim licitum esset contra ipsam ad arbitrium populi insurgere, etiam si auctoritas nihil contra bonum commune praeciperet.

b) *Cum auctoritas sua potestate excedit.* Si enim auctoritas limites naturales eiusdem egreditur aliquid iniuste praecipiendo, eo ipso eidem obedientia non debetur, deest namque in hoc casu fundamentum ad illam obedientiam imponendam, ac consequenter subditi ius habent iniustis illis ordinationibus resistendi. Hoc nemo est qui non admittat.

1127. 2. QUALIS RESISTENTIA AUCTORITATI LICITA SIT. Quaestio difficilis ac magna cura solvenda; ad quod multiplici distinctione uti opus erit; resistentia namque auctoritati triplex esse potest:

a) *Passiva:* datur cum quis auctoritati pacifice resistit, iniustas ordinationes eiusdem non exsequendo, vel ad tribunalia contra ipsam auctoritatem accurrendo, vel voluntatem populi exquirendo, ut sese contra illas iniustas ordinationes declaret, vel alibi commorationem transferendo ad vitandam coercitionem... Haec omnia, ut patet, legitima sunt. Ius ad hanc resistentiam passivam ab ipsa natura omnibus membris societatis conceditur.

b) *Defensiva:* datur cum quis debito moderamine se defendit contra auctoritatem, cum ipsa per vim exsecutionem ordinationis alicuius iniustae ab aliquo vult extorquere. En casus specialis iustae defensionis contra iniustum aggressorem. Haec ergo resistentia defensiva est etiam iuris naturalis.

[2] Cf. CASTRO ALBARRÁN, A., *El derecho a la rebeldía* (Madrid 1934); PELÁEZ, A., *Doctrina tomista sobre la tiranía política:* CienTom 30 (1924), 311-331; BRIDE, A., *Tyrannie, Tyrannicide:* DTC 15, 1948-2015; YABEN, H., *La resistencia al poder:* RevEcl 4 (1932) 625-639.

c) *Aggressiva seu armata:* datur cum cives, ex condicto, armati subiectum auctoritatis socialis impetunt, sese contra ipsum rebellando.

1128. 3. Estne licita aggressiva resistentia? Notemus ante solutionem hanc aggressivam resistentiam semper secum ordinis socialis exsistentis perturbationem afferre, quod malum perturbationi provenienti ab iniustis ordinationibus auctoritatis additur. Hinc quaestio: mala huiusmodi aggressivae resistentiae contra auctoritatem nonne erunt peiora, quam illa quae ab ipsis ordinationibus iniustis societati evenient? Quo in casu illa resistentia aggressiva illicita erit dicenda. Ex praedicta ratione patet resistentiam aggressivam solummodo licitam esse cum hae tres conditiones verificentur:

a) *Sit ultimum remedium,* proinde cum frustra antea omnia media pacifica tentata fuerint, ad auctoritatem a suis iniustitiis coercendam.

b) *Detur moralis lata certitudo boni exitus,* secus, si rationabiliter praevideretur illum conatum contra auctoritatem infelicem exitum esse habiturum, minime talis resistentia aggressiva licita esset. Tunc enim praeferendum est illas iniustas ordinationes interea tolerare, antequam malis ex illis provenientibus nova mala et quidem graviora addantur ex ipsa aggressione et ex auctoritatis exacerbatione emanantia.

c) *Iniustitia ex parte auctoritatis tam magna sit et certa,* ut ex ea ordo socialis seu bonum commune omnino graviter et certe perturbetur.

Si haec tria dantur resistentia aggressiva contra auctoritatem licita est. Tunc enim illa persona, quae auctoritatem exercet, ordinem socialem perturbat, ac usus vis physicae contra ipsam ut iusta defensio societatis contra iniustam aggressionem considerari deberet[3].

B. De alienatione auctoritatis civilis

1129. Sensus quaestionis: Hic breviter est: illa auctoritas, quae a tota societate ut a suo subiecto naturali primario possidetur, potest alienari seu alteri personae determinatae physicae vel morali irrevocabiliter tradi, ita ut ipsa societas deinceps illam nunquam ab illa persona revocare possit?

Triplex huic quaestioni datur responsio diversa:

1130. 1.ª Sententia: negat auctoritatem civilem ullo modo a societate alineari posse. Ita Rousseau, quem non pauci hodierni democratae sequuntur. Proinde societas in quolibet momento, prout voluerit, formam regiminis, vel personam auctoritatem exercentem, mutare potest. Subiectum ergo auctoritatem exercens est essentialiter provisorium.

Affirmat praeterea haec sententia ipsam societatem, seu populum, quantum possibile sit, attributa auctoritatis per se ipsum directe exercere debere: condendo leges, quae, etsi a viris ab ipso deputatis parentur, sub poena nullitatis a populo sint deinde confirmandae.

Cum potestas exsecutiva et administratio iustitiae a toto populo

[3] Cf. Balmes, *El protestantismo...* c.55-56 (BAC 4.601-628); Oddone, A., *La resistenza alle leggi ingiuste:* CivCatt (1945) 1 81-89.

exerceri nequeat, haec cura hominibus a populo electis committitur, qui ut delegati eiusdem populi haec munera exercent, et ad nutum populi sunt revocabiles.

Tria potissimum argumenta ad praedictam theoriam probandam a ROUSSEAU afferuntur: 1. Si auctoritas civilis in manus alicuius alienaretur, cum haec sit solummodo coacervatio libertatis singulorum per pactum, eo ipso pactum violaretur, ac consequenter societas ipsa dissolveretur.

2. Cum auctoritas essentialiter consistat in potestate condendi leges, in quibus voluntas populi manifestetur, cum haec voluntas sit inalienabilis, eodem prorsus modo et ipsa auctoritas inalienabilis esse debet.

3. Si auctoritas alienaretur eo ipso posteris lex aliqua non ab ipsis condita imponeretur, quod vero minime potest admitti.

Ex iis vero rationibus: a) *prima,* ut saepe diximus, omnino falsa est, utpote falso supposito innixa, nempe auctoritatem adaequate a pacto provenire; b) *secunda* est sophistica, nam non agitur de alienatione voluntatum sociorum, sed de concedenda aliqua facultate obligando voluntates membrorum societatis; c) *quoad tertiam* deinde indicabimus, quomodo licitum sit voluntatem posterorum ligare, et quomodo hoc fiat.

1131. 2.ª SENTENTIA: affirmat auctoritatem civilem omnino et perfecte alienari posse, immo, semper et necessario alienari debere, cum ipsa societas nunquam illam exercere possit. De facto haec completa alienatio auctoritatis datur, v.c. in regiminibus monarchicis absolutis, maxime in hereditariis; tunc enim auctoritas tota quanta et pro semper in monarcha residet ac in successoribus eiusdem, et quidem ita in favorem ipsorum fit alienatio ut societas illam auctoritatem nunquam deinceps exposcere queat, nisi in casu quo monarchae familia prorsus extinguatur.

1132. Haec doctrina sustinetur a nonnullis auctoribus propter rationes e regionibus diversis petitas. Ita enim loquuntur:

a) *Qui admittunt ius divinum regum,* seu qui sustinent Deum directe et immediate auctoritatem ipsis principibus conferre. In hac doctrina principes veri proprietarii auctoritatis sunt; societas e contra, cum ipsa ad summum personam, quae illam debeat possidere, designet, auctoritatem, quam ipsa nunquam habuit, ad se minime revocare potest. Hinc consequitur: 1) *Societatem nunquam posse contra auctoritatem civilem insurgere* ad auctoritatem ad se revocandam, etsi principes tyrannice gubernent: ad summum in hoc casu societas poterit iniustis principis ordinationibus passive vel defensive resistere, sicuti quilibet alius privatus, ac eisdem conditionibus. 2) *Principes auctoritatem valide cui voluerint tradere posse,* cum sint vere proprietarii eiusdem.

b) GROTIUS et PUFENDORF hoc ipsum, sed diversis rationibus, defendunt. Cum iuxta ipsos persona quaevis auctoritatem civilem mediante pacto subiectionis membrorum societatis possideat, dum hoc pactum perduret, societas minime poterit ad se illam auctoritatem civilem revocare; quod solummodo licitum erit duobus in casibus, nempe:

1) *Cum contractus fuerit resolutus,* si v.c. factus fuerit ad

tempus, illo elapso; vel si factus fuerit ad vitam, cum persona illa moriatur; vel si hereditarium fuerit regimen cum familia extinguatur.

2) *Si tyrannice gubernet illa persona;* tunc enim societas non solum habet ius passive iniustae illi aggressioni resistendi, sicuti quilibet privatus, sed praeterea habet ius ad se revocandi ipsam auctoritatem; in illo enim contractu subiectionis haec clausula resolutoria tacite inclusa iure considerari debet, nempe quod princeps auctoritatem in bonum commune exerceat.

1133. 3ª Sententia: *distinctione utitur;* affirmat enim, et merito quidem, iure divino naturali immediate unice a societate auctoritatem civilem possideri *in habitu et in actu,* seu aliis verbis ipsam solam immediate a Deo et originarie habere auctoritatem quoad proprietatem et quoad exercitium.

Si vero nunc quaeratur utrum ipsa societas auctoritatem civilem, quam ipsa habet, possit alienare, distinctione quadam respondet:

a) *Si agatur de auctoritate quoad ipsam proprietatem,* respondet societatem *minime* posse illam alienare; auctoritas ergo quoad proprietatem semper remanet in ipsa societate seu communitate, seu communitas semper est *subiectum radicale* auctoritatis, etiam facta donatione exercitii eiusdem.

b) *Si vero agatur de auctoritate quoad exercitium eiusdem,* respondet *utique* exercitium auctoritatis posse aliis committi, immo fere semper hoc fieri debere. Haec est sententia quam egregie exponunt inter alios Navarro, Bellarmino, Suárez[4].

In hac sententia lucidam inveniunt solutionem omnes quaestiones, quae circa auctoritatem fieri possunt. In ipsa enim clare patet:

1. *Legitimitas regiminis repraesentativi,* quod in sententia rousseauniana minime explicabatur. Societas namque personis a se ipsa directe vel indirecte electis exercitium auctoritatis committere potest, quae personae eo ipso vere auctoritatem habent ac leges ferre, ipsas exsecutioni mandare, iustitiam exercere possunt, nomine proprio; quod ipsi faciant, ab ipsa societate factum fuisse existimabitur. Potest tamen societas sibi reservare exercitium directum auctoritatis in diversis quaestionibus, mediante v.c. referendo, vel alio modo.

2. *Ius societatis iterum ad se revocandi exercitium auctoritatis,* ut illam alteri tradat, vel ut ipsa directe illam exerceat, quibusdam in casibus; v.c.:

a) *Cum tyrannice gubernat* ille qui exercitium habet auctoritatis, quo in casu societas non solum habet ius illi abusivo exercitio auctoritatis resistendi, sed etiam, ut magni scholastici affirmant, auctoritatem ipsam ad se revocandi. Si enim ille, qui auctoritatem exercet, in bonum commune illam non ordinat, cum haec fuisset conditio sine qua non ad committendum ipsi tale exercitium, societas illud exercitium ad se revocat[5].

b) *Cum datur quaelibet alia causa legitima;* in quo haec sententia maxime discriminatur a sententia Pufendorf. Notemus tamen

---

[4] Cf. Guerrero, E., *Precisiones del pensamiento de Suárez sobre la legítima forma de transmisión (de la autoridad) al jefe del Estado:* RazFe 137 (1948) 457-477.

[5] Cf. X. X. X., *La verdadera doctrina sobre el acatamiento y reconocimiento de los poderes constituídos:* AccEsp 5 (1933) 263ss.

in hac sententia minime defendi—ut in sententia ROUSSEAU—, societatem posse in *quolibet momento*, et ut sibi placuerit, formam regiminis aut subiectum autoritatis mutare—tunc enim gubernium semper esset provisorium—, sed requiritur ut detur causa aliqua legitima, qualis esset v.c. si princeps ad gubernandum reddatur ineptus, vel si forma regiminis incompatibilis, una vel alia ratione, cum praesenti statu sociali facta fuerit. Optime ad rem SUÁREZ: *Postquam populus suam potestatem in regem transtulit, non potest iuste eadem potestate fretus, suo arbitrio, seu quoties voluerit, se in libertatem vendicare... Quod vero Bellarminus ex Navarro dixit populum nunquam ita suam potestatem in principem transferre, quin etiam in habitu retineat, ut ea in certis casibus uti possit, neque contrarium est nostrae sententiae, neque fundamentum populis praebet ad se pro libito in libertatem vendicandum, quia Bellarminus non simpliciter dixit retinere populum potestatem in habitu ad quoscumque actus pro libito et quoties velit exercendos, sed cum magna limitatione et circumspectione dixit: in certis casibus* (SUÁREZ, *Def. fidei* 1.3 c.3 n.2 et 3).

1134. DICES: Sed auctoritas tradita fuit per aliquem contractum; *ergo* non dantur aliae causae legitimae ad solutionem illius, nisi quae in ipso contractu contineantur.

Resp. Haec theoria contractus est prorsus falsa, ac in ipsa ius publicum et privatum confunduntur. Auctoritas confertur a Deo societati, non vero singulis particularibus, ut ii deinde cum illa quasi negotiari possint. Potius quam per contractum, cum societas exercitium auctoritatis alicui confert, hoc fit mediante quadam lege obligante simul et societatem ipsam et subiectum cui confertur, donec illa lex non abrogetur. In hac vero lege determinantur conditiones sub quibus debet exerceri auctoritas.

1135. Optime hoc modo explicantur omnes formae regiminis tam monarchici, sive hereditarii sive electivi, quam aristocratici, vel democratici; et quomodo posteri obligentur ad obediendum alicui personae non directe a se ipsis electae; donec enim illa lex, per quam exercitium auctoritatis fuit transmissum, non abrogetur, obligat etiam posteros. Poterit utique illa lex, si ad hoc sit ratio sufficiens, a posteris abrogari, et tunc obligatio cessabit. Sic excluditur omnino arbitrarietas in populo et ius ad rebellionem absque ratione sufficiente.

C. DE PRAESCRIPTIONE AUCTORITATIS CIVILIS

1136. Sensus quaestionis.

Quaestio solvenda ad hoc breviter reduci potest: cum auctoritas, una vel alia ratione, in manus venit alicuius usurpatoris, seu alicuius qui illam de facto exercet absque titulo iuridico—tyrannus quoad dominatum solet is ab antiquis appellari—, poteritne auctoritas in favorem ipsius praescribi, ita ut lapsu temporis considerari debeat ut legitimum subiectum auctoritatis? seu aliis verbis: factum detentionis exercitii auctoritatis aliquando ius verum ad illam conferre poterit?

1137. 1ª SENTENTIA. Sustinet auctoritatem civilem *numquam posse praescribi,* eo ipso quod sit inalienabilis; proinde illa usurpatione auctoritatis contractus socialis abrumperetur, ac eo ipso societas civilis desineret esse, ac consequenter neque auctoritas eiusdem ullo modo consistere posset. Ita ROUSSEAU, et qui illum sequuntur.

1138. 2ª SENTENTIA. *Affirmat* praescriptionem esse posse titulum legitimum possessionis auctoritatis, ita ut *post lapsum temporis,* ex mero facto possessionis seu detentationis ipsius, omnem usurpationem legitimam fieri, etsi societas contra talem usurpatorem sese declaret illumque ut legitimum principem minime agnoscere velit. Ita v.c. VAREILLES-SOMMIERS. In hac theoria princeps ab usurpatore deturbatus legitimus esse desinit, nec ulterius iura aliqua in auctoritatem sibi vindicare poterit; considerandus ergo est ut si iuribus eiusdem renuntiasset.

Iis autem argumentis auctores huius sententiae illam *probare contendunt:*

a) *Affirmant in primis auctoritatem* in suo origine nemini ut propriam pertinere, illam igitur considerari debere ut rem nullius, consequenter *occupationem* statuunt ut factum normale possessionis eiusdem, seu ut titulum legitimum. Ab occupatione ad praescriptionem facilis, ne dicam necessarius, fit transitus. Vidimus tamen hanc doctrinam falso niti supposito, nam auctoritas originaliter pertinet ad totam societatem.

b) *Comparant secundo auctoritatem* cum *proprietate* privata; ac sicuti praescriptio ut legitimus titulus proprietatem privatam acquirendi recensetur, eodem modo ut legitimus titulus in acquisitione auctoritatis haberi debet. Haec vero assimilatio auctoritatis cum proprietate nullo modo licite fieri potest; nam auctoritas iura confert supra ipsas personas, proprietas vero solummodo in res materiales. Adest ergo fundamentale discrimen.

Quaerendum praeterea esset: a) *contra quem* illa praescriptio habeatur, utrum contra principem tantummodo, an etiam contra societatem; b) et *circa quid* versetur, utrum circa exercitium auctoritatis, an circa ipsam proprietatem. In hac sententia absque dubio praescriptio dari videtur etiam contra societatem ipsam, et circa ipsam proprietatem auctoritatis.

1139. 3.ª SENTENTIA. Distinctionem adhibet, qua omnia clarescere videntur. Haec enim optime distinguit proprietatem auctoritatis et exercitium eiusdem, qua distinctione innixa, ait:

a) *Si auctoritas consideretur in habitu,* seu quoad proprietatem, est *prorsus impraescriptibilis,* sicuti hoc modo considerata est etiam inalienabilis. Quaestio ergo limitatur ad exercitium auctoritatis.

b) *Si auctoritas consideretur quoad exercitium* eiusdem potest *utique* praescribi, sicuti potest etiam alienari; sed adhuc ulterius considerari debet contra quem, quibus in conditionibus, et propter quam rationem.

1) *Relate ad principem* qui ab usurpatore deiicitur. Huiusmodi princeps *initio* legitimus adhuc est, usurpatio enim neminem, solo facto ipsius, a titulo legitimo privare potest. Proinde ille princeps iure contra usurpatorem armis pugnare potest, et hoc facere debet per

se, nam ipse repraesentat societatem, quam defendere debet, quaeque in illa usurpatione iniuste impetitur.

Si vero res in hunc statum perveniat ut restauratio ipsius minime possibilis evadat, vel non nisi teterrimo bello, et cum magna perturbatione ipsius societatis, tunc princeps amittit iura, quae defendere nequivit. Exercitium ergo auctoritatis contra ipsum iure praescriptum existimandum est.

2) *Relate ad societatem.* Non tamen sequitur eo ipso etiam contra societatem ipsam dari praescriptionem exercitii auctoritatis ac proinde usurpatorem legitimo titulo iam auctoritatem exercere. Tunc dicendum est auctoritatem quoad exercitium vacare, ac consequenter ad societatem ipsam redire.

Cum ergo societas iterum exercitium auctoritatis apud se habeat, illam conferre potest cui voluerit, qui tunc ius habebit adversus occupatorem pugnandi, atque ut legitimus princeps agnosci debet.

Si vero societas praedicto modo non operetur et contra usurpatorem nihil faciat, sed potius habeat ordinationes ipsius, ut si a legitimo principe emanatae fuerint, tunc eo ipso usurpator ille in legitimum possessorem auctoritatis transit, eo quod saltem implicite a societate agnoscatur ut talis. Ad hoc ergo, ut patet ex dictis, hae debent conditiones verificari:

1.ª *Usurpator ille auctoritatem exercere de facto debet in bonum societatis,* haec est enim suprema ratio ipsius auctoritatis et conditio sine qua non, ut legitime quis illam possidere dicendus sit.

2.ª *Societas consensum illi usurpationi,* uno vel alio modo, explicite vel implicite, praestare debet. Expressa adhaesio praeferenda est, hoc enim modo disputationibus circa voluntatem societatis omnis occasio praeciditur. Adhaesio vero tacita tales characteres prae se ferre potest, ut signum manifestum sit indubiae voluntatis societatis.

Ratio huius praescriptionis. Cum haec dentur, ille usurpator desinit esse talis, et transit in legitimum principem, non tamen solo titulo praescriptionis, seu solo lapsu temporis, sed *propter consensum saltem implicitum societatis,* quae est ultima causa cur persona aliqua supremam auctoritatem in societate civili legitime possideat.

Contra societatem ergo exercitium auctoritatis nunquam praescribere potest.

4. De divisibilitate auctoritatis civilis

1140. *Quid quaeratur.* In hac quaestione hoc dilucidare intenditur: utrum exercitium auctoritatis inter varias personas, sive physicas, sive morales, ita discerpi possit ut pars committatur uni, alii vero alia pars, pars etiam ipsi societati reservari possit.

1141. 1.ª Sententia. Huic quaestioni Rousseau *eiusque asseclae* respondent auctoritatem esse prorsus indivisibilem, seu non posse ullo modo discerpi in diversas personas, ita ut una pars alicui personae committatur, alia vero alteri. Haec vero doctrina sequitur ex theoria eiusdem circa inalienabilitatem auctoritatis, quae semper remanere debet tota quanta in ipsa societate.

1142. 2.ª SENTENTIA. Nos vero, sicuti in quaestionibus praecedentibus, respondemus distinctione aliqua:

1) *Si auctoritas consideretur in habitu,* seu quoad proprietatem eiusdem est utique indivisibilis; nam societas, quae est subiectum naturale et primigenium eiusdem, nequit illam alienare neque totaliter, neque partialiter.

2) *Si vero consideretur in actu,* seu quoad exercitium, tunc utique auctoritas est divisibilis; seu aliis verbis exercitium auctoritatis potest utique committi a societate diversis personis sive coetibus, attribuendo, v.c. alicui potestatem legislativam, alii vero exsecutivam, alii denique iudicialem.

Et ut melius iura individuorum protegantur, oportebit generatim hoc modo auctoritatis exercitium distribuere, uno vel alio modo, ut statim dicemus diversas formas regiminis exponendo.

§ 5. De formis regiminis societatis civilis

Thesis 62. Forma regiminis in abstracto praeferenda videtur monarchia apte temperata (I); in concreto tamen illa forma melior est pro natione aliqua determinata quae, cum legitima sit, melius aptetur nationis indoli, culturae et moribus (II).

Cf. SUÁREZ, *Def. fidei* l.3 c.2; GÜENECHEA, *Principia Iuris pol.* v.1 p.174ss; IZAGA, *Derecho político* v.3 l.4; BALMES, *El protestantismo...* c.57-64 (BAC 4,628-679); *Consideraciones filosófico-políticas* (BAC 6,347-356); *Proyecto de Constitución* (BAC 6,620-630); ODDONE, A., *El pensiero cattolico sulle forme di goberno:* CivCatt (1944, 4) 201-211; BRUCCULERI, A., *La democrazia nella concezione scolastica:* CivCatt (1945, 3) 21-30; CATHREIN, *Filos. morale* v.2 p.745ss; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.2 p.270ss; NIVARD, *Ethica* p.435ss; LÓPEZ, P. G., *La democracia como forma de gobierno:* RazFe 133 (1946) 407-424; 134 (1946) 148-172; PALACIO, J. M., *Las formas de gobierno según la doctrina tomista:* CienTom 43 (1931) 310-322.

1143. Nexus. Postquam exposuimus illa quae ad originem et subiectum auctoritatis spectant, ac proprietates praecipuas auctoritatis civilis breviter perlustravimus, restat ut examinemus diversas formas regiminis et indicemus quaenam ex illis praeferenda videatur, sive in abstracto, sive in concreto.

Quaestio aliunde optime consona, ut videbimus, cum doctrina tradita circa originem, subiectum et proprietates auctoritatis, etsi primo intuitu appareat characterem inalienabilitatis auctoritatis cum aliquibus formis non posse conciliari.

1144. Notiones. FORMA REGIMINIS: intelligitur *modus stabilis legitimus possidendi et exercendi auctoritatem politicam.*

1145. SPECIES EIUSDEM. 1) *Simplices seu elementariae* sunt illae quae continent unam tantum formam absque mixtione elementorum alterius formae. 2) *Compositae seu mixtae* sunt illae in quibus inveniuntur elementa diversarum formarum, cum praeponderantia unius vel alterius.

1146. DIVERSAE FORMAE SIMPLICES: 1) *Monarchia* (monosarjei=unus regit): est illud regimen gubernandi in quo suprema potestas plene residet in una persona physica (rex, imperator, princeps, praeses, dux...); quidquid ergo in ordine sociali fit, fit per voluntatem unius hominis.

2) *Aristocratia* (aristos-cratei=dominat selectio): est illud regimen gubernandi in quo suprema potestas invenitur in pluribus nobilibus seu hominibus excellentioribus (nativitate, scientia, virtute, divitiis...); nihil ergo in ordine sociali fit nisi per voluntatem aliquorum selectorum. Haec vero suprema potestas potest esse in illis paucis hominibus vel singillatim vel simul sumptis.

3) *Democratia* (demos-cratei=dominat populus): est illud regimen gubernandi in quo suprema potestas invenitur in multitudine nihil ergo in ordine sociali fit nisi per voluntatem multitudinis [1].

1147. FORMAE VITIOSAE VICINAE: 1) *Despotismus* est monarchiae corruptio, ac consistit in usu arbitrario auctoritatis, et *tyrannis,* quae est exercitium auctoritatis in proprium commodum, neglectis legibus et adhibita violentia.

2) *Oligarchia,* est forma corrupta aristocratiae, ac tunc datur cum auctoritas exercetur in favorem divitum et optimatum.

3) *Demagogia seu democratia in sensu peiorativo* est forma corrupta *democratiae,* ac importat regimen in favorem classium inferiorum seu operariorum.

1148. *Dictatura* est quid medium inter despotismum et tyrannidem, et consistit in exercitio potestatis contra leges, ob necessitatem publicam hoc exigentem; praesupponit conditiones anormales societatis, et de se temporalis esse debet; non est ergo forma proprie gubernii.

Anarchia est status societatis in quo exercitium auctoritatis manet suspensum, ut accidit in perturbatione aliqua nationis, sive locali, sive generali.

1149. DIVISIONES ARISTOCRATIAE ET DEMOCRATIAE: 1) *Indirecta est aristocratia,* si illi optimates eliguntur a reliquis ita ut sint repraesentantes ceterorum omnium optimatum. *Democratia indirecta* est, si personae habentes auctoritatem eligi possunt ex omni et ab omni populo, et si suprema potestas

---

[1] Cf. SCHWALM, *Democratie:* DTC 4,271-320; GUNDLACH, *Breves adnot. in nuntium radiophonicum Pii XII* 24-XII-1944: Periodica 34 (1945) 124ss; *Democracia ¿qué es?:* AccEsp 5 (1933) 325ss; URDANOZ, T., *El sentido católico de la democracia y la teoría del poder público:* CienTom 74 (1948) 240-293.

in coetu plurium indifferenter ex omni populo sumptorum residet.

2) *Directa est aristocratia,* si omnes optimates in exercitio auctoritatis participant absque intermedio. Similiter *democratia est directa,* si omnis populus directe participat in exercitio auctoritatis.

Hodie tam democratia, quam aristocratia directa, cum fere omnino disparuerint classes sociales fixae, et tam magni sint Status et complicata vita socialis, dari nequeunt.

1150. DIVISIONES MONARCHIAE. 1) RATIONE ORIGINIS potest esse: a) *hereditaria: si suprema* potestas transmittitur secundum legem fundamentalem hereditate; b) *electiva* si per electionem in singulis casibus habendam; si illa electio sit ad totam vitam erit *vitalitia;* si solummodo ad tempus aliquod determinatum valeat, erit *temporalis.*

2) RATIONE FORMAE: a) *Absoluta,* si potestas suprema tota et indivisa invenitur penes unam personam physicam (appellatur *rex, imperator, dux*), ita ut ipsa sola habeat plenum exercitium auctoritatis socialis: legiferae, exsecutivae, et iudicialis, quin ullis constitutis legibus fundamentalibus positivis, societatis civilis propriis, coarctetur.

Hoc tamen non obstat quominus *sibi aliquos adiungat* tum ad leges condendas, tum ut conditae exsecutioni mandentur; id enim non limitat suam potestatem, quae solum legibus divinis et lege naturali limitatur.

Monarcha ergo absolutus tenetur etiam regere secundum rationem et iustitiam, et in bonum commune totius nationis suam gubernationem dirigere.

Haec forma gubernii dabatur *antiquitus* in imperiis: medorum, persarum, aegyptiorum, romanorum; *recentius* in imperio russico et in imperio aethiopico. *Nostris diebus practice* haec erat forma gubernii statolatriae nacistae et fascistae, ac in praesenti est in bolchevismo russico.

b) *Temperata,* si suprema potestas non dividitur in plures—hoc enim est de essentia conceptus monarchiae purae—sed tota est penes unum, qui tamen legibus fundamentalibus, quas societas praehabet, subiicitur ab eisque coarctatur ac in rebus gravioribus a repraesentatione nationis.

Haec monarchia temperata vigebat in Europa medio aevo, et prioribus saeculis aetatis modernae.

In hac forma gubernii monarcha in gravioribus non potest quidquam facere quin prius sententiam comitiorum exquirat v.c. ad bellum gerendum, ad tributa augenda...

Comitia vero efformantur repraesentatione omnium classium socialium, quae ad bonum nationis hoc modo cooperantur; sufragium plerumque solum consultivum habent; in gravissimis vero negotiis etiam deliberativum [2].

Ministri in hoc regimine non sunt ut hodie, sed sunt vere *Secretarii* monarchae in unaquaque gubernationis linea. Haec forma aliquantulum participat ex formis mixtis.

1151. DIVERSAE FORMAE MIXTAE. Praecipua forma mixta seu composita est *forma repraesentativa,* de qua in specie nobis agendum est, cum sit forma consueta in omnibus fere nationibus.

1152. *a*) QUID SIT FORMA REPRAESENTATIVA: est illa in qua repraesentantes populi (deputati, procuratores, senatores appellari solent) *saltem* ad gubernationem nationis cooperantur. Si non solum cooperantur sed totam gubernationem exsequuntur a fortiori forma erit repraesentativa.

1153. *b*) SPECIES FORMAE REPRAESENTATIVAE: 1. TRADITIONALIS SEU SIMPLICITER REPRAESENTATIVA: est forma regiminis constans ex monarcha, ex comitiis et ex ministris. In *monarcha* est maxima pars supremae potestatis; invenitur vero in ipso limitata: *a*) in primis *a lege fundamentali* (constitutione), quae est omnino obligatoria etiam pro monarcha; *b*) praeterea limitatur *a comitiis;* cum comitia in quaestionibus gravioribus habeant votum deliberativum, ita ut leges ferantur tum a rege, tum a comitiis; in aliis vero quaestionibus minoris momenti comitia habent votum solum consultivum. Ministri in hoc regimine rationem suae activitatis solum regi, a quo unice dependent, reddere debent.

Haec forma regiminis repraesentativa traditionalis viguit in Europa meridionali praesertim postremis saeculis aevi medii et in primis aetatis modernae. Monarchia temperata aristocratia et democratia in usu erat maxime in HISPANIA, in GALLIA, in ITALIA; in GERMANIA autem monarchia temperabatur sola aristocratia.

In hac forma, ut patet, regimen praedominans est monarchia, aliis formis temperata.

---

[2] Votum dicitur deliberativum cum standum est maiori parti votorum; consultivum vero cum ille qui vota exquirit non necessario debet facere quod maiori parti placeat.

1154. 2) Constitutionalis. Haec forma regiminis distinctione diversarum potestatum in diversis organis exsistentium fundatur. Maiorem interventionem populi in regimine quam forma praecedens importat. In illa enim rex vel praeses, ut vulgatum proverbium ait, regnat sed non gubernat [3], administratio enim auctoritatis a repraesentantibus populi geritur; populus per repraesentantes eiusdem a se electos gubernat, quam ob causam hoc regimen *populare* seu democraticum appellari solet. Vocatur regimen *constitutionale,* eo quod in constitutionibus nationum constitutionem napoleonicam imitantibus repraesentatio popularis et modus eam perficiendi determinari soleat.

1155. Elementa regiminis constitutionalis: Essentialia sunt haec: 1) *Constitutio* scripto exarata, leges fundamentales nationis continens. 2) Una vel duplex *camera legifera* a populo uno vel alio modo electa; prout camera deputatorum populum repraesentans, vel camera alta seu senatus aristocratiam repraesentans, praevalentiam habeat, praedominium habebit democratia vel aristocratia. 3) *Praeses* vel *rex* maioribus vel minoribus facultatibus praeditus, iuxta diversas constitutiones nationum. 4) *Consilium ministrorum,* praesidi Status adiunctum, diversimode constitutum in diversis nationibus; huius consilii proprium est leges ab utraque camera approbatas, et a rege seu praeside sancitas, exsecutioni mandare. Ministri libere a rege vel a praeside eliguntur, ac libere etiam ab ipso possunt deponi, non autem ab illis in sua gubernatione praescindere potest, tunc enim actus eiusdem essent invalidi. 5) *Separatio potestatum* politicarum, cum potestas *legislativa* apud cameras resideat; *exsecutiva* vero apud ministros, *iudicialis* autem apud tribunal supremum iustitiae. Potestates attamen legifera et exsecutiva plerumque permixtae sunt, cum leges sine sanctione regia vel ministeriali invalidae sint. Finis huius separationis potestatum est despotismum in exercitio potestatis vitare.

In hac forma regiminis, ut apparet, potestas regis vel praesidis potestati legiferae camerarum ut moderatrix contraponitur; potestas exsecutiva regi vel praesidi additur ita ut ad validitatem actuum subsignatio alicuius ministri responsabilis requiratur ad vitandum despotismum. Datur in illa mixtio omnium formarum regiminis ut aequilibrium inter diversas potestates obtineatur.

1156. 3) Parlamentaris [4]. Fere in omnibus coincidit cum forma constitutionali. Hoc vero novum addit, quod in hac forma praedominium habetur apud Parlamentum, seu in comple-

[3] Cf. Balmes, *El rey reina y no gobierna* (BAC 6,511-524).
[4] Cf. Dehermes, *El parlamento:* AccEsp 3 (1932) 605ss; 4 (1932) 38ss.

xu duarum camerarum, quarum una popularis (Congreso), alia vero Senatus seu camera alta vocatur.

Divisio regiminis parlamentarii: Duplex datur: a) *Unitarium*, si praeses consilii ministrorum ex factione habente maioritatem vel saltem favorem eiusdem in camera deputatorum eligi necessario debeat, sive haec electio fiat ab ipsa camera sive a praeside seu a rege. In hoc regimine praeses vel rex sunt irresponsabiles; ministri vero sunt responsabiles suorum actuum et quidem apud Parlamentum, qui potest omnes actus ministrorum et omnium officialium publicorum examinare illosque voto censurae damnare, ac consequenter illos dimittere cogere.

b) *Dualisticum*, si caput Status praesidem ministrorum ac reliquos ministros ex qualibet factione, quamvis non habeant maioritatem in camera, eligere potest. Vocatur dualisticum quia potest dari oppositio inter consilium ministrorum et Parlamentum.

1157. 4) PRAESIDENTIALIS. Haec forma regiminis, parlamentariae opposita, consistit in hoc quod praeses Status re vera magnam obtinet potestatem, illamque per se exercet. Nam in illa:

a) *Rex vel praeses libere ministros eligit*, quos vult, praescindendo a maioritate camerae. Ministri non tenentur rationem suorum actuum parlamento sed solum regi vel praesidi reddere, cuius secretarii re vera sunt, quo nomine etiam alicubi vocantur; ministri nullatenus obligantur cameram adire.

b) *Caput Status per se ipsum plura negotia expedit*: v.c. 1) *in ordine interno*: nominat functionarios publicos, applicat leges vel illas interpretatur, servitia publica instituit, saepe etiam cameram dissolvit et novas electiones indicit; 2) *in ordine internationali*: ad ipsum spectat plures officiales diplomaticos aut consulares creare et destinare, convenia internationalia praeparare, negotia dirigere...

c) *Potestas legifera inest in Camera*, sed leges a Camera approbatae, a praeside nationis promulgandae et approbandae sunt, cui plerumque competit potestas illas suo *veto* suspendendi. Vis huiusmodi *veto* stat in hoc, quod lex iterum ad Cameram est ferenda; si vero denuo fuerit confirmata, ut vim obtineat, opus est ut saltem duae e tribus partibus Camerae illam approbaverint.

Fere in omnibus *Statibus Americae* hoc regimen praesidentiale viget; in Europa invenitur in *Lusitania,* antea in *Polonia;* ante bellum 1914-1918 erat in *Germania.* Classica vero natio huius regiminis est America Septentrionalis seu U.S.A.[5].

Hoc regimen non multum differt, ut apparet, a monarchia temperata seu a regimine repraesentativo traditionali; vixque ab illo distinguitur, si characterem vitalitium et hereditarium monarchiae excipiamus; quae differentia pro aliquibus est omnino essentialis[6].

1158. QUOMODO POSSIT CONSIDERARI FORMA REGIMINIS. a) *In abstracto,* i.e. considerando solummodo perfectionem absolutam alicuius regiminis, seu aptitudinem ipsius ad perducendum populum ad finem societatis.

b) *In concreto,* i.e. considerando perfectionem relativam alicuius regiminis formae, seu aptitudinem non intrinsecam, sed extrinsecam, desumptam ex eo quod melius adiunctis alicuius populi determinati aptetur, v. c. indoli, moribus, traditionibus multisque aliis, quamvis in se considerata, seu absolute, illa forma sit imperfectior. Sic forma democratica aptari potest melius indoli alicuius populi, vel determinatis temporibus, et tunc illo tempore, et pro illo populo erit forma in concreto melior.

1159. SUPREMA POTESTAS: intelligitur complexus triplicis potestatis legislativae, iudicialis, exsecutivae.

1160. Status quaestionis. 1) Supponimus nullam ex praedictis formis gubernii, ex sola determinatione subiecti possidentis potestatem, esse illicitam, cum omnes de se possint societatem perducere in suum finem.

2) Supponimus—quod aliunde satis per se patet—*despotismum et tyrannidem, oligarchiam* et *demagogiam* esse formas iniustas, cum finem auctoritatis civilis non adimpleant.

3) *De dictatura* nihil dicimus speciale, cum hoc regimen *natura sua* sit de se transitorium, forte necessarium per aliquod tempus in conditionibus anormalibus societatis. Absonum tamen est defendere hoc regimen ut formam normalem et stabilem gubernandi, et ut per se optabilem.

4) De aliis formis rectis in genere affirmandum est nullam ex illis esse aut praeceptam aut vetitam lege naturali;

[5] Cf. *Un pueblo en el ejercicio de su soberanía* (U. S. A.) p.50ss.
[6] Cf. BENOIT, *Las leyes de la política* p.268.

cum enim societas civilis libera sociorum conventione efformetur, possunt ii limitationes, quas velint, subiecto exercenti auctoritatem apponere, illamque ut velint distribuere, dummodo assecutio finis societatis sit possibilis. In omnibus vero praedictis formis, finis socialis obtineri potest [7].

5) Comparatio inter diversas formas potest fieri tripliciter; vel comparando formas simplices inter se; vel comparando formas compositas inter se, vel comparando unam fornam simplicem cum alia composita; nos instituimus comparationem inter omnes formas sub qualibet combinatione, et quidem primum in abstracto, deinde in concreto.

1161. Sententiae. 1.ª PLATO *inter antiquos* iudicat formam in abstracto praeferendam esse *aristocratiam* sapientium.

2.ª *Plures democratae,* doctrinam rousseaunianam sequentes, *unicam* formam iustam, ac proinde unicam formam eligendam, iudicant *democratiam;* haec est opinio multorum iuristarum gallicorum, ROUSSEAU, STUART MILL.

3.ª *Alii democratae* dicunt *democratiam* saltem esse formam *semper praeferendam,* etsi admittant alias formas posse esse etiam iustas. Ita *sillonistae* cum SANGNIER (cf. damnationem huiusmodi doctrinae apud PIUM X, *Le Sillon* n.28).

4.ª *Maxima pars auctorum saec. XIX* et constitutiones fere omnium nationum, quae saec. XX efformatae fuerunt, formae democraticae praeferentiam dederunt. Nostris temporibus haec forma regiminis fere apud omnes populos in honore habetur, ita ut unum ex principiis capitalibus modernis constituat. Perperam tamen ad unam formam coarctatur (cf. PIUS XII, *Nunt. radioph. 25-XII-1944* n.8).

5.ª *Socialistae et communistae, multi liberales,* praesertim radicales, aut nullam formam ut legitimam habent, aut praeferunt formam democraticam ita ut quasi dogma fundamentale in hac re apud ipsos habeatur auctoritatem residere semper et quidem inalienabiliter in populo.

6.ª *Doctrina statista* e contra praefert regimina monarchica et quidem, saltem practice, absoluta; omnia enim e voluntate Ducis pendent, et quamvis detur aliqua repraesentatio nationis, illa est prorsus fictitia.

7.ª *Auctores scholastici,* fere omnes et antiqui et mo-

[7] Cf. *Immortale Dei* n.6.45; *Libertas* n.52; *Dilectissima nobis* n.3; *Damnatio Le Sillon* n.28; *Quadragesimo anno* n.36; *Nuntium radiophonicum* PII XII *in festis Nativitatis anno 1944* n.8.

derni, cum ingenti multitudine aliorum auctorum non scholasticorum affirmant *monarchiam temperatam* esse formam in abstracto praeferendam [8]. Quamvis aliqui *hodierni* dicunt in abstracto nullam formam esse aliis praeferendam [9].

8.ª *Nostra sententia.* Nos formis simplicibus praeferimus formas compositas, et ex diversis formis compositis praeferendam dicimus monarchiam temperatam; excludimus ergo monarchiam absolutam.

Ex diversis vero modis temperandi monarchiam non admittimus regimen repraesentativum constitutionale, neque parlamentarium, prout nostris temporibus, et integro saec. XIX habitum fuit; sed admittimus repraesentationem classium uno vel alio modo; solummodo requirimus ut in organismo temperante vere sint omnes classes sociales repraesentatae, non praecise individua; sive illud organismum temperans sit Camera optimatum, sive Camera designata ex democratica sed *organica repraesentatione* non vero suffragio universali et inorganico, sive composita sit ex diversis corporationibus [10].

Consilia et coetus huiusmodi organismi repraesentativi deberent esse non solum consultiva, sed vere deliberativa, saltem in gravioribus rebus, v.c. ad bellum indicendum, ad nova tributa imponenda... Non ergo omnia elementa potestatis in manus solius monarchae sunt tradenda, neque tempore pacis.

In *secunda parte* illam formam in concreto meliorem esse dicimus, quae *unicuique nationi melius aptetur,* illam scilicet qua quilibet Status melius suam pacem, prosperitatem, stabilitatem et securitatem obtinere possit.

Commoda et incommoda uniuscuiusque formae in abstracto augeri vel minui possunt ex indole singulari uniuscuiusque populi, spectatis adiunctis tum internis, tunc externis eiusdem in determinato

---

[8] S. TH., 1-2 q.105 a.1 c; *De regimine princ.* 1.1 c.1; BELLARMINO, *De Roman. Pont.* 1.1 c.2-4; SUÁREZ, *De leg.* 1.3 c.4; *Def. fidei* 1.3 c.3; LALLEMENT, B., *La doctrine politique de Sto. Thomas:* II. *La definition thomiste des différents régimes:* RevPhil 34 (1927) 465-488; III. *La question du meilleur regime* 36 (1929) 71-86: LE FOUR. *Democratie et catholicisme* (schema): RevScPhTh 7 (1913) 521-523; 9 (1920) 605-606 (doctrina SORTAIS).

[9] CATHREIN, *Phil. moralis* p.383; NIVARD, Ethica p.437; DONAT, *Ethica specialis* p.201; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.2 p.307ss.

[10] BALMES, *Consideraciones filosófico-políticas* (BAC 6,347-356); DEHERMES, *El sufragio universal:* AccEsp 2 (1931) 600ss; 3 (1932) 47ss; 5 (1937) 337ss; TAPARELLI, *Examen crítico del gobierno representativo* t.1 c.3; SORTAIS, *Morale* p.281-285; G. LÓPEZ, *La democracia como régimen político:* IV, *Relación entre democracia y sufragio:* RazFe 135 (1947) 419-441; BRUCCULERI, A., *Considerazioni sul suffragio universale:* CivCatt (1946) 200-220; ODDONE, A., *L'opinion publica:* Civ Catt (1942,4) 136-144.

historico tempore. *Praecipua elementa,* quae in electione unius formae in concreto prae alia influere possunt, sunt haec: origo historica populi; traditio per longum tempus protacta; situs geographicus; maior vel minor extensio territorialis; numerus incolarum; eorum indoles, mores atque cultura; ordo oeconomicus magis vel minus prosper; structura plus minusve homogenea vel heterogenea nationis; aequalitas civium vel praecellentia classium socialium antiquarum...

In concreto autem regiminis excellentia, potius quam ab ipsa forma, pendet a capacitate et honestate gubernantium et gubernandorum [11].

Probatur. 1.ª Pars: Monarchia apte temperata est forma reg. in abstracto praeferenda.

1162. *Eo quod magis faveat assecutioni finis primarii societatis.*

In monarchia temperata melius quam in aliis formis: 1) datur efficatior gubernatio; 2) satius consulitur paci, tranquillitati et iustitiae inter cives; 3) obtinetur et fovetur maior erga auctoritatem reverentia; 4) aliunde vitatur sufficienter praecipuum periculum monarchiae annexum, nempe tyrannidem. *Ergo* monarchia apte temperata reliquis formis regiminis est praeferenda.

Antec.: 1) *Datur efficatior gubernatio*: nam efficacitas gubernationis consistit in unitate et continuitate eiusdem, quae facilius exsistunt, cum potestas in manibus unius est quam si in manibus multorum inveniatur. Nam in monarchia praeterquam quod in casibus gravioribus, non est opus consultatione et longa discussione, quo fit ut remedium malis serius, quam quod opus esset, afferatur. "*Optima gubernatio est quae fit per unum*" (S. Th., 1 q.103 a.3c; 4CG c.76).

2) *Paci civium melius consulitur*: quia ad conservandam pacem in multitudine, unus aptior est quam plures, qui sententiis faciliter discrepant. Factiones politicae pro capessendo gubernio pugnant inter se et machinantur. In monarchia vero haec incommoda partim non exsistunt, et factiones facilius vitantur a monarcha [12].

3) *Datur maior reverentia erga auctoritatem*: nam munera vitalitia vel ad longum tempus—ut in monarchia solent esse—, maiorem apud gentes splendorem et aureolam conciliant, et maiorem independentiam in regimine afferre solent.

[11] Cf. optime Balmes, *Proyecto de Constitución* (BAC 6,621-623).
[12] Cf. Balmes, *La fuerza del poder y la monarquía* (BAC 6,258-263).

4) *Periculum tyrannidis,* quod aliunde est praecipuum incommodum contra monarchiam obiici solitum, sufficienter corrigitur in monarchia temperata. Auctoritas enim sic prudentibus limitationibus ligari potest, ut princeps certas quasdam leges maximi momenti ipse solus condere nequeat, sed necessario suffragium deliberativum aliorum exquirere teneatur, eique stare.

1163. Scholion. Qualis monarchia, hereditaria vel electiva? 1) *Rationes contra hereditariam*: innititur *facto nativitatis,* qui titulus nullius valoris est in ordine aptitudinis ad gubernandum; *in minoritate principum* lites et contentiones inter diversas factiones pullulant, teste historia; *potestas imperandi,* longa duratione, in tyrannidem degenerat, vel in turpem ignaviam, et quod virtuti debetur vitio vel ineptitudini committitur; longo saeculorum cursu dinastiae sua *ineptitudine senescunt,* et disparent.

2) *Rationes pro hereditaria*: *teste historia,* v.c. apud hispanos, polonos, romanos..., occasio fuit monarchia electiva infaustis bellis civilibus, et tandem in monarchiam hereditariam devenire debuit, vel secus misero casu perivit; nostris temporibus monarchiae electivae non exsistunt saltem vitalitiae; *ambitio regiminis* ad corruptionem suffragiorum stimulat, atque ad falsas promissiones, quae deinde non adimplentur; *in electionibus,* ob malas artes adhibitas, plerumque impii et audaciores dominantur.

3) *Practice monarchia hereditaria praeferenda.* Ergo, etsi monarchia electiva perpetua in *theoria* per se fortiora argumenta habere videatur, tamen in *praxi* monarchia hereditaria maiores patronos habet, praesertim eo quod sit aliquid permanens in natione et vinculum traditionis [13].

2.ª Pars: In concreto praeferenda est forma quae melius aptetur

1164. *Ex fine formae regiminis.*

Forma regiminis est instrumentum quoddam, quo societas suum finem consequi debet. *Atqui* instrumentum quodlibet quo melius aptetur et conformetur naturae illud adhibentis eo melius et efficatius est ad finem consequendum. *Ergo*

[13] Cf. BENOIST, *Las leyes de la política* p.269-274; BALMES, *El manifiesto del infante Don Enrique* (BAC 7,449-509).

in concreto illa forma regiminis est praeferenda, quae melius indoli et moribus uniuscuiusque nationis aptetur.

1165. *Confirmatur* ex eo quod forma regiminis est tamquam vestis alicuius nationis; illa vero vestis melior pro unaquaque persona in concreto est, quae melius eidem aptatur: staturae, conditioni sociali, regioni ubi habitat (cf. BALMES, BAC 6,622).

1166. Obiectiones. 1. In monarchia adest intrinsecum periculum abusuum ob adulationes aulicorum et servorum circumstantium. *Ergo* est forma regiminis minus apta ex se ad gubernationem nationis.

Resp. Dist. ant.: in monarchia absoluta, *trans.;* in temperata *subd.*: hoc periculum adest in omni regimine, etsi maius utique in monarchia, *conc.;* est aliquid exclusivum huius formae, *neg.* Ideo in rebus maioris momenti organismi temperantes veritatem monarchae dicere debent.

2. In monarchia necessitates populi negliguntur; reges non solent curare nisi sua commoda et prosperitates familiae regalis, ac voluptatibus indulgere solent. *Ergo* haec forma regiminis maiora incommoda habet.

Resp. Dist. antec.: hoc est proprium omnis formae regiminis, *conc.;* est exclusivum monarchiae, *neg.* Optimum gubernium pendet a moralitate gubernantium.

3. Munera in monarchia solent personis ineptis committi, illis nempe qui in adulationibus emineant; ac consequenter administratio et gubernatio pessima erit. *Ergo* monarchia non est forma regiminis in abstracto praeferenda.

Resp. Dist. ant.: aliquando, *conc.,* sicuti in aliis formis; semper vel generatim, *neg.* Est manifesta exaggeratio, quamvis non nihil veritatis contineat obiectio; similiter hoc malum medendum est mediantibus organismis temperantibus.

4. In monarchia participatio populi in gubernatione nationis nulla vel fere nulla est; omnia reguntur ad nutum aliquorum privatorum regis. *Atqui* hoc necessario secum fert neglectum boni communis. *Ergo* monarchia non est forma regiminis in abstracto praeferenda.

Resp. Dist. mai.: in monarchia absoluta, *conc.;* in temperata, *neg.* Nam in illa datur aliqua participatio populi in gubernatione nationis, sed in rebus quae captum populi non excedunt, et mediantibus personis aptis ad illam participationem a populo electis. *Contrad. min.*

5. *Aliae formae regiminis*, praecipue democratia, melius quam monarchia consulunt aequalitati iuridicae omnium civium. *Ergo* illae formae sunt praeferendae.

Resp. Neg. suppositum, scilicet omnes cives in concreto plenam aequalitatem iurium habere debere; potius commendanda inaequalitas, iuxta diversitatem meritorum individualium, familiarium et professionalium.

6. Saltem in monarchia hereditaria filii statim degenerant inter delicias regales et fiunt inutiles ad gubernandum. *Ergo* monarchia non est regimen praeferendum.

Resp. Obiectio non parum veritatis continet; et si non essent contra monarchiam electivam incommoda adhuc maiora ipsa in abstracto esset potius eligenda. Recolantur dicta in scholio.

§ 6. De functionibus auctoritatis civilis

1167. Praenotanda. Saepe decursu quaestionum dictum fuit auctoritati civili triplicem potissimum functionem competere, legislativam nempe, exsecutivam et iudicialem. Nunc expressius, etsi breviter quidem, aliqua de hac triplici functione auctoritatis civilis innuere volumus [1].

A. De potestate legislativa

1168. 1. **Quid importet.** Facultatem importat condendi leges, seu imponendi activitati sociorum normas obligatorias bonum commune respicientes, ac iuxta ipsas gubernandi.

Huiusmodi facultas ut praecipua quidem habenda est ex illis omnibus, quae in auctoritate civili inveniuntur, ita ut reliquae quasi complementum eiusdem considerari debeant, sive ad urgendam exsecutionem illarum legum—facultas exsecutiva—, sive ad earum violationem reparandam—facultas iudicialis.

1169. 2. **Quousque se extendat.** Se extendit tantum quantum finis auctoritatis civilis. Potest ergo auctoritas civilis in omnibus rebus, quae sub fine societatis cadunt, ac in mensura, quae a bono communi requiratur, has normas obligatorias civibus imponere. Hos tamen limites minime ei transgredi licet; illae enim ordinationes ad bonum commune non ordinatae, nequaquam ut verae leges haberi possent.

Ex dictis cum egimus de fine societatis civilis, patet auctoritatem civilem leges ferre posse, sive quae iura privatorum respiciant, ut melius illa protegantur, vel in harmoniam inter se reducantur; sive quae prosperitatem publicam temporalem, tam in ordine oeconomico, quam in intellectuali, et in morali, prae oculis habeant.

1170. 3. **Fundamentum huius potestatis.** Haec facultas in ipso fine societatis includitur; absque facultate namque legislativa societas suum finem consequi nequiret, cum sine illa nec probi cives regi, neque improbi coerceri, nec ordo publicus sufficienter protegi possent.

Nam sola lex naturalis ad perfectum regimen societatis

[1] Cf. GÜENECHEA, *Princ. Iuris. politici* v.1 p.200ss; v.2 p.111ss; quae nos leviter attingimus ibi fuse et egregie exponuntur.

civilis non sufficit. Ipsa namque quoad multa eiusdem praecepta a multis hominibus ob suam ingenii tarditatem non agnosceretur; alia indeterminate tantum continet, quae a potestate civili determinari debent, v.c. quantitas tributorum...; alia denique non nisi in genere postulat, quae deinde a lege civili debita proportione specificanda sunt, v.c. poena malefactoribus debita.

N. B. Multa alia, quae intime cum hac quaestione connectuntur, sed quae potius ad ius civile spectant, possunt videri copiose et optime exposita a GÜENECHEA, *Principia Iuris politici* v.1 p.220ss; v.2 p.111ss.

B. DE POTESTATE EXSECUTIVA

1171. 1. **Quid importet.** Sub hac generica appellatione omnia illa includuntur, quae ad auctoritatem socialem spectant, neque sub potestate legislativa aut iudiciali cadunt. Est ergo potestas amplissima, quae etiam vocari solet *gubernativa* vel *administrativa.*

1172. 2. **Momentum eiusdem.** *Nemo est qui non videat* quanti sit momenti ad rectam gubernationem societatis haec facultas; ab ipsa enim *practice* maxima ex parte pendet prosperitas societatis.

Nam ad potestatem exsecutivam pertinet: leges promulgare, illas urgere, atque ad singulos casus applicare; plura alia, quae in facultate legislativa non includuntur, ipsa exsequitur; ipsa prosperitatem publicam positive promovere debet; plerumque legum conditionem initiat; officiales publicos creat ac distribuit...

1173. 3. **Subiectum huius potestatis.** *Haec potestas residet* in praeside seu Duce Status, consilio ministrorum adiuto; quod consilium ministrorum maiori vel minori independentia, iuxta diversas Constitutiones, gaudet.

1174. 4. **Necessitas huius potestatis.** *Potestas exsecutiva* est omnino necessaria societati; absque ipsa enim leges, et ipsa prosperitas publica sua efficacia privarentur; requiritur praeterea eo quod ipsa sola casus subito obortos, et multa alia, quae in legibus minime praevideri possunt, expedire valet.

N. B. Alia cum hac potestate coniuncta egregie exposita videantur in GÜENECHEA, *Principia Iuris politici* v.2 p.143-258.

C. De potestate iudiciali

1175. 1. **Quid importet.** Potestas iudicialis est facultas iuris dicendi, illud auctoritative declarandi, atque ad effectum perducendi.

1176. 2. **Momentum huius potestatis.** Maximum etiam est. Nam potestas legifera velut mortua esset, nisi per potestatem iudicialem in multis casibus dubiis vel controversis definiretur. Pariter potestas exsecutiva, nisi illam vi mere physicae aequiparare velimus, sententiis potestatis iudicialis sese accommodare debet.

Aliunde tamen hae tres potestates intime inter se coniunguntur; nam v.c. sententias facultatis iudicialis in praxim deducere seu exsecutioni mandare ad potestatem exsecutivam pertinet, etsi potestas iudicialis plerumque illa intelligatur, quae ordinem iuridicum laesum vel perturbatum in integrum restituit, sive poenas infligendo, si agitur de perturbatione ordinis per crimina, sive lites dirimendo et determinando, si de perturbationibus ordinis per lites sermo sit.

Duplex namque datur potestas iudicialis, altera *criminalis,* altera *civilis;* utraque vero omnino necessaria ad pacem et securitatem firmandam, et ad coercendos homines intra limites legis et in observatione iurium aliorum.

1177. 3. **Undenam oriatur criminalis potestas.** Plurimae sententiae propositae fuerunt ad explicandum fundamentum huius potestatis punitivae, quae in auctoritate civili continetur; e quibus aliae sunt omnino falsae, aliae non nisi partialiter verae, una denique certa et omnino tenenda.

a) *Aliqui enim considerant* illam ut *consequentiam* necessariam ex crimine; alii ut quid in *pacto* efformativo societatis *inclusum;* sunt qui ius puniendi in societate ex necessitate poenae *ad aliquem finem obtinendum,* sive individualem, sive socialem, sed ordinis *mere* physici, derivent. Iuxta hos hominibus malefactoribus poena infligeretur, sicuti brutis animalibus, ad emendationem vel praeservationem physicam ipsorum, vel ad reparandum ordinem ab ipsis materialiter laesum. Ii namque negant libertatem humanam.

b) *Alii ius puniendi admittunt* ad *emendandum vel corrigendum* delinquentem; alii ex necessitate *deterrendi* homines nefarios, hoc pacto protegendo iura ceterorum; alii illud considerant ut necessarium ad *defensionem societatis.*

Haec ultima sententia proposita ad vindicandam auctoritati civili potestatem puniendi, ex necessitate eiusdem ad conservationem et debitam gubernationem societatis, quidquid veri in aliis continetur, amplectitur, defectus earum vitat, illasque complet.

N. B. Haec omnia hic leviter attacta, fusius videri possunt apud GÜENECHEA, *Principia Iuris politici* v.2 p.259ss; CATHREIN, *Philos. moralis* p.493ss. Hic ultimus praedictas sententias breviter exponit ac refutat, ac fundamentum statutum solide probat.

1178. 4. **Quousque se extendat facultas puniendi.** *In genere dicendum est* illam se extendere quousque sit necessarium ad finem ipsius obtinendum, nempe quousque requiratur ad conservationem et debitam gubernationem societatis. Potest ergo iuste illam poenam quae ad urgendam efficaciter observantiam legis civilis necessaria videatur comminari; illi vero, qui legem infringat, iuste applicari potest poena pro tali infractione iuste comminata.

1179. 5. **De poena mortis.** *Ex dictis in numero praecedenti* sequitur ipsam poenam mortis iuste infligi posse, si haec sit necessaria ad rectam gubernationem societatis. Hoc vero quandoque necessarium esse clare patet [2].

Sunt enim crimina tam atrocia, et ordinem socialem tam graviter perturbantia, aliunde homines *tam pravi* inveniuntur, qui ab illis criminibus perpetrandis non nisi maxima hac poena mortis efficaciter retrahi possint. Cum Deus auctoritati civili omnia iura concesserit, quae ad conservationem et rectam gubernationem ordinis socialis sint necessaria, eidem tradidit etiam facultatem in iis casibus gravioribus poenam mortis infligendi.

Quaenam sint crimina, quae huiusmodi poenam mortis mereantur, pendet multum a circumstantiis, et ab indole uniuscuiusque nationis.

---

[2] Cf. PALACIO, J. M.ª, *La pena de muerte ante el derecho natural:* CienTom 42 (1930) 309-326.

CAPUT IV

De iure ac de societate internationali

1180. Praenotanda. Quae hucusque exposuimus societatem civilem absolute considerabant. Si in mundo una tantum societas civilis exsisteret nihil aliud pertractandum remaneret. Attamen plurimae adsunt societates civiles, inter se independentes, absoluta et aequali auctoritati gaudentes. Quae quidem societates minime dissociatae et incommunicatae vivere possunt, cum naturaliter et necessario inter ipsas diversae relationes oriantur.

Volumus ergo, in hoc postremo capite Philosophiae Moralis, quales hae relationes esse debeant examinare, ac quibus iuribus et officiis naturalibus debeant regi.

Quoniam vero praedictum ius inter nationes versatur, recte *ius internationale* appellatur. Huiusmodi iuris naturam, exsistentiam, comprehensionem atque exigentias breviter volumus perpendere; diversa foedera inter nationes adumbrare; principium saepe prolatum nationalitatum discutere; modum solvendi conflictus inter nationes obortos exponere; denique verba faciemus de societate internationali.

ARTICULUS I

DE IURE INTERNATIONALI IN GENERE

§ 1. **De exsistentia et natura iuris internationalis**

Thesis 63. Exsistit ordo iuridicus internationalis naturalis tam privatus (I) quam publicus (II).

Cf. SUÁREZ, *De legibus* l.2 c.19; *Código de Moral Internacional* c.2; MEYER, *Inst. iuris Naturalis* v.2 p.736ss; CATHREIN, *Filos. morale* v.2 p.757ss; GÜENECHEA, *Principia Iuris politici* v.1 p.319ss; LE FUR, *Précis de droit international public;* SCHIFFINI, *Disp. philosophiae moralis* v.2 p.584ss; TAPARELLI, *Ensayo de derecho natural* v.2 n.1247ss; DONAT, *Ethica specialis* v.2 p.345ss; DE LA BRIÈRE, I., *Aux origines du droit internationale moderne:* RevPhil 8 (1939) 93-105; *La conception du droit international chez les theologiens catholiques:* RevPhil 36 (1929) 365-388; 504-534.

1181. Notiones. ORDO IURIDICUS INTERNATIONALIS. Hoc nomine intelligitur, *complexus iurium et officiorum relationes inter diversas societates civiles ordinans.*

1182. DIVISIONES ORDINIS IURIDICI INTERNATIONALIS. 1. *Naturalis*: complectitur illa tantum iura et officia quae iuxta legem naturalem inter diversas societates necessario exsistere debent.

Ab aliquibus auctoribus appellatus fuit *ius gentium*. Cum tamen hoc nomine scholastici praecedentes longe diversa significatione usi essent (cf. n.579s), ne ansa confusioni praebeatur, ab hac terminologia praescindere malumus.

2. *Positivus*: complectitur iura et officia quae sive a consuetudine, sive a conventione aliqua inter societates proveniunt. Hic vero potest esse: a) *universalis*: si apud omnes fere populos cultos viget; b) *particularis*: si tantum apud aliquas nationes habetur.

3. *Publicus* (qui strictius internationalis vocatur): complectitur iura et officia, sive a lege naturali, sive a conventione inter nationes povenientia, quae relationes inter *societates ut tales* regunt. Subiectum ergo huiusmodi iuris sunt nationes ut tales. Actiones tamen iuridicae nomine ipsius societatis a guberniis ipsam repraesentantibus exercetur.

4. *Privatus* est ille qui regit relationes *civium* diversarum societatum inter se in bonum privatum ipsorum.

N. B. Notemus praeter officia stricte iuridica dari etiam alia respondentia diversis virtutibus moralibus, v.c. caritati, obedientiae, iustitiae legali; quae officia etiam iuxta legem naturalem inter diversas nationes vim habent.

1182 [1]. **Status quaestionis.** Volumus videre utrum natura aliqua iura et officia imponat quibus diversae societates regi in suis relationibus debeant, tam si agatur de relationibus societatum qua talium inter se, quam si de relationibus diversorum subditorum illarum; an vero omnia pendeant a conventione aliqua positiva inter nationes.

1183. Sententiae. 1.ª *Aliqui, ducti erroneo conceptu iuris gentium* scholasticorum praeteritorum, negant exsistentiam iuris internationalis naturalis. Existimant enim ius gentium scholasticorum (quod positivum apud ipsos habetur) esse idem ac ius internationale nostrum, seu ius inter diversas gentes vel nationes; consequenter affirmant omnia iura et officia internationalia esse positiva.

2.ª *Alii perperam scrutantes historiam* ad eamdem conclusionem perveniunt. Dicunt enim ius internationale, cum tam magnum momentum habeat, si ab ipsa natura procederet, apud populos, praesertim cultos, constare deberet. Iam vero antiquissimi et sapientissimi populi, ut v.c. Graecia, Chaldea, Roma, Aegyptus... ius naturale inter diversas nationes neque theorice, neque practice agnoverunt. Unicum ius regens

relationes internationales inter ipsos erat egoismus nationalis.

Initia iuris internationalis, iuxta ipsos, non inveniuntur nisi post receptam et longe propagatam religionem christianam; hoc ius ab scriptoribus ecclesiasticis excolitur, ut ideam christianae iustitiae et caritatis inter diversas nationes christianas stabiliant.

Ex iis omnibus concludunt ius internationale non ab ipsa natura procedere, sed esse mere positivum et christianum.

3.ª *Positivismi iuridici placita* antea (n.552) fuerunt declarata. Hi ergo negant exsistentiam cuiuslibet iuris naturalis, sive inter privatos, sive inter nationes.

4.ª *Scholae historicae* doctrina fuit etiam exposita à nobis (cf. n.552ss). Iuxta hos auctores dantur utique aliquae normae generales *ideales,* quibus nationes in suis relationibus regi possunt; quae tamen non habent rationem veri iuris et officii, proinde strictam obligationem ad sui observantiam nequeunt imponere, nisi a consuetudine vel a lege positiva recognoscantur. Omnia ergo iura sunt, iuxta ipsos, tandem positiva.

5.ª *Philosophia materialistica* iuris, sive theorice, sive practice idem sustinet; in quo omnes athei conveniunt. Etsi enim ii auctores plerumque nomen iuris naturalis, similisve appellationis usurpent, exsistentiam cuiuslibet veri iuris negare debent, cum veram in conscientia obligationem statuere nequeant. In specie vero negant exsistentiam iuris internationalis naturalis. In relationibus inter diversas nationes, sicuti in ordine mere physico, non admittunt nisi ius fortioris; omnia frigido et crasso egoismo reguntur; ex quo naturaliter sequitur bellum omnium contra omnes.

Harum omnium doctrinarum exempla historia omnium temporum copiosissima profert.

6.ª *Nostra sententia.* Nos defendimus non omnia pendere a conventione aliqua positiva inter nationes; sed ante quamlibet conventionem positivam ipsam naturam determinatas obligationes imponere et facultates morales determinatas societatibus civilibus concedere.

Non vero affirmamus tantum iis iuribus et officiis naturalibus omnes relationes inter nationes esse regulandas. Nam praeter haec iura naturalia dantur *alia positiva,* tam publica quam privata, de quibus tamen agere ad nos non pertinet.

Probatur. 1.ª Pars: Exsistit ordo iuridicus internationalis naturalis privatus

1184. Quod alicui essentialiter convenit, ipse non amittit eo quod efformet societatem civilem. *Atqui* sunt multa iura et officia iuridica quae hominibus conveniunt per suam naturam, v.c. ius ad vitam, bonam famam. *Ergo* exsistit ius et officium aliquod naturale ordinans inter se relationes membrorum diversarum societatum, independenter a lege positiva; seu exsistit ordo iuridicus internationalis naturalis privatus.

2.ª Pars: Exsistit ordo iuridicus internationalis naturalis publicus

1185. 1. Praecepta illa naturalia: *suum cuique tribuendum est*: *pacta sunt servanda*... obligant non solum privatos, sed etiam societates independentes qua tales. *Atqui* societates independentes qua tales, independenter a conventione aliqua positiva, habent multa quae possunt vocare sua, atque pacta rite possunt inire. *Ergo*, ipsa natura hoc exigente, exsistit ordo iuridicus internationalis publicus.

Mai.: Nam sunt generalia, et conveniunt omni prorsus subiecto.

Min.: 1) v.c. territorium nationale, forma gubernii, magistratus, publica aedificia... omni societati ut sua conveniunt; reliquae ergo societates habent obligationem illa reverendi. 2) Societates contractus rite inire posse statim probabitur; sufficiat nunc scire hoc ad perfectam assecutionem finis earumdem esse necessarium.

1186. 2. *Eo quod sit fundamentum ordinis iuridici internationalis positivi.*

Si ius internationale naturale non exsisteret, neque ius internationale positivum exsistere posset. *Atqui*, fatentibus omnibus, exsistit ius internationale positivum. *Ergo* et ius internationale naturale publicum exsistere debet.

Mai.: Nam obligatio pactorum internationalium, nisi praesupponatur praeceptum naturale *Pacta sunt servanda* tam a privatis quam ab ipsis statibus, non haberet fundamentum. Obligatio enim provenire nequit a voluntate statuum, sed solum ab ipsa natura. Nam singuli status sunt omnino inde-

pendentes et aequales, ac consequenter nequeunt obligare, *neque seipsos,* nam nemo est superior sui ipsius, et obligatio solum a superiore provenire potest; *neque alios,* nam singuli sunt aequales. Praeterea si tantum voluntas status ratio obligationis esset, ab illa observanda ipse status posset se liberare, desinente voluntate obligante.

Min.: Etsi saeculis transactis a multis iuristis negaretur, hodie nullus huius nominis dignus invenitur, qui ius internationale positivum non admittat.

§ 2. **De aequalitate iurium et officiorum naturalium societatum**

Thesis 64. Iura et officia quae singulis societatibus civilibus ab ipsa natura conveniunt sunt omnibus aequalia.

1187. Status quaestionis. *Nunc tantum agimus* de iis iuribus et officiis quae omnibus societatibus absolute consideratis competunt; quae iura *congenita* seu naturalia appellari solent. Dicimus haec in omnibus societatibus esse prorsus aequalia; sicuti sunt aequalia iura et officia quae hominibus ab ipsa natura conveniunt. Iura positiva et accidentalia possunt esse diversa, sed de illis in praesenti non agimus.

1188. Adversarii. *Theoretice et maxime practice* thesim adversantur iuristae et statistae omnes, qui societatibus parvis aut nulla, aut saltem non eadem concedunt iura ac magnis societatibus.

1189. Probatur. *Iura et officia naturalia* in omnibus societatibus civilibus erunt aequalia, si omnibus idem sit finis, eadem potestas, eadem natura specifica. *Atqui* finis, potestas, natura specifica eadem sunt in omnibus societatibus civilibus. *Ergo* iura et officia naturalia in omnibus societatibus civilibus eadem esse debent.

Mai.: Sunt enim totidem fontes e quibus iura et officia naturalia dimanant.

Min.: Patet ex thesibus de fine societatis civilis, de auctoritate civili, ac ex ipsis notionibus societatis civilis (cf. *Código de moral internacional,* n.60-65).

§ 3. De comprenhensione iurium et officiorum naturalium Societatum

A. De officiis non iuridicis

Thesis 65. Societates civiles tenentur praecepto naturali caritatis ad mutuam dilectionem et iuvamen.

Cf. Ganne, *Communauté nationale et communautés spiritueles:* SSF (Strasburg 1946) p.141-167; Delos, *La charité loi de la vie internationale:* SSF (Paris 1928) p.407-426; *Proyecto de declaración de los derechos y deberes de los Estados* (textos): *Información Jurídica* n.91 (1940) 1469-1470.

1190. Notiones. Dilectio. Diligere seu amare alterum est eidem *bene velle* (cf. dicta n.616ss). Hic vero amor tunc solum obiective est ordinatus et secundum intentionem praecepti cum alteri quis vult quae re vera sunt bona.

Hoc praeceptum dilectionis partim est *negativum,* partim vero *affirmativum.* Negativum quatenus prohibet actus amori contrarios; positivum seu affirmativum quatenus positivam beneficentiam seu iuvamen iuxta normas caritatis praecipit.

Pars negativa optime illo vulgari proverbio exprimitur; *quod tibi fieri non vis, alteri ne facias,* quo excluduntur omnes actiones iniustae seu iniuriosae contra alios: contemptus, odium, mala aestimatio ut si inferioris essent stirpis...

Pars vero affirmativa in alio proverbio includitur: *quod tibi vis fieri, alteri facias,* quo positiva opera beneficentiae et quodlibet iuvamen praescribuntur.

1191. Norma huius dilectionis. Agentes (n.618) de mutua dilectione inter homines, normam illius proprium subiectum esse dicebamus: *sicut te ipsum.* Haec norma similiter ad mutuam inter nationes dilectionem applicari potest. Verbum vero *similiter* non aequalitatem, sed potius directionem et formale motivum amoris indicare ibidem etiam declarabamus.

Minime ergo affirmamus subditos alicuius nationis subditos alterius aeque ac concives amare debere. Licitum namque est ut unusquisque speciali amore propriam patriam et suos concives prosequatur. In amore praeterea unius nationis erga aliam, cum agatur de positivo exercitio beneficentiae, prae oculis habendum est non eamdem esse conditionem societatis et individui. Homo namque, cum sit dominus suorum bonorum, in favorem proximi, posthabito bono proprio,

potest omnia sua devovere. Quod societati minime licet. Per se enim obligatio in corpus sociale sibi commissum est potior et semper bono alterius praeferenda.

1192. Status quaestionis. Volumus videre utrum praeceptum caritatis sese extendat etiam ad alias nationes ut tales, non tantum ad homines ut privatos.

1193. Sententiae. 1.ª Est illorum qui *nostris temporibus* exaggeratum nationalismum ac egoismum defendunt; ubique foventur odia contra diversas nationes, ac positivum iuvamen plerumque negligitur, quamvis in summa miseria aliae nationes inveniantur.

2.ª *Nostra sententia,* quae est omnino certa, affirmat amorem erga propriam nationem nullo modo posse excludere amorem erga alias, qui amor et negative et positive debet sese manifestare.

1194. Probatur. *Secundum ordinem naturalem* ideo homines proximos amare tenentur, quia omnes eamdem habent specificam naturam, eamdem dignitatem personalem, eamdem destinationem, ac communem originem. *Atqui* haec omnia pari ratione societatibus civilibus qua talibus applicari possunt. *Ergo* et societates civiles lege naturali tenentur ad mutuam dilectionem et iuvamen.

1195. *N. B.* **De mutuo iuvamine materiali.** Officia positiva amoris per se gravem obligationem moralem imponere possunt, ab humana tamen potestate vi extorqueri nequeunt, quia nullo respectivo iure nituntur. In exercitio praeterea horum officiorum societates civiles prae oculis circumstantias propriae nationis habere debent, ne forte auxilium erga alteram nationem cum officiis erga proprios subditos conciliari nequeat.

Repudiandus omnino est egoismus absolutus quo nationes ita sibi soli vivere contendunt ut aliarum fortuna sive prospera sive adversa nullatenus tangantur, nisi in quantum ex ea proprium commodum vel incommodum affici prospiciant; hic pernitiosus egoismus recto ordini naturae penitus adversatur.

B. De officiis iuridicis naturalibus nationum

1196. *Quaelibet Societas civilis* est vera *persona moralis,* quae ab ipsa natura accepit omnia iura quae ad adimpletionem finis naturalis eiusdem requirantur, tam respectu suorum subditorum, quam respectu aliarum societatum. Haec iura in reliquis, tam subditis, quam nationibus, respectiva officia implicant. Exercitium horum iurium in singulis nationibus limitatur ab officio reverendi aequa-

lia iura aliarum nationum, et ab obligatione quam singuli status habent praestandi, quae ad bonum commune internationale requirantur. Haec iura, quoniam a voluntate statuum vel a consuetudine non procedunt, pariter neque ab ipsis possunt abrogari, sed tantummodo in concreta aliqua circumstantia quoad suam applicationem determinari.

1197. Praecipua iura naturalia nationum sunt sequentia: 1. IUS AD PROPRIAM EXSISTENTIAM ET INTEGRITATEM. Societatis vero civilis cuiusvis exsistentia constituitur ex territorio aliquo, ex multitudine determinata hominum, et ex concreta forma regiminis. Quaelibet natio a momento in quo capax apparet tendendi in finem proprium illumque assequendi, ius habet ad propriam exsistentiam; reliquae vero habent obligationem illam reverendi.

Ex quo sequitur iure naturali prohiberi non tantum iniustam aggressionem contra aliam nationem, sed etiam quodlibet iuvamen iniustae aggressioni ex parte alterius. Aliquando vero potest dari obligatio moralis aliquam nationem iniuste laesam iuvandi, cum sine gravi incommodo proprio hoc fieri possit. Post lapsum vero temporis, accedente consensu civium, in favorem iniqui usurpatoris praescriptioni locus esse potest.

Hoc ius ad propriam exsistentiam *omnibus* societatibus civilibus competit *independer a numero sociorum* illas componentium et ab extensione proprii territorii. Reiicienda ergo ex hoc capite est sententia eorum qui nostris temporibus sustinent exsistentiam parvarum societatum civilium esse quid anachronicum.

Hoc ius est omnium radicalius et maxime fundamentale societatum, sicuti in hominibus ius ad vitam propriam est omnium iurium fundamentum.

1198. 2. IUS AD SUI CONSERVATIONEM ET DEFENSIONEM. Intime connectitur cum iure praecedenti, estque quasi continuatio eiusdem. Ad suam integritatem physicam et moralem servandam ius habent societates civiles ad omnia media adhibenda quae ad suam conservationem et defensionem requirantur, nec cum simili aliarum societatum iure pugnent[1].

Ius ergo habent ad policiam intra nationem instruendam, ad exercitus comparandos, ad foedera defensiva cum aliis nationibus ineunda, quandoque vero ad interventionem in altera natione, si eiusdem iniquus agendi modus propriam salutem in discrimen adducit.

1199. 3. IUS AD PROPRIAM INDEPENDENTIAM. Huiusmodi ius vocari etiam solet *ius soberanitatis*. Quoniam vero duplex soberanitas dari potest, alia interna, i.e. facultas gubernandi cum plena libertate membra societatis; altera vero externa, i.e. *independentia ab auctoritate cuiuslibet alterius nationis,* malumus nomen soberanitatis ad plenam libertatem internam designandam reservare, independentiam vero vocare illam non submissionem extrinsecae potestati.

Cum vero status aliquis impotens ad finem suum rite assequendum redditur ideoque protectionem nationis alicuius tenetur acceptare, eo ipso a notione veri status deficit, ac in coloniam vel natio-

[1] Cf. MESSINEO, A., *Il diritto di corservatione:* CivCatt (1941,2) 166-178.252-265; *La vita dello stato e il caso de necessitá:* CivCatt (1936,3) 123-134.197-208.

nem sub protectionem alterius transit, donec praedictae circumstantiae perdurent.

1200. *Quomodo amittatur.* Independentia nationis amitti potest: 1) *Cum interventio alterius necessaria* est ad defensionem iurium nationis intervenientis, quae iniuste ab alia societate laeduntur vel in periculum adducuntur.

2) Cum agitur de *defensione tertiae alterius nationis* iniuste laesae.

3) Cum agitur de iuribus essentialibus totius communitatis humanae, quae nullo pacto ab illa natione observari valent.

4) Cum agitur de defensione iurium essentialium subditorum illius nationis ab illa auctoritate neglectorum (cf. *Código de moral internacional* n.4148).

Hae vero interventiones quam minimae fieri deberent.

1201. 4. IUS AD SOBERANITATEM TAM TERRITORIALEM QUAM PERSONALEM. Vi huiusmodi iuris potest Status *intra limites proprii territorii* leges condere, ordinem protegere, omniaque in bonum commune, prout ipsi placuerit, dirigere. Hoc supponit, ex parte aliarum nationum integre praedictos limites revereri debere. Minime tamen huiusmodi ius auctoritati sociali qua tali dominium proprietatis totius territorii confert; neque hoc modo intelligi debet dominium altum seu eminens auctoritati attribui solitum.

Dominia enim, praeter illa quae proprietate privata ad societatem qua talem pertineant, sub dominio directo privatorum in bonum particulare ipsorum subiacent.

Soberanitas autem personalis auctoritati supremae confert ius ad iniungendum aliquid membris corporis socialis ad eorum iura et officia defendenda atque ad ordinandam activitatem omnium subditorum in bonum commune totius societatis. In exercitio huius iuris Status ab auctoritate aliorum statuum non pendet. Si vero despotice aliquae partes societatis, i.e. *minoritates* opprimerentur, vel si iura personae humanae subditorum non revereantur, ius integrum interveniendi in aliis nationibus agnoscendum est, ad illam iniustitiam e medio auferendam[2].

Intime quidem cum iure ad soberanitatem quaestio de *emigratione* et de *immigratione* cohaeret; neutra vero tamquam norma generalis potest prohiberi. Si vero aliquando cum bono communi nationis procedentiae vel adventus alterutra nequeat conciliari, poterit tunc vel omnino interdici, vel determinatis normis regulari (cf. *Código de moral internacional* n.48-60).

1202. 5. IUS AD PROMOVENDAM PROPRIAM PROSPERITATEM. Cum enim Status curam sibi habeat commissam prosperitatis corporis socialis, recte sibi vindicat ius absque impedimentis huiusmodi prosperitatem in omni ordine promovendi, nempe: oeconomicam, intellectualem, moralem, spiritualem.

In prosperitate intellectuali et morali promovenda nullam ex par-

[2] MESSINEO, A., *La sovranitá assoluta ei suoi reflexi nella vita sociale:* CivCatt (1942,3) 257-266; *L'origine del concetto di sovranitá:* CivCatt (1942,3) 331-341; *La sovranitá e il travaglio della sua dottrina:* CivCatt (1942,4) 144-153; *Il vero concetto di sovranitá* (1942,4) 274-284.

te aliorum statuum seriam difficultatem inveniet; hoc enim absque detrimento illarum fieri potest. *Prosperitatis vero materialis progressus* facile in conflictum venire potest cum prosperitate aliorum populorum, ex quo mortiferae competitiones orientur. Oportet ergo in hoc progressu materiali legem iustitiae et caritatis internationalis prae oculis habere. Politica autarchica, aut neglectus explotationis bonorum propriorum bono communi internationali possunt obstare. Caritas et iustitia internationalis postulant ut, mutuis conventionibus mediantibus, omnia harmonice in bonum commune totius familiae humanae componantur.

N. B. Iis omnibus iuribus in reliquis nationibus respondent, ut diximus, officia illa reverendi.

ARTICULUS II

De principio nationalitatis

Thesis 66. Principium nationalitatis sive in sensu illimitato et absoluto (I), sive in sensu aliquo restricto intelligatur, est falsum et pernitiosum (II).

Cf. Meyer, *Inst. Iuris Naturalis* v.2 n.237ss; Cathrein, *Philos. moralis* n.74ss; De la Briere, *Le principe des nationalités:* RevPhil 32 (1925) 113-125.306-318; *La communité des puissances* c.3; Delos, *La société international et les principes de droit public* p.1 c.1-2; Güenechea, *Principia Iuris polit.* v.1 p.89ss; Leclercq, *Leçons de droit naturel* v.2 c.5; Messineo, *Il problema de la nazione:* CivCatt (1938-3ss); *Nazione e Stato:* CivCatt (1938,4) 102-115; *Patriotismo, nazionalismo, internazionalismo:* CivCatt (1938,4) 497-510; *Il problema de la nazionalitá e la sua origine:* CivCatt (1943,4) 87-96; *Il principio della nazionalitá e il diritto publico:* CivCatt (1943,2) 73-82; *La nazionalitá e il suo presunto diritto all'autonomia:* CivCatt (1944,1) 13-22; *Nazionalitá e il ordinamento internazionale:* CivCatt (1944,1) 286-294; Flory, Ch., *Qu'est-ce qu'une communauté nationale?: SSF* (Strasburg 1946) 32-48; Robert, Ch., *Etat et communauté nationale:* SSF (1946) 107-121; Harmignie, P., *Note sur le principe des nationalités:* RevNeoScholPhil 28 (1926) 23-36.

1203. Notiones. Natio, patria, status. *En verba frequenter* ut synonima adhiberi solita, cum tamen adsit inter ipsa, si originem attendamus, differentia.

Quoad etymologiam. Natio, a nascendo derivata, attendit potius ad unionem physiologicam alicuius multitudinis familiarum, provenientium ab unitate originis eo quod ab eadem stipite procedant. De se a territorio praescindit.

Patria vero potius attendit ad territorium, et significat terram ubi quis natus est, ubi *parentes* eiusdem ac ascendentes commorantur.

Status vero exprimit conceptum potius auctoritatis supremae et independentis.

1204. QUOMODO HAEC TRIA INTER SE HABEANT. Natio aliqua disperci potest in plures Status totaliter vel partialiter simul cum aliis nationalitatibus (v.c. Status Uniti Americae); vel e contra unus Status potest comprehendere diversas nationes (v.c. imperium Britanicum); natio et patria subsistere possunt etsi Status dispareat (v.c. Austria nostris temporibus; Germania), vel possunt dividi inter diversos Status (Polonia saec. XIX); natio etiam per longum tempus subsistere potest quin patriam neque Statum specialem efformet (v.c. tribus nomadae, natio iudaica).

1205. NOTIO ACCURATA NATIONIS. Ex multis definitionibus, non nihil discrepantibus ab auctoribus prolatis, sequentem seligimus: *Collectivitas quaedam cuius membra, certis communibus notis affecta, efformant societatem politicam concretam, independentem, vel ad independentiam aspirantem.*

NOTAE COMMUNES NATIONEM ALIQUAM DESIGNANTES: non una est auctorum sententia. Hae plerumque assignari solent: identitas originis, seu procedentia ab eodem genere seu stipite; identitas linguae, traditionum, institutionum, vitae, historiae, territorii, tendentiarum socialium et politicarum... E quibus omnibus alii considerant ut praecipuam notam communitatem sanguinis vel stirpis; alii idioma proprium; alii historiam iuridicam; alii demum aspirationem ad independentiam politicam sub propria auctoritate.

1206. NATIONALITAS potest definiri: *specialis sive corporis sive animi indoles seu nota in aliqua collectivitate exsistente, propter quam ab aliis collectivitatibus in ordine physiologico, psychologico, historico, culturali, secernitur.*

1207. PRINCIPIUM NATIONALITATIS. a) *In sensu absoluto* seu illimitato est doctrina defendens quamlibet nationalitatem ius habere ut ipsa sola et tota constituat unum Statum, non obstantibus iuribus quibuscumque.

b) *In sensu stricto* seu limitato est doctrina defendens illud ius abstractum cuiuscumque nationalitatis solummodo in praxim deduci posse si non obstent pacta internationalia, vel si unio cum alia nationalitate non sit necessaria ut illa nationalitas fines suos proprios attingere possit.

1208. Status quaestionis. *Ut antea innuimus* status et natio varie inter se haberi possunt. Fieri enim quit ut aliqua natio ipsa sola tantum unum Statum efformet. Saepe tamen

evenit ut natio in varios status dividatur (slava: in statum polacum, russicum...) vel e contra ut variae nationes in uno Statu congregentur vel totaliter vel partialiter (v.c. in Iugoslavia, Tsechoslovachia, India, Helvetia...). In hac ultima hypothesi unitas necessaria Status faciliter in discrimen adduci potest; si vero intima cohaesio inter diversas nationalitates illum componentes habeatur magnopere illa diversitas prosperitati et culturae inservire potest.

Quaeritur ergo utrum quaelibet nationalitas habeat necne ius ad constituendum unum vel plures status independentes, ita ut singuli status exclusive componantur a collectivitate personarum iisdem characteribus gaudentium.

Ad hoc non necessario requiritur ut omnes participantes ex eadem nationalitate in uno statu congregentur; sufficit ut non subiiciantur nationalitati seu collectivitati diversae. Potest tamen una nationalitas in diversos status disperci, v.c. Hispana in diversis Statibus Americae.

1209. Sententiae. 1.ª *Liberales rigidiores* hoc principium in sensu absoluto defenderunt, maxime occasione efformationis regni italici, ad omnes principes, maxime ad Romanum Pontificem, a sua potestate temporali spoliandos.

2.ª *Statistae omnes*: *fascistae, nacistae, communistae russici* idem principium defendunt: *Itali* unum tantum Statum etiam cum nationalitate itala in Helvetia et Gallia commorante cupientes; *germani* nacistae ad annexionem nationis germanicae in Austria, Tsechoslovachia, atque in reliquis statibus degentis; *communistae russici* ad hodiernas annexiones totius nationalitatis slavae iustificandas...

3.ª Multi alii auctores in sensu limitato hoc principium defendunt ut BLUNTSCHLI, MOLH, MANCINI, MAMIANI, ROMANOSI, FIORE, DURANDO, GIOBERTI, FRANCK, DEL VECHIO, LITTRE, ARANZADI, PRAT DE LA RIVA...

4.ª *Nostra sententia.* Nos vero cum longe communiori inter iuristas sententia dicimus principium nationalitatis asserens diversas nationalitates ius habere ad diversos status constituendos nequaquam admitti posse; non solum in sensu absoluto et illimitato, sed neque in sensu stricto et limitato. Haec est sententia quae defenditur a summis iuristis ut MEYER, CATHREIN, DONAT, VALENSIN, DE LA BRIERE, GÜENECHEA, MESSINEO, ELORRIETA, IZAGA...

Probatur. 1.ª Pars: Princ. nationalitatis in sensu absoluto non est verum

1210. 1) *In efformatione societatis civilis.*

Unica causa primigenia societatis civilis est consensus tacitus vel expressus sociorum. *Atqui* eiusmodi consensus potest dari sive inter socios diversarum nationalitatum, sive inter socios eiusdem, in ordine ad eumdem statum integrandum. *Ergo* principium nationalitatis in sensu absoluto intellectum est reiiciendum cum agitur de efformatione societatis.

Mai.: Patet ex thesi 53, n.964ss.

Min.: Nulla enim apparet difficultas in hoc. Singularitates enim diversarum nationum non obstant, quominus in determinatis adiunctis in illis eaedem tendentiae et necessitates, eadem pericula, eadem emolumenta communia dari possint. Haec vero sufficiunt ut homines libere consensum praestent ad societatem civilem constituendam. Sicut non obstant similes differentiae quominus personae diversae stirpis matrimonium contrahant.

N. B. Nationalitas de se tantum praebet *aptitudinem* ad unionem politicam efformandam, vel, si vis, etiam *convenientiam* quamdam remotam et indeterminatam; nequaquam vero titulum iuridicum sufficientem ad destruendum etiam per vim ordinem exsistentem; praesertim cum adesse possint vincula politica aeque fortia vel fortiora quam ipsa nationalitas, v.c. vicinia habitationum, mutua indigentia, communis historia loci, religio...

1211. 2) *Cum est efformata societas civilis diversis nationalitatibus.*

Si variae nationalitates unitae sint ad efformandum unum statum, etsi primitus per vim hoc acciderit, decursu temporis dari potest praescriptio vel quasi-praescriptio, vi cuius ille Status, prius illegitimus, nunc legitimus evadat, bono communi hoc exigente et ipsa nationalitate hoc postulante. *Ergo* neque in hoc casu potest invocari principium nationalitatis ad imponendam separationem politicam per vim.

1212. 3) *Argumento historico.*

De facto plures Status, diversis nationalitatibus constituti, vitam prosperam et tranquillam ducunt, v.c. Helvetia, Status Uniti Americae Septentrionalis. *Ergo* potest Status ex diversis nationalitatibus coalescere, nec principium nationalitatis absolute pro omni casu invocari potest.

2.ª Pars: Neque in sensu restricto est verum

1213. *Hoc principium,* etiam in sensu restricto intellectum, pacem labefactaret. *Ergo* reiiciendum est.

Antec.: Hodie enim vix est ullus Status, qui diversis nationalitatibus non coalescat. Si ergo tendentiis seccessionis diversarum nationalitatum standum esset, universus ordo socialis perturbaretur. Maxime si prae oculis habeamus limites nationalitatum non esse bene determinatos, sed plerumque incertos.

Restrictiones praeterea quae ab adversariis afferuntur sunt arbitrariae, valde vagae, incertae, non magni valoris. Nam nihil evincunt:

1) *Communitas territorii*: Nam in eodem territorio possunt diversae nationalitates florere, v.c. ad oras Danubii, inter Hispaniam et Lusitaniam, inter Galliam et Belgium... non datur diversitas geographica...

2) *Origo ab eodem stipite*: Nam non raro procedentes ab eodem stipite non efformant eamdem nationalitatem, cum careant lingua, moribus, historia, cultura... communibus.; v.c. non datur una nationalitas latina, sed plures inter Status ab hoc stipite procedentes, v.c. hispana, gallica, itala, rumanica... Nostris praeterea temporibus vix datur genus non permixtum.

3) *Lingua frequenter etiam fallit ut criterium;* Nam ex natione baska v.c. in Gallia et in Hispania, permulti linguam baskam ignorant; persaepe Status eiusdem stipitis et linguae minime efformare possunt communem Statum, v.c. Status Americae Hispanicae, U. S. A. et Britannia...

4) *Ius historicum*: Nam institutiones omnes humanae continuis mutationibus subiacent, et stadia prosperitatis et senectutis agnoscunt.

5) *Desiderium independentiae*: Nam videndum est utrum legitimum sit necne. Potest enim in conflictum venire cum iure potiore alterius nationalitatis cum qua a longo tempore Statum efformat.

Si vero aliqua nationalitas in suis legitimis particularitatibus, *habitualiter* ab alia nationalitate eiusdem Status vexetur, nec alius modus sese liberandi ab illa iniusta vexatione offeratur; si praeterea detur spes moraliter certa vitae socialis pacificae et prosperae emancipatione obtenta tum utique

illius nationalitatis desiderium independentiae ac conamen ad illam obtinendam erit legitimum (cf. *Código de moral internacional* n.35).

ARTICULUS III

DE IURE AD FOEDERA INEUNDA CUM ALIIS SOCIETATIBUS

Thesis 67. Societates civiles pacta inter se ac diversa foedera inire possunt, quae habeant verum valorem.

1214. Praenotanda. Societates civiles relate ad alias societates habent etiam ius ad foedera diversa cum illis ineunda. Paulo fusius hoc declarandum est ut videamus maxime conditiones ad validitatem horum foederum.

1215. Notiones. PACTUM INTERNATIONALE. Nostris diebus ad pacta inter nationes designanda diversa nomina adhibentur. Praecipua vero sunt sequentia:

FOEDUS (*alianza*) designare solet pactum aliquod, cuius obiectum est non particularis rei alicuius praestatio, sed complexus praestationum in perpetuum vel ad longum tempus.

TRACTATUS (*tratado*) appellatur generatim pactum omnium solemnius, quod versatur v.c. circa pacem, circa foedera amicalia...

PACTUM simpliciter vel *conventio* appellatur illud cuius obiectum est relationes ordinarias inter diversas nationes instaurare, modificare vel supprimere.

CAPITULATIONES plerumque dicuntur conventiones cum Statibus non christianis, cuius obiectum est protectio subditorum societatum culturae superioris, et conditiones personarum publicarum harum nationum (v.c. consulares agentes...).

1216. Probatur. *Eo quod societas civilis sit persona moralis.*

Societas civilis est aliqua persona moralis, et quidem omnino independens. *Atqui* quaelibet persona, sui iuris, habet ius contrahendi cum aliis personis. *Ergo* societas civilis pacta cum aliis societatibus civilibus inire potest.

1217. Scholion. 1. De conditionibus requisitis ad validitatem pactorum internationalium. 1) EX PARTE PERSONARUM requiritur *habilitas* ad contrahendum. Exercitium iuris contrahendi cum aliis nationibus iure reservatur, ut patet, ad personam quae supremam auctoritatem politicam in natione exercet, ipsa enim sola repraesen-

tat societatem ut talem. Cum enim ex his pactionibus obligatio pro universa societate illis standi oriatur, nemo universam societatem obligare potest, nisi qui curam universae societatis habeat, i.e. superior supremus. Hanc conditionem de facto dari in contractibus, qui nostris temporibus inter nationes habentur, faciliter constabit.

Difficultas unice oritur si agatur de *usurpatore* auctoritatis supremae nationis, qui forte cum aliis societatibus contractus iniat. Poteritne talis contractus vim obligandi universam societatem habere? *Iuristae* huic quaestioni affirmative respondent a momento quo ille usurpator ab aliis societatibus recognitus fuerit. Cui tamen responsioni *moralistae* difficulter acquiescere valent, ac distinctione aliqua utuntur. Dicunt enim huiusmodi contractus nullam vim obligativam pro tota societate inducere posse, si societas ipsa usurpationi effective resistat; tunc enim aliis societatibus sufficienter manifestat usurpatorem nullo modo societatem repraesentare. Si vero societas usurpationi non resistat, contractus erit validus. Bonum enim universale hoc postulat.

2) Ex PARTE MATERIAE requiritur ut *obiectum* circa quod versatur sit *possibile* physice et moraliter. Minime ergo contractus aliquis amicitiae societatibus obligationem imponere poterit ad cooperandum ad iniustam aggressionem ex parte societatis cum qua habetur contractus, v.c. ad subiugandam iniuste aliam nationem, ad fovendam rebellionem contra societatem innocentem...

3) Ex PARTE FORMAE requiritur ut *consensus* praestetur immunis a quolibet vitio sive erroris, sive doli, sibi violentiae. Ex parte erroris vel doli difficulter invalidus evadet nostris diebus aliquis contractus inter nationes, tot enim discussiones a viris peritis praecedere solent, ut error et dolus plene exclusus diiudicari possit.

Dubitari potest de validitate contractus *ex parte violentiae,* utrum nempe sit validus contractus internationalis cum consensus ab una parte morali coactione extorquetur. Status enim vi physica destitutus ad repellendam violentiam alicuius nationis praepotentis potest ab hac obligari ad contractum aliquem sibi pernitiosum subsignandum.

Hic contractus, supponendo vim illam *iniuste* incuti, ex natura sua ut invalidus habendus est; dum enim non detur aliud tribunal superius a quo rescindi possit, ipse Status iniuste laesus et ad subsignationem coactus nullitatem ipsius declarat. Si vero Status *iustam* causam habeat ad illud quod est materia contractus exigendum, ac proinde ad adhibendam etiam vim ad illud extorquendum, tunc et ipse contractus validus erit ac vere obligans. Si autem iniustitia sit *dubia* tunc standum est pro valore contractus; secus enim pax inter nationes consistere nequiret; plerumque enim dubium de iustitia contractus oriri potest; si vero hoc sufficeret ad ipsorum invaliditatem, obligatio contractuum inter nationes ad nihil prorsus practice inserviret, ac oriretur bellum omnium contra omnes, cum alia pars adimpletionem promissorum velit urgere.

Tamen etsi *certo* constet de iniustitia contractus, propter violentiam moralem qua una pars illum subsignare debuit, plerumque ad observantiam externam illius tenebitur, non vi pactionis, quam invalidam diximus, sed propter alias rationes ex caritate erga proprios subditos vel ex iustitia legali petitas, ad vitanda nempe maiora mala. Haec tamen obligatio non erit nisi conditionata, scilicet do-

nec illae iniquae conditiones perdurent, et spes solida affulgeat sese ab iniqua illa oppressione liberandi.

1218. 2. **De adimpletione contractuum.** Materia contractus ab utraque parte fideliter iuxta litteram et spiritum eiusdem exsequi debet. Dubium circa interpretationem forte obortum ex communi consensu solvatur. Obligatio vero perdurat quousque tempus designatum in eodem contractu non expiret; si vero tempus longissimum sit, vel sine limite fuerit stipulatum, rescindi de se nequit contractus nisi ex communi consensu. Si vero hic non detur, ac circumstantiae *notabiliter* cum damno gravi alterutrius partis fuerint mutatae, et alia compars modificationem ullam introducere renuat, ius est parti hoc modo notabiliter laesae unilateraliter contractum denuntiandi, atque ab obligationes sese liberandi. Clausula enim *rebus sic stantibus* in omni contractu rationabiliter subintelligi debet.

1219. 3. **De fonte obligationis horum contractuum.** *Ut indubium* in iis omnibus supposuimus pacta inter nationes veram obligationem moralem et iuridicam inducere, contra aliquos heterodoxos iuristas, qui similem obligationem pro statibus recusant. Nunc solummodo quaerimus *fundamentum* huius obligationis.

Hoc vero aliud nequit statui nisi ipsa *lex naturalis,* quae moraliter et iuridice vim obligativam omnibus prorsus personis, quae pacta possint inire, similiter imponit. Lex ergo naturalis imponit obligationem in conscientia adimplendi quod fuit promissum, et alteri parti confert ius exigendi ab alia parte adimpletionem illius. Si hoc fundamentum subtrahatur contractus inter nationes omni prorsus vi obligandi carerent, ac essent inutiles.

ARTICULUS IV

DE MODO SOLVENDI CONFLICTUS INTER NATIONES

1220. Praenotanda. *Agentes de societate civili* dicebamus auctoritatem supremam potestatem iudicialem habere, qua conflictus inter individua solvi possent et iniustitiae reparari.

Cum vero non detur auctoritas suprema, qua omnes societates civiles contineantur, si inter ipsas enascantur conflictus, vel si iura alterius ab alia societate iniuste impetantur, quomodo solvi poterunt? En quaestio maximi momenti, quam nunc agitare debemus.

§ 1. **De modis pacificis**

1221. DONUM PACIS. Pax "*tantum est bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri*" (S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 1.19 c.11).

Et recte quidem, cum pax non sit nisi tranquillitas secura ordinis et caritatis, quae ideo omnibus prorsus nationi-

bus et individuis plenam fruitionem iuris procurat ut finem proprium unusquisque facile assequi possit.

1222. PERTURBATIO PACIS. Pax statum normalem humanitatis constituere deberet, nam ipsa exigentiis naturae humanae respondet. Attamen vita hominum potius sub vexillo belli quam sub pacis vexillo explicari videtur; ita ut neque lex evangelica, quae essentialiter est doctrina pacis et caritatis, corda hominum perfecte pacificare valuerit.

Passiones namque effrenatae, praesertim ambitiones nationum ac rectorum populorum elementa discordiae accendere curant, pacificam solutionem conflictuum forte exorientium impedientes. Aliquando praeterea bella eveniunt *ex ipsa limitatione capacitatis humanae,* quae rectam solutionem inter innumeras apparentes rationes invenire nequit.

Cum autem unus Status alii tranquillum exercitium iuris denegat, deordinatio sequitur ordinem. Haec vero deordinatio initialis fit peior, si litigantes, aliter litem derimere non valentes, armis solutionem committunt.

Antiquitus faciliter conflictus inter nationes limitabantur, ipsae etenim non tam arcte ut hodie inter se vinciebantur. Nostris vero temporibus, cum magna inter nationes vigeat solidaritas et mutua dependentia, si conflictus internationalis alicubi oritur, statim omnes fere nationes in illo participent necesse est.

1223. RESTAURATIO PACIS. 1) *Conflictus debent praeveniri* constanti et sincera praxi iustitiae et caritatis. Si vero differentiae inter nationes oriantur, eae strictam obligationem habent omnes solutiones pacificas tentandi, antequam ad arma recurrant. Ipsum etiam bellum, licitum aliquando ut videbimus, legibus subiicitur, quae omnino a belligerantibus servari debent.

2) *Conflictus exorientes debent pacifice solvi.* Ut historia tam antiqua quam hodierna testatur, sat frequenter differentiae inter nationes oriuntur, vel quia de facto iura alicuius ab alia violantur, vel quia saltem violari existimantur. Cum aliunde relationes inter diversas nationes magnopere in dies crescant, maior ad has differentias nostris temporibus habetur occasio. Pax tamen nihil pateretur, si nationes sincere differentias iuxta principia caritatis et iustitiae solvere desiderarent.

Cum ergo nationes aliquam quaestionem inter se habent,

solutionem illius tentare debent, prae oculis ante omnia habendo non praecise illud quod utilitati vel ambitioni ipsarum, sed quod exigentiis iuris respondeat. Differentiae enim solvi debent non vi sed rationibus. Vis physica, etsi aliquando exigentiis iuris iuvare possit, nunquam tamen ius detegere aut creare poterit.

1224. DIVERSI MODI PACIFICAE SOLUTIONIS. 1. NEGOTIATIO. Primus modus pacificus tentandi solutionem est per colloquia directa inter repraesentantes nationum litigantium, vel in congressibus generalibus nationum, si de rebus maximi momenti agatur, quarum solutio reliquarum etiam nationum interest. Sincera negotiatio plerumque sufficit ad mutuam bonam fidem detegendam, et ad regulam iuris percipiendam, iuxta quam lis, omnibus praeiudiciis depositis, solvi debeat. Ad hoc vero realis benevolentia, et amplus conciliationis spiritus requiritur, dum negotiationes peraguntur.

2. SENTENTIA ARBITRALIS. Solutio pacifica aliquando obtineri poterit per sententiam prolatam ab aliquo organismo ad hoc libere constituto ex partium litigantium conventione; aliquando vero per *sententiam iudicialem* tribunalis alicuius permanenter constituti [1].

3. INTERVENTIO AUCTORITATIS ALICUIUS INTERNATIONALIS. Frequenter vero litigantes, nimis suis rationibus adhaerentes, conciliationem non inveniunt. Tunc interventio alicuius auctoritatis internationalis necessaria erit, quae ad hoc praecise, maxima competentia ornata, constitui deberet.

Dum vero haec auctoritas praedicto modo constituta adsit, *mediatio impartialis* alterius nationis desideratam conciliationem invenire poterit. Omnes vero Status ius habent, aliquando etiam obligationem, si auctoritate ad hoc necessaria polleant, partibus litigantibus propriam mediationem offerendi. *Munus autem mediatoris* erit partibus litigantibus iustam transactionem suggerendi, iuxta legitimas iustitiae et utilitatis nationum exigentias. Si vero conflictus bellicus iam fuerit obortus haec mediatio poterit etiam esse armata, dummodo natio, quae mediat, proprium commodum non intendat sed solum partium litigantium; mediator vero proponit, non vero imponit conciliationem pacificam.

---

[1] Cf. VIÑAS PLANAS, I., *El arbitraje internacional en los escolásticos españoles:* riencTom 63 (1943) 44-66.218-293; 64 (1944) 1945-174. Non tamen recte interpretatur doctrinam Suárez et Molina; cf. HELLÍN, I., *Derecho internacional en Suárez y Molina:* EstEcles 18 (1944) 37-62.

Hi sunt modi efficatiores ad solutionem pacificam conflictuum internationalium.

§ 2. De modo cruento, seu de bello

Thesis 68. Bellum non est intrinsice inhonestum (I), determinatas tamen conditiones exigit tum ad eius liceitatem, quae rarissime nostris temporibus aderunt (II), tum ad eius conductionem (III).

Cf. *Código de moral internacional* n.123ss; LE FUR, *Précis du droit international publique* p.539ss; LECLERCQ, *Leçons du droit naturel* v.4 2.ª pars p.108ss; DE LA BRIERE, I. *El derecho de la guerra justa;* ORTOLAN, *Guerre:* DTC 6,1904ss; FRAGA IRIBARNE, M., *Luis de Molina y el derecho de la guerra* (Madrid 1947); REGOUT, R., *La doctrine de la guerre juste des Saint Augustin a nous jours d'après les Theologiens et les Canonistes catholiques* (Paris 1935); COLOMBO, C., *Guerra e pace nel pensiero cristiano:* RivFilNeoScol 23 (1940) 257-273; SCHUSTER. I. B., *Bemerkungen zur Kriegslhre von Fr. Suarez*: Scholastik 5 (1930) 387-393.

1225. Nexus. Si modus pacificus solutionis non admittatur a litigantibus alia via non adest nisi bellum, seu vis physica, quae nullo modo ius detegere ac tueri poterit sicuti sententia iudicialis impartialis et mature considerata. Si vero Status aliquis solutionem pacificam respuit, cum alius ad illam tentandam sit paratus, hic prostremus iuste armis solutionem committere poterit, si conditiones deinde proponendae adsint.

1226. Notiones. BELLUM. Definitur *pugna armata quam societates perfectae se faciunt.* Hoc modo bellum distinguitur a rebellione vel seditione, a rixa et a duello, quae non fiunt inter societates perfectas diversas. Ab hac notione excluditur etiam *bellum civile,* quae est pugna armata inter diversas partes eiusdem nationis [2].

1227. DIVISIONES BELLI. 1. *Defensivum* est si Status ad arma accurrit ad repellendam armatam aggressionem, quam ipse patitur, sive illa aggressio sit iusta sive iniusta. Alii vocant defensivum bellum, quod fit ad repellendam iniuriam actualem, seu tunc cum illa fit [3].

2. *Offensivum* est bellum in illo qui incipit armatam

[2] Cf. *Guerre:* DTC 6,1899.

[3] ANSELMO, B., *La guerra defensiva nella doctrina di L. Molina:* CivCatt (1942,4) 25-39; (1943,2) 354-363; (1943,3) 270-282.

aggressionem sive iuste sive iniuste. Iuxta alios offensivum est bellum quod fit ad vindicandam iniuriam iam factam [4].

3. *Interventionis* est, si fit a tertio Statu, vel ad solutionem pacificam inter alias nationes quaerendam, vel ad alium Statum iam pugnantem iniuste aggressum protegendum.

1228. *N. B. Bellum nequit confundi* cum quibusdam actibus violentiae, quibus aliquando nationes utuntur, dum negotiationes diplomaticae forte difficiles peraguntur, ad vim alteri parti faciendam, ut sunt, v.c. retorsiones, repraesaliae, capturae, occupatio temporalis alicuius territorii... [5].

Usus horum mediorum est saltem periculosus, et frequenter in bellum convertitur; illa quae *pressio pacifica* plerumque appellatur, saltem si a magnis Statibus fiat, non est nisi quidam euphemismus.

1229. Status quaestionis. *Thesis habet tres partes. Volumus videre in prima* utrum bellum sit intrinsece malum, ita ut in qualibet hypothesi sit semper prohibitum, an vero non. Supposita responsione negativa, examinamus in *secunda* quibus conditionibus possit esse licitum, si de bello offensivo agatur. Denique quaerimus *in tertia,* bello iuste indicto, quomodo illud geri debeat ut iniustitia in gestione ipsius non committatur.

1230. Sententiae. 1.ª Aliqui auctores existimant bellum offensivum, praesertim hodiernum, *semper* et *in omni hypothesi* esse illicitum, qualiacumque sint adiuncta quibus declaretur. Hi systematice et absolute condemnant quodlibet bellum ut essentialiter malum morale. Hoc tenent fautores *pacifismi exaggerati,* qui humanitarismum internationalem profitentur secundum placita communismi. Inde *obiectio conscientiae,* propter quam multi servitium militare conficere renuunt, vel quodlibet aliud opus quod bello inserviat [6].

2.ª Alii e contra modo quasi mystico bellum celebrant ut fontem fortitudinis et energiae, ut aliquid societates regenerans. Ita *militaristae omnes.* Haec est doctrina fascista itala

[4] AGUIRRE, *Annot. in nunt. radioph.* PII XII, *24-XII-1944:* Periodica 34 (1945) 130-132.

[5] LE FUR, *Précis de droit international public* p.529-538; MESSINEO, A., *Le rappresaglie in tempo di pace:* CivCatt (1941,1) 264-275; *Le rap. e la guerre* (1941,1) 409-420.

[6] Cf. refutationem huius doctrinae apud: MESSINEO, A., *L'internazionalismo cosmopolita, e l'essere naz'onale:* CivCatt (1939,1) p.7-20; *L'ob'ezione di coscienze:* CivCatt (1950,1) 361-369; LORSON, P., *Un chrétien peut-il etre obiecteur de conscience?* (Paris 1950); IARLOT, G., *La guerre hors la loi?:* Travaux de l'Act. Pop. (sept-oct. 1948); *Les Etats devant l'obiection de conscience:* Etudes 267 (1950) 400-402; *Obiezione di concienza:* Aggiornamenti sociali 2 (1951) 1-10; LECLERCQ, *Leçons de droit naturel* v.4 p.1ª p.134ss; DE LA BRIERE, *El derecho de la guerra justa* p.111ss.

et nacista germana, doctrinam philosophicam NIETZSCHE sequentes; haec est etiam doctrina omnium statolatrarum [7]. Hi auctores quaelibet tentamina stabilis organizationis internationalis, quae pacem tueantur, systematice reiiciunt.

3.ª *Nostra sententia.* Nos vero cum doctrina communi inter catholicos, traditionali et certa, defendimus in *prima parte* bellum etiam offensivum non esse e sua natura malum, proinde posse dari circumstantias in quibus legitimum et honestum sit.

In *secunda parte* dicimus quaenam sint hae circumstantiae seu conditiones. Sunt prorsus eaedem nostris temporibus ac praecedentibus saeculis; applicatio vero earumdem severior nostris diebus esse debet propter ingentes et teterrimas consequentias belli hodierni. Semper utique bellum fuit ingens clades; bellum vero, quale nostris diebus perducitur, immanis et inaudita calamitas est.

Nam nostris diebus a) *Conscriptio est generalis,* et quidem non solum hominum sed etiam mulierum, ita ut tota natio materialiter in illo participet. b) *Interdependentia nationum* plurimos populos in gyrum belli attrahit, ita ut vix dari possit bellum, quod non ad multas extendatur nationes. c) *Praesertim progressus technicus* quoad apparatum militarem nostro bello horrendam vim vastatricem confert ita ut in quavis parte sive in terra, sive in caelis, sive in aëre crudeliter proelietur.

Propter has terribiles consequentias belli moderni sive in vita humana, sive in oeconomia totius nationis, sive in moribus, maxima cum severitate applicari debet principium morale de actione cum duplici effectu, ut videamus utrum effectus bonus, qui in bello intenditur, proportionem cum effectu malo permisso servet, qui effectus malus ingens supra omnem ponderationem habetur [8].

In *tertia parte* dicimus etiam ipsum bellum licitum subiici determinatis normis, sive a lege naturali praescriptis, sive a conventionibus internationalibus.

---

[7] MUSSOLINI, *La doctrina del fascismo:* AccEsp 6 (1933) 116ss; NIETZSCHE, *Así habló Zaratustra* p.1ª c.10; cf. DE MAISTRE, José, *Veladas de San Petersburgo* disert.7.ª Cf, apud DE LA BRIERE, *o.c.* p.14-18; TOLEDANO, A.-D., *Bellicisme: DicSociol* 3,520-524.

[8] Optime exponitur bellum esse instrumentum quo Deus ad puniendos populos utitur apud ORTOLAN, *Guerre:* DTC 6, 1901-1904; 1952.

Probatur. 1.ª **Pars: Bellum non est intrinsece inhonestum.**

1231. 1. *Positive, ex fine societatis.*

Ipsam naturam societati civili concessisse dicendum est quidquid ad finem naturalem ipsius obtinendum et iura naturalia ipsius defendenda requiratur. *Atqui* aliquando societas nequit naturalem finem ipsius obtinere neque iura propria naturalia defendere nisi mediante bello. *Ergo* bellum non est intrinsece malum, sed aliquando licitum esse potest.

Mai.: Qui vult finem dat etiam necessaria ad finem.

Min.: *a*) Finis naturalis primarius societatis est iura subditorum defendere, quae iniuste ab alia natione saepe impetuntur; pariter ipsa societas in suis iuribus naturalibus potest iniuste laedi ab alia societate ut constat experientia. Iam vero cum evadunt inutilia media pacifica ut societas aggrediens desistat ab iniusta aggressione, tunc alia via iura protegendi non adest quam coactio; iam vero coactio inter nationes non est nisi bellum; haec vero coactivitas iuris de se non modo non est contra legem naturalem, sed ab illa exigitur.

Hoc pacto iustificari potest: *a*) bellum *defensivum* ex parte repellentis iniustam aggressionem; *b*) etiam bellum *offensivum,* si alia natio ordinem graviter laesum restaurare renuit; *c*) etiam bellum *interventionis,* quo aliqua societas aliam amicam vel sociam, iniuste aggressam, adiuvat.

1232. 2. *Negative.*

Si bellum nunquam esset licitum, securitati nationum et conservationi populorum non satis esset provisum, saltem dum societas Nationum perfecte stabilita non adsit. Immo etiam in hoc casu saltem esset licitum bellum ut suprema ratio, quam illa Societas Nationum haberet contra nationem, quae in laesione iurium aliarum se obstinaret.

2ª. Pars: Ad bellum iustum determinatae requiruntur conditiones.

1233. Hae conditiones iam ab antiquis scholasticis requisitae, sequentes numerantur: 1) Ut ab auctoritate legitima et suprema declaretur; 2) Ut detur causa iusta, publica et certa; 3) Ut haec causa sit malis certo eventuris permissis proportionata; 4) Ut prius omnia media pacificae solutionis

fuerint tentata; 5) Ut spes moraliter certa boni successus habeatur; 6) Ut recta intentione indicatur.

Pauca de singulis enumeratis conditionibus dicamus.

1234. 1. **Ut ab auctoritate legitima et suprema declaretur.**

Supponimus ergo bellum *esse declarandum;* haec est enim saltem praxis ordinaria; positive praescribitur etiam iure internationali in secundo Congressu internationali (conferentia) apud civitatem La Haya; etsi recenter non nunquam hostilitates inceptae fuerint, priusquam belli declaratio praecesserit [9].

Nam *finis belli est* iura communitatis contra iniustam, saltem materialiter, aggressionem exteriorem defendere aut vindicare [10]. *Atqui,* dum auctoritas internationalis iuridice constituta non detur, unice auctoritati legitimae et superiori nationis competit iura corporis socialis ab externis aggressionibus defendere et vindicare. *Ergo* munus declarandi bellum auctoritati legitimae et supremae nationis unice est commissum.

Nostris temporibus in plerisque societatibus ius declarandi bellum unice supremae repraesentationi nationali, seu *camerae* deputatorum et senatorum, reservatur (cf. *De la Briere* p.80).

Haec conditio maius momentum habebat *tempore feudalismi,* cum principes subordinati ius bellum indicendi sibi arrogare volebant; hodie vero vix concipitur quomodo particulares bellum contra aliam nationem declarare possint.

Haec conditio, ut patet, locum habet in bello *offensivo,* nam qui se defendit ab iniusta aggressione alterius non est necesse ut mandatum auctoritatis supremae spectet ad se defendendum.

1235. 2. **Ut detur causa iusta, publica, certa.**

a) Bellum enim non est nisi usus coactionis ad protegenda iura. *Ergo* unica causa iusta belli erit defensio vel vindicatio alicuius iuris essentialis, certi et gravissimi ab alio conculcati sive formaliter, sive saltem materialiter [11]; vel auxilium alicui belligeranti, qui iustam causam habet ad bellum; in quibus omnibus nihil aliud intenditur nisi ordinem perturbatum restaurare, vel impedire ne perturbetur.

b) *Haec causa debet esse publica;* nam auctoritas socialis, quae sola bellum declarare potest, nequit suam auctoritatem nisi in bonum politicum exercere, non vero in bonum aliquorum dumtaxat privatorum vel alicuius classis [12].

---

[9] Cf. Le Fur, *Précis de droit inter. Publ.* p.543ss.
[10] Cf. De la Briere, *o. c.,* p.56-57.77-90.
[11] Cf. De la Briere, *o. c.,* p.90.
[12] Cf. *Guerre:* DTC 6,1922, ubi aliquae causae in concreto examinantur,

c) De exsistentia huius causae debet *certo* constare aut saltem *longe probabilius,* non sufficit mera probabilitas.

Theoretice et obiective nequit esse causa iusta pro utraque parte litiganti, quia nequit utraque pars simul *obiective* iustam causam ad bellum habere. Potest utique accidere ut bellum sit *obiective* iniustum pro utraque parte, si nempe neutra pars causam iustam ad bellum habeat. Cum sit dubium utrum detur iusta causa necne, lis nequit mediante bello resolvi, sed semper via conciliationis [13]. *Subiective* potest ese licitum bellum pro utraque parte ex errore inculpabili.

Status vero, qui cum violaverit ius essentiale alienum, iustam reparationem illius violationis dare noluerit, non habet ius ad se defendendum contra Statum, qui omnibus aliis mediis pacificis inutiliter tentatis, ad bellum accurrit ad ius suum violatum defendendum.

Quandoque accidit ut iustitia ex una parte in aliam durante bello mutetur, v.c. si aliquis Status iuste bellum incepit et postea non acceptat sinceram et iustam reparationem iuris laesi ab alio Statu oblatam, tunc eo ipso ex iusto proprii iuris defensore in iniustum aggressorem transit, contra quem alius Status potest iuste se defendere.

1236. 3. **Ut causa sit malis e bello eventuris proportionata.** Patet ex principio morali de actione cum duplici effectu. Ut quis enim effectum malum ex propria actione secuturum permittere possit, requiritur ut bonum, quod intendit, proportionem servet cum malo permisso, secus ipsa lex naturalis talem actionem prohibet.

Plerumque vero accidit ut factum initio non magni momenti, propter circumstantias concomitantes, gravitatem maximam acquirat.

Hodie vero, cum mala ex bello certo eventura sint tam ingentia, causa proportionata, quae illud licitum reddere possit, etiam gravissima esse debet, talis nempe ut vix dari possit; nam fere semper erit minus malum iniuriam tolerare, quam ad arma accurrere [14].

1237. 4. **Ut prius omnia media pacificae solutionis fuerint tentata.**

Bonum enim commune et caritas exigunt, ut, si fieri possit, ingentia illa mala cum bello coniuncta a societate avertantur, et solum ad bellum recursus fiat, cum nullum aliud medium sit ius tuendi. Quaenam sint haec media dictum fuit

---

ut v.c. timor potentiae alicuius nationis, civilium morum inductio, periculi belli contra propriam nationem diversio.

[13] Cf. DTC 6,1927; DE LA BRIERE p.107. Nunquam SUÁREZ defendit contrarium, ut perperam eidem DELOS attribuit. Cf. HELLIN, *Derecho internacional en Suárez y Molina:* EstEcles 18 (1944) 37-62; GUERRERO, *El derecho de guerra en Suárez:* Pens (n. extr. 1948) 583-601.

[14] DE LA BRIERE p.240ss.

in praenotandis. Bellum semper esse debet, ut optime antiqui aiebant, *ultima ratio regum.*

1238. 5. **Ut spes moraliter certa adsit boni successus.** Secus enim iniuria, quam quis vult tollere, magis ac magis aggravaretur, et quin quidquam boni obtineatur, nova et ingentia sacrificia omnibus subditis imponerentur[15].

De facto tamen difficile est cum certitudine praedicere quinam erit belli eventus futurus, quamvis initio evidenter inaequales litigantes videantur. Prudentiores enim humanae praevisiones persaepe nos fallunt; praesertim cum decursu hostilitatum alii interventus evenire possint, qui omnino cursum initialem factorum mutent.

Aliunde obligatio suprema defendendi religionis bona, vel reverendi fidem sociis datam et iuratam, imponere potest ut heroica strages potius praeferatur, quam minus gloriosa capitulatio; nationes, quae hoc modo occubuerunt, quarum memoria per saecula perdurat, insigni testimonio fidelitatis et iustitiae generi humano sunt.

Plerumque tamen hic honor nationalis sufficienter salvatur resistentia initiali, quam statim capitulatio sequatur.

1239. 6. **Ut recta intentione indicatur.**

Bellum enim, sicuti quaelibet alia actio humana, etsi in se legitimum, propter perversam intentionem illud indicentis vitiari potest. Ideo iuxta S. THOMAM (2-2 q.40 a.1) requiritur ut intentio bellantium sit recta, scilicet ut bellum intendant vel ad promovendum bonum, vel ad vitandum malum. Ut enim optime ait S. AUGUSTINUS (*Contra Faustum,* 1.22 c.74) *nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus et implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, haec sunt quae in bellis iure inculpantur.*

Haec vero conditio optime conciliari potest, etsi simul adsint aliae rationes magis proprium quaestum respicientes, dummodo etiam illae sint iuri et rectae rationi conformes.

3.ª Pars: Requiruntur etiam, dum bellum conducitur, quaedam conditiones.

1240. Intra ipsum bellum lex naturalis eodem modo prorsus obligat ac antea. Praecepta vero lege naturali imposita circa moderationem in bello tenendam, ad quasdam normas generales reducuntur, quae a legibus civilibus, vel conventionibus internationalibus, determinari debent.

Sic consuetudo initio, deinde *pacta et conventiones bi-*

[15] DE LA BRIÈRE p.95ss.

laterales denique *conventiones generales* codicem internationalem adlaboraverunt, qui codex tamquam *ius gentium* tempore belli habitum est. Omnes nationes huiusmodi conventiones subsignates obligationem habent illis legibus standi, quod si fiat, conditio belli procul dubio minus fera erit futura.

Accidit tamen non raro ut nationes tempore belli non servent huiusmodi ius internationale bellicum. Si vero una natio illud violat, alia pars legitime potest *legem talionis* illi applicare, dummodo actus eiusmodi non sint contra ius naturale. Violatio vero alicuius praescriptionis iuris positivi ab aliquo belligerante facta alteri parti ius non confert ab omnibus praescriptionibus positivis sese liberandi, neque crudelissima media adhibendi [16].

1241. Requisita servanda in bello ex iure internationali. 1. ANTE BELLUM: negotiationes, propositiones conciliationis, animadversio sollemnis finis negotiationum, declaratio formalis belli, ut ille qui ius violavit resipiscere possit, atque iniuriam reparare.

2. IN IPSO BELLO: non licet inferre maius damnum quam quod ad iustum finem belli obtinendum sit necessarium. Non ergo licent: *a*) vastationes inutiles et crudeles; *b*) inhumanus modus agendi cum captivis et civibus non pugnantibus; *c*) proelium ultra mensuram necessitatis protrahere, i.e. postquam adversarius pacem imploret, conditiones imponendas se acceptaturum promittens [17].

3. POST BELLUM: finito bello, iustitia etiam exigit moderationem in conditionibus imponendis; victoria enim non dat ius ad quaslibet conditiones ponendas. Hae vero conditiones ad quattuor praecipua capita revocari possunt nempe:

a) *Ad restitutionem* omnium bonorum ab adversario iniuste detentorum; hoc postulat iustitia commutativa.

b) *Ad reparationem* omnium expensarum occasione belli factarum. Hodie vero, etsi in stricta iustitia haec reparatio possit imponi, cum tam supra modum ingentes sint expensae in bellis hodiernis, bonum commune et maxime caritas erga tot homines nationis victae postulant, ut indulgentiae sit locus; secus natio victa per innumeros annos in summa mi-

---

[16] DE LA BRIERE, *o. c.* p.178ss; MESSINEO, *Le rappresaglie nella doctrina degli antichi:* CivCatt (1941,1) 101-112; *Le reppresaglie in tempo de pace:* CivCatt (1941,1) 264-273.

[17] Cf. LE FUR, *Précis de droit intern. public.* p.538ss; DE LA BRIERE, *o. c.* p.143ss; *Código de moral internacional* n.165ss: DTC 6, 1928-1933.

seria remanere deberet; onera vero intollerabilia et improportionata nunquam imponi possunt [18].

c) *Ad sanctionem* propter culpam commissam; quod postulat iustitia vindicativa.

d) *Ad fideiiussionem* (garantía) necessariam ad pacem in posterum conservandam et defendendam; hic est enim finis belli.

N. B. Haec omnia intelliguntur, si victor ille evadat pro quo iustitia militat; si enim victoriam iniustus aggressor obtineat, patet illum nullum ius prorsus habere ad novam iniuriam committendam.

1241 [1]. Scholion. Utrum liceat responsabilitates individuales exigere a criminalibus belli. *Multum quidem* de hac intrincata quaestione nostris diebus disputatum est, non semper aequo animo et a praeiudiciis libero, occasione praesertim iudicii contra duces nacistas in civitate Nuremberg instituti [19].

Breviter principia ad solvendam quaestionem proponamus. Minime ut quid novum haec quaestio haberi debet. In operibus enim scholasticorum, in tractatu de bello iusto, semina solutionis inveniuntur, etsi non modo accurato rem pertractent, nec prae oculis difficultates alicuius momenti, quae nostris temporibus obiiciuntur, ipsi habeant.

In doctrina ergo traditionali de bello iusto potestas exigendi responsabilitates personales ab illo qui causa fuit ipsius iniustae declarationis, caeterorumque criminum in ipso perpetratorum, ut indubia habetur et essentialiter inclusa in iustitia punitiva.

Tria examinanda sunt in hac quaestione, ut recta solutio tradi possit:

a) *Quaenam sint crimina belli*: Materia huius responsabilitatis potest esse ipsa belli declaratio et alia crimina, ipso durante, perpetrata. *Bellicae vero declarationis* responsabilitas cuiusnam sit, non semper facile erit determinare. Si agatur de aliquo regimine despotico et dictatoriali, cum in illo quidquid agitur a voluntate dictatoris pendeat, statim apparebit persona responsabilis. Si autem agatur de regimine plus minusve democratico, responsabilitas inter multas personas sparsa invenietur, immo inter integram communitatem, ac proinde difficile vel impossibile apparet de illa iudicare.

Crimina vero durante bello commissa, quae obiectum responsa-

---

[18] Cf. Pium XII, *Nunt. radioph. 25-XII-1944* n.28ss; De la Brière, *o. c.*, p.205; *Código de moral internacional* n.186ss; Messineo, *Restituzione e riparazione nelle condizione di una pace giusta:* CivCatt (1947,3) 132-146; (1947,4) 3-15; Le Fur, *o. c.* p.600ss; cf. expensas factas in bello mundiale (1939-1945) in Hechos y Dichos (1950) 377-380.

[19] Cf. Pium XII: *Allac. inaugur. in novo anno Rotae Romanae 1949-1950*, in fine; Lener, S., *Del mancato giudicio del Kaiser al processo di Norimberga:* CivCatt (1946,1) 332-342; *Le suprieme barrere del diritto e delitti contra l'humanita:* CivCatt (1946,2) 186-198.404-417; *Diritto e politica nel processo di Norimberga:* CivCatt (1946,3) 92-106; Philip, J., *El proceso de Nuremberg a la luz del Derecho:* Estudios (Santiago de Chile) n.165 p.25-40; Truyol y Serra, A., *Crímenes de guerra y derecho natural:* RevEspDerInt 1 (1948) 45-73; Carro, V., *Los criminales de guerra según los teólogos juristas españoles* (Valladolid 1946); Fernández de la Mora, G., *Las aporías de Nuremberg:* Arbor 18 (1951) 537-562; De la Briere, I., *El derecho de la guerra justa* p.26ss.

bilitatis esse possint, illa tantummodo intelliguntur quae ab ipsa lege naturali prohibentur vel a conventionibus internationalibus ab ipsis partibus de quibus agitur subsignatis; hae enim ab omnibus habentur ut crimina et ut punitione digna; nequit ergo dari excusatio circa illa. Nec obstat proverbium iuridicum *nullum crimen sine poena;* etsi enim poena prius determinata in codicibus non habeatur, apud omnes est illa crimina poena etiam gravissima puniri debere, poena simili illi quae in codicibus poenalibus assignari generatim solet criminibus plus minusve eiusdem gravitatis.

b) *Quinam fautores horum criminum:* Erunt in primis, qui auctoritate praediti illa committere praeceperunt, vel qui, auctoritate ad illa impedienda gaudentes, illorum conscii illa fieri permiserunt, v.c. supremi duces nationis vel exercitus, vel illius organizationis ad quam cura de illis rebus pertinebat. Exsecutores immediati illorum actuum plerumque erunt etiam ipsorum responsabiles, si cognitionem rei concretae faciendae et malitiae ipsius habebant. Hodie tamen, datis circumstantiis et modo quibus operationes bellicae perducuntur, exsecutores immediati facilius a responsabilitate excusabuntur.

Quoad materiam ergo et quoad responsabiles non tam magna apparet difficultas.

c) *Tribunal ad haec iudicanda:* Maior datur difficultas si agatur de tribunali ad iudicium exercendum competenti. *Si daretur tribunal aliquod internationale* ad hoc negotium praecise constitutum, ac in codice internationali crimina et poenae correspondentes determinarentur, nulla difficultas in quaestione haberetur. Tunc enim illud tribunal de omnibus criminibus ab omnibus belligerantibus commissis diiudicaret. Nostris vero diebus, in praesenti desorganizatione internationali huiusmodi tribunal non adest. Haec procul dubio esset via praeferenda ad haec crimina diiudicanda, unica vere efficax, ac impartialis.

Possent etiam diiudicari illa crimina a *tribunali alicuius nationis neutralis,* quod characterem necesariae impartialitatis haberet. Difficile vero invenietur aliqua natio quae hoc munere iudicis exercere velit.

In hodierna ergo organizatione, melius dicam athomizatione internationali, non restat alia via nisi ut tribunal efformetur vel ab ipsis victoribus vel ab ipsis victis. Utrumque difficultatem offert. Si secundum haberetur illud tribunal practice inefficax esset et ad absolutionem suorum concivium inclinatum, tunc enim ipse reus esset simul et iudex.

Si vero tribunal efformetur a victoribus etiam difficultas apparet in sensu contrario, illud enim in rigorem inclinabitur. Adest praeterea difficultas ex parte competentiae ipsius ad iudicandos homines alterius nationis. In quo tamen auctores scholastici difficultatem non videbant, ipsa enim *victoria,* supponendo iustitiam ex parte victoris adesse, secus nullum ius potest conferre, *ratione delicti* ius victoribus confert ad crimina adversariorum diiudicanda, hoc exigente bono communi.

Haec saltem probabilia apparent ac maiori vi urgere videntur, si agatur de criminibus puniendis commissis in ipsis hostilitatibus gerendis contra legem naturalem et conventiones internationales, ibi enim sat determinata habentur crimina, et facilius apparet responsabilitas personalis.

Si vero agatur de responsabilitate declarationis bellicae haec non tam clara apparent, ibique bonum commune forte solummodo expostulet sanctionem collectivam nationis ius alterius violantis.

1242. Obiectiones. 1. Bellum est medium violentum. *Atqui* per media violenta iustitia causae nequit ostendi. *Ergo* nunquam licet ad solvendas lites ad bellum accurrere.

Resp. Dist. mai.: per quod intenditur reparatio iustitiae laesae, *conc.;* ostensio iustitiae, *neg. Contrad. min.*

2. Bella innumera mala afferunt societati. *Atqui* non licet iustitiam laesam restaurare per media, quae maiorem violationem iustitiae afferrent. *Ergo* neque ad iustitiam restaurandam bellum est medium licitum.

Resp. Dist. mai.: ita ut aliquando maiora mala possint per bellum praeveniri, *conc.;* ita ut mala haec maiora et graviora non possint praeveniri aliquando, *neg. Contrad. min.*

3. Bellum maxime hodiernum ingentem cladem in omni ordine importat: morali, intellectuali, oeconomico, et preasertim ingentem caedem hominum etiam puerorum, mulierum, senum... *Atqui* mala quae cives paterentur, non facto recursu ad bellum, semper essent minora, quam quae in bello pati debent. *Ergo* mala illa graviora, quae mediante bello praevenire intenditur, de facto numquam praeveniuntur.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: ordinarie, *conc.;* semper, *neg. Dist. pariter cons.* Speculative enim non apparet quomodo mala, quae mediante bello aliqua natio avertere intendit, non sint maiora, quam illa quae in bello permittuntur.

4. *Atqui* nunquam licet obtinere aliquod bonum mediante aliquo malo, hoc vero accidit in bello. *Ergo* bellum semper est medium illicitum.

Resp. Dist. mai.: non licet intendere aliquod bonum mediante aliquo medio moraliter malo, *conc.;* non licet permittere aliquod malum secuturum aeque immediate ex actione ex qua sequitur effectus bonus, *subd.*: sine causa proportionata, *conc.;* cum causa proportionata, *neg. Contrad. min.*

5. Summum bonum societatis est pax. *Atqui* haec cum bello amittitur. *Ergo* numquam erit causa proportionata ad permittenda mala quae ex bello oriuntur.

Resp. Conc. mai. Dist. min.: haec temporaliter amittitur cum bello ad obtinendam firmiorem pacem ab adversario perturbatam, *conc.;* aliter, *neg. Dist. pariter cons.*

6. Bellum est contra bonum civium ipsius societatis bellum inferentis. *Atqui* finis societatis postulat ut ipsa bonum civium suorum intendat. *Ergo* bellum semper est illicitum.

Resp. Dist. mai.: bellum iniustum, *conc.;* iustum, *subd.:* contra bonum aliquorum, *trans.;* vel *conc.;* contra bonum commune et stabile sociorum, *neg. Conc. min. Dist. pariter cons.*

ARTICULUS V

DE SOCIETATE INTERNATIONALI

Thesis 69. Societates civiles, vi proprii finis earumdem, ad superiorem aliquam societatem internationalem efformandam ab ipsa natura destinantur.

Cf. PIUS XII, *Summi Pontificatus* n.27; *Nunt, radioph. Nat. anni 1944* n.27; *Código de moral internacional* maxime n.253ss; MEYER, *Instit. Iuris nat.* v.2 p.814ss; CATRHEIN, *Phil. moral.* p.755ss; SORTAIS, *Morale* p.315ss; TAPARELLI, *Ensayo de derecho natural* t.2 n.1247ss; SCHIFFINI, *Disp. phil. moralis* v.2 p.636ss; DONAT, *Ethica* v.2 p.357ss; IVO DE LA BRIERE, *Paix et guerre:* DAFC 3,1272-1301; *Société des Nations;* LE FUR, *Précis de droit intern. public,* p.150ss; DELOS, *La société internacionale* (Paris 1929); *La société intern. au regard du droit natural:* RevScPhilTheol 15 (1926) 145-160; MESSINEO, A., *La societa delle genti nel pensiero del Suárez:* CivCatt (1949,4) 473-484; LEBRUM-KERIS, *L'ordre international:* SSF (Paris 1947) 374-392; NIVARD, *Ethica* p.463ss.

1243. Nexus. Postquam vidimus iura et officia quae omnibus nationibus naturaliter competunt et quibus servata earum plena independentia se mutuo divinciuntur, volumus examinare utrum societates civiles destinentur ab ipsa natura ad aliam universalem societatem integrandam, sicuti homines destinantur ad societatem civilem, ut in illa inveniant quod aliunde assequi nequirent, cum tamen illud naturaliter desiderent.

1244. Notiones. SOCIETAS INTERNATIONALIS: intelligitur *unio moralis et stabilis omnium societatum civilium in bonum commune ipsarum suis actibus conspirantium.*

EXPLICATUR DEFINITIO. *In hac tradita definitione* bene indicantur quaenam sit causa materialis, formalis, et finalis eiusdem societatis. Nempe:

1. *Causa materialis* sunt *societates civiles qua tales,* seu societates plena independentia et auctoritate gaudentes.

2. *Causa formalis*: est vinculum iuridicum seu complexus iurium et officiorum in illis societatibus exsistens vi talis unionis, quo mutuo sese obligant ad illa quae ad finem communem sint necesaria praestanda et exigenda.

3. *Causa finalis*: est bonum commune omnium societatum, seu *prosperitas publica temporalis omnium societatum civilium.* Prosperitas publica illa intelligitur, quae est communis omnibus nationibus; consistit in eo quod iura singularum societa-

tum defendantur et publice omnibus in communi offerantur illa media seu bona quibus ipsae suam prosperitatem peculiarem efficere possint, quaeque ipsae solae assequi nequirent. Est ergo complementum finis proprii uniuscuiusque nationis. Duo igitur includit:

a) *Ut sit solummodo complementum* activitatis uniuscuiusque nationis, illa praestando quae ex una parte ad prosperitatem ipsius requiruntur, et ex alia parte ipsae solae efficere non possent.

b) *Ut sit communis re vera omnibus societatibus civilibus,* nulla per se exclusa; nam haec societas internationalis non in favorem solummodo aliquarum nationum est efformanda, sed in favorem omnium.

1245. Auctoritas societatis internationalis: necesario debet dari, ac consistit in *iure cogendi omnia membra societatis internationalis,* nempe omnes nationes, ad efficacem cooperationem in bonum commune internationale. Praedita ergo debet esse triplici potestate sociali, nempe legislativa, exsecutiva, et iudiciali. Quae auctoritas oriretur non ex delegatione societatum sociarum, sed ex ipsa lege naturali, nam dicimus societatem internationalem esse naturalem, consequenter auctoritas ipsius ab ipsa natura provenire debet.

1246. MUNERA HUIUS AUCTORITATIS. Haec auctoritas ius habebit *gubernandi* cum plena et omnimoda independentia a qualibet alia potestate terrena societatem nationum; collaborationem omnium nationum in bonum commune totius communitatis humanae *exigendi* et *dirigendi;* omnes *conflictus* inter nationes obortos ad se avocandi et pacifice *solvendi;* perturbationes ordinis socialis internationalis, etiam vi adhibita, *reprimendi.*

Societates civiles relate ad hanc autoritatem habebunt *ius* exigendi protectionem et iuvamen materiale cum sit necesse et vicisim *obligationem* eidem sese submittendi, sicuti membra societatis civilis auctoritati sociali subduntur, in illis omnibus quae ad finem communem sint necessaria et ab ipsis postulentur. Haec vero subordinatio minime ut contraria propriae competentiae auctoritatis civilis est habenda; sub hac enim auctoritate internationali singuli Status plena autonomia, intra limites proprii territorii, activitatem suorum subditorum in bonum proprium ipsorum disponet, ipsa sola curam ordinis habebit, leges statuet, diversa foedera cum aliis

nationibus inibit. Auctoritas enim internationalis nequaquam per se illa, ad quae expedienda auctoritas societatum civilium sufficiat, exercet.

Haec vero auctoritas internationalis, cum custos suprema iustitiae sit, arbitrarie regulas iuris statuere et determinare nequiret, sed necessario prae oculis habere debebit praecepta legis naturalis, in cordibus omnium impressa, et solo lumine rationis cognoscibilia. Quo autem facilius ab errore se expedire possit et in via iustitiae ambulare, doctrinam et consilia exquirere debebit illius quae ab ipso Deo ut magistra infallibilis veritatis in mundo constituta est, nempe Ecclesiae Catholicae.

Haec intima collaboratio inter supremam auctoritatem temporalem, cui cura boni communis internationalis committeretur, et supremam auctoritatem spiritualem, cui commissa est cura boni supernaturalis omnium hominum, maximo adiumento erit ipsi auctoritati internationali supremae.

1247. Status quaestionis. Quaeritur in thesi utrum societas civilis sit ultimum stadium naturale associationis, an vero ultra ipsum aliud superius inveniatur, etiam ab ipsa natura intentum, nempe associatio inter nationes qua tales in veram societatem internationalem, cum fine specifico naturali, et sub auctoritate aliqua suprema internationali.

1248. Sententiae. 1.ª *Individualismus internationalis* sustinet singulos Status esse naturaliter prorsus independentes, neque auctoritatem ullam auctoritati civili superiorem exsistere posse. In relationibus internationalibus omnia pendere existimat a libera prorsus voluntate singularum nationum. Haec sententia in ordine internationali similis est sententiae HOBBES et ROUSSEAU in ordine individuali. Ita omnes *absolutistae* et *totalitaristae*.

2.ª *Internationalismus totalitarius* e contra vult ut limites inter diversas nationes dispareant, ut ex omnibus una tantum societas civilis efformetur. Hoc pacto obtinebitur vera prosperitas omnium hominum, et pax inter diversas gentes, egoismo nationali neglecto, qui est fons omnium malorum socialum. Haec sunt placita *cosmopolitismi* ac *communismi marxistae*.

3.ª *Nostra sententia.* Nos cum universa doctrina scholastica: 1. *Dicimus ipsam naturam postulare* ut complemen-

tum sociabilitatis humanae hanc societatem nationum, ad quam omnes prorsus nationes independentes pertinere deberent; haec vero Societas praedita esse debet vera auctoritate sociali, ab auctoritate aliarum societatum independenti. Nihil in concreto dicimus de modo eligendi praedictam auctoritatem; in genere sufficiat innuere ab ipsis societatibus debere eligi, diversam formam induere posse, sive monarchicam, sive melius oligarchicam, variis organismis constantem, ad definitum tempus electam, cui omnes se submittere debebunt.

2. *Nolumus tamen affirmare* soberanitatem internam singularum nationum eo ipso imminuendam esse; tantummodo enim auctoritas internationalis intervenire poterit, cum auctoritas nationalis aliquid imponere velit, transgrediendo fines sibi assignatos, contra iura naturalia aliorum. Ceterum tam in rebus internis quam externis, quae ab ipsa auctoritate nationis alicuius possint assequi, ab ipsa perfici deberent, minime vero ab auctoritate internationali.

3. *Neque dicimus iam a primo momento* apparere necessitatem huius societatis internationalis; ad hoc enim requiritur determinatus gradus civilizationis, magna inter nationes communicatio, ac maximus progressus in mediis communicationis.

Neque simul in omnibus societatibus haec necessitas experiri debet; sed primum in cultioribus et proximioribus, deinde in reliquis.

4. *Neque forte uno momento ad perfectam constitutionem* ipsius devenire poterimus; sed per gradus ad eam accedendum est. In primis efformari debet conscientia necessitatis huiusmodi organizationis perfectae internationalis; deinde nationes egoismo nationali paulatim spoliari debent; denique ut norma ad solutionem conflictuum inter ipsas interesse proprium minime statuendum est.

Cum haec praeliminaria habeantur, ad determinationem concretam modi practici statuendi talem societatem deveniendum est.

5. *Hanc solutionem* in *praxi* haud paucis difficultatibus, propter egoismum nationalem, implicatam videmus; minime tamen illam impossibilem iudicamus. Magis magisque in dies ad hanc solutionem inclinari videntur nationes, cum alio modo bonum commune internationale, ac consequenter etiam nationale, impossibile prorsus evadere conspiciant. Hinc

diversa tentamina ad organizationem internationalem inveniendam, quae naturalibus exigentiis respondeat [1].

Aevo medio idea catholica *duplicis supremae potestatis,* Imperatoris scilicet et Romani Pontificis non spernendos fructus pacificae collaborationis obtinuit; deinde principium iuridicum *aequilibrii* inter nationes in favore fuit per multum temporis; tertio ad diversa *foedera* accurritur (la santa alianza, la triple entente); post bellum europeum primum (1914-1918) *Societas* perpere appellata *nationum* instituitur, cuius efficacia, cum omnia penderent a libera voluntate nationum sociarum—erat enim societas mere contractualis—, minima futura erat; recentius *organizatio nationum unitarum* (ONU) a qua pariter, cum supra fundamentum labile iniustitiae et oppressionis sit aedificata ac principiis contra ipsam naturam innitatur, nihil prorsus alicuius momenti sperandum est [2].

Idea vero necessitatis organizationis alicuius internationalis perfectioris apud omnes viget.

1249. Probatur. *Ex indigentiis naturalibus societatum civilium.*

Illa institutio dicenda est naturalis sine qua nequit convenienter attingi finis naturalis alicuius rei. *Atqui* societates civiles nequeunt convenienter attingere finem naturalem earumdem sine societate internationali. *Ergo* societas internationalis est intenta ab ipsa natura.

Mai.: Qui vult finem, vult etiam media necessaria.

Min.: Constat experientia. Hodie enim, data complicatione vitae internationalis et necessaria interdependentia nationum, societates civiles nequeunt sua iura defendere et propriam prosperitatem temporalem obtinere modo convenienti sine aliqua societate nationum modo praedicto constituta, cum vera auctoritate internationali. Protectio ergo iurium nationum et perfectio propria earumdem quam naturaliter quaerunt, exigit exsistentiam societatis internationalis.

---

[1] Cf. LE FUR, *o. c.* p.20-62; SORTAIS, *Morale* p.315ss; R. DE YURRE, *Lec. de filosofía social* p.431ss.

[2] Cf. textum huius organizationis (Carta de las Naciones Unidas): Ecclesia (1945) 2.ª p.29-30.79-80.103-104.

INDEX NOMINUM

N. B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

INDEX RERUM

N. B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

VOLUMEN HOC, TERTIUM IN COLLECTIONE "PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA", SUMPTIBUS "BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS" AC TYPIS "SUCESORES DE RIVADENEYRA, S. A.", FELICITER, DEO DANTE, EXPLICIT DIE DECIMO QUINTO SEPTEMBRIS, IN FESTO SEPTEM DOLORUM B. MARIAE V., ANNO MCMLII

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

VOLUMENES PUBLICADOS

1 SAGRADA BIBLIA, de NÁCAR-COLUNGA, 4.ª ed., corregida en el texto y copiosamente aumentada en las notas. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. D. GAETANO CICOGNANI, Nuncio de Su Santidad en España. Reimpresión. 1952. LXXXIV + 1700 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas. 80 pesetas tela, 120 piel.

2 SUMA POETICA, por JOSÉ MARÍA PEMÁN y M. HERRERO GARCÍA. 2.ª ed. 1950. XVI + 824 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.

3 OBRAS COMPLETAS CASTELLANAS DE FRAY LUIS DE LEON. Edición revisada y anotada por el P. Fr. FÉLIX GARCÍA, O. S. A. 2.ª ed. 1951. XII + 1800 págs. en papel biblia.—95 pesetas tela, 135 piel.

4 SAN FRANCISCO DE ASIS: *Escritos completos*, las *Biografías* de sus contemporáneos y las *Florecillas*. Edición preparada por los PP. Fr. JUAN R. DE LEGÍSIMA y Fr. LINO GÓMEZ CANEDO, O. F. M. 2.ª ed. 1949. XL + 888 págs., con profusión de grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.

5 HISTORIAS DE LA CONTRARREFORMA, por el P. RIBADENEYRA, S. I. *Vida de los PP. Ignacio de Loyola, Diego Laínez, Alfonso Salmerón y Francisco de Borja. Historia del Cisma de Inglaterra. Exhortación a los capitanes y soldados de la "Invencible"*. Introducciones y notas del P. EUSEBIO REY, S. I. 1945. CXXVI + 1356 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.

6 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo I: *Introducción. Breviloquio. Itinerario de la mente a Dios. Reducción de las ciencias a la Teología. Cristo, maestro único de todos. Excelencia del magisterio de Cristo.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. LEÓN AMORÓS, Fr. BERNARDO APERRIBAY y Fr. MIGUEL OROMÍ, O. F. M. 1945. XL + 756 págs.—40 pesetas tela, 80 piel.—Publicados los tomos II (9), III (19), IV (28), V (36) y VI (49).

7 CODIGO DE DERECHO CANONICO Y LEGISLACION COMPLEMENTARIA, por los Dres. D. LORENZO MIGUÉLEZ, Fr. SABINO ALONSO MORÁN, O. P., y P. MARCELINO CABREROS DE ANTA, C. M. F., profesores de la Universidad Pontificia de Salamanca. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. Fr. JOSÉ LÓPEZ ORTIZ, Obispo de Túy. 4.ª ed. 1951. XLVIII + 1076 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

8 TRATADO DE LA VIRGEN SANTISIMA, de ALASTRUEY. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. ANTONIO GARCÍA Y GARCÍA, Arzobispo de Valladolid. 3.ª ed. 1952. XXXVI + 988 págs., con grabados de la *Vida de la Virgen*, de Durero.—70 pesetas tela, 110 piel.

9 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo II: *Jesucristo en su ciencia divina y humana. Jesucristo, árbol de la vida. Jesucristo en sus misterios*: 1) *En su infancia.* 2) *En la Eucaristía.* 3) *En su Pasión.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. LEÓN AMORÓS, Fr. BERNARDO APERRIBAY y Fr. MIGUEL OROMÍ, O. F. M. 1946. XVI + 848 págs.—40 pesetas tela, 80 piel.—Publicados los tomos III (19), IV (28), V (36) y VI (49).

10 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo I: *Introducción general y bibliografía. Vida de San Agustín*, por POSIDIO. *Soliloquios. Sobre el orden. Sobre la vida feliz.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. VICTORINO

Capánaga, O. R. S. A. 2.ª ed. 1950. XII + 828 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos II (11), III (21), IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69) y IX (79).

11 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo II: *Confesiones* (en latín y castellano). Edición crítica y anotada por el P. Fr. Angel Custodio Vega, O. S. A. 2.ª ed. 1951. VIII + 740 págs., con grabados.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicados los tomos III (21), IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69) y IX (79).

12-13 OBRAS COMPLETAS DE DONOSO CORTES (dos volúmenes). Recopiladas y anotadas por el Dr. D. Juan Juretschke, profesor de la Facultad de Filosofía de Madrid. 1946. Tomo I: XVI + 956 págs. Tomo II: VIII + 870 págs.—Los dos tomos, 70 pesetas tela, 150 piel.

14 BIBLIA VULGATA LATINA. Edición preparada por el P. Fr. Alberto Colunga, O. P., y D. Lorenzo Turrado, profesores de Sagrada Escritura en la Universidad Pontificia de Salamanca. 1951. Reimpresión. XXIV + 1592 + 122 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 4 mapas.—En tela, 80 pesetas; en piel, a dos tintas, 130.

15 VIDA Y OBRAS COMPLETAS DE SAN JUAN DE LA CRUZ. *Biografía,* por el P. Crisógono de Jesús, O. C. D. *Subida del Monte Carmelo. Noche oscura. Cántico espiritual. Llama de amor viva. Escritos breves y poesías.* Prólogo general, introducciones, revisión del texto y notas por el P. Lucinio del SS. Sacramento, O. C. D. 2.ª ed. 1950. XL + 1436 págs., con grabados.—60 pesetas tela, 100 piel.

16 TEOLOGIA DE SAN PABLO, del P. José María Bover, S. I. 1952. Reimpresión. XVI + 980 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

17-18 TEATRO TEOLOGICO ESPAÑOL. Selección, introducciones y notas de Nicolás González Ruiz. Tomo I: *Autos sacramentales.* 1946. VIII + 924 págs. Tomo II: *Comedias teológicas, bíblicas y de vidas de santos.* 1946. XLVIII + 924 págs.—Cada tomo, 35 pesetas tela, 75 piel.

19 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo III: *Colaciones sobre el Hexaémeron. Del reino de Dios descrito en las parábolas del Evangelio. Tratado de la plantación del paraíso.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. León Amorós, Fr. Bernardo Aperribay y Fr. Miguel Oromí, O. F. M. 1947. XII + 800 págs.—35 pesetas tela, 75 piel.—Publicados los tomos IV (28), V (36) y VI (49).

20 OBRA SELECTA DE FRAY LUIS DE GRANADA: *Una suma de la vida cristiana.* Los textos capitales del P. Granada seleccionados por el orden mismo de la *Suma Teológica* de Santo Tomás de Aquino, por el P. Fr. Antonio Trancho, O. P., con una extensa introducción del P. Fr. Desiderio Díaz de Triana, O. P. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. Fr. Francisco Barbado Viejo, Obispo de Salamanca. 1952. Reimpresión. LXXXVIII + 1164 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

21 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo III: *Contra los académicos. Del libre albedrío. De la cuantidad del alma. Del maestro. Del alma y su origen. De la naturaleza del bien: contra los maniqueos.* Texto en latín y castellano. Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Evaristo Seijas, Fr. Eusebio Cuevas, Fr. Manuel Martínez y Fr. Mateo Lanseros, O. S. A. 1951. Reimpresión. XVI + 1056 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.—Publicados los tomos IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69) y IX (79).

22 SANTO DOMINGO DE GUZMAN. *Orígenes de la Orden de Predicadores. Proceso de canonización. Biografías del Santo. Relación de la Beata Cecilia. Vidas de los Frailes Predicadores. Obra literaria de Santo Domingo.* Introducción general por el P. Fr. José María Garganta, O. P. Esquema biográfico, introducciones, versión y notas de los PP. Fr. Miguel Gelabert y Fr. José María Milagro, O. P. 1947. LVI + 956 págs., con profusión de grabados.—40 pesetas tela, 80 piel.

23 OBRAS DE SAN BERNARDO. Selección, versión, introducciones y notas del P. Germán Prado, O. S. B. 1947. XXIV + 1516 págs., con grabados. (Agotada. Se prepara la 2.ª ed.).

24 OBRAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA. Tomo I: *Autobiografía* y *Diario espiritual.* Introducciones y notas del P. Victoriano Larrañaga, S. I. 1947. XII + 884 págs.—35 pesetas tela, 75 piel.

25-26 SAGRADA BIBLIA, de Bover-Cantera. Versión crítica sobre los textos hebreo y griego. 2.ª edición, notablemente mejorada, en un solo volumen. 1951. XVI + 2064 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.—90 pesetas tela, 130 piel.

27 LA ASUNCION DE MARIA. Tratado teológico y antología de textos, por el P. José María Bover, S. I. 2.ª ed., con los principales documentos pontificios de la definición del dogma. 1951. XVI + 488 págs.—40 pesetas tela, 80 piel.

28 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo IV: *Las tres vías o incendio de amor. Soliloquio. Gobierno del alma. Discursos ascético-místicos. Vida perfecta para religiosas. Las seis alas del serafín. Veinticinco memoriales de perfección. Discursos mariológicos.* Edición, en latín y castellano, preparada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1947. VIII + 976 págs.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicados los tomos V (36) y VI (49).

29 SUMA TEOLOGICA de Santo Tomás de Aquino. Tomo I: *Introducción general* por el P. Santiago Ramírez, O. P., y *Tratado de Dios Uno.* Texto en latín y castellano. Traducción del P. Fr. Raimundo Suárez, O. P., con introducciones, anotaciones y apéndices del P. Fr. Francisco Muñiz, O. P. 1947. XVI + 1296 págs., con grabados.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicados los tomos II (41) y III (56).

30 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo IV: *De la verdadera religión. De las costumbres de la Iglesia católica. Enquiridión. De la unidad de la Iglesia. De la fe en lo que no se ve. De la utilidad de creer.* Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Teófilo Prieto, Fr. Andrés Centeno, Fr. Santos Santamarta y Fr. Herminio Rodríguez, O. S. A. 1948. XVI + 900 págs.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicados los tomos V (39), VI (50), VII (53), VIII (69) y IX (79).

31 OBRAS LITERARIAS DE RAMON LLULL: *Libro de Caballería. Libro de Evast y Blanquerna. Félix de las Maravillas. Poesías* (en catalán y castellano.) Edición preparada y anotada por los PP. Miguel Batllori, S. I., y Miguel Caldentey, T. O. R., con una introducción biográfica de D. Salvador Galmés y otra al *Blanquerna* del P. Rafael Ginard Bauçá, T. O. R. 1948. XX + 1148 págs., con grabados.—55 pesetas tela, 95 piel.

32 VIDA DE NUESTRO SEÑOR JESUCRISTO, por el P. Andrés Fernández, S. I. 1948. LVI + 612 págs., con profusión de grabados y 8 mapas.—50 pesetas tela, 90 piel.

33 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo I: *Biografía y Epistolario.* Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. Juan Perelló, Obispo de Vich. 1948. XLIV + 900 págs. en papel biblia, con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos II (37), III (42), IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

34 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo I: *Nacimiento e infancia de Cristo,* por el Prof. Francisco Javier Sánchez Cantón. 1948. VIII + 192 págs., con 304 láminas.—60 pesetas tela, 100 piel.—Publicados los tomos II (64) y III (47).

35 MISTERIOS DE LA VIDA DE CRISTO, del P. Francisco Suárez, S. I. Volumen 1.º: *Misterios de la Virgen Santísima. Misterios de la infancia y vida pública de Jesucristo.* Versión castellana por el P. Galdos, S. I. 1948. XXXVI + 916 págs.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicado el volumen 2.º (55).

36 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo V: *Cuestiones disputadas sobre el misterio de la Santísima Trinidad. Colaciones sobre los siete dones del Espíritu Santo. Colaciones sobre los diez mandamientos.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1948. VIII + 756 págs.—40 pesetas tela, 80 piel.—Publicado el tomo VI (49).

37 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo II: *Filosofía fundamental.* 1948. XXXII + 828 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel. Publicados los tomos III (42), IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

38 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo I: Fray Alonso de Madrid: *Arte para servir a Dios* y *Espejo de ilustres personas;* Fray Francisco de Osuna: *Ley de amor santo.* Introducciones del P. Fr. Juan Bautista Gomis, O. F. M. 1948. XII + 704 págs. en papel biblia.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicados los tomos II (44) y III (46).

39 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo V: *Tratado de la Santísima Trinidad.* Edición en latín y castellano. Primera versión española, con introducción y notas del P. Fr. Luis Arias, O. S. A. 1948. XVI + 944 págs. con grabados.—45 pesetas tela, 85 piel.—Publicados los tomos VI (50), VII (53), VIII (69) y IX (79).

40 NUEVO TESTAMENTO, de Nácar-Colunga. Versión directa del texto original griego. (Separata de la Nácar-Colunga.) 1948. VIII + 452 páginas en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.—25 pesetas tela, 65 piel.

41 SUMA TEOLOGICA DE Santo Tomás de Aquino. Tomo II: *Tratado de la Santísima Trinidad,* en latín y castellano; versión del P. Fr. Raimundo Suárez, O. P., e introducciones del P. Fr. Manuel Cuervo, O. P. *Tratado de la creación en general,* en latín y castellano; versión e introducciones del Padre Fr. Jesús Valbuena, O. P. 1948. XX + 888 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicado el tomo III (56).

42 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo III: *Filosofía elemental* y *El Criterio.* 1948. XX + 756 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

43 NUEVO TESTAMENTO. Versión directa del griego con notas exegéticas, por el P. José María Bover, S. I. (Separata de la Bover-Cantera.) 1948. VIII + 624 págs. en papel biblia, con 8 mapas.—30 pesetas tela, 70 piel.

44 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo II: Fray Bernardino de Laredo: *Subida del monte Sión;* Fray Antonio de Guevara: *Oratorio de religiosos y ejercicio de virtuosos;* Fray Miguel de Medina: *Infancia espiritual;* Beato Nicolás Factor: *Doctrina de las tres vías.* Introducciones del P. Fr. Juan Bautista Gomis, O. F. M. 1948. XVI + 840 páginas en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicado el tomo III y último (46).

45 LAS VIRGENES CRISTIANAS DE LA IGLESIA PRIMITIVA, por el P. Francisco de B. Vizmanos, S. I. Estudio histórico-ideológico seguido de una antología de tratados patrísticos sobre la virginidad. 1949. XXIV + 1308 páginas en papel biblia.—65 pesetas tela, 105 piel.

46 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo III y último: Fray Diego de Estella: *Meditaciones del amor de Dios;* Fray Juan de Pineda: *Declaración del "Pater noster";* Fray Juan de los Angeles: *Manual de vida perfecta* y *Esclavitud mariana;* Fray Melchor de Cetina: *Exhortación a la verdadera devoción de la Virgen;* Fray Juan Bautista de Madrigal: *Homiliario evangélico.* Introducciones del P. Fr. Juan Bautista Gomis, O. F. M. 1949. XII + 872 páginas en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.

47 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo III: *La Pasión de Cristo,* por José Camón Aznar. 1949. VIII + 108 páginas, con 303 láminas.—60 pesetas tela, 100 piel.

48 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo IV: *El protestantismo comparado con el catolicismo.* 1949. XVI + 772 páginas en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

49 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo VI y último: *Cuestiones disputadas sobre la perfección evangélica. Apología de los pobres.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1949. VIII + 48* + 784 páginas.—50 pesetas tela, 90 piel.

50 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VI: *Del espíritu y de la letra. De la naturaleza y de la gracia. De la gracia de Jesucristo y del pecado original. De la gracia y del libre albedrío. De la corrección y de la gracia. De la predestinación de los santos. Del don de perseverancia.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Andrés Centeno, Fr. Gerardo Enrique de Vega, Fr. Emiliano López y Fr. Toribio de Castro, O. S. A. 1949. XII + 948 págs.—50 pesetas tela, 90 piel. Publicados los tomos VII (53), VIII (69) y IX (79).

51 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo V: *Estudios apologéticos. Cartas a un escéptico. Estudios sociales. Del clero católico. De Cataluña.* 1949. XXXII + 1004 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VI (52), VII (57) y VIII (66).

52 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VI: Escritos políticos: *Triunfo de Espartero. Caída de Espartero. Campaña de gobierno. Ministerio Narváez. Campaña parlamentaria de la minoría balmista.* 1950. XXXII + 1068 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VII (57) y VIII (66).

53 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VII: *Sermones.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Amador del Fueyo, O. S. A. 1950. XX + 952 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.—Publicados los tomos VIII (69) y IX (79).

54 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo I: *Edad Antigua (1-681): La Iglesia en el mundo grecorromano,* por el P. BERNARDINO LLORCA S. I. 1950. XXXII + 968 págs., con grabados.—55 pesetas tela, 95 piel. Publicado el tomo IV (76).

55 MISTERIOS DE LA VIDA DE CRISTO, del P. FRANCISCO SUÁREZ, S. I. Volumen 2.º y último: *Pasión, resurrección y segunda venida de Jesucristo.* Versión castellana por el P. GALDOS, S. I. 1950. XXIV + 1216 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

56 SUMA TEOLOGICA de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Tomo III: *Tratado de los Angeles.* Texto en latín y castellano. Versión del P. Fr. RAIMUNDO SUÁREZ, O. P., e introducciones del P. Fr. AURELIANO MARTÍNEZ, O. P. *Tratado de la creación del mundo corpóreo.* Versión e introducciones del P. Fr. ALBERTO COLUNGA, O. P. 1950. XVI + 948 págs., con grabados.—50 pesetas tela, 90 piel.

57 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VII: ESCRITOS POLÍTICOS: *El matrimonio real. Campaña doctrinal. Campaña nacional. Campaña internacional. Desenlace. Ultimos escritos políticos.* 1950. XXXII + 1068 páginas en papel biblia.—50 petas. tela, 90 piel.—Publicado el tomo VIII (66).

58 OBRAS COMPLETAS DE AURELIO PRUDENCIO. Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por el P. Fr. ISIDORO RODRÍGUEZ, O. F. M., y D. JOSÉ GUILLÉN, catedráticos en la Pontificia Universidad de Salamanca. 1950. VIII + 84* + 800 págs.—50 pesetas tela, 90 piel.

59 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. JUAN DE MALDONADO, S. I. Tomo I: *Evangelio de San Mateo.* Versión castellana, introducción y notas del P. LUIS MARÍA JIMÉNEZ FONT, S. I. Introducción biobibliográfica del P. JOSÉ CABALLERO, S. I. 1950. XVI + 1160 págs. en papel biblia.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicado el tomo II (72).

60 CURSUS PHILOSOPHICUS, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo V: *Theologia Naturalis,* por el P. JOSÉ HELLÍN, S. I. 1950. XVI + 928 páginas.—65 pesetas tela, 105 piel.

61 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo I: *Introductio in Theologiam. De revelatione christiana. De Ecclesia Christi. De sacra Scriptura,* por los PP. MIGUEL NICOLÁU y JOAQUÍN SALAVERRI, S. I. 1950. XXIV + 1096 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.—Publicados los tomos II (90), III (62) y IV (73).

62 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo III: *De Verbo incarnato. Mariologia. De gratia Christi. De virtutibus infusis,* por los PP. JESÚS SOLANO, JOSÉ A. DE ALDAMA y SEVERINO GONZÁLEZ, S. I. 1950. XX + 784 páginas.—65 pesetas tela, 105 piel.—Publicado el tomo IV (73).

63 SAN VICENTE DE PAUL: BIOGRAFIA Y ESCRITOS. Edición preparada por los PP. JOSÉ HERRERA y VEREMUNDO PARDO, C. M. 1950. XII + 912 págs. en papel biblia, con profusión de grabados.—55 pesetas tela, 95 piel.

64 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo II: *Cristo en el Evangelio,* por el Prof. FRANCISCO J. SÁNCHEZ CANTÓN. 1950. VIII + 124 págs., con 255 láminas.—60 pesetas tela, 100 piel.—Publicado el tomo III (47).

65 PADRES APOSTOLICOS: *La Didaché o Doctrina de los doce apóstoles. Cartas de San Clemente Romano. Cartas de San Ignacio Mártir. Carta y martirio de San Policarpo. Carta de Bernabé. Los fragmentos de Papías. El Pastor de Hermas.* Edición bilingüe, preparada y anotada por D. DANIEL RUIZ BUENO, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1950. VIII + 1136 págs. en papel biblia.—65 pesetas tela, 105 piel.

66 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VIII y último: *Biografías. Misceláneas. Primeros escritos. Poesías. Indices.* 1950. XVI + 1020 págs. en papel biblia.—50 pesetas tela, 90 piel.

67 ETIMOLOGIAS, de SAN ISIDORO DE SEVILLA. Versión castellana total, por vez primera, e introducciones parciales de D. LUIS CORTÉS, párroco de San Isidoro de Sevilla. Introducción general e índices científicos del Prof. SANTIAGO MONTERO DÍAZ, catedrático de la Universidad de Madrid. 1951. XX + 88* + 568 págs.—55 pesetas tela, 95 piel.

68 EL SACRIFICIO DE LA MISA. Tratado histórico-litúrgico. Versión española de la obra alemana en dos volúmenes. *Missarum sollemnia,* del P. JUNGMANN, S. I. 1951. XXVIII + 1268 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

69 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VIII: *Cartas*. Edición en latín y castellano, preparada por el P. LOPE CILLERUELO, O. S. A. 1951. VIII + 936 págs.—55 pesetas tela, 95 piel.—Publicado el tomo IX (79).

70 COMENTARIO AL SERMON DE LA CENA, por el P. JOSÉ M. BOVER, S. I. 1951. VIII + 336 págs.—35 pesetas tela, 75 piel.

71 TRATADO DE LA SANTISIMA EUCARISTIA, por el Dr. D. GREGORIO ALASTRUEY. 2.ª ed. 1952. XL + 436 págs., con grabados.—45 pesetas tela, 85 piel.

72 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. JUAN DE MALDONADO, S. I. Tomo II: *Evangelios de San Marcos y San Lucas*. Versión castellana, introducción y notas del P. JOSÉ CABALLERO, S. I. 1951. XVI + 888 págs. en papel biblia.—60 pesetas tela, 100 piel.

73 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo IV: *De sacramentis, De novissimis*, por los PP. JOSÉ A. DE ALDAMA, FRANCISCO DE P. SOLA, SEVERINO GONZÁLEZ y JOSÉ F. SAGÜES, S. I. 1951. XXIV + 888 páginas.—70 pesetas tela, 110 piel.

74 OBRAS COMPLETAS DE SANTA TERESA DE JESUS. Nueva revisión del texto original con notas críticas. Tomo I: *Bibliografía teresiana*, por el P. OTILIO DEL NIÑO JESÚS, O. C. D. *Biografía de Santa Teresa*, por el P. EFREN DE LA MADRE DE DIOS, O. C. D. *Libro de la Vida*, escrito por la SANTA. Edición revisada y preparada por los PP. EFRÉN DE LA MADRE DE DIOS y OTILIO DEL NIÑO JESÚS. 1951. XII + 912 págs. en papel biblia.—60 pesetas tela, 100 piel.

75 ACTAS DE LOS MARTIRES. Edición bilingüe, preparada y anotada por D. DANIEL RUIZ BUENO, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1951. VIII + 1192 págs. en papel biblia.—80 pesetas tela, 120 piel.

76 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo IV: *La Iglesia en su lucha y relación con el laicismo*, por el P. FRANCISCO JAVIER MONTALBÁN, S. I. Revisada y completada por los PP. BERNARDINO LLORCA y RICARDO GARCÍA VILLOSLADA, S. I. 1951. XII + 960 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

77 SUMMA THEOLOGICA SANCTI THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. I: *Prima pars*. 1951. XXIV + 860 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicados los tomos II (80), III (81), IV (83) y V (87).

78 OBRAS ASCETICAS DE SAN ALFONSO MARIA DE LIGORIO. Tomo I: *Obras dedicadas al pueblo en general*. Edición crítica. Introducción, versión del italiano, notas e índices del P. ANDRÉS GOY, C. SS. R. 1952. XVI + 1040 págs. en papel biblia.—70 pesetas tela, 110 piel.

79 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo IX: *Los dos libros sobre diversas cuestiones a Simpliciano. De los méritos y del perdón de los pecados. Contra las dos epístolas de los pelagianos. Actas del proceso contra Pelagio.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. VICTORINO CAPÁNAGA y Fr. GREGORIO ERCE, O. R. S. A. 1952. XX + 788 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

80 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. II: *Prima secundae*. 1952. XX + 856 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.—Publicados los tomos III (81), IV (83) y V (87).

81 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis. Vol. III: *Secunda secundae*. 1952. XXVIII + 1240 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicados los tomos IV (83) y V (87).

82 OBRAS COMPLETAS DE SAN ANSELMO. Tomo I: *Monologio. Proslogio. Acerca del gramático. De la verdad. Del libre albedrío. De la caída del demonio. Carta sobre la encarnación del Verbo. Por qué Dios se hizo hombre.* Edición en latín y castellano, con extensa y documentada introducción general, preparada por el P. JULIÁN ALAMEDA, O. S. B. 1952. XVI + 904 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

83 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. IV: *Tertia pars*. 1952. XX + 808 págs.—80 pesetas tela, 120 piel.—Publicado el tomo V (87).

84 LA EVOLUCION HOMOGENEA DEL DOGMA CATOLICO, por el P. FRANCISCO MARÍN-SOLA, O. P. Introducción general del P. EMILIO SAURAS, O. P. 1952. VIII + 836 págs.—60 pesetas tela, 100 piel.

85 EL CUERPO MISTICO DE CRISTO, por el P. EMILIO SAURAS, O. P. 1952. VIII + 928 págs.—65 pesetas tela, 105 piel.

86 OBRAS COMPLETAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA. Edición crítica. Transcripción, introducciones y notas de los PP. CÁNDIDO DE DALMASES e IGNACIO IPARRAGUIRRE, S. I. 1952. XVI + 1180 págs.—85 pesetas tela, 125 piel.

87 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. V: *Supplementum. Indices.* 1952. XX + 1072 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.

88 TEXTOS EUCARISTICOS PRIMITIVOS. Edición bilingüe de los contenidos en la Sagrada Escritura y los Santos Padres, preparada por el P. JESÚS SOLANO, S. I. Tomo I: *Hasta fines del siglo IV.* 1952. XL + 752 páginas, con grabados.—75 pesetas tela, 115 piel.

89 OBRAS COMPLETAS DEL BEATO JUAN DE AVILA. Edición crítica. Tomo I: *Epistolario. Escritos menores.* Biografía, introducciones y notas del Dr. D. LUIS SALA BALUST, catedrático de la Pontificia Universidad de Salamanca. 1952. XL + 1120 págs.—75 pesetas tela, 115 piel.

90 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo II: *De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante. De peccatis,* por los PP. JOSÉ M. DALMAU y JOSÉ F. SAGÜÉS, S. I. 1952. XXVIII + 1032 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.—Publicados los tomos III (62) y IV (73).

91 LA EVOLUCION MISTICA, por el P. MTRO. FR. JUAN G. ARINTERO, O. P. 1952. LXIV + 812 págs.—70 pesetas tela, 110 piel.

92 PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo III: *Theodicea. Ethica,* por los PP. JOSÉ HELLÍN e IRENEO GONZÁLEZ, S. I. 1952. XXVIII + 924 págs.—90 pesetas tela, 130 piel.

93 THEOLOGIAE MORALIS SUMMA, por los PP. EDUARDO F. REGATILLO y MARCELINO ZALBA, S. I. Tomo I: *Theologia moralis fundamentalis,* por el P. MARCELINO ZALBA, S. I. 1952. XXVIII + 960 págs.

DE PROXIMA APARICION

SUMA CONTRA LOS GENTILES, de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Edición bilingüe.
SANTO TOMAS DE VILLANUEVA. *Sermones.* Primera versión al castellano.
OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo X.

Al hacer su pedido haga siempre referencia al número que la obra solicitada tiene, según este catálogo, en la serie de la Biblioteca de Autores Cristianos.

Dirija sus pedidos a LA EDITORIAL CATOLICA, S. A., Alfonso XI, 4, o a LIFESA, Valenzuela, 6, Madrid.


SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.


SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.


SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.